MARCI FRIDERICI
WENDELINI

PHILOSOPHIA MORALIS,

Præceptis Succinctis methodicè
Comprehensa:

Commentariis theoreticis & practicis, è priscis Theologis, Philosophis, Oratoribus, Historicis & Poëtis plenè illustrata: Insuperque septem quæstionum moralium centuriis & ἐπιμέτρῳ logicè libereque asserta & absoluta.

Editio altera priori multo correctior.



HARDERVICI,
Ex Officinâ JOHANNIS TOLLII, Academiæ Duc. GELRIÆ & Comit. ZUTPHANIÆ Typographi.

ANNO M DC LIV.

Illustribus, Generosis,

Magnificis & Amplissimis Dominis,

ACADEMIÆ

DUCATUS GELRIÆ & COMITATUS ZUTPHANIÆ,

NEC NON

Et

GYMNASII GELRO-VELAVICI

CURATORIBUS,

Dominis meis Benignissimis.

CUM duæ Philosophiæ habeantur partes, quarum altera est in obscuritate rerum posita, quæ de vero: altera in probitate morum, quæ de bono differit: quamvis utra-

que ſit admodum utilis, frugifera & fructuoſa, multo tamen feracior eſt, quæ in officiis verſatur, à quibus conſtanter honeſteque vivendi præcepta ducuntur. Aliæ quidem artes humanæ ſuas lauros hederaſque habent, ſed ad hanc, ut ad Reginam Deamque omnium, teſte philoſopho, referuntur. Eſt enim origine illuſtrior, fructu uberior, fine beatior: Autorem enim Deum, objectum bonum, finem actionem virtutis, quæ eſt ipſa beatitudo, habet. Adhæc normas ac formas præſcribit, quibus hominum mores in civitate, familia & privata converſatione honeſtatem induunt. Hæc res effecit, ut omnibus ſeculis viri quidam magni in hac quoque Philoſophiæ parte excolenda diligenter laborarint, atque inter eos hoc noſtro præ cæteris M. FREDERICUS WENDELINUS, qui abſolutiſſimas Philoſophiæ Moralis inſtitutiones in lucem dedit, quarum cum diſtracta

eſſent

eſſent exemplaria, novaque jam pridem efflagitarentur, diutius eruditorum votis deeſſe non potui. Prælo itaque meo præclarum hoc ſummi viri opus commiſi, operamque dedi, ut emendatum quibus antea ſcatebat vitiis prodiret. Quicquid vero noſtra hac cura præſtitum, id Vobis, Viri Ampliſſimi, dicatum eſſe cupio. Vos enim primo fratrem maximum natu, non ita pridem defunctum, minorem deinde alterum in Academia veſtra Profeſſores, me denique in eadem typographum liberaliter habuiſtis, benigneque foviſtis. Ego igitur, cum nulla rependere Vobis officia queam, ut animum tamen Veſtrorum tum erga fratres, tum erga me, meritorum memorem perſpicere Vobis utcunque liceret, hanc ſaltem gratitudinis vocem publice figere, huncque præli noſtri fœtum, ſed facie non paulo elegantiore prodeuntem, Vobis offerre volui. Eum quin hilari fronte ad-

te admissuri, meque una cum ipso in fidem & clientelam vestram recepturi sitis, nullus dubito. Deus Opt. Max. Vos Reip. Academiæ, & Gymnasio incolumes diutissime præstet, ac melius meliusque de iis merendi & animum vobis suppeditet & vires. HARDERVICI Kal. Sextil. ANNO MDCLIV.

A A. V V.

Cultor Devotissimus,

JOANNES TOLLIUS.

MARCI FRIDERICI WENDELINI

De

Præstantia Moralis Philoſophiæ

Ad

GOTFRIDUM BARONEM ab Eilenburgh, & Achatium Juniorem Burggravium & Baronem à Dona Epiſtola.

M*Agna* Moralis Philoſophiæ, Illuſtres & generoſiſſimi Domini, *dignatio ! Cum qua in prærogativæ contentionem ſi* Theoretica, *quam ita vulgò appellant, venerit, certè ancipitem ei palmam, etiam coram rectæ* Rationis *tribunali*, *nullo propemodum negotio fecerit. Certè magnum prærogativæ argumentum, quod non tacitis, ſed expreſſis & apertis ſapientum ſuffragiis* Philòſophiæ κατ' ἐξοχὴν *aa ſe nomen traxerit : quaſi hoc nomine nulla ſit dignior diſciplina.*

Nota in ſcholis Tullii *exclamatio :* O Vitæ Philoſophia Dux ! O virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, ſed omninò vita hominum ſine te eſſe potuiſſet ? Tu urbes peperiſti : Tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti : Tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum & vocum communione junxiſti : Tu inventrix Legum : Tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti. Ad Te confugimus : à Te opem petimus. Tibi nos, ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus totoſque tradimus. Eſt autem

unus dies benè & pręceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus. *Moralem à* Tullio *Philosophiam intelligi, res ipsa loquitur: In hujus enim laudis sociteatē non venit, quam* Theoreticam *appellamus, & in* Metaphysicam, Physicam *atque* Mathematicam *partimur.* Tullio *applaudit* Seneca. Non est Philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum: non in verbis, sed in rebus est. Nec in hoc adhibetur, ut aliquâ oblectatione consumatur dies, ut dematur otio nausea. Animum format & fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit cursum.

Paucis plurima dixere hæc duo gentilium oracula: dicique in laudem & prærogativam Moralis Philosophiæ *vix plura, vix majora possunt. Quanta enim ista! vitæ h..manæ ducem & moderatricem, virtutis indagatricem & vitiorum expultricem esse: urbes peperisse: dissipatos homines in vitæ societatem convocasse: leges invenisse: magistram morum & disciplinæ, asylum periclitantium & portum naufragorum esse: animum firmare & fabricare: facienda & omittenda demonstrare; ad gubernaculum sedere, & per ancipitia fluctantium cursum dirigere. Quis dicere talia de* Philosoqhia theoretica *ausit? Principem scholæ vulgò admirantur* Metaphysicam: *laudant* Physicam: *extollunt* Mathematicam. *Et dignæ sunt admiratione atque prædicatiōne* contemplatrices *hæ disciplinæ. His enim veluti alis sublevati lapsus securi terrigenæ in cœlum nos attollimus, astrorum numerum inimus, molem & distantiam metimur, vires rimamur, vias investigamus, φαινομένων causas indagamus, præterita respicientes, præsentia adspicientes, futura prospicientes, & quasi præsentia nobis omnia sistentes. Iisdem in sublunarem Mundum placidè remissi alis admirandā meteororum terræ nostrisque verticibus imminentium officinam*

officiram attoniti circumspicimus, causasque sublimium incendiorum, fulminum, fulgurum, tonitruorum, pluviarum, nivium, grandinum & ventorum investigamus. Inde in terræ globum, veluti pilam in medio & liberrimo pendentem aere, delati, vallium ima, collium acclivia, montium ardua, & camporum plana oculis adimus, animisque versamus innumeras plantarum, herbarum, germinum, florum, fructuumque formas, & in his ubique oberrantem admirandam volatilium, reptilium & gressilium varietatem. Neque heic sciendi quiescit desiderium: terrarum quoque profunda penetrantes occulta naturæ omnia pervestigamus. Et primum quidem magnę Matris sinus excutimus, & in iis mineralium incunabula lustramus, indeque in lucem, quicquid in intimis suis asservari & abscondi voluit thesauris, protrahimus. Mox in marium abyssos nos demittimus, & innumeros natatilium greges intuemur: ne mortalium oculos effugere nihil amplius videatur. Tandem, sensus ubi deficiunt, ad mentem properamus, & à corporeâ liberas mole naturas investigamus supra humanam elati sortem, utque omnia animis concipiamus, collatis invicem singularibus tam incorporeorum, quàm corporeorum naturis diversissimis, conceptus formamus universales, quibus omnia subjiciuntur, & ex tantâ multitudine quasi ad unitatem revocantur, quæ ex unitate primùm in tantam multitudinem excreverunt. Hæc Philosophię contemplatricis, præsertim naturalis, amœnitate, varietate & sublimitate allecti olim summi viri se ipsos neglexerunt, desertaque patriâ & hominum societate in exilia abierunt & in solitudines se abdiderunt; ut naturæ arcana rimari tanto intentius & tranquillius possent. Anacharses Schyta & Heraclitus Ephesius regna hæreditaria contemplationi Naturæ postposuerunt, iisque relictis ad Philosophorum sedere pedes, quam regiis

insidere foliis maluerunt. Democritus, *maximo fratribus relicto patrimonio, de quo* Xerxis *exercitui dare epulum poterat, ad* Ægyptios, Chaldæos, & Indos *in exilium concessit, tantoque pretio scientiam redemit: tandem etiam oculos sibi eruit, ut reperta semina sapientiæ interiore mentis contemplatione excolere sine ullis impedimentis, quæ objici multa per oculos solent, posset. Post longam peregrinationem* scientiæ naturalis *comparandæ desiderio susceptam cum domum tandem rediisset* Anaxagoras, *desertasque possessiones vidisset*; non essem, *ajebat*, ego salvus, nisi istæ periissent. *Integros sexaginta annos unius apiculæ contemplationi impendit* Aristomachus Solensis: *quasi humanæ felicitatis cardo in contemplatione Naturæ verteretur. Hoc cum ante* Soctatem *sibi omnes* Græci *Philosophi persuasissent,* Practicam & moralē *qui profiteretur* Philosophiam, *nullus fuit. Primus errorem antecessorum deprehendit* Socrates, *indeque vagabundas Philosophorum cogitationes à* magni Mundi *contemplatione ad parvum, hoc est*, Hominem, *revocavit, quem ante omnia* morali Philosophiâ *excolendum judicavit mortalium suo tempore, de sententiâ* Delphici Oraculi, *sapientissimus. Judicavit igitur sapientissimus* Socrates *ad bene beateque vivendum omne hominis studium esse conferendum, parumque, vel nihil ad veram vitæ beatitatem conciliandam steriles contemplationes absurdis, falsisque ut plurimum subnixas hypothesibus, quas priscis Philosophis familiarissimas esse vidit, conferre. Quam enim, quæso, longè à vita absunt beatitate innumerabiles* Xenophanis *Mundi nunquam orti, nunquam interituri:* Pythagoræ *numeri, & inane, Mundusque respirans:* Democriti *&* Leucippi *atomi:* Anaxagoræ *infinita principia, & sol lapidèus:* Thaletis *terrestres stellæ.* Heracliti *sol pedalis, &c. Quæ cùm nauseam movissent* Socrati,

crati, *aliâ ad beatitatem viâ contendit, primuſque* Varrone *teſte, à rebus occultis, & ab ipſâ naturâ involutis, in quibus omnes ante ipſum Philoſophi fuerunt occupati, Philoſophiam avocavit, & ad communem adduxit vitam. Primus, ut docet* Cicero, *Philoſophiam è cœlo devocavit, in urbibus collocavit, & in domos introduxit, coëgitque de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quærere, miſſis cœleſtibus, quæ vel à noſtrâ procul eſſe cognitione, vel, ſi maxime cognita eſſent, nihil ad benè vivendum conducere cenſuit. Equidem omni laude & prædicatione dignam judico* contemplatricem Philoſophiã; *non illam quidem, quæ falſis & abſurdis veterum hypotheſibus nititur: quæ unicũ hominem, eumque ethnicum, qui multorum jampridem convictus eſt errorum, ita veneratur & admiratur, ut diſſentire ab eô nefas ducat, ſi vel manifeſta ei refragetur ratio, & evidentiſſimæ obloquantur demonſtrationes, ipſique ſenſus etiam aſſenſum negent. Sed quæ omni majorem exceptione autoritatem divinam religiosè veneratur: quæ ſanæ rationi, ſaniſque ſenſibus & experimentis ſe ſubmittit, in arcanis naturæ inveſtigandis indefeſſa, in judiciis & ſententiis libera, dictaturæ impatiens, aſſentationis neſcia, ingenua, modeſta. Qualem, excuſſo priſtinæ ſervitutis jugo per Dei gratiam, hôc noſtro ſeculo, in aliquibus* Germaniæ *ſcholis publicis extuliſſe caput videmus, & jam pridem* Itali *aliquot Philoſophi in ſcholas induci publicas voluerunt.*

Hanc, inquam, etſi prædicatione, ſtudio & labore dignam judico, tanquam operum divinorum contemplatricem imagini divinæ in nobis aliquo modo reparandæ ſervientem, ſacræque Theologiæ ancillantem, abſit tamen, ut Philoſophiæ practicæ *ſeu* morali, *quam* Ethicam *appellamus, ſive exæquandam, ſive præferendam exiſtimem; quamvis primas ei in ſcholis vulgò deferri*

non

non ignorem: quarum sequiora hâc in parte judicia miror. Nonne enim è fructibus arborem, ex effectis causam in senatu populóque Philosophorum liberrimo solemus æstimare? nobilissima autem arboris hujus moralis fructus è duobus Gentilium Oraculis, Cicerone & Senecâ, *in sermonis hujus exordio recensui, fructus naturâ & officio hominis dignissimos, & è suis si existimentur meritis,* contemplatricis Philosophiæ *fructibus longissimè anteferendos.*

Homo, *inquit* Seneca, in adiutorium mutuum est generatus. Homines hominum causâ generatos esse, *exclamat* Cicero, ut ipsi inter se alii aliis prosint, ducemque naturam sequantur, & communes in medium utilitates adferant, mutatione officiorum, dando, accipiendo, artibusque, operâ & facultatibus hominum inter homines societatem devinciant. *Huic vero mutuo adjutorio servire* practicam *potius &* moralem, *quam* theoricam Philosophiam, *res ipsa loquitur. Sunt enim omnes* theoreticæ Philosophiæ *ita comparati actus, ut intra mentem contemplantis se continere, eamque perficere suo functi officio possint, si maxime ad alios se non diffundant, imo tacitis tantum cogitationibus, & in solitudine, extra omne hominum consortium, absolvantur. Hæc enim* theoriæ *indoles est, sibi servire soli, se solam pascere, & ab omnibus aliis mentem avocare: Unde tritum illud,* scientias contemplativas esse tantum sui gratia. *Quamvis autem sibi etiam* Practicus Philosophus *serviat: tamen de aliis quoque non minus solicitè & anxie laborat, in mutuum adjutorium intentissimus. Urbes parit, dissipatos homines in societatem vitæ convocat, domiciliis & conjugiis jungit, leges invenit, mores format, virtutes indagat & inducit, vitia expellit, naufragis portum aperit, ad gubernacula sedet, & per ancipitia fluctuantium cursum dirigit. Unde beatas*

Respu-

Respublicas qui prædicavit, quibus vel Philosophi *præessent, vel præsides* Philosophiæ *studiosi obtingerent, non etiam nisi* practicam *intellexit: quæ una felicis Reipublicæ est anima: sine quâ cadaver est civitas & non tam humana, quam cyclopica & bestialis societas.* Theoreticam *indigitari nemo facile dixerit; quippe quæ suis intenta speculationibus curam Reipublicæ publicique commodi plerunque abjicit, sibi vigilat, aliis non dormit, & vel in solitudinem se abdit, ut hominum vitet consuetudinem strepitumque, cujus plane impatiens* est contemplatio.

Si, quid possessori suo utraque conferat, porrò expendamus, etiam clarius practicæ *enitescet prærogativa.* Theoreticam *felicitatem contemplativa*, practicam *moralis promittit: Illa vero sine hâc ne felicitatis quidem meretur nomen. Quis enim felicem dixerit vel* Physicum, *vel* Mathematicum, *vel* Metaphysicum. *Dei hominumque contemptorem, ebriosum, libidinosum, impudicum, avarum, mendacem, scurram, injustum, ingratum, &c. omnibusque aliis inquinatum vitiis: omnis expertem πράξεως* theoreticum Philosophum: *qui facienda quidem sciat, sed fugienda faciat? Felices nemo, opinor, dixerit spiritus originis suæ desertores, irreconciliabiles Dei hominumque hostes, præfractos divinæ legis omnisque* moralis *rectitudinis contemptores: quos tamen insigni rerum cœlestium & sublunarium pollere scientia nemo quoque negaverit, qui universum hoc Naturæ theatrum jam per sexaginta ferè secula undique iis fuisse pervium noverit, & tam reconditum in intimis naturæ recessibus nihil, quod præsentes perspicacissima mentis acie non inspexerint. Interim infelicissimi esse non desierunt, neque unquam desinent. Bonum doctumque esse virum humanæ felicitatis in homine terminatæ summa est: adeoque felicissimum est conjugium bo-*

nitatis

nitatis moralis & doctrinæ, seu scientiæ omnigenæ in eodem homine. Interim extra id plerique hominum, qui aliquo habendi loco vitam vivunt quasi viduam, solis dediti vel scientiis, vel virtutibus dignis homine ornamentis. Alterum igitur si negetur, & alterutrum eligendi optio detur, anne sanæ mentis credideris esse eum, qui neglectâ virtute, elegerit & optaverit doctrinam, qui esse doctus, quam bonus maluerit: qui malæ conscientiæ tormentis excruciari potius, quam exigi recte factorum conscientiâ, voluerit?

Salomone *Rege nemo mortalium unquam, si* Adamum *adhuc innocentem exceperis, scientior & sapientior exstitit.* Data enim ipsi eorum, quæ sunt, cognitio certa, ut cognoverit constitutionem Mundi, & vim Elementorum, principium & finem mediumque temporum, solstitiorum mutationes, varietates tempestatum, anni circuitus, stellarum situs, naturas jumentorum, volucrum, reptiliū, & piscium, animas bestiarum, spirituum vires, cogitationes hominum, differentias plantarum, & facultates radicum. *Nemo unquam excellentior vel* Physicus, *vel* Mathematicus, *vel* Metaphysicus*! Unde & nomen ejus in omnes gentes undiquaque pervasit, & ex ultimis terræ angulis spectatores, auditores & admiratores excivit. Magna* theoricæ *hujus* sapientiæ *dignatio! Sed longè major* practicæ: *Unde documenta illius, tanquam minus necessaria, ad posteros scripta non pervenerunt: hujus etiamnum extant, & ad virtutem erudiendo formamdoque orbi serviunt. Testis Proverbiorum* Salomonis *liber, divinum & canocicum* moralis Philosophię *compendium*, practicę scientiæ & Sapientiæ *fons, ad quem hauriendum mortales invitat*, ut intelligant justitiam, & jus, & quicquid rectum, omnem orbitam bonam, ut eripiant se à via mali, & viris loquentibus perversitates, qui derelinquunt iti-

nera

nera recti, ut per vias tenebrarum ambulent: qui lætantur faciendo malum, exultantes in perversitatibus pessimis: qui itineribus suis perversi sunt, & orbitis suis præfracti. *Infelicissimo hoc theoreticæ & practicæ sapientiæ conjugio quantisper vixit* Salomon, *nemo beatior, nemo celebrior* Salomone. *Postquam verò infelici divortio* practicam *deseruit, & fœminarum infidelium irretitus amoribus ad idololatriæ societatem se pertrahi, & effœminari passus fuit, eam felicitatis & gloriæ jacturam fecit, ut de salute quoque ejus* Græci Latinique Patres *dubitare plurimi cœperint. Omnis tum obscurata, & quasi abolita scientiæ naturalis gloria. Sordere piis* Salomon, *& non esse, qui fuit videri, altumque de laudibus ejus esse in scriptura silentium cœpit. Quod si* Salomonem, *vel juvenem, vel senem, omnis scientiæ contemplatricis oblivio cepisset, (uti Literarum Græcarum & Latinarum* Georgium Trapezuntium *&* Franciscum Barbarum, *Græcè Latineque doctissimos olim) morum autem & virtutum illibata mansisset integritas, in pretio, admiratione, & amore esse* Salomon *non desiisset. Et quamvis nobilissimarum scientiarum jacturam Boni meritò deplorassent: tamen longè æquioribus eam animis, quàm virtutum, tulissent, & hoc judiciò ipsô* practicam sapientiam *theoreticæ prætulissent.*

A Salomone *ad.*Adamum *progrediamur innocentem & integrum: in quo imagine divinâ divinius esse nihil potuit. Unus ad imaginem Dei factus Homo dicitur, ut corporeis reliquis omnibus se antecellere intelligat. Est autem divina hæc imago non simplex quiddam, sed ex variis naturæ humanæ prærogativis compositum, quæ tamen & ipsæ gradibus excellentiæ differunt, intellectus & voluntatis disclusæ sedibus, quamvis in eâdem animæ rationalis morentur sede. In intellectu* Adami *exquisita erat divinarum & naturalium rerum scientia: In voluntate*

luntate perfecta ejus cum lege Dei conformitas & rectitudo. Divina humanæ naturæ ornamenta in primo innocentiæ statu quamvis conjunctissima, gradibus tamen distincta: quæ si per scholarum theologicarum locanda sint suffragia, equidem non dubito, quin πρωτεῖον sortitura sit voluntatis rectitudo, & cum lege Dei conformitas: cui servire intellectus scientiarum creator voluit. Quæ causa, quod ad praxin *potius, quàm ad* theoriam, *scriptura exhortetur, & κατ' ἐξοχὴν imaginem Dei justitiam & sanctimoniam veram appellet: sine quâ nemini ad Deum accessus patet. In quam nisi ipsa Dei cognitio desinat, tota sterilis & infelix est, imò gravius accersit judicium.* Palam enim est, *inquit Apostolus*, ira Dei *adversus omnem iniquitatem & injustitiam hominum, ut qui* veritatem injustè detineant: quoniam id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis: Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim invisibilia dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione Mundi perspiciuntur æterna ejus cùm potentia, tum divinitas; ad hoc ut sint ipsi inexcusabiles, propterea, quod, cum Deum cognoverint, tamen ut Deum non glorificarunt, neque gratias ei egerunt, sed facti sunt vani in rationationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum. Cùm se profiterentur esse sapientes, stulti facti sunt, &c. Repræsentemus ergò, *exclamat* Bernhardus, in nobis imaginem ejus in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis. Mens siquidem nostra eô ipsô ejus imago est, quia ejus capax est, ejusque particeps esse potest: non propterea ejus imago est, quia sui meminit mens, seque intelligit ac diligit: Sed quia potest meminisse, intelligere, & diligere eum, à quo facta est. *Summa officiorum, quæ ab homine Deus requirit, & quibus se Deo commendat homo, est* diligere Deum & proximum sicut se

cut se ipsum: *quæ summa quoque* moralis *est* Philosophiæ, *quæ aliud nihil, nisi explicata Dei lex est: quam qui speculationibus sive* Physicis, *sive* Mathematicis *posthabendam, & non tam de morali* praxi, *quam de* theoriâ, *sive* Physicâ, *sive* Mathematicâ *laborandum judicaverit, errorem longe periculosissimum errat, & à via ad felicitatem veram ducente longissime aberrat. Absit tamen, absit, ut contemnendas existimem* theoreticas scientias. *Sit suus iis per me illibatus honos: modò in consessu disciplinarum* προεδρίαν *non affectent, & ad inferiora subsellia* moralem Philosophiam *non detrudant*, Socratique *non* Physico, *vel* Mathematico, *sed* Ethico, *Philosophorum gentilium sapientissimo axioma non invideant: quod tamen fieri totâ die videmus & miramur. Quamvis enim* Platonem Socratis *discipulum imitatus* Aristoteles *cum* theoreticâ *Philosophiâ* practicam *feliciter conjunxerit, & de omni virtute subtiliter disseruerit, eundemque* Peripateticorum *dogmatum observantissimi hodieque sequantur plurimi: Communi tamen errore plerique, etiam doctissimi* theoreticam practicæ *præferendam judicant, idque momentis rationum, ut sibi persuadent, admodum ponderosis.*

Contemplativæ, *inquiunt*, omnes honesto fruuntur otio, in negotio occupantur practicæ. *Quid audio? Fortè nobilior est honesti* otii, *quam* negotii, *conditio? Ita sanè videtur* Peripateticis. *Longè* otium *illi* negotio *præferunt: honestum, inquam*, otium *honesto* negotio. *Atqui cogitare illos par erat, non tam* otium *probari sapientibus, quàm* negotium, *& ad similitudinem Dei actuosissimi* negotio *propius nos accedere, quam* otio: *nisi* otium *forte intelligas* negotiosum: *quod à* negotio *nihil differt. Quam in sententiam* Publ. Scipio *dicere solitus*, nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset. Magnifica

gnifica, *exclamat Cicero*, vox, & magno viro ac sapiente digna, quæ declarat illum & in otio de negotiis cogitare, & in solitudine secum loqui solitum. *Quid, quod cum praxi theoria* negotium *commune habeat, & tam contemplando, quam agendo, fatigari animus soleat?* Applicans animum meum, *inquit* Salomon, ad disquirendum & explorandum sapientiam de omni eo, quod fit sub cœlis (hanc occupationem malam dedit Deus filiis hominum, ut occupent se in ea) vidi omnia facta, quæ fiunt sub cœlo: Ecce ista omnia sunt vanitas, & afflictio spiritus! Ego amplificavi & adjeci sapientiam supra omnes, qui præfuerunt ante me Ieruschalaimis, & animus meus percepit multum sapientiæ & scientiæ: adjeci quoque animum meum ad cognoscendum sapientiam & scientiam omnis insaniæ & stoliditatis: cognovi etiam hoc esse afflictionem spiritus. *Neque animi heic saltem, sed & corporis laboriosa occurrit occupatio. Siquidem exquisita Naturæ cognitio non in umbra tantum &* otio *nascitur, sed sub dio multis paratur laboribus, corporisque & sensuum fatigationibus: non in amœnis tantum, sed & in asperrimis locis inter varia corporis & vitæ pericula, in montibus, in vallibus, in fodinis, & intimis Naturæ recessibus indagandis veteres nec exilia, nec pericula ulla absterruerunt: non ignivomus* Plinium Vesuvius, *non irrequietus* Aristotelem Euripus: *quorum illum effusi cineres tandem oppressisse, hunc reciprocum mare hausisse fertur. Fodinæ metallicæ quot solicitioribus Naturæ indagatoribus spiritum intercluserunt? Ipsa astrorum sub dio & in excelsis vel montibus, vel speculis contemplatio, & per instrumenta observatio, quam sit laboriosa, non ignorant Astronomorum filii.*

At enim laboriosa, *inquis*, scientiarum est inventio: postquam autem inventæ sunt, in umbra & otio discuntur,

tur & exercentur ſine labore, ſine periculo. Sed longe aliter ſentiunt, qui inventas diſcunt & exercent, vel etiã docent. Quot enim, quæſo, diurna nocturnaque manu volumina verſanda iis, qui excellere vel in uno contemplatricis ſcientiæ genere animum induxerunt! Quam fraudandus genius, quam fatigandi oculi, quam vigiliis corpus emaciandum, & meditationibus mens affligenda! veriſſimè, ut afflictionem & occupationem Eccleſiaſtes appellet: quæ an in exercitio virtutis ſit major, equidem valdè dubito. Otium, quod ſapientes laudant, non eſt niſi negotiorum liberalior quædam permutatio: qua à via ordinarii & fervidioris negotii nonnihil declinantes, quaſi in umbram concedimus, animumque & ſenſus fatigatos nonnihil recreamus ſive cogitatione, ſive colloquio, ſive minus ſeria corporis recreatione, ſenſuumque oblectatione; adeoque ſemper aliquid agimus: quo modo Publius Scipio nunquam minus erat otioſus, quam cum eſſet otioſus. Otium igitur ab omni alienum negotio nemo ſapiens æſtimat, nemo ſibi exoptat.

Sed & illud ſcire velim, qui honeſtum eſſe otium ſine virtute poſſit: quando ab honeſto otio tam fidenter disjungunt negotium: Cum honeſtas virtutis ſit vel radix, vel fructus, vel anima: honeſtumque dici poſſit nihil, niſi quod cum virtute complicatum? Virtutem igitur ſi comitem habet otium, avelli ſe ab omni negotio non patitur: quia negotioſa ſemper eſt virtus: adeoque contemplationis, ut honeſtum eſt otium, ita & negotioſum.

Sunt qui Metaphyſicam heic nobis objiciant; ut theoreticarum diſciplinarum præſtantiſſimarum, ita & practicarum præſtantiſſima nobiliorem. Inter practicas enim reperiri nullam, quæ omnes ſuperet theoreticas in confeſſo eſſe ſibi perſuadent. Sed τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνωσι cætera doctiſſimi viri. Quis credat chariorem eſſe Deo Metaphyſicis probe imbutum & immerſum ſubtili-

tatibus, quam virtutibus excultũ moralibus, etiam rudem subtilitatum transcendentium, quibus æquis animis Socraticæ *olim scholæ, imo &* Propheticæ *atque* Apostolicæ, *caruerunt: Quin & colere Deum, quam nosse, præstat: quamvis coli sine notitia haud possit, qui sine cultu à multis noscitur. Theologiam, citra controversiã, omnium disciplinarum principem, ab ipso dictatam Dei spiritu, non* theoreticam, *sed* practicam *esse, non possunt diffiteri, qui totam ad Dei cultum & æternam hominis salutem tendere agnoscunt, non obstantibus in ea pluribus, quæ ex genere πρακτῶν non sunt: in quibus, ante omnia alia ipse Deus, cujus notitiam profitetur* Theologia; *ita tamen ut acquiescere & subsistere in ea nos nolit, sed ad cultum per eam provehi. Unde horrendum Dei judicium gentilibus denunciat Apostolus* quod ita non coluerint Deum, uti agnoverant.

Neque illud nos movet, quod felicitatem contemplativam *activa præstantiorem illamque hujus finem esse contendunt. Nam & heic τὸ ἐν ἀρχῇ & κρινόμενον λαμβάνεσι.* Practicam *felicitatem non minus* contemplativæ *præferimus, quam* Philosophiam moralem theoreticæ, *neque hanc illius esse finem damus. Valde crabrones olim irritavit doctissimus* Taurellus, *quod mirari se scripserit, tantum speculationi suæ tribuere Philosophos; quæ tamen, si cum minima boni civis virtute conferatur, nullius sit futura pretii. Judicium hoc visum non nemini esse violentum, & præceps esse judicium sine judicio: quod tamen æquiori judici naturæ rei convenientissimum meditatum, & plane judiciosum videbitur, si, quibus argumentis practicæ Philosophiæ prærogativam hactenus evicerimus, probe ponderaverit.*

Sed τὸ θεωρεῖν, cum anima rationali conjunctius est bonum, magisque ejus est functio, quam *τὸ εὐπράττειν:* cum sine corporis adminiculo simplicissima sit

θεωρία

θεωρία : πρᾶξις autem ſine eo nec ſit nec eſſe poſſit.

Hoc ariete Taurelli *judicium non everteris. Cum enim hominem non ſpiritum, ſed animal eſſe, quamvis conſilii & rationis plenum, creator voluerit, non tam quid cum hominis anima, quam quid cum homine conjunctius ſit, cogitandum: quem uti corpore & anima conſtare, ita actionibus quoque diſtineri & corpus & animam concernentibus, hoc eſt, humanis voluit. Quamvis non videam, qui corporis conſortium plane excludat* theoria, *vel ubique ſola πρᾶξις id adeo requirat: ut vel, quieſcente corpore, omnis ceſſet πρᾶξις, vel corporis miniſterium nulla deſideret θεωρία. Utrique manifeſta refragatur & ratio & experientia. Siquidem ipſam etiam mentem quaſi de ſtatu ſuo dejicit, internaſque & ſpirituales actiones turbat prava corporis, humorum & ſpirituum diſpoſitio, ut ſæpe bruto, quam homini, ſimilior homo videatur, ad omnem plane ineptus ſanam* theoriam: *quam plurimum quoque juvari à ſenſuum tam externorum, quam internorum integritate experimur: adeo ut ingenii ſtuporem vel acumen ipſi etiam corpori ex parte homo debeat: quod non adeo mirabitur, qui animam rationalem ſpiritum quidem eſſe immortalem, & à corpore ſeparabilem cogitaverit: attamen corporea moli ita addictum & quaſi immerſum, ut ad conſortium ejus natura feratur, & cum ea ut hominem conſtituit, ita & actiones ejus cum externas, tum internas (in quibus quoq; θεωρία) promovet aut impediat.* Praxin *vero moralem qui ſolo externo corporis miniſterio perfici poſſe, aut* vivere ſecundum legem *minus eſſe rationalis animæ functionem, quã contemplari cœlum, ſtellas, elementa, meteora, metalla, plantas, & animantia, opinatur, toto cœlo errat. Quid enim ad* praxin *virtutis externi ſenſus, vox, pedes, & manus conferunt? corporis eſt miniſterium, quod à mentis totum dependet magiſterio, neque conforme legi eſt, niſi bona*

si bona & recta accedat intentio, quæ virtuosæ actionis est anima, & humanæ mentis non minus functio, quam θεωρία; *quæ tamē & ipsa, sine ministerio corporis nec paratur nec perficitur: adeoque justam prærogativæ causam non habet* theoretica *felicitas: cui nec hoc damus, quod hominē magis cum Deo connectat, magisque perficiat, quam* practica. *Longe propius ad Deum accedimus animi probitate, quam scientiæ subtilitate: quæ felicitatis quoque indigna nomine, nisi ad eam animi accedat probitas. Unde à Dei facie abjectos spiritus malignos, virtutisque juratos hostes propter multiplicis scientiæ subtilitatem felices beatosque nemo prædicat: & pietatis* praxin *ubique scriptura scientiæ præfert, uti & hanc ad illam refert. Etsi enim amari Deus sine cognitione haud potest, amorem tamen cognitioni præfert, quæ esse quoque sine amore potest.*

Sed iterum obloquentes audio. Naturalis appetitus ad rerum cognitionem nos inclinat potius, quam ad actionem moralem, eoque ipso de theoreticarum disciplinarum confitetur excellentia. *Sed appetitum illi ægrum & corruptum à sano & integro si distinguerent, ægri testimonium & judicium contra moralem* Pphilosophiam *non admitterent.* Æger animus, *ut vulgo ajunt*, semper errat. *Ea appetitus humani naturalis est pravitas, ut, scriptura teste, à re nulla magis abhorreat, quam à morali rectitudine.*

Cor hominis pravum est à pueritia. Intelligentia carnis est inimicitia adversus Deum. *Quis testem hujusmodi admittat, vel judicem ferat in causa rectitudinis moralis & virtutis? Scire igitur potius appetitum suum debet in peccatis mortuus homo, quam contra naturam suam agere, & legi se submittere: quem* legi non subjici, *&* ne posse quidem, *diserte* Paulus *affirmat. Postquam vero vitii turpitudinem agnoscere, & virtutis pulchritudinem*

dinem æstimare nonnihil cœpit, longe ardentiori in virtutem, quam in scientiam, desiderio fertur, turpemque vitii servitutum eluctatus, parere legi verissimam & honestissimam esse libertatem judicat: quam cum scientiis contemplatricibus non adeo conjunctam esse facile intelligit, quando à vitiorum quoque mancipiis non plane alienam esse scientiam cogitat. Quæ causa, quod, post habita naturalium rerum scientia, & laboriosis atque sterilibus antecessorum contemplationibus, totus in moralē Philosophiam Socrates *incubuerit, & adolescentiæ incumbendum judicaverit, ut amantissima libertatis patria vere liberis & bonis gauderet civibus: quos* scientiæ contemplatrices *non adeo promittunt, vel præstare etiā possunt.*

Quid vero in mentem Aristoteli *venerit, cum ab* Ethicis & practicis scholis *juvenes, tanquam minus idoneos auditores, excludendos judicaret, rationum nescius non poterit non mirari: etsi rationes tam videntur à celeberrimi Philosophi prudentiâ alienæ, quam ipsa illa sententia.*

Requirere ille in auditore Ethicæ *videtur* usum & experientiam, *quæ cum in adolescentiam & juvenilem ætatem non cadat, practici hujus studii minus capacem esse judicat. Quasi vero eadem sit disciplinæ alicujus demum constituendæ, & jam constitutæ ratio. Anne vero limine scholarum* Physicarum & Medicarum *repellimus eos, qui* usu & experientia *naturalium & medicarum destituti sunt rerum? Nonne rudibus usum & experientiam majorum commendamus & inculcamus, ut in scholarum umbris sine molestia & periculo inveniant, quæ sub dio sudore multo, magnisque periculis majores anxie quæsiverunt? Juvenes igitur in* theatrum virtutum *dum inducimus, ipsorumque facta vivis coloribus depingimus, nonne* usum & experientiam *præsentem sistimus, feliciq;*

imitatione exprimendam offerimus? Neque offerimus tantum, sed & modum imitationis præscribimus & efficacibus argumentis ad imitationem animos inducimus, imo quodammodo invitos trahimus. Neque argumentis tantum, sed & exemplis præsentibus, vivis in oculos incurrentibus. Facile enim in animos discentium virtus influit, quando non præceptis tantum, sed & exemplis docentium commendatur. A professione hac & institutione practica si alieni sint docentium mores, non tam præceptis & rationibus suadetur virtus. Dignissima sunt observatu Lactantii *verba:* Si bona *inquit*, sunt, quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse Præceptor à numero cœtuque hominum segregare, inter quos agit: & ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum: ne, si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, leviorem que doctrinam suam faciat: si re ipsa resolvat, quod verbis nitatur adstruere. Unusquisque enim, cum audit præcipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tanquam sibi jus libertatis adimatur. Respondebit itaque doctori hoc modo: *non possum facere, quæ jubes, quoniam sunt impossibilia. Vetas me irasci, vetas cupere, vetas libidine commoveri, vetas dolorem, vetas mortem timere. Sed hoc adeo contra Naturam est ut his affectibus animalia universa subjecta sint: Vel si adeo repugnari putas posse naturæ, & tu ipse, quæ præcipis, fac, ut sciam, fieri posse. Cum autem ipse non facias, quæ insolentia est ut homini libero imponere velis leges, quibus ipse non pareas? Prius disce, qui doces, & ante quam mores alienos corrigas, tuos corrigere.* Quis neget justam hanc esse responsionem? Quin etiam in contemptum veniet hujusmodi Doctor, & deludetur vicissim, quia videtur & ipse deludere. Quid ergo faciet ille Præceptor, si hæc ei fuerint opposita? Quomodo adimet excusatio-

nem

nem contumacibus, nisi ut præsentibus factis doceat, se possibilia docere? Inde evenit, ut Philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim malunt exempla, quam verba: quia loqui facile est, præstare difficile. Utinam que tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene! Sed qui præcipiunt, nec faciunt, abest ab iis fides.

Eundem Philosophiæ Moralis *Professorem quoque* Seneca *requirit*. Sic ista discamus, *inquit*, ut, quæ fuerint verba, sint opera. Nullos autem pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui Philosophiam veluti aliquod venale artificium didicerunt: qui aliter vivunt, quam vivendum esse præcipiunt. Exempla enim se ipsos inutilis disciplinæ circumferunt, nulli non vitio, quod insequuntur, obnoxii. Non magis mihi potest quisquam talis prodesse Præceptor, quam gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum est rapiente fluctu gubernaculum: luctandum cum ipso mari: eripienda sunt vento vela. Quid me potest adjuvare rector navigii attonitus & vomitans? Quanto majore putas vitam tempestate jactari, quam ullam ratem? Non est loquendum, sed gubernandum. omnia quæ dicunt, quæ turba audiente, jactant; aliena sunt. *Dixit illa* Plato, *dixit* Zeno, *dixit* Chrysippus, *&* Possidonius, *& ingens agmen tot & talium*. Quomodo probarint sua esse, monstrabo: faciant, quæ dixerunt. *Hic usus, hæc experientia juventuti virtutum fundamenta jactura necessaria. Usum à juvene si proprium, si experientiam requiras propriam, non discipulum, sed magistrum, non tyronem, sed veteranum, requiris, qui docere possit mores, & morum magistros audire non adeo necesse habeat.*

Sed nec hoc tantum nomine juvenes ægre admittit Aristoteles: *graviori eosdem abesse argumento jubet*: quia affectibus indulgent, quos frænare nesciunt. *Hanc*

vero non minus mirari rationem subit. Annon affectibus domandis, & intra rationis gyrum coercendus hæc ipsa servit disciplina? Morali institutione opus non habet, qui affectus domitos, & quasi captivos circumducit, triumphumque de iis agit: quem non nisi virtutum moralium debet fortitudini. Exulat affectus, ubi virtus imperat: affectuum jugo se non submittit virtus.

Animum vincere, iram cohibere, *inquit* Cicero, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui fecerit, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Dei judico.

Nemo igitur in Ethicam *scholam si recipiendus, nisi qui affectus ad eam frænatos adfert, iisque imperat, non nisi summi, imo Deo simillimi recipiendi erunt viri: quos præesse* Ethicis *scholis optandum foret. A subselliis vero scholarum harum qui affectibus obnoxios repellunt, perinde videntur facere, ac qui ægros à Medicorum arcent liminibus, & non nisi sanis aditum ad ea patefaciendum opinantur. Nemo igitur magis ad* Ethicas *ablegandus scholas, quam qui frænare affectus nondum didicit, ut frænare tandem discat: veluti invitis quoque ægris medicinam paramus & obtrudimus:* Medico, *inquit* Servator *noster*, non nisi ægri habent opus.

Quod si forte nec præceptis, nec rationibus, nec exemplis adduci posse ad honestam virtutis libertatem, & abstrahi ab ignominiosa affectuum servitute indomiti juvenes videantur, severior quoque adhibenda disciplina, quæ non tam in legibus, quam in observatione & executione legum consistat. Ita juvenes, ita cives ad virtutis cultum adduci vult Seneca, *morum ille, post* Epictetum, *doctor excellentissimus.* Medicus *inquit*, primo in levibus vitiis tentat non multum à quotidiana consuetudine

dineinflectere, & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem tantum mutata vitæ dispositione firmare. Proximum est, ut modus proficiat, si modus & ordo non proficit, subducit aliqua & circumcidit. Si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, & abstinentia corpus exonerat. Si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrisque, si adhærentia nocent, & malum diffundunt, manus adfert: nec ulla dura videtur curatio, cujus salutaris effectus est. Ita legum præsidem, civitatisque Rectorem decet, quam dici potest, verbis primum mollioribus ingenia curare, ut facienda suadeat, cupiditatemque honesti & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: transeat deinde ad tristiorem orationem, qua moneat adhuc & exprobret: novissime ad pœnas, & has adhuc leves & revocabiles, decurrat: Ultima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit. *Hoc utinam consilium sequerentur civitates & scholæ publicæ! Quanto cultiorem & tersiorem civitatum & scholarum habituri essemus faciem? si in scholis* Philosophicis *&* Moralibus *non præcepta tantum audirentur, & de præceptis controversiæ atque disputationes: quibus hodie, proh dolor, ubique fere locorum*, moralis institutio *absolvitur. Unde de moribus qui disputare possint in publicis scholis occurrunt plurimi, qui ad morum præcepta, veluti Cynosuram, vitæ cursum dirigant, pauci. Clamant præcepta, ipsæque etiam leges: sed silet disciplina: exultat effrænis licentia, habenas haud raro laxantibus etiam iis, qui attrahere debebant, & cursum licentiæ totis viribus inhibere. Inter ebrios, vomitantes, vociferantes, & tumultuantes impune sobriis esse vix licet, qui forte domo secum ad scholas quasdam sobrietatem & modestiam attulerunt. Quin & eo usque omnis modi*

excurrit

excurrit licentia, ut, si qui forte severiores morum magistri invalescenti licentiæ occurrere, & jacentem virtutem legum præsidio erigere, triumphantemque malitiam opprimere aggrediantur, ludibrio habeantur, tragice exagitentur, & iniquissimis censuris vexentur, etiam eorum, qui legum contemptum vindicare, & luxurians in agro scholastico lolium eradicare ex officio debebant. Neque Anyti & Meliti *hodieque desunt, qui* Aristophanem *veluti ære conducunt ad* Socratem *morum & vivendi magistrum innocentissimum quasi dramate subvertendum: scilicet, ut severioribus sublatis censoribus, erecto quasi licentiæ vexillo, ad scholas publicas majori numero discipuli confluant, majorique ut loquuntur, libertate liberalium artium alumni fruantur: quos libere & liberaliter habendos putant: indeque pluribus potius, quam melioribus publicarum scholarum celeritatem acceptam ferunt. Sed judicii errorem eventus tandem monstrabit · imo jam nunc monstrant confusi scholarum & castrorum limites; quos animi mores & corporis habitus olim distinxerunt, modestiam sibi scholis vendicantibus, licentiam & insolentiam castris; quæ, proh dolor, in scholas quoque jam immigravit, & sic* Artem *cum* Marte *infelicissime confudit: quamvis longe severior olim castrorum fuerit disciplina, quam modo scholarum: quæ pleræque Ephoros ferre non possunt.*

Sed à longiore diverticulo in viam redeo. Nondum omnes excussi Philosophiæ contemplatricis *prærogativas. Videtur nonnullis etiam* demonstrationem certitudine *morali antecellere: quando æterna & necessaria sub contemplationem cadunt, quæ sub praxin & actionem non cadunt. Sed quæ major, quæso, esse possit certitudo, quam legis ab ipso Deo latæ, Deique digito in prima creatione hominis cordi inscriptæ: quæ sanctitatis & justitiæ*

justitiæ æternæ quasi surculus est creaturæ rationali implantatus, semper sibi similis & superstes, sive in creatore, sive in creatura: quamvis jacturam ejus interdum hæc vel illa faciat creatura: uti & rerum naturalium, quas in æternis & necessariis Aristoteles *numerat. Individua modo oriuntur, modo occidunt. Tam igitur certum & immotum est*, virtutem & propositum vivendi secundum legem, esse à Deo, placere Deo, perficere hominem, regere appetitum, animum tranquillare, conservandæ humanæ societati servire &c. *quam certum & immotum est*, solem in numero esse planetarum, à Deo esse, reliquis omnibus stellis antecellere, sublunari huic Mundo præesse, eundemque luce sua illuminare & calore fovere, à via sua nunquam aberrare, &c. *Neque virtutum est ulla, quæ à tramite suo vel minimum hactenus deflexerit, aut ab orbe condito sibi similis esse desierit: ut major rerum naturalium non sit constantia, quam virtutum. Non alia est hodie facies & indoles* justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, gratitudinis, liberalitatis, &c. *quam quæ olim fuit, ut &* plantarum, metallorum *atque* animantium *naturæ sunt eædem, quæ olim in Mundi exordio fuere. Imo erunt virtutes, & in civitate Dei tanquam sidera fulgebunt, postquam rerum naturalium pleræque desierunt esse. Nondum igitur video, cur practicæ & morali Philosophiæ contemplatricem præferam: huic vero illam cur præferam, causas me habere justas etiamnum arbitror. Neque à mea me illud sententia dimovet:* quod actionum humanarum & virtutum quædam quasi vestigia in brutis appareant, quæ contemplationis nulla edant specimina. *Nam ne hoc quidem datur. In brutis quædam virtutum*, justitiæ, temperantiæ, gratitudinis, prudentiæ, &c. *deprehendi vestigia, ut non nego: Ita in iisdem quasi quandam præteritorum recordationem,*

præ-

præsentiam, notitiam, & futurorum præsagia observamus. Insignia hanc in rem documenta apud Plutarchum *occurrunt in dialogis*, πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἔνυδρα; *Et*, περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι. *Plura animalium consignarunt historiæ. Quod si vero maxime indicia contemplationis nulla in brutis se proderent, non tamen illico* morali praxi contemplatio Naturæ *præferenda foret. Nisi quis sentienti animæ, quam communem cum brutis habent homines, præstare dixerit erectum ad sidera vultum, quem proprium homines habent.*

Unum restat. Contemplativas disciplinas natura priores esse contendunt. *Quid inde? Ideone præstantiores* practica *&* morali? *Assensum non extorquet hæc sequela: nisi omne natura prius præstantius esse posteriori contemplationis patroni evicerint? quod ut credant, à se Philosophi nunquam impetrabunt: qui ut partem omnem natura priorem toto, ita & imperfectiorem eodem esse affirmant. Sic & materiam natura priorem & imperfectiorem esse forma, sine ullius sapientis contradictione docent. Sed &* contemplativarum *prioritas non adeo est in confesso. Pro* practicarum *prioritate ipsemet deponit* Aristoteles: *qui, inventis & constitutis scientiis, quæ ad necessitates & vitæ humanæ voluptates pertinebant, institutas demum* speculativas *affirmat. Neque obstat, quod* Socrates, *sepositis & quasi sopitis Antecessorum contemplationibus per cœlum & elementa jam pridem oberrantibus, in civitates ad formandos & excolendos hominum mores, primus Philosophiam introduxerit. Quamvis enim inter* Græcos *forte primus morum magister publicus* Socrates *exstiterit: tamen extra* Græciam *longe ante* Socratem *alii exstitere plurimi, in quibus* Patriarchæ, Prophetæ, *& sapientissimi Israëlis Reges,* David *&* Salomon: *quorum ad nos pretiosissimi*

ſimi venerunt libri, (Pſalmi, Proverbia, & Eccleſiaſtes,) qui moralem Philoſophiam Canonicam, *theſaurum longè pretioſiſſimum, nobis exhibent. Primùm ſi ſpectes quaſi fontem* Moralis Philoſophiæ, *de antiquitate & prioritate non concedet illa* theoreticæ. *Siquidem ex* principiis practicis *cum homine natis, & inſcripta cordi hominis lege derivari potuit antè, quam vel* Phyſicis, *vel* Metaphyſicis *contemplationibus ſe homines occuparent. Eſt enim homo ἀγελαςικὸν ζῶον, ſocietatis amantiſſimum, cujus firmiſſimum eſt vinculum virtutis ſtudium inter eos etiam, qui ne à limine quidem* theoreticas diſciplinas *ſalutarunt. Sic igitur primas* Morali Philoſophiæ *meritò deferimus, poſtquam evidentibus argumentis eas aſſeri, & de ſtatu ſuo nullis deturbari poſſe machinis vidimus.*

Applaudunt quoque nobis priſci Eccleſiæ doctores, Lactantius, Gregorius Neocæſarienſis, Iſidorus Peluſiota, *& alii, quos ſuo loco teſtes graviſſimos laudavimus. Applaudunt priſci Philoſophi,* Socrates, Plato, Epictetus, Seneca, *quos & ipſos laudavimus. Autor eſt* Sextus Empiricus *à* Stoicis *Philoſophiam comparari* areæ, *& quidem arborum in ea proceritati* Phyſicam, *fructuum maturitati & ſuavitati* Ethicam, *parietum firmitati* Logicam: *quæ &* Philoni *arriſit comparatio.* Poſſidonius *animali eam aſſimilat, & ſanguine quidem atque carnibus* Phyſicam, *oſſibus & nervis* Logicam, *animæ* Ethicam. Themiſtius *eandem Imperatoris & Moralis Philoſophi conditionem eſſe affirmat, amboſque in ſummo humanæ felicitatis faſtigio eſſe collocatos, nec habere ultra, quo tendant.* Seneca *cum reliquas diſciplinas catenus conducere dixiſſet, ſi præparent ingenium, non detineant, ſintque rudimenta noſtra, non opera: tandem ſubjungit,* unam Ethicam, *quam* veram ſapientiam *ubique appellat,* proprie dici debere liberalem ſcientiam. Quare, *inquit,* liberalia ſtudia dicta ſint, vides, quia homine

mine libero digna sunt. Cæterum unum studium verè liberale est, quod liberum facit: hoc sapientiæ sublime, forte, magnanimum: cætera pusilla & puerilia sunt.

Suis igitur in hominem meritis, & doctissimorum suffragiis cum præ omnibus aliis merito triumphet Moralis sapientia, *ab ea ad vos me jam converto*, Illustres & Generosissimi Domini. *Cum prælo jam committendæ huic* Morali Philosophiæ, *pro more, patronos circumspicerem, protinus occurrit* Electoralis Borussia, *ad quam jam pridem mihi viam* Illustres & generosissimæ familiæ Burggraviorum Donæorum, & Baronum Eilenburgicorum *patefecerunt: quos submisse & humiliter salutatum publicis compellationibus jam olim ivi, imperantibus mihi publicam gratitudinis significationem multis magnisque ipsorum in me meritis, quæ nulla unquam apud me delebit oblivio.*

Et te quidem, Illustris & generosissime Dn. Gotfride, *causam modo compellandi, præter publicam, quam illustris familia, ejusdemque in rem publicam & literariam merita publica prædicatione dignissima subministrant, privatam quoque habeo. Anni enim jam XXX. effluxerunt, quando una cum generosissimo Domino fratre*, Bot-Heinrico, *(quem pie fatis concessisse ante paucos menses demum inaudii,) Te convictorem & auditorem domesticum habui: de cujus vere generosa indole, ingenio, modestia & industria tum temporis multa* Borussiæ, *privatisque meis laboribus promisi, augurio, ut eventus me tandem docuit, minime vano. Flores enim studiorum tuorum tum temporis suavissimos, quibus* Servestæ *primum, deinde* Francofurti *ad* Viadrum *doctis te commendasti, jam pridem in maturos abiisse fructus, eosque in Patriæ sinum copiosissime effusos, non sine ingenti lætitia accepi: adeoque publica voce te Provinciali Collegio in Electorali* Borussia *& Pa-*

tria

tria *directorem gratulor, Tibique Collegii illustris, nobilissimi & amplissimi directionem. Bene de te* Patria *merita est; de Patria optime vicissim mereris: Vitam Tibi* Patria *dedit: Consilium* Patriæ *reddis, quo bene vivet, vigebit & florebit. Ita ex gratitudinis lege, plus reddis, quam accepisti, Tibique Patriam magis magisque obligas.*

Cum autem, illustris & generosissime Domine, *ad hoc dignitatis fastigium, & præclaram de* Patria *optime merendi occasionem Te virtus evexerit: quæ ut in altis habitat, ita in alta quoque cultores suos tollit à* Generositatis Tuæ *meritis & officio meo alienum nihil fecero, si, assumptis virtutum alis, ad* Generositatem tuam *evolavero, totamque virtutis familiam* moralibus *meis* commentariis *insertam* Generositati Tuæ *stitero, eique patronum Te elegero: cujus illa sibi favorem promittit, ejusque præsidio se tutam fore sperat. Gratiose igitur accipe*, illustris & generosissime Domine, *quod offero submisse, & in amplexus tuos ruentem modo virtutem literis vestitam excipe, qui nudam jam pridem generoso animo excepisti, & benigne huc usque fovisti.*

- *Te jam compello*, illustris & generosissime Domine Achati *ut ne insignium* illustris & generosissimæ vestræ familiæ *in me meritorum memoria mecum aliquando occideret, superstitem eam esse, & post funera quoque vivere & vigere in libris meis volui, quos plerosque præscripta* illustrium & generosissimorum Burggraviorum, & Heroüm Donæorum *nomina exornant: quæ magna esse apud me ante annos jam quadraginta, Heidelbergæ cœperunt, sub auspicio* illustrissimi & fortissimi Heroïs, Domini Fabiani Senioris, *Patrui* Generositatis *Tuæ magni, & vere magni in Electorali* aula Palatina. *Non igitur ægro feres animo*, Illustris & Generosissime Domine Achati, *publicam hanc compella-*

tionem, quam æquo quoque animo clementique vultu ante XX. annos laudatissimæ memoriæ Illustris & Generosissimus Dominus Fridericus, *generositatis Tuæ parens, Dominus meus olim gratiosissimus, admisit. Patrem enim in Filio etiamnum superstitem submisse revereri mihi est animus: uti & paternas in Filio virtutes in publico hoc virtutum theatro, quod aperio, venerari: imo totius* Illustrissimæ familiæ, *in qua stabilem sibi sedem virtus ab octingentis jam annis fixit, lucidissimis* Fabianorum, Abrahamorum, Achatiorum, Fridericorum, Theodoricorum & Christophororum *superiori & nostro seculo ortis sideribus insigniter illustrata, humillimum me cultorem solemniter profiteri: Cum enim ab annis jam quadraginta, & quod excedit, mihi probe innotuerit, & omnium in ea virtutum exempla viva sint observata, nec potui, nec debui ea in fronte* commentariorum *meorum* moralium *silentio præterire: ne sola admirari vetera, sæpe dubia autorum fide prædicata, recentia vero in omnium oculos incurrentia negligere videret. Accipe igitur*, Illustris & Generosissime Domine, *gratiosa manu, quod humili & submissa offero virtutum theatrum, idque curiosis obire oculis ne gravare.*

Expressas heic videbitis Illustres & Generosissimi Domini, *omnium, qui ab orbe condito fuere magni, imagines: adeoque & Majorum vestrorum, longa seculorum multorum serie, expressa videbitis vestigia, quibus ad hoc* Generosissimæ familiæ vestræ *fastigium ascenderunt: expressam artem, qua posteritas ad idem eniti sera poterit.*

Nihil jam reliquum est, nisi ut Altissimo Generositates vestras *devote commendem, vitamque iis longævam, & prosperos domi forisque successus à Deo precer: qui hac non mea tantum, sed & multorum aliorum,*

rata

rata esse vota jubeat, ad nominis sui sacro-sancti gloriam reique publicæ emolumentum. Dabam Servestæ, Calend. Junij, Anno, post natum Christum, quadragesimo sexto supra millesimum sexcentesimum: qui afflictissimæ Germaniæ, post XXVIII. *annorum calamitosissimum bellum, desideratissimam pacem promittit.*

Illustrium Generositatum vestrarum

Observantissimus

MARCUS FRIDERICUS WENDELINUS.

TYPOGRAPHUS Lectori Salutem.

ANTE, *quam hoc virtutum moralium*, Lector benevole, *ingrediaris theatrum, noveris in Præceptis, & Definitionibus, quæ Abrahami Sculteti sunt, nihil mutatum esse, eo quod essent brevia, perspicua, logice conformata, & methodice disposita. Commentarios quod attinet, quatuor partibus eos à* M. FRIDERICO WENDELINO *auctos esse scias:* 1. Descriptione objectorum, circa quæ singulæ virtutes occupantur. 2. Enumeratione actuum & officiorum cujusque virtutis, *cui annexa præcepta virtutis exercitium dirigentia.* 3. Allegatione rationum & exemplorum *ex omni antiquitate selectissimorum.* 4. Tractatione quæstionum tam practicarum quam theoreticarum: *quas numero septingentas in indice consignatas invenies. Adhac ab eodem appendices libro primo adjectas duas insignes, itidem noveris: unam de* Virtutibus intellectualibus: *alteram de* Affectibus, *de quibus in ordinem redigendis & frænandis virtus moralis laborat. Hæc volui nescius ne esses, amice Lector. Tu ipsum jam ingredere* Virtutum theatrum, *& Vale, nostrisque conatibus fave.*

Liber I.
Ethicæ.
De Recta Vita
Caput I.

De definitione Ethicæ & fine hominis.

Thesis I.

Ethica est doctrina de fine hominis.

II.

Finis hominis est id, propter quod à Deo conditus est.

Ἔκθεσις.

§. 1. Ethicæ etymum etiam pueri norunt. Græcis ἦθος est mos. Unde ἠθικὴ subintell. doctrina, vel disciplina de moribus, quibus homo ad suum finem perducitur.

§. 2. Sunt autem duo ab initio hîc observanda: (1) *objectum*, seu *subjectum occupans* Ethicæ: (2) *Præstantia* Ethicæ. *Objectum* Ethicæ assignatur *finis hominis*, sive id, propter quod homo est à Deo conditus. Ad hunc finem deducere hominem omnia Ethicę præcepta nituntur. *Caput* enim *Philosophiæ moralis*, inquit Apulejus, est, *ut scias, quibus ad vitam beatam perveniri rationibus possit:* Etsi *finem* hunc plenè non assequitur Ethica. *Finis* autem hoc loco intelligitur *practicus*, qui & summus est, ad quem ipse quoque *theoreticus* referri debet. Sola enim cognitio sine praxi nihilo nos reddit meliores & beatiores. Unde summam legis & prophetarum, adeoque omnem quoque cognitionem ad praxin ipse *Christus* refert, nempe *dilectionem Dei & proximi*. Matth. 22. v. 37. 38. 39. 40. Pertinet huc illustris *Pauli* sententia, 1. Cor. 13.

v. 2. *si habeam Prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque scientiam: & si habeam totam fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Ab *Ethica* ad *Theologiam* dimittendi auditores; tanquam à rudimento ad complementum. De veterum scholis Ethicis differentem vide Clarissim. *Horneium*, Ethic. lib. 1. cap. 1. & *Heiderum*, Ethic. pag. 23.

§. 3. *Præstantia* Ethicæ æstimatur partim ex *objecto*, partim ex *effecto*.

§. 4. Ex *objecto:* quia agit de summo hominis fine. Quantò autem præstantior est hominis, ad quem conditus est, summus finis reliquis omnibus inferioribus finibus, qui ad summum certâ ratione ordinantur; tantò hæc quoque disciplina omnibus aliis disciplinis, quibus fines inferiores propositi, sublimior est.

Ex *effecto:* Quia sola Ethica hominem facit optimum, quoad fieri, in hac mortalitatis nostræ imperfectione, potest, cum disciplinæ reliquæ omnes etiam pessimo cuique possint communes esse. Unde colligere est, non eum mereri nomen *Philosophi Ethici*, qui tantum disputare de præceptis morum & virtutum potest, novitque omnia virtutum requisita, proprietates, definitiones, distributiones, effecta &c. sed qui animum habet veris virtutibus excultum, qui conatu, vel factis exprimit, quicquid virtuosum esse novit. *Melius est sanum esse, quam ægrotantem differere de sanitate: lucem esse, quam loqui de luce*, inquit, *Clemens Alexand.* Et pulchrè de *Indis Zeno: Se unum malle Indum videre, qui torreatur, quam omnes de laboris perpessione discere probationes.* Pertinet huc illud *Lactantii*, lib. 6. c. 5. *Scientia non potest esse virtus: quia non est intus in nobis, sed ad nos extrinsecus venit. Virtus tota nostra est, quia posita in voluntate faciendi bona. Sicut ergo in itinere celerando nihil prodest viam nosse, nisi conatus & vires suppetant ambulandi: ita vera scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat, &c.* nihil prodest cognitio, nisi actio subsequatur. Tendit eodem *Seneca* sententia Ep. 85. *Non ex ebore tantum* Phidias *sciebat facere simulacra, faciebat ex ære. Si marmor illi, si adhuc viliorem materiam obtulisses, fecisset, quale ex illâ fieri optimum posset. Sic sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit: sin minus, in paupertate. Si poterit, in patriâ: sin minus, in exilio. Si poterit, Imperator: si minus, miles. Si poterit, integer: si minus debilis. Quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex ipsa memorabile efficiet.* Idem vult *Aristoteles*, lib. 2. Eth. 2. οὐχ' ἵν' εἰδῶμεν, τί ἐστιν ἀρετὴ, σκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα. vide *Casum:* specul. moral. lib. 10. c. 9.

De

De *modo*, quo deinceps Ethicam disciplinam tradituri sumus, hoc habe. Triplex tradendi Ethicam doctrinam est modus:

§. 5. (1) *Γνωμολογικὸς*; quo breves & argutæ ex autoribus colliguntur & proponuntur sententiæ, ad informandos mores accommodatæ.

(2) *Παραδειγματικὸς*: quo exempla virtutum & vitiorum ad imitandum & fugiendum ob oculos ponuntur.

(3) *Ἀποδεικτικὸς*, quo præcepta legitimè informata, & methodicè disposita de singulis virtutibus, continentia *causas*, *effecta*, *affectiones*, *definitiones*, *distributiones*, *&c.* traduntur, & in commentariis explicantur, simulque ethicæ controversiæ tractantur.

Nos singulos hosce modos conjungemus, præcepta de virtutibus tradituri, & dispositori methodicè, eademque subjectis commentariis illustraturi: in quibus primum singularum virtutum *objecta* & *officia* declarabimus: deinde rationibus & exemplis è probatissimis autoribus petitis, & verbis ipsorum expressis Ethicæ studiosum ad virtutis cultum, & vitii fugam excitabimus: Denique controversias ethicas præcipuas omnes breviter & logicè resolvemus, ubique dulci utile misturi: neque tam *Aristotelis*, *Platonis* aut *Socratis*, quam veritatis, rationem habituri.

§. 6. Circa primi capitis summam quæritur (1) *Qua methodo tradenda sit Ethica, Syntheticâ, an Analyticâ?*

Resp. *Analyticam* eligit Schola *Peripatetica*, hoc argumento:

Quæ disciplina inchoari debet à consideratione finis, indeque progredi ad media obtinendi finem, ea methodo analyticâ est tradenda. Atqui Ethica inchoari debet à consideratione finis, indeque progredi ad media. &c. Ergo:

Propositio depromta est ex naturâ *methodi analyticæ*.

Assumtio prob. quia Ethica est disciplina practica, cujus finis est [...]tio ab Ethicâ distincta. Atqui à *fine*, tanquam notiore inchoan[...] præceptio, indeque progrediendum ad *media* ignotiora, hoc [...], virtutes, quibus practicum hominis *finem* consequimur. Et [...]c quoque *Autori* nostro arrisit methodus. Unde *objectum* Ethi[...] constituit *finem hominis*, ad cujus distributionem rectà pro[...]ditur, indeque *ad media*, hoc est, virtutes.

§. 7. *Piccolomineus* etsi non inficiatur, *analyticâ* methodo [...]li posse Ethicam: tamen *syntheticâ* quoque tradi posse, idem [...]endit: uti & scientiæ utramque admittere ipsi videntur. Ipse [...]r consulatur, *Introduct.* ad 10. Grad. Philosophiæ moralis [...]21. & seqq. nec non in *Comite Politico*. Non displicet nobis, [...] locis allegatis asserit, cum *analytica* methodo ferè semper [...]*eticam* in practicis disciplinis & artibus concurrere: quę etsi

 à no-

à notione *finis* incipiunt, tamen ad *media* ubi descenditur, à principiis & simplicibus ad composita transeunt: ut constat exemplis *Grammaticæ* & *Logicæ*, ipsiusque *Ethicæ*, quæ de principiis virtutum agit prius quam de virtutibus. Vide *Heider.* Eth. pag. 47. 48. qui subtilitates hujusmodi magni non facit.

§. 8. Quæritur (2) *An Ethica sit Ars?*

Resp. In quæstione hac adversis frontibus concurrunt Ethici.

Affirmativam amplectitur & defendit *Thomas Sagittarius*, Exer. Eth. lib. 1. Exer. 1. q. 1. cui assentitur *Velstenius*, disp. Eth. 1. q. 8. Rationes sunt.

(1) Quia definitio *Artis* ei competit, sive *artem* consideres, ut est in mente, sive ut est in libro. Ut est in mente, ἕξις ποιητικὴ μετὰ λόγȣ ἀληθȣ̃ς. Ut est in libro, *comprehensio præceptorum consentientium & coërcitorum ad finem utilem in* vitâ: ex *Luciano Philipp.* Dialect. lib. 1. p. 41. Utramque admittit Ethica. Priorem, quia est habitus mentis faciendi opus morale: Posteriorem, quia est comprehensio præceptorum, &c.

(2) Quia est pars Philosophiæ. Atqui Philosophia est comprehensio Artium liberalium.

(3) Quia finis ejus est opus: nempe morum in homine confirmatio & elaboratio. Atqui Artis finis est opus. ὥσπερ ἔδει δεῖξαι, inquit *Sagittarius.*

Negativam propugnat *Jacobus Martini*, in Eudæmonolog. disp. 1. q. 6. ubi ait, *eos, qui practicam Philosophiam per Artem definiunt, non* ἀκριβολογεῖν *sed* ἐκ παρόδȣ λόγȣς ἀποδέχεσθαι. Fundamentum *negativæ* unicum est: quia *Aristoteli* ita videtur. Ille enim habitus circa τὸ ἐνδεχόμενον occupatos ἀντιδιῃρημένως oppositos agnoscis duos, *Prudentiam* & *artem*: quarum illa circa τὸ πρακτὸν, hæc circa τὸ ποιητὸν versatur: per illam agimus, per hanc efficimus. Atqui *Ethica* non versatur circa τὰ ποιητὰ, sed circa τὰ πρακτὰ: adeoque non *Ars*, sed *Prudentia* est. *Artis* operationes sunt transeuntes: *Prudentiæ* immanentes. *Artis* finis est bonum utile & iucundum: *Prudentiæ* bonum honestum: illa abuti possumus, hac non, cum virtutis abusus nullus detur ὥσπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 10. Ethicam, quatenus in libro est, cur definire per *Artem* non debeamus, causa planè nulla est. Minimè verò *Aristotelis* obstat autoritas. Definit ille *Artem* non in libro, sed in mente hærentem: non systema, sed habitum artis.

§. 11. *Sed plebs*, inquit ille, *literatorum*, *non eruditi Philosophi definiunt Philosophiam per comprehensionem Artium liberalium: & in vocabulo Artis est æquivocatio.*

Resp. *Ari-*

Resp. *Aristarchis* istis *peripateticis* plebeium est, quicquid *Aristotelicum* non est: quasi norma rationis & Philosophię unica sit *Aristoteles*. Philosophiam in libro existentem, & quamvis Philosophiæ partem definire per σύστημα præceptorum sive unam, sive omnes Philosophiæ partes comprehendentium, quis quæso prohibeat, & jure plebeium appellet? Et hoc systema rectè atque philosophicè Artem appellare quidni possimus? Cum ne *Aristoteles* quidem contradicat. Æquivocationem in vocabulo *Artis* non ignorarunt vel neglexerunt *Sagittarius* & *Velstenius*.

§. 12. Quod si verò Ethicam tanquam mentis habitum, definias è pluribus & particularibus habitibus aggregatum, an *Artibus* accenseri habitualibus debeat, alia est quæstio; quæ si ex Aristotelica decidi lege debeat, forsan causâ cadet *Sagittarius*, & *Prudentiæ* pòtius, quam *Artis* regno, subjicienda videbitur Ethica. Atqui aliud est *Philosophum* esse, aliud *Aristotelicarum* opinionum & hypothesium mancipium. Visum *Aristoteli prudentiam* ἀντιδιηρημένως *Arti* opponere. Quid si aliis aliud videatur: *Prudentiæ* propriam facit *Aristoteles* πρᾶξιν, *Arti* ποίησιν: quia ita visum ipsi: Atqui ποίησιν etiam virtutum habitibus tribuendam alii judicant, & πρᾶξιν ποιήσει contra distinctam negant, idque ex usu græcè latinè loquentium: quamvis inter ποίησιν mentalem & corporalem non malè distinguatur.

Artium operationes esse tantum transeuntes, *prudentiæ* tantum immanentes, & ipsum non sumendum tantum, sed & probandum. Sanè virtutum operationes multæ sunt transeuntes, ut constat de fortitudine, liberalitate, justitia, affabilitate, &c. *Artium*, quas ita appellant, operationes quoque sunt immanentes, quæ mentem tantum & voluntatem hominis afficiunt, & intra facultates hasce se continent. Quid ni vero & *Artis* esse finis possit bonum honestum. Interim frui subtilitatibus suis *Peripateticos* facilè patimur; modo loquendi & sentiendi leges omnibus non præscribant, & παχυλῶς dici clamitent, quicquid Ἀριστοτελικῶς non dicitur: *bonisque sociis & jejunis philosophis* illico non accenseant, qui *prudentiam & philosophiam practicam* re, subjecto & fine eundem habitum negant: quâ inhumanâ censurâ *Timplerum* non neo vexat: certè minus philosophicè, minus etiam *Aristotelicè*; age enim major *Aristotelis* erga adversarios æquitas & humanitas fuit. Minus curiosus in hâc quæstione est *Heiderus: vocetur*, uit, *ars*, *doctrina*, *disciplina*, *facultas*, *scientia*, *sapientia*, *dentia*, *philosophia & philosophiæ pars*, *nihil refert: dumdo satisfiat rerum veritati*, *& morum honestati*: Eth. part. 1. 8. An philosophiam nobis meliorem & cultiorem reddiderit

 servi-

servilis illa & superstitiosa *Aristotelis* adoratio, cogitent quæso cordati. Alligati sunt Theologi ad S. Scripturam, Icti ad leges, Philosophi ad rationem & experientiam, nullius hominis obnoxii imperio vel dictaturæ. Ex antecessoribus neminem adoravit *Aristoteles*, omnes *sua quasi subjecit ferulæ*; Eodem igitur in ipsum uti jure quis successores prohibeat? Modo sine contemtu & exagitatione id fiat. Hoc enim plane ἀφιλόσοφον & plus, quam barbarum.

§. 14. Quæritur (3) *An Ethica sit moralis Philosophia pars theoretica?*

Resp. *Philosophia moralis* in scholis Ethicis & peripateticis tres constituuntur partes. *Ethica* in specie sic dicta, *Politica* & *Oeconomica*. Partes hæ ad dichotomiam revocari solent, quâ moralis Philosophia in *theoreticam* & *practicam* distinguitur: illa esse dicitur *Ethica*, hæc *Politica* & *Oeconomica*.

Distinctionis hujus authores vulgo laudant *Piccolomineum* & *Simonem Simonium*. Sed longè antiquiorem eam esse ostendit *Jacob. Martini*; Eudæmonolog. disp. 1. θ. 2. q. 2. sic igitur Ethica Philosophiæ moralis pars erit *theoretica*, adeoque disciplina *theoretica*! quod à *Jacob. Mart.* probatur.

§. 15. Primus sententiæ hujus autor si *Timplerus* fuisset, dubio procul hoc nomine ad *bonos socios & jejunos Philosophos atque seductores* fuisset relegatus. Nos etsi autorum existimationi nihil detractum cupimus: tamen quæstionis *affirmativam* cum iis amplecti non possumus: sed *negativam* in scholis receptissimam probamus, quâ partibus Philosophiæ *practicis* ubique accensetur, & jure quidem: quia finis ejus ultimus est *praxis*, non *theoria*. Atqui à fine ultimo desumta est distinctio Philosophiæ in *theoreticam* & *practicam*: nec non ab *objecto* contemplabili & operabili: ut pluribus ostendit ipse *Jacob. Martini*, disp. 1. θ. 1. q. 1. Non in cognitione virtutum acquiescere debet Ethicus, sed à cognitione ad praxin festinare; ad quam unicè referri debet cognitio: *virtus*, inquit Antisthenes, *est res operum, & ejus laus omnis in actionibus consistit*. Secus se res habet in disciplinis *theoreticis*, ubi mens in cognitione & contemplatione acquiescit, quam solam intendit circa *objecta*, quæ nec πρακτὰ nec ποιητὰ sunt. Videantur quæ c. 1. ad θ. 2. à nobis sunt annotata. Hinc etiam non *synthetica*, sed *analytica* methodo tradi volunt Ethicam: quod non *syntheticam*, sed *analyticam* requirat natura disciplinarum practicarum: quod contra *Piccolomineum* cum *Zabarella* probantem vide *Jacob. Martini*, disp. 2. θ. 1. q. 4. Sed audiamus theoriæ ethicæ propugnatores.

(1) Ethi-

§. 16. (1) *Ethica continet principia philosophiæ practicæ, nempe beatitudinem, actiones, & virtutum omne genus: quæ Oeconomici & Politici, ut magis practici ad usum accommodant, monstrantque, quomodo juxta illa in quâlibet societate vivendum sit. Ergo est disciplina theoretica, vel rectè appellatur Philosophiæ moralis pars theoretica.*

Resp. Negatur *consequentia*. In Ethicis omnia illa ad *praxin* tendunt non tantum *œconomicam* & *politicam*, sed & *ethicam*: neque desinunt esse practica, quia praxi inserviunt *politicæ & œconomicæ*. Imò hoc ipso nomine pro practicis habenda sunt, quia ad praxin, non tantum *œconomicam* & *politicam*, sed vel maximè *ethicam* referuntur, & referri debent. *Ethicum* non minus par est practicum esse, quam *œconomicum* & *politicum*: etsi hi *praxin ethicam* in suos convertunt usus. Qui instrumenta parat & fabricat aliorum opificum usibus servientia, non minus habitum exercet *ποιητικὸν*, quàm qui instrumentis illis ex artis suæ præscripto utitur.

§. 17. (2) *Ethica proponit magis universalia præcepta, quàm œconomica & politica. Ergo est theoretica.*

Resp. Negatur *Consequentia*; Hoc tantum sequitur. *Esse disciplinam practicam magis universalem, quam œconomicam & politicam.*

§. 18. (3) *Medicina quamvis tota sit practica, nihilominus pars ejus dicitur theoretica, quæ generalem morborum & medicamentorum naturam per principia prima inquirit & proponit: altera verò practica, quæ docet & commonstrat, quomodo ista ad singularia atque usum applicanda sint. Ergo & Philosophiæ moralis pars illa, quæ de moribus in specie agit, & œconomicæ atque politicæ inservit, est theoretica.* Ratio consequentiæ. *Quia philosophia moralis est veluti medicina animæ; Epictet.* apud *Arrianum*, lib. 3. c. 23. *Stobæus* Eclog. Eth. cap. 2. *Clem. Alex.* lib. 7. Stromat. cap. 1. *Plutarch.* de instit. pueror. n. 7. *Tyrius Maxim.* dissert. 18. *Dio Chrysost.* orat. 8. & 27.

§. 19. Resp. Si tota *Medicina* est practica, utique partes ejus omnes, quæ totum constituunt, sunt practicæ. Rectè verò tota appellatur practica, & vitiosa est ejus in *practicam* & *theoreticam* distributio. Quam enim Medicinæ partem *theoreticam* vulgò appellant, quæ de corpore agit humano, omnibusque ejus partibus, temperamentis, sanitate, morbis, medicamentorum, alimentorum & elementorum facultatibus, ea tota est *Physica*, & pars Physicæ non minus, quam doctrina de animalibus & plantis; *Pe*... lib. 2. de philosoph. natur. cap. 4. Adsciverunt autem sibi

doctrinam hanc *Medici*, quia *Medicina*, si tantum contineret practicum illum habitum, qui ejus est proprius, nimis tenuis & ignobilis futura erat: adjunctione autem doctrinæ illius *Physica*, quæ magno usui & ornamento est *Medicus*, longè ornatior, locupletior & perfectior est visa: quæ *Pererii* sunt verba loco allegato, ubi & hoc addit: *Quicquid est in Medicinâ cognitionis scientificæ, id totum est physicum: executio autem illius cognitionis & applicatio ad opus ea demum est, qua constituit habitum quendam Medicinæ diversum à Physica.*

Quod si verò maximè doctrina ista *Physiologica* pars esset *Medicinæ*, tamen à *Medicina* ad *Ethicam* nulla esset consequentia: quamvis animæ medicinam esse non negaremus, uti nec negamus: quia *Ethica* per se & naturâ suâ est practica: quod dici de *physiologia*, quam Medicus assumit, non potest. Nulla disciplina, citra controversiam *practica*, est quæ non habeat aliqua à praxi remotiora & separabilia: ob quæ tamen *theoretica* omnes dici non debent: quia etiam remotiora ad praxin tendunt, modo homogenea sint *practicæ disciplinæ*. Vide *Zabarell.* de nat. Log. lib. 2. c. 4. *Dicimus*, inquit, *non Medicinam totam non posse scientiam dici, sed neque illam ejus partem, in qua de elementis, de humoribus, de partibus humani corporis, earumque natura & usu differitur.* (Per scientiam intelligit habitum contemplativum.) Rationem addit: *Quia non scientiæ gratia fit, sed operationis, ut corporis sanitatem vel conservare, vel recuperare valeamus.* Contra *Ethicam theoreticam* ex *Aristotele* disputantem vide *Theophilum Raynaudum*, Philosoph. moral. prolog. §. 2. n. 24. In *theoreticos ethicos* gravissimè invehitur *Max. Tyri.* dissert. 5. *Epictet.* apud *Arrian.* lib. 2. cap. 9. *Senec* lib. 7. de benef. cap. 1. *Philo*, de nomin. mutat. & agriculturâ. *Musonius* apud *Stobæ.* Ser. 29. *Themist.* orat. 2.

§. 20. Hodiè tamen, proh dolor, in Scholis ferè tota *praxis ethica* in *sterilem theoriam* degeneravit: de quo suo quoque seculo conquestus est *Seneca*, Epist. 95. *Antiqua*, inquit, *sapientia nihil aliud, quam facienda & vitanda, præcepit: & tunc longè meliores erant viri. Postquam docti prodierunt, boni desunt, simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere.* Quàm hoc est verum, Deum immortalem! de seculi nostri juventute humanitatis studia profitente! Tot ethica collegia quotumquemque reddunt meliorem!

§. 21. Quæritur (4) *Quodnam sit Ethicæ subjectum, seu objectum?*

Resp.

Resp. Tractat controversiam hanc *Piccolomineus*. Introduct. c. 2. 3. 4. &c. ubi variis variorum recitatis & refutatis sententiis, *subjectum Ethicæ* constituit *humanam actionem ex libertate prodeuntem*, quatenus id includit, per quod proximè refertur ad summum bonum, seu, quatenus in eâ honestum refulgere natum est. Alii *actiones* nominant *humanas*, quatenus per eas absolutè viri probi reddimur. Aliis *homo* placet, quatenus beabilis. Aliis *beatitudo hominis*.

§. 22. Nobis *objectum* disciplinæ hujus est *finis hominis*. Unde Ethicam definimus, *doctrinam de fine hominis*. Sententiæ fundamentum hoc est:

Quicquid disciplinæ ethicæ ita substernitur, ut, quicquid in eâ traditur, sit vel ipsum illud *subjectum* vel *principium* ejus, vel *affectio*, vel *species*, vel *pars* &c. id adæquatum est objectum, vel subjectum Ethicæ: Atqui finis hominis ita substernitur Ethicæ, ut, quicquid in eâ traditur, sit vel ipse *finis*, vel *principium* ejus, vel *affectio*, vel *species*, vel *pars*, &c. Ergo.

Propositio depromta est ex conditionibus & requisitis *subjecti disciplinæ*. *Assumtionem* comprobat inductio omnium eorum, quæ in hac disciplina traduntur. Ubi observandum sub *principiis*, *speciebus*, *affectionibus*, *partibus*, &c. comprehendi etiam, quæ ad singula hæc pertinent, tanquam consentanea vel dissentanea, veluti vitia virtutibus opposita, virtutumque singularum *objecta*, *adjuncta*, *effecta* &c.

§. 23. Excipit *Picolomineus*: *Finis & subjectum, seu objectum, differunt: ut constat ex logicis: Ergo finis Ethicæ non potest esse subjectum, vel objectum Ethicæ.*

Resp. *Consequens* assertioni nostræ non contradicit: siquidem *subjectum Ethicæ* non constituimus principaliter *finem Ethicæ*, sed *finem hominis*. Unde definitur Ethica, *doctrina de fine hominis*. Posse verò idem, diverso respectu *subjectum* vel *objectum* & *finem* esse, extra controversiam est.

Quis enim negabit, de *fine hominis*, tanquam subjectâ materia, posse præcipi & disseri. Ethicæ *finis* est institutio ad finem hominis obtinendum, & ad virtutis moralis habitum acquirendum. Tendunt huc omnia Ethicæ præcepta: Quin & ipsa actio humana, per quam absolutè probi viri reddimur (quod Ethicæ *subjectum* aliis arridet cum *Piccolomineo*) certo respectu & hominis, & Ethicæ *finis* appellari potest. Quid enim est actio illa, nisi vita proba, à qua probi appellamur? Ad hanc actionem Ethicæ tendunt præceptiones, tendunt ad eam studia nostra ethica. Vide *Heider*. Eth. pag. 20.

Keckermannus objectum Ethicæ distinguit in *primarium*, & *secundarium*. *Primarium*, quod informat doctrina Ethica, ipsi est voluntas, seu appetitus rationalis animæ, per quem homo bona ab intellectu monstrata prosequitur & mala aversatur. *Secundarium* in *primum*, & *à primo ortum*. *Primum* ipsi est sensus externus, appetitus & loco motiva. Sub appetitu comprehendit cupiditatem & affectum. A *primo ortum* est voluptas & dolor.

Sed *objecta* & *subjecta* hæc sunt virtutis potius, quam Ethicæ: neque conditiones in *subjecto* disciplinæ alicujus requisitæ, de quibus paulo ante, competunt vel voluntati, vel appetitui sensuum, &c.

§. 25. *Sagittario* arridet *objectum Ethicæ*, Homo, qua beabilis & bonis moribus informandus: quod cum nostro objecto facile conciliari potest: etsi aliud *Sagittario* videtur. Finis hominis est recta & beata vita. Atqui eodem tendunt, Homo ad rectam & beatam vitam informandus: & Hominis recta & beata vita per Ethicam institutionem atque informationem procuranda.

§. 26. Tandem hoc observandum: sive finis hominis, sive actio per quam probi & beati reddimur, sive virtus *objectum* Ethicę constituatur, non intelligi *finem* ab hoc vel illo obtinendum, non *actionem* hujus vel illius, non *virtutem* ab hoc vel illo comparandam: sed universalem *finis*, *actionis*, *virtutis*, &c. *ideam* jam ante constitutionem hujus disciplinæ efformatam & constitutam. Siquidem *objecta* disciplinarum præsupponuntur & præcognoscuntur. *Zabarell.* de tribus pręcog. cap. 2. quamvis ideam hanc proponat Ethica, ut ad eam in hoc vel illo individuo *finis*, *actio*, *virtus* informetur: qui finis est Ethicæ ideam constitutam explicantis. De Ethicâ secundum *ideam* conscribendâ vide Sagittarium, Exerc. Eth. lib. 1. disp. 1. q. 2. Quod si observetur, facilis erit responsio ad argumenta, quibus *Sagittarius* probare nititur, *objectum Ethicæ* nec actionem rectæ beatæque vitæ, nec virtutem esse, lib. 1. disp. 1. q. 6. 7.

Qui summum bonum in actione virtutis consistere affirmant, cur *objectum Ethicæ* virtutem esse negent, causam justam non habent: modo pro *objecto* habeant beatitatem, seu felicitatem moralem. Actio virtutis & ipsa est virtus in actu constituta.

§. 27. *Theophilus Raynaudus*, Jesuita, Moral. Philosoph. prol. §. 2. num. 11. negat *ideam* rectè operandi posse *objectum* Ethicæ esse: sive ea consistat in *conceptu formali*, hoc est, regulis & dictaminibus operandi, sive in *conceptu objectivo*, hoc est, ipsa re facienda: quam mente prospiciens artifex ad ejus normam exigit operationem.

Contra

Contra priorem hanc adfert rationem. *Objectum debet esse id, inter quod & potentiam interjacet actus, & quidem solus: veluti inter colorem & visum, seu facultatem visivam, interponitur sola visio. Atqui inter ideam operandi sumtam pro dictamine & regula sic vel sic eliciendi actionem & scientiam practicam nullus intercedit actus. Siquidem regulæ illæ sunt ipsius actus immediatè eliciti ab habitu intellectuali operativo.*

Contra posteriorem sic disputat. *Conceptus objectivus, hoc est, operatio recta præconcepta, sive actu dirigens, sive apta dirigere operationes ex ejus imitatione formandas, tenet locum regulæ & dictaminis, estque id, in quod immediate fertur habitus. Ergo non est objectum habitus practici moralis sed tendentia in objectum.*

§. 28. Resp. Distinctio ideæ in *in conceptum formalem* & *objectivum*, ut à Jesuita explicatur, nullius est momenti, siquidem uterque conceptus idem illi est, nempe regula, seu dictamen, &c. Itaque *prioris* rationis *Assumtio* negatur. Inter *ideam* seu *exemplar*, ad cujus imitationem recta actio elicienda, & habitum, seu facultatem, tanquam actum primum, intercedit actus secundus, seu operatio recta, ad imitationem expressa in eo, qui agit ex habitu. Qui vero ex habitu non agit, sed ad habitum tendit, ei recta actio medium quoq; est inter ideam & habitum acquirendum.

Posterioris negatur partim *antecedens*, partim *consequentia*. Habitus non fertur immediatè in *ideam*, sed per actionem, quam conformat ad ideam. Neque regula, seu dictamen, est tendentia in objectum, sed ipsum objectum, in quod per actionem vel imitationem tenditur.

Quæritur (5) *An Ethica sit distincta à Theologia?*

§. 29. Resp. *Affirmativa* defenditur sequentibus rationibus.

(1) Quia Theologia & Ethica sunt disciplinæ finibus distinctæ. Theologiæ enim finis est bonum spirituale: Ethicæ bonum morale & civile: quæ duo bona sunt distincta.

(2) Quia sunt principiis cognitionis distinctæ. Principium cognitionis in Theologia est extraordinarium, singularis revelatio divina: in Ethica ordinarium, principia practica & humana ratio. Unde Theologi in Ecclesia & de Ecclesia sunt; Ethici tam extra Ecclesiam, ut constat de gentilibus, quam intra Ecclesiam.

(3) Quia non iisdem ejusdem vitæ terminis concluduntur. Ethica enim hujus vitæ terminis concluditur: Theologia ad futuram & æternam vitam extenditur: quippe quæ viam expeditam ad æternam salutem perfectè commonstrat: quam commonstrare Ethica, uti hoc loco accipitur, non potest. Unde longissimè ab ea gentiles olim aberrarunt.

(4) Quia

(4) Quia Theologia fundamentum est amicitiæ spiritualis; Ethica civilis.

(5) Quia Theologia tradit mysteria salutis, quæ ignorat Ethica. Objicitur:

§. 30. (1) *Ethica non tantum de probitate, virtutes morales in specie sic dictas complectente sed de pietate præcipit, adeoque de DEI quoque cultu: quod gentilium testantur scripta & nostra quoque methodus. Ergo non est distincta à Theologia: quæ de iisdem præcipit capitibus.*

Resp. Negatur *consequentia*. Ratio negationis est: quia etiam distinctæ disciplinæ in *materiali objecti* possunt convenire: distinguit enim non *materiale*, sed *formale*. Atqui *formale* in Ethica non est idem, quod in Theologia. Pietas Ethica DEI cultum præscribit, quatenus è principiis practicis communibus & revelatione facta in natura per rationem rectam cognoscitur: Theologica eundem præscribit, quatenus ex revelatione divina singulari habetur. Unde hæc ad salutem æternam sufficit, illa minime. Hæc Ecclesiæ propria est: illa etiam extra Ecclesiam olim fuit, & nunc quoque est. *Objectis* etiam aliquo modo differunt. Pietatis Ethicæ *objectum* est tantum DEUS, quatenus essentia est unus (quem saniores Ethnici coluerunt:) Theologicæ Deus, non tantum quatenus essentiâ unus, sed & personis trinus qui Ethnicis fuit incognitus.

§. 31. (2) *Virtutes Ethica eôdem modo definit, quô Theologia. Ergo Ethica à Theologiâ non est distincta. Antecedens patet ex collatione definitionum ethicarum rectè informatarum & theologicarum.*

Resp. Negatur *consequentia*. Hoc tantum inferri posset: *Ethicam esse particulam Theologiæ.* Non enim solis virtutibus definiendis & distribuendis absolvitur Theologia tota: sed pars tantum ejus: quam *Theologiam moralem* vulgo appellant. Interim Ethica, uti hôc locô consideratur, integra est disciplina, non pars tantum integræ, hoc est Theologiæ, constituta olim ab iis qui Theologi non fuerunt, & quibus scopus non fuit viam commonstrare ad æternam salutem, sed ad civilem felicitatem vitæ hujus limitibus terminatam: quos transgreditur Theologia.

§. 32. Quæritur (6) *An Ethica Theologiæ repugnet?*

Resp. *Negativa* defenditur hac ratione: quia utraque agit de virtutibus moralibus: utraque eodem modo eas definit: utraque ad easdem adhortatur: utraque ab iisdem vitiis dehortatur: utraque legem Dei urget: utraque felicitatem ex honestate & virtute ortam intendit.

§. 33. Objicitur (1) *Ethnici in præceptionibus ethnicis multa tra-*

tradiderunt ſana Theologia contraria : Ergo Ethica repugnat Theologia.

Reſp. Negatur *conſequentia*: Quia errores illi non fuerunt Ethicæ, ſed Ethicorum ſeu doctorum Ethicæ. Diſtinguendum inter Ethicam *abſtractam* & *concretam*. Illa eſt Ethica abſolutè conſiderata, de eâ ſermo nobis: hæc Ethica *Platonicorum*, *Peripateticorum*, *Stoïcorum*, *Academicorum* : qui à ſe invicem haud rarò diſſenſerunt, & à vero aberrarunt. Diſtinctionem hanc inculcat *Clemens Alex.* lib. 1. Strom cap. 4. ubi, poſtquam dixerat ſingulari Numinis providentiâ Græcis obtigiſſe Philoſophiam moralem, *Philoſophiam*, inquit, *non dico Stoïcam*, *aut Platonicam*, *aut Epicuream*, *aut Ariſtotelicam : ſed quæcunque ab his ſectis rectè dicta ſunt*, *quæ docent juſtitiam cum prudentiâ.*

§. 34. (2) *φρόνημα σαρκὸς eſt inimicitia adverſus Deum*, Rom. 8. verſ. 7. *Ethica* eſt *φρόνημα σαρκὸς* : *Ergo eſt inimicitia adverſus Deum*, *adeóque contraria Theologiæ.*

Aſſumtio prob. *Quia derivatur ex natura corrupta fonte*; *unde φρόνημα σαρκὸς*, *hoc eſt*, *prudentia*, *ſeu ſenſus carnalis.*

Reſp. *Aſſumtio* negatur. *Probatio* ſimpliciter vera non eſt. Etiamſi enim natura (proh dolor !) multis modis eſt corrupta : tamen non planè eſt deſtructa, neque ita penitus corrupta, quin concreatæ bonitatis aliqua in eâ remanſerint veſtigia, & aliquis primæ perfectæque lucis radius : ut videre eſt ex principiis cum *theoreticis*, tùm *practicis*: quæ ſcriptura *legem* appellat hominum cordibus, etiam poſt lapſum, inſcriptam, quâ dſcernuntur honeſta à turpibus. Hinc ipſi etiam gentiles nativam ſecuti lucem naturâ, quæ legis ſunt, faciunt, Rom. 2. v. 14. 15. Non igitur ex naturâ, quatenus corrupta, ſed quatenus aliquid in ſe primævæ bonitatis & lucis retinuit, derivatur Ethica. *φρόνημα σαρκὸς* eſt pravitas hæreditaria, quæ tamen nec naturam, nec principia practica, ſeu legem naturæ, prorſus abolet : etſi in applicatione ſæpe aberrat natura. Unde Ethicorum errores, qui cum legi inſcriptæ adverſentur, in Ethicâ minimè ſunt tolerandi, ſed tanquam ulcera & nævi ab eleganti corpore removendi.

§. 35. Quæritur (7) *An Ethica ſit præſtantior Phyſica*, *Metaphyſica & Mathematica ?*

Reſp. *Affirmativam* defendimus omnibus illis argumentis, quibus lib. 1. cap. 35. ad §. 6. probamus, *ſcientias practicas eſſe præſtantiores ſpeculativis.* Hoc loco ſapientum collegiſſe ſuffragia, quæ tamen rationum ponderibus graviſſima ſunt, nobis ſufficerit.

Lactantius, divinarum inſtitut. lib. 3. cap. 7. *In altera*, inquit

ſcientiam & prudentiam, non aliunde peteretur, quam ex eo, quod *prudentia* reſpicit tantum concluſionem ſingularem: dictat enim de actione hic & nunc elicienda: *Moralis* autem ſcientia non reſpicit actum ſingularem, ſed tantum generatim & in communi ſumptum. Atqui hinc non poteſt peti diſtinctio horum habituum: quia unus & idem habitus ſufficere poteſt ad utrumque munus: veluti idem habitus præcipit de ſyllogiſmo in communi, & quomodo idem ſyllogiſmus fabricandus ſit in hac vel illa ſingulari materia.

§. 38. Pro eadem rationes *Jacobi Martini*, contra *bonos ſocios & jejunos Philoſophos*, ſunt:

(1) Prudentia, teſte *Piccolomineo*, eſt virtus rationalis cum morali conjuncta: eſt recta ratio agibilium: eſt regula totius vitæ humanæ: eſt lex, quam qui ſervat, felicem vitam ducit: eſt via regia ad honeſtatem ducens: eſt auriga facultatum animæ noſtræ mortalem hanc vitam ducentium: eſt magiſtra docens ex omnibus elicere bona: eſt acies mentis, quæ finem inſpiciens recte dirigit ordinata in illum: eſt habitus cum ratione vera ad agendum ea dirigens, quæ homini bona ſunt: Ergo eſt idem habitus cum philoſophia morali. Ratio conſequentiæ: quia omnia illa eſſentiam philoſophiæ practicæ concernunt, ſubjectum quoque & finem ejus exprimunt.

(2) Qui conſultando, quæ ſibi & civitati ſunt ſatis utilia, proſpicit, is eſt prudens. Atqui philoſophus practicus conſultando, &c. Ergo Philoſophus practicus eſt prudens: & per conſequens, philoſophia practica & prudentia ſunt unus habitus.

(3) Eadem eſt prudentiæ & philoſophiæ practicæ diviſio. Ergo ſunt idem habitus. Anteced. prob. quia ut prudentia eſt partim unius, partim plurium, & hæc partim familiæ, partim civitatis: ſic & philoſophia practica, quæ diſtinguitur in moralem, politicam, & œconomicam.

Pro *negativa*, in diſputatione prolixa, ratione tantum unica *Raynaudo* videtur pugnare *Æneas Sylvius*: quæ hujuſmodi eſt.

Prudentia eſt activa, bonoſque efficit eos, quibus ineſt: Ethica, ſeu philoſophia moralis, non efficit bonos, quibus ineſt: Ergo.

Propoſitio creditur extra controverſiam eſſe. *Aſſumtio* probatur exemplo multorum, qui *Curios* philoſophicè agunt, & *Bacchanalia* vivunt: & *Salomonis*, quem idem *Sylvius* ait, moralem Philoſophum fuiſſe longè perfectiſſimum, & tamen virorum ſtultiſſimum, vitæque profligatiſſimæ, cui prudentiam defuiſſe extra dubium ſit.

Johan-

Johannis de Celayâ hæc est ratio.

Prudentia versatur tantum circa singularia: Moralis Philosophia tantum circa universalia. Non potest igitur moralis philosophia esse idem habitus cum prudentia.

Hactenus utriusque partis fundamenta, quæ ita videntur comparata, ut neutram satis fulciant, aut evidenter persuadeant: quamvis *bonis sociis & jejunis philosophis* nec illius, nec istius sententiæ assertores accensendos judicemus: absit enim ut cujusquam boni doctique viri famam rodamus, & existimationem lædamus.

Primum *Raynaudi* argumentum ab autoritate petitum quanti in philosophia sit momenti, omnes norunt Philosophi. Non patimur nos premi adversariorum nostrorum autoritate, nisi imperare nobis possint.

Alterum non tam est argumentum pro *Raynaudo* militans, quam oppositi argumenti solutio. Sed & *connexum* ejus negabunt patroni & defensores *negativæ*, si non omnes, saltem aliqui, qui illo distinctionis fundamento non utuntur.

§. 41. Neque in *Jacobi Martini* rationibus ulla est evidentis *consequentiæ* necessitas. Respondemus igitur.

Ad (1) *Antecedens* aliquo modo de prudentia & philosophia morali potest dici: nec tamen propterea eundem cum Philosophia morali habitum esse prudentiam sequitur. Nam & de Theologia affirmari omnia antecedentis membra possunt, quæ tamen propterea non est idem cum philosophia habitus. Vendicare igitur omnia illa sibi potest philosophia moralis per prudentiam, quæ particulare ejus est subjectum, cujus declarat naturam, quam præceptis instruit, informat, & auditori atque discipulo suo conciliat: Quomodo singularum virtutum moralium actiones morali philosophiæ feruntur acceptæ, quæ naturam earum præceptis homogeneis declarat, officia præscribit & actiones dirigit. Unde moralis philosophus practicus & proprie dictus agit, quicquid agit temperans, quicquid justus, &c. neque tamen propterea temperantia, vel justitia idem est habitus cum philosophia morali: nisi disciplinam quis putet confundendam cum subjectis suis particularibus. Igitur philosophia moralis non est virtus rationalis cum morali conjuncta; sed est disciplina virtutis rationalis cum morali conjunctæ.

§. 42. Ad (2) A concreto ad abstractum non valet *consequentia*. Philosophus moralis est quidem prudens, sed philosophia moralis propterea non est prudentia. Veluti Philosophus moralis est quidem temperans, non tamen philosophia moralis est temperantia, &c. Philosophus moralis esse quoque physicus & metaphysi-

v. 2. *ſi habeam Prophetiam, & noverim myſteria omnia, omnemque ſcientiam: & ſi habeam totam fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Ab *Ethica* ad *Theologiam* dimittendi auditores; tanquam à rudimento ad complementum. De veterum ſcholis Ethicis differentem vide Clariſſim. *Horneium*, Ethic. lib. 1. cap. 1. & *Heiderum*, Ethic. pag. 23.

§. 3. *Præſtantia* Ethicæ æſtimatur partim ex *objecto*, partim ex *effecto*

§. 4. Ex *objecto:* quia agit de ſummo hominis fine. Quantò autem præſtantior eſt hominis, ad quem conditus eſt, ſummus finis reliquis omnibus inferioribus finibus, qui ad ſummum certâ ratione ordinantur; tantò hæc quoque diſciplina omnibus aliis diſciplinis, quibus fines inferiores propoſiti, ſublimior eſt.

Ex *effecto:* Quia ſola Ethica hominem facit optimum, quoad fieri, in hac mortalitatis noſtræ imperfectione, poteſt, cum diſciplinæ reliquæ omnes etiam peſſimo cuique poſſint communes eſſe. Unde colligere eſt, non eum mereri nomen *Philoſophi Ethici*, qui tantum diſputare de præceptis morum & virtutum poteſt, novitque omnia virtutum requiſita, proprietates, definitiones, diſtributiones, effecta &c. ſed qui animum habet veris virtutibus exculrum, qui conatu, vel factis exprimit, quicquid virtuoſum eſſe novit. *Melius eſt ſanum eſſe, quam ægrotantem diſſerere de ſanitate: lucem eſſe, quam loqui de luce*, inquit, *Clemens Alexand.* Et pulchrè de *Indis Zeno: Se unum malle Indum videre, qui torreatur, quam omnes de laboris perpeſſione diſcere probationes.* Pertinet huc illud *Lactantii*, lib. 6. c. 5. *Scientia non poteſt eſſe virtus: quia non eſt intus in nobis, ſed ad nos extrinſecus venit. Virtus tota noſtra eſt, quia poſita in voluntate faciendi bona. Sicut ergo in itinere celerando nihil prodeſt viam noſſe, niſi conatus & vires ſuppetant ambulandi: ita vera ſcientia nihil prodeſt, ſi virtus propria deficiat, &c.* nihil prodeſt cognitio, niſi actio ſubſequatur. Tendit eodem *Seneca* ſententia Ep. 85. *Non ex ebore tantum* Phidias *ſciebat facere ſimulacra, faciebat ex ære. Si marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet, quale ex illâ fieri optimum poſſet. Sic ſapiens virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit: ſin minus, in paupertate. Si poterit, in patriâ: ſin minus, in exilio. Si poterit, Imperator: ſi minus, miles. Si poterit, integer: ſi minus debilis. Quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex ipſa memorabile efficiet.* Idem vult *Ariſtoteles*, lib. 2. Eth. 2. οὐχ' ἵν' εἰδῶμεν, τί ἐστιν ἀρετὴ, σκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα. vide *Caſum:* ſpecul, moral, lib. 10. c. 9.

De

De *modo*, quo deinceps Ethicam disciplinam traditūri sumus, hoc habe. Triplex tradendi Ethicam doctrinam est modus:

§. 5. (1) Γνωμολογικὸς; quo breves & argutæ ex autoribus colliguntur & proponuntur sententiæ, ad informandos mores accommodatæ.

(2) Παραδειγματικὸς: quo exempla virtutum & vitiorum ad imitandum & fugiendum ob oculos ponuntur.

(3) Ἀποδεικτικὸς, quo præcepta legitimè informata, & methodicè disposita de singulis virtutibus, continentia *causas*, *effecta*, *affectiones*, *definitiones*, *distributiones*, *&c.* traduntur, & in commentariis explicantur, simulque ethicæ controversiæ tractantur.

Nos singulos hosce modos conjungemus, præcepta de virtutibus traditūri, & dispositūri methodicè, eademque subjectis commentariis illustratūri: in quibus primum singularum virtutum *objecta* & *officia* declarabimus: deinde rationibus & exemplis è probatissimis autoribus petitis, & verbis ipsorum expressis Ethicæ studiosum ad virtutis cultum, & vitii fugam excitabimus: Denique controversias ethicas præcipuas omnes breviter & logicè resolvemus, ubique dulci utile misturi: neque tam *Aristotelis, Platonis* aut *Socratis*, quam veritatis, rationem habituri.

§. 6. Circa primi capitis summam quæritur (1). *Qua methodo tradenda sit Ethica, Synthetica, an Analytica?*

Resp. *Analyticam* eligit Schola *Peripatetica*, hoc argumento: Quæ disciplina inchoari debet à consideratione finis, indeque progredi ad media obtinendi finem, ea methodo analyticâ est tradenda. Atqui Ethica inchoari debet à consideratione finis, indeque progredi ad media. &c. Ergo:

Propositio depromta est ex naturâ *methodi analyticæ*.

Assumtio prob. quia Ethica est disciplina practica, cujus finis est actio ab Ethicâ distincta. Atqui à *fine*, tanquam notiore inchoanda præceptio, indeque progrediendum ad *media* ignotiora, hoc est, virtutes, quibus practicum hominis *finem* consequimur. Et hæc quoque *Autori* nostro arrisit methodus. Unde *objectum* Ethicæ constituit *finem hominis*, ad cujus distributionem rectà progreditur, indeque *ad media*, hoc est, virtutes.

§. 7. *Piccolomineus* etsi non inficiatur, *analyticâ* methodo tradi posse Ethicam: tamen *syntheticâ* quoque tradi posse, idem contendit: uti & scientiæ utramque admittere ipsi videntur. Ipse autor consulatur, *Introduct.* ad 10. Grad. Philosophiæ moralis cap. 21. & seqq. nec non in *Comite Politico*. Non displicet nobis, quod locis allegatis asserit, cum *analytica* methodo ferè semper *syntheticam* in practicis disciplinis & artibus concurrere: quę etsi

 à no-

à notione *finis* incipiunt, tamen ad *media* ubi descenditur, à principiis & simplicibus ad composita transeunt: ut constat exemplis *Grammaticæ* & *Logicæ*, ipsiusque *Ethicæ*, quæ de principiis virtutum agit prius quam de virtutibus. Vide *Heider.* Eth. pag. 47. 48. qui subtilitates hujusmodi magni non facit.

§. 8. Quæritur (2) *An Ethica sit Ars?*

Resp. In quæstione hac adversis frontibus concurrunt Ethici.

Affirmativam amplectitur & defendit *Thomas Sagittarius*, Exer. Eth. lib. 1. Exer. 1. q. 1. cui assentitur *Velstenius*, disp. Eth. 1. q. 8. Rationes sunt.

(1) Quia definitio *Artis* ei competit, sive *artem* consideres, ut est in mente, sive ut est in libro. Ut est in mente, ἕξις ποιητικὴ μετὰ λόγȣ ἀληθȣ̃ς. Ut est in libro, *comprehensio præceptorum consentientium & coërcitorum ad finem utilem in* vitâ: ex *Luciano Philipp.* Dialect. lib. 1. p. 41. Utramque admittit Ethica. Priorem, quia est habitus mentis faciendi opus morale: Posteriorem, quia est comprehensio præceptorum, &c.

(2) Quia est pars Philosophiæ. Atqui Philosophia est comprehensio Artium liberalium.

(3) Quia finis ejus est opus: nempe morum in homine confirmatio & elaboratio. Atqui Artis finis est opus. ὥσπερ ἔδει δεῖξαι, inquit *Sagittarius*.

Negativam propugnat *Jacobus Martini*, in Eudæmonolog. disp. 1. q. 6. ubi ait, *eos, qui practicam Philosophiam per Artem definiunt, non* ἀκριβολογεῖν *sed* ἐκ παρόδȣ λόγȣς ἀποδέχεσθαι. Fundamentum *negativæ* unicum est: quia *Aristoteli* ita videtur. Ille enim habitus circa τὸ ἐνδεχόμενον occupatos ἀντιδιῃρημένας oppositos agnoscis duos, *Prudentiam* & *artem*: quarum illa circa τὸ πρακτὸν, hæc circa τὸ ποιητὸν versatur: per illam agimus, per hanc efficimus. Atqui *Ethica* non versatur circa τὰ ποιητὰ, sed circa τὰ πρακτὰ: adeoque non *Ars*, sed *Prudentia* est. *Artis* operationes sunt transeuntes: *Prudentiæ* immanentes. *Artis* finis est bonum utile & iucundum: *Prudentiæ* bonum honestum: illa abuti possumus, hac non, cum virtutis abusus nullus detur ὥσπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 10. Ethicam, quatenus in libro est, cur definire per *Artem* non debeamus, causa planè nulla est. Minimè verò *Aristotelis* obstat autoritas. Definit ille *Artem* non in libro, sed in mente hærentem: non systema, sed habitum artis.

§. 11. *Sed plebs*, inquit ille, *literatorum, non eruditi Philosophi definiunt Philosophiam per comprehensionem Artium liberalium: & in vocabulo Artis est æquivocatio.*

Resp. *Ari-*

Resp. *Aristarchis* istis *peripateticis* plebeium est, quicquid *Aristotelicum* non est: quasi norma rationis & Philosophię unica sit *Aristoteles*. Philosophiam in libro existentem, & quamvis Philosophiæ partem definire per σύστημα præceptorum sive unam, sive omnes Philosophiæ partes comprehendentium, quis quæso prohibeat, & jure plebeium appellet? Et hoc systema rectè atque philosophicè Artem appellare quidni possimus? Cum ne *Aristoteles* quidem contradicat. Æquivocationem in vocabulo *Artis* non ignorarunt vel neglexerunt *Sagittarius* & *Velstenius*.

§. 12. Quod si verò Ethicam tanquam mentis habitum, definias è pluribus & particularibus habitibus aggregatum, an *Artibus* accenseri habitualibus debeat, alia est quæstio; quæ si ex Aristotelica decidi lege debeat, forsan causa cadet *Sagittarius*, & *Prudentiæ* potius, quam *Artis* regno, subjicienda videbitur Ethica. Atqui aliud est *Philosophum* esse, aliud *Aristotelicarum* opinionum & hypothesium mancipium. Visum *Aristoteli prudentiam* ἀντιδιῃρημένως *Arti* opponere. Quid si aliis aliud videatur: *Prudentiæ* propriam facit *Aristoteles* πρᾶξιν, *Arti* ποίησιν: quia ita visum ipsi: Atqui ποίησιν etiam virtutum habitibus tribuendam alii judicant, & πρᾶξιν ποιήσει contra distinctam negant, idque ex usu græcè latinè loquentium: quamvis inter ποίησιν mentalem & corporalem non malè distinguatur.

Artium operationes esse tantum transeuntes, *prudentiæ* tantum immanentes, & ipsum non sumendum tantum, sed & probandum. Sanè virtutum operationes multæ sunt transeuntes, ut constat de fortitudine, liberalitate, justitia, affabilitate, &c. *Artium*, quas ita appellant, operationes quoque sunt immanentes, quæ mentem tantum & voluntatem hominis afficiunt, & intra facultates hasce se continent. Quid ni vero & *Artis* esse finis possit bonum honestum. Interim frui subtilitatibus suis *Peripateticos* facilè patimur; modo loquendi & sentiendi leges omnibus non præscribant, & πολλῶς dici clamitent, quicquid Ἀριστοτελικῶς non dicitur: bosque sociis & jejunis philosophis illico non accenseant, qui prudentiam & philosophiam practicam re, subjecto & fine eundem habitum negant: quâ inhumanâ censurâ *Timplerum* non nevexat: certè minus philosophicè, minus etiam *Aristotelicè*; ge enim major *Aristotelis* erga adversarios æquitas & humanifuit. Minus curiosus in hâc quæstione est *Heiderus*: *vocetur*, uit, *ars*, *doctrina*, *disciplina*, *facultas*, *scientia*, *sapientia*, dentia, *philosophia* & *philosophiæ pars*, *nihil refert*: *dumlo satisfiat rerum veritati*, & *morum honestati*: Eth. part. 1. 8. An philosophiam nobis meliorem & cultiorem reddiderit

 servi-

servilis illa & superstitiosa *Aristotelis* adoratio, cogitent quæso cordati. Alligati sunt Theologi ad S. Scripturam, Icti ad leges, Philosophi ad rationem & experientiam, nullius hominis obnoxii imperio vel dictaturæ. Ex antecessoribus neminem adoravit *Aristoteles*, omnes *suæ quasi subjecit ferulæ*; Eodem igitur in ipsum uti jure quis successores prohibeat? Modo sine contemtu & exagitatione id fiat. Hoc enim plane *ἀφιλόσοφον* & plus, quam barbarum.

§. 14. Quæritur (3) *An Ethica sit moralis Philosophiæ pars theoretica?*

Resp. *Philosophiæ moralis* in scholis Ethicis & peripateticis tres constituuntur partes. *Ethica* in specie sic dicta, *Politica* & *Oeconomica*. Partes hæ ad dichotomiam revocari solent, quâ moralis Philosophia in *theoreticam* & *practicam* distinguitur: illa esse dicitur *Ethica*, hæc *Politica* & *Oeconomica*.

Distinctionis hujus authores vulgo laudant *Piccolomineum* & *Simonem Simonium*. Sed longè antiquiorem eam esse ostendit *Jacob. Martini*; Eudæmonolog. disp. 1. θ. 2. q. 2. sic igitur Ethica Philosophiæ moralis pars erit *theoretica*, adeoque disciplina *theoretica*? quod à *Jacob. Mart.* probatur.

§. 15. Primus sententiæ hujus autor si *Timplerus* fuisset, dubio procul hoc nomine ad *bonos socios & jejunos Philosophos atque seductores* fuisset relegatus. Nos etsi autorum existimationi nihil detractum cupimus: tamen quæstionis *affirmativam* cum iis amplecti non possumus: sed *negativam* in scholis receptissimam probamus, quâ partibus Philosophiæ *practicis* ubique accensetur, & jure quidem: quia finis ejus ultimus est *praxis*, non *theoria*. Atqui à fine ultimo desumta est distinctio Philosophiæ in *theoreticam* & *practicam*: nec non ab *objecto* contemplabili & operabili: ut pluribus ostendit ipse *Jacob. Martini*, disp. 1. θ. 1. q. 1. Non in cognitione virtutum acquiescere debet Ethicus, sed à cognitione ad praxin festinare; ad quam unicè referri debet cognitio: *virtus*, inquit Antisthenes, *est res operum, & ejus laus omnis in actionibus consistit*. Secus se res habet in disciplinis *theoreticis*, ubi mens in cognitione & contemplatione acquiescit, quam solam intendit circa *objecta*, quæ nec *πρακτὰ* nec *ποιητὰ* sunt. Videantur quæ c. 1. ad θ. 2. à nobis sunt annotata. Hinc etiam non *synthetica*, sed *analytica* methodo tradi volunt Ethicam: quod non *syntheticam*, sed *analyticam* requirat natura disciplinarum practicarum: quod contra *Piccolomineum* cum *Zabarella* probantem vide *Jacob. Martini*, disp. 2. θ. 1. q. 4. Sed audiamus theoriæ ethicæ propugnatores.

(1) *Ethi-*

§. 16. (1) *Ethica continet principia philosophiæ practicæ, nempe beatitudinem, actiones, & virtutum omne genus: quæ Oeconomici & Politici, ut magis practici ad usum accommodant, monstrantque, quomodo juxta illa in quâlibet societate vivendum sit. Ergo est disciplina theoretica, vel rectè appellatur Philosophiæ moralis pars theoretica.*

Resp. Negatur *consequentia*. In Ethicis omnia illa ad *praxin* tendunt non tantum *œconomicam* & *politicam*, sed & *ethicam*: neque desinunt esse practica, quia praxi inserviunt *politicæ & œconomicæ*. Imò hoc ipso nomine pro practicis habenda sunt, quia ad praxin, non tantum *œconomicam* & *politicam*, sed vel maximè *ethicam* referuntur, & referri debent. *Ethicum* non minus par est practicum esse, quam *œconomicum* & *politicum*: etsi hi *praxin ethicam* in suos convertunt usus. Qui instrumenta parat & fabricat aliorum opificum usibus servientia, non minus habitum exercet ποιητικὸν, quàm qui instrumentis illis ex artis suæ præscripto utitur.

§. 17. (2) *Ethica proponit magis universalia præcepta, quàm œconomica & politica. Ergo est theoretica.*

Resp. Negatur *Consequentia*; Hoc tantum sequitur. *Esse disciplinam practicam magis universalem, quam œconomicam & politicam.*

§. 18. (3) *Medicina quamvis tota sit practica, nihilominus* [pa]*rs ejus dicitur theoretica, quæ generalem morborum & medicamentorum naturam per principia prima inquirit & proponit: al*[ter]*a verò practica, quæ docet & commonstrat, quomodo ista ad sin*[gu]*laria atque usum applicanda sint. Ergo & Philosophiæ moralis* [pa]*rs illa, quæ de moribus in specie agit, & œconomicæ atque poli*[tica]*e inservit, est theoretica.* Ratio consequentiæ. *Quia philoso*[phi]*a moralis est veluti medicina animæ; Epictet.* apud *Arrianum,* [lib.] 3. c. 23. *Stobæus* Eclog. Eth. cap. 2. *Clem. Alex.* lib. 7. Stro[m.] cap. 1. *Plutarch.* de instit. pueror. n. 7. *Tyrius Maxim.* dis[s.] 18. *Dio Chrysost.* orat. 8. & 27.

[§.] 19. Resp. Si tota *Medicina* est practica, utique partes ejus [omne]s, quæ totum constituunt, sunt practicæ. Rectè verò tota [dici]tur practica, & vitiosa est ejus in *practicam* & *theoreticam* [dist]inctio. Quam enim Medicinæ partem *theoreticam* vulgò ap[pellan]t, quæ de corpore agit humano, omnibusque ejus partibus, [tem]peramentis, sanitate, morbis, medicamentorum, alimen[torum] & elementorum facultatibus, ea tota est *Physica*, & pars [ejus] non minus, quam doctrina de animalibus & plantis; *Pe*[r.] [lib.] 2. de philosoph. natur. cap. 4. Adsciverunt autem sibi

doctrinam hanc *Medici*, quia *Medicina*, si tantum contineret practicum illum habitum, qui ejus est proprius, nimis tenuis & ignobilis futura erat: adjunctione autem doctrinæ illius *Physicæ*, quæ magno usui & ornamento est *Medicus*, longè ornatior, locupletior & perfectior est visa: quæ *Pererii* sunt verba loco allegato, ubi & hoc addit: *Quicquid est in Medicinâ cognitionis scientificæ, id totum est physicum: executio autem illius cognitionis & applicatio ad opus ea demum est, quæ constituit habitum quendam Medicinæ diversum à Physica.*

Quod si verò maximè doctrina ista *Physiologica* pars esset *Medicinæ*, tamen à *Medicina* ad *Ethicam* nulla esset consequentia: quamvis animæ medicinam esse non negaremus, uti nec negamus: quia *Ethica* per se & naturâ suâ est practica: quod dici de *physiologia*, quam Medicus assumit, non potest. Nulla disciplina, citra controversiam *practica*, est quæ non habeat aliqua à praxi remotiora & separabilia: ob quæ tamen *theoreticæ* omnes dici non debent: quia etiam remotiora ad praxin tendunt, modo homogenea sint *practicæ disciplinæ*. Vide *Zabarell.* de nat. Log. lib. 2. c. 4. *Dicimus*, inquit, *non Medicinam totam non posse scientiam dici, sed neque illam ejus partem, in qua de elementis, de humoribus, de partibus humani corporis, earumque natura & usu disseritur.* (Per scientiam intelligit habitum contemplativum.) Rationem addit: *Quia non scientiæ gratia fit, sed operationis, ut corporis sanitatem vel conservare, vel recuperare valeamus.* Contra *Ethicam theoreticam* ex *Aristotele* disputantem vide *Theophilum Raynaudum*, Philosoph. moral. prolog. §. 2. n. 24. In *theoreticos ethicos* gravissimè invehitur *Max. Tyri.* dissert. 5. *Epictet.* apud *Arrian.* lib. 2. cap. 9. *Senec* lib. 7. de benef. cap. 1. *Philo*, de nomin. mutat. & agriculturâ. *Musonius* apud *Stobæ.* Ser. 29. *Themist.* orat. 2.

§. 20. Hodiè tamen, proh dolor, in Scholis ferè tota *praxis ethica* in *sterilem theoriam* degeneravit: de quo suo quoque seculo conquestus est *Seneca*, Epist. 95. *Antiqua*, inquit, *sapientia nihil aliud, quam facienda & vitanda, præcepit: & tunc longè meliores erant viri. Postquam docti prodierunt, boni desunt, simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere.* Quàm hoc est verum, Deum immortalem! de seculi nostri juventute humanitatis studia profitente! Tot ethica collegia quotumquemque reddunt meliorem!

§. 21. Quæritur (4) *Quodnam sit Ethicæ subjectum, seu objectum?*

Resp.

Resp. Tractat controversiam hanc *Piccolomineus*. Introduct. c. 2. 3. 4. &c. ubi variis variorum recitatis & refutatis sententiis, *subjectum Ethicæ* constituit *humanam actionem ex libertate prodeuntem*, quatenus id includit, per quod proximè refertur ad summum bonum, seu, quatenus in eâ honestum refulgere natum est. Alii *actiones* nominant *humanas*, quatenus per eas absolutè viri probi reddimur. Aliis *homo* placet, quatenus beabilis. Aliis *beatitudo hominis*.

§. 22. Nobis *objectum* disciplinæ hujus est *finis hominis*. Unde Ethicam definimus, *doctrinam de fine hominis*. Sententiæ fundamentum hoc est:

Quicquid disciplinæ ethicæ ita substernitur, ut, quicquid in eâ traditur, sit vel ipsum illud *subjectum* vel *principium* ejus, vel *affectio*, vel *species*, vel *pars* &c. id adæquatum est objectum, vel subjectum Ethicæ: Atqui finis hominis ita substernitur Ethicæ, ut, quicquid in eâ traditur, sit vel ipse *finis*, vel *principium* ejus, vel *affectio*, vel *species*, vel *pars*, &c. Ergo.

Propositio depromta est ex conditionibus & requisitis *subjecti disciplinæ*. *Assumtionem* comprobat inductio omnium eorum, quæ in hac disciplina traduntur. Ubi observandum sub *principiis*, *speciebus*, *affectionibus*, *partibus*, &c. comprehendi etiam, quæ ad singula hæc pertinent, tanquam consentanea vel dissentanea, veluti vitia virtutibus opposita, virtutumque singularum *objecta*, *adjuncta*, *effecta* &c.

§. 23. Excipit *Picolomineus*: *Finis & subjectum, seu objectum, differunt: ut constat ex logicis: Ergo finis Ethicæ non potest esse subjectum, vel objectum Ethicæ.*

Resp. *Consequens* assertioni nostræ non contradicit: siquidem *subjectum Ethicæ* non constituimus principaliter *finem Ethicæ*, sed *finem hominis*. Unde definitur Ethica, *doctrina de fine hominis*. Posse verò idem, diverso respectu *subjectum* vel *objectum* & *finem* esse, extra controversiam est.

Quis enim negabit, de *fine hominis*, tanquam subjectâ materia, posse præcipi & differi. Ethicæ *finis* est institutio ad finem hominis obtinendum, & ad virtutis moralis habitum acquirendum. Tendunt huc omnia Ethicæ præcepta: Quin & ipsa actio humana, per quam absolutè probi viri reddimur (quod Ethicæ *subjectum* aliis arridet cum *Piccolomineo*) certo respectu & hominis, & Ethicæ *finis* appellari potest. Quid enim est actio illa, nisi vita proba, à qua probi appellamur? Ad hanc actionem Ethicæ tendunt præceptiones, tendunt ad eam studia nostra ethica. Vide *Heider*. Eth. pag. 20.

Keckermannus objectum Ethicæ distinguit in *primarium*, & *secundarium*. *Primarium*, quod informat doctrina Ethica, ipsi est voluntas, seu appetitus rationalis animæ, per quem homo bona ab intellectu monstrata prosequitur & mala aversatur. *Secundarium* in *primum*, & *à primo ortum*. *Primum* ipsi est sensus externus, appetitus & loco motiva. Sub appetitu comprehendit cupiditatem & affectum. A *primo ortum* est voluptas & dolor.

Sed *objecta* & *subjecta* hæc sunt virtutis potius, quam Ethicæ: neque conditiones in *subjecto* disciplinæ alicujus requisitæ, de quibus paulo ante, competunt vel voluntati, vel appetitui sensuum, &c.

§. 25. *Sagittario* arridet *objectum Ethicæ*, Homo, qua beabilis & bonis moribus informandus: quod cum nostro objecto facile conciliari potest: etsi aliud *Sagittario* videtur. Finis hominis est recta & beata vita. Atqui eodem tendunt, Homo ad rectam & beatam vitam informandus: & Hominis recta & beata vita per Ethicam institutionem atque informationem procuranda.

§. 26. Tandem hoc observandum: sive finis hominis, sive actio per quam probi & beati reddimur, sive virtus *objectum* Ethicę constituatur, non intelligi *finem* ab hoc vel illo obtinendum, non *actionem* hujus vel illius, non *virtutem* ab hoc vel illo comparandam: sed universalem *finis*, *actionis*, *virtutis*, &c. *ideam* jam ante constitutionem hujus disciplinæ efformatam & constitutam. Siquidem *objecta* disciplinarum præsupponuntur & præcognoscuntur. *Zabarell.* de tribus pręcog. cap. 2. quamvis ideam hanc proponat Ethica, ut ad eam in hoc vel illo individuo *finis*, *actio*, *virtus* informetur: qui finis est Ethicæ ideam constitutam explicantis. De Ethicâ secundum *ideam* conscribendâ vide Sagittarium, Exerc. Eth. lib. 1. disp. 1. q. 2. Quod si observetur, facilis erit responsio ad argumenta, quibus *Sagittarius* probare nititur, *objectum Ethicæ* nec actionem rectæ beatæque vitæ, nec virtutem esse, lib. 1. disp. 1. q. 6. 7.

Qui summum bonum in actione virtutis consistere affirmant, cur *objectum Ethicæ* virtutem esse negent, causam justam non habent: modo pro *objecto* habeant beatitatem, seu felicitatem moralem. Actio virtutis & ipsa est virtus in actu constituta.

§. 27. *Theophilus Raynaudus*, Jesuita, Moral. Philosoph. prol. §. 2. num. 11. negat *ideam* rectè operandi posse *objectum* Ethicæ esse: sive ea consistat in *conceptu formali*, hoc est, regulis & dictaminibus operandi, sive in *conceptu objectivo*, hoc est, ipsa re facienda: quam mente prospiciens artifex ad ejus normam exigit operationem.

Contra

Contra priorem hanc adfert rationem. *Objectum debet esse id, inter quod & potentiam interjacet actus, & quidem solus: veluti inter colorem & visum, seu facultatem visivam, interponitur sola visio. Atqui inter ideam operandi sumtam pro dictamine & regula sic vel sic eliciendi actionem & scientiam practicam nullus intercedit actus. Siquidem regulæ illæ sunt ipsius actus immediatè eliciti ab habitu intellectuali operativo.*

Contra posteriorem sic disputat. *Conceptus objectivus, hoc est, operatio recta præconcepta, sive actu dirigens, sive apta dirigere operationes ex ejus imitatione formandas, tenet locum regulæ & dictaminis, estque id, in quod immediate fertur habitus. Ergo non est objectum habitus practici moralis sed tendentia in objectum.*

§. 28. Resp. Distinctio ideæ in *in conceptum formalem & objectivum*, ut à Jesuita explicatur, nullius est momenti, siquidem uterque conceptus idem illi est, nempe regula, seu dictamen, &c. Itaque *prioris* rationis *Assumtio* negatur. Inter *ideam* seu *exemplar*, ad cujus imitationem recta actio elicienda, & habitum, seu facultatem, tanquam actum primum, intercedit actus secundus, seu operatio recta, ad imitationem expressa in eo, qui agit ex habitu. Qui vero ex habitu non agit, sed ad habitum tendit, ei recta actio medium quoq; est inter ideam & habitum acquirendum.

Posterioris negatur partim *antecedens*, partim *consequentia*. Habitus nòn fertur immediatè in *ideam*, sed per actionem, quam conformat ad ideam. Neque regula, seu dictamen, est tendentia in objectum, sed ipsum objectum, in quod per actionem vel imitationem tenditur.

Quæritur (5) *An Ethica sit distincta à Theologia?*

§. 29. Resp. *Affirmativa* defenditur sequentibus rationibus.

(1) Quia Theologia & Ethica sunt disciplinæ finibus distinctæ. Theologiæ enim finis est bonum spirituale: Ethicæ bonum morale & civile: quæ duo bona sunt distincta.

(2) Quia sunt principiis cognitionis distinctæ. Principium cognitionis in Theologia est extraordinarium, singularis revelatio divina: in Ethica ordinarium, principia practica & humana ratio. Unde Theologi in Ecclesia & de Ecclesia sunt; Ethici tam extra Ecclesiam, ut constat de gentilibus, quam intra Ecclesiam.

(3) Quia non iisdem ejusdem vitæ terminis concluduntur. Ethica enim hujus vitæ terminis concluditur: Theologia ad futuram & æternam vitam extenditur: quippe quæ viam expeditam ad æternam salutem perfectè commonstrat: quam commonstrare Ethica, uti hoc loco accipitur, non potest. Unde longissimè ab ea gentiles olim aberrarunt.

(4) Quia

(4) Quia Theologia fundamentum eſt amicitiæ ſpiritualis; Ethica civilis.

(5) Quia Theologia tradit myſteria ſalutis, quæ ignorat Ethica. Objicitur:

§. 30. (1) *Ethica non tantum de probitate, virtutes morales in ſpecie ſic dictas complectente ſed de pietate præcipit, adeoque de DEI quoque cultu: quod gentilium teſtantur ſcripta & noſtra quoque methodus. Ergo non eſt diſtincta à Theologia: quæ de iisdem præcipit capitibus.*

Reſp. Negatur *conſequentia*. Ratio negationis eſt: quia etiam diſtinctæ diſciplinæ in *materiali objecti* poſſunt convenire: diſtinguit enim non *materiale*, ſed *formale*. Atqui *formale* in Ethica non eſt idem, quod in Theologia. Pietas Ethica DEI cultum præſcribit, quatenus è principiis practicis communibus & revelatione facta in natura per rationem rectam cognoſcitur: Theologica eundem præſcribit, quatenus ex revelatione divina ſingulari habetur. Unde hæc ad ſalutem æternam ſufficit, illa minime. Hæc Eccleſiæ propria eſt: illa etiam extra Eccleſiam olim fuit, & nunc quoque eſt. *Objectis* etiam aliquo modo differunt. Pietatis Ethicæ *objectum* eſt tantum DEUS, quatenus eſſentia eſt unus (quem ſaniores Ethnici coluerunt:) Theologicæ Deus, non tantùm quatenus eſſentiâ unus, ſed & perſonis trinus qui Ethnicis fuit incognitus.

§. 31. (2) *Virtutes Ethica eòdem modo definit, quō Theologia. Ergo Ethica à Theologiâ non eſt diſtincta. Antecedens patet ex collatione definitionum ethicarum rectè informatarum & theologicarum.*

Reſp. Negatur *conſequentia*. Hoc tantum inferri poſſet: *Ethicam eſſe particulam Theologiæ.* Non enim ſolis virtutibus definiendis & diſtribuendis abſolvitur Theologia tota: ſed pars tantum ejus: quam *Theologiam moralem* vulgo appellant. Interim Ethica, uti hôc locô conſideratur, integra eſt diſciplina, non pars tantum integræ, hoc eſt Theologiæ, conſtituta olim ab iis qui Theologi non fuerunt, & quibus ſcopus non fuit viam commonſtrare ad æternam ſalutem, ſed ad civilem felicitatem vitæ hujus limitibus terminatam: quos tranſgreditur Theologia.

§. 32. Quæritur (6) *An Ethica Theologiæ repugnet?*

Reſp. *Negativa* defenditur hac ratione: quia utraque agit de virtutibus moralibus: utraque eodem modo eas definit: utraque ad eaſdem adhortatur: utraque ab iiſdem vitiis dehortatur: utraque legem Dei urget: utraque felicitatem ex honeſtate & virtute ortam intendit.

§. 33. Objicitur (1) *Ethnici in præceptionibus ethnicis multa tra-*

tradiderunt sanæ Theologiæ contraria: Ergo Ethica repugnat Theologiæ.

Resp. Negatur *consequentia*: Quia errores illi non fuerunt Ethicæ, sed Ethicorum seu doctorum Ethicæ. Distinguendum inter Ethicam *abstractam* & *concretam*. Illa est Ethica absolutè considerata, de eâ sermo nobis: hæc Ethica *Platonicorum*, *Perspateticorum*, *Stoicorum*, *Academicorum*: qui à se invicem haud rarò dissenserunt, & à vero aberrarunt. Distinctionem hanc inculcat *Clemens Alex.* lib. 1. Strom cap. 4. ubi, postquam dixerat singulari Numinis providentiâ Græcis obtigisse Philosophiam moralem, *Philosophiam*, inquit, *non dico Stoicam, aut Platonicam, aut Epicuream, aut Aristotelicam: sed quæcunque ab his sectis rectè dicta sunt, quæ docent justitiam cum prudentiâ.*

§. 34. (2) *φρόνημα σαρκὸς est inimicitia adversus Deum*, Rom. 8. vers. 7. *Ethica* est *φρόνημα σαρκὸς*: *Ergo est inimicitia adversus Deum, adeóque contraria Theologiæ.*

Assumtio prob. *Quia derivatur ex naturæ corruptæ fonte; unde φρόνημα σαρκὸς, hoc est, prudentia, seu sensus carnalis.*

Resp. *Assumtio* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est. Etiamsi enim natura (proh dolor!) multis modis est corrupta: tamen non planè est destructa, neque ita penitus corrupta, quin concreatæ bonitatis aliqua in eâ remanserint vestigia, & aliquis primæ perfectæque lucis radius: ut videre est ex principiis cum *theoreticis*, tùm *practicis*: quæ scriptura *legem* appellat hominum cordibus, etiam post lapsum, inscriptam, quâ discernuntur honesta à turpibus. Hinc ipsi etiam gentiles nativam secuti lucem naturâ, quæ legis sunt, faciunt, Rom. 2. v. 14. 15. Non igitur ex natura, quatenus corrupta, sed quatenus aliquid in se primævæ bonitatis & lucis retinuit, derivatur Ethica. *φρόνημα σαρκὸς* est pravitas hæreditaria, quæ tamen nec naturam, nec principia practica, legem naturæ, prorsus abolet: etsi in applicatione sæpe aberrat natura. Unde Ethicorum errores, qui cum legi inscriptæ adversentur, in Ethicâ minimè sunt tolerandi, sed tanquam ulcera & vi ab eleganti corpore removendi.

§. 35. Quæritur (7) *An Ethica sit præstantior Physica, Metaphysica & Mathematica?*

Resp. *Affirmativam* defendimus omnibus illis argumentis, quibus lib. 1. cap. 35. ad §. 6. probamus, *scientias practicas esse præstantiores speculativis.* Hoc loco sapientum collegisse suffragia quæ tamen rationum ponderibus gravissima sunt, nobis sufficit.

Lactantius, divinarum institut. lib. 3. cap. 7. *In altera*, inquit

quit *Philosophia parte, quam moralem vocant, totius Philosophia ratio continetur. Siquidem in illâ* physica *sola oblectatio est, in hac etiam utilitas. Et quoniam disponendo vita statu, formandisque moribus, majori periculo peccatur, majorem diligentiam necesse est adhiberi ut sciamus, quomodo nos oporteat vivere. Illic potest venia concedi: quia sive aliquid dicunt, nihil prosunt: seu delirant, nihil nocent. Hic vero nullus dissidio, nullus errori est locus. Unum sentire omnes oportet, ipsamque Philosophiam uno quasi ore pracipere: quia, si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. In illa priori parte ut periculi minus, ita plus difficultatis est: quod obscura rerum ratio cogit diversa & varia sentire. Hic ut plus periculi, ita difficultatis minus: quod ipse usus rerum & quotidiana experientia possunt docere, quid sit verius & melius.*

Gregorius Neocæs. in panegyricâ & Charisteriâ oratione ad *Origenem. Quod omnium est multo maximum*, inquit, *& cujus gratiâ laborat gens tota Philosophorum*, (Ethica) *quasi ex varia reliquarum omnium disciplinarum consitione bonos fructus colligit.* Idem ibidem ait, *hac sola hominem à pecudibus sejungi, dum docet vera bona, qua persequi hominem decet, & vera mala, qua refugere oportet, & hoc, quod sumus, quoque à brutis segregamur, secernere.*

Plato *in Alcibiade* Ethicam appellat *scientiam optimi*, & *ignobilem*, ait, *esse civitatem qua expertis quidem sagittariis & tibicinibus, athletisque, & cateris opificibus constet, nec careat peritis militia ducibus, ac generosissimis & in re bellicâ exercitatissimis militibus, multos item civilium rerum administratione inflatos habeat, careat tamen scientiâ Optimi, iisque, qui norint, quando, & ad quem usum unoquoque illorum uti prastet. Hac* inquit, *cateris propè jacentibus, sola conciliat nobilitatem.* videatur & *Plotinus* Ennead 6. lib. 6. cap. 30.

Seneca, Epist. 88. cum reliquas disciplinas eatenus conducere dixisset, si præparent ingenium, non detineant, sintque rudimenta nostra, non opera, subjungit: unam Ethicam, quam veram sapientiam semper appellat, propriè dici debere liberalem scientiam. *Quare*, inquit, *liberalia studia dicta sint, vides: quia homine libero digna sunt. Caterum unum studium verè liberale est, quod liberum facit. Hoc sapientia sublime, forte, magnanimum: catera pusilla & puerilia sunt.* Videatur idem, lib. 7. de Benef. cap. 1.

Sextus Empiricus adversus Mathem. docet à *Stoicis* Philosophiam comparari *area*, quæ omne genus fructus continet: ab iisdemque comparari arborum proceritati *Physicam*, fructuum maturitati

turitati & suavitati *Ethicam*; parietum firmitati *Logicam*. De sententiâ igitur *Stoicorum*, Ethica præstat & Physicæ & Logicæ, uti fructus arboribus & parietibus. Eodem utitur simili *Philo* de nom. mutat. & in lib. de agricult.

Alii, inquit idem, *Philosophiam ajunt esse ovo similem, ita ut Ethica vitello quem pullum nonnulli dicunt esse, Physica albumini, quod alimentum vitelli creditur, Logica externæ testæ comparetur.* Ut igitur vitellum albumini præstat & testæ, sic Ethica Physicæ & Logicæ.

Possidonius Philosophiam animali assimilavit, & sanguini quidem atque carnibus *Physicam*, ossibus & nervis *Logicam*, animæ *Ethicam*.

Themistius orat. 4. Eandem Imperatoris & moralis Philosophi conditionem esse affirmat, ambosque arbitratur in summo humanæ felicitatis fastigio collocatos, nec habere ultra, quo tendant. Videatur idem orat. 19.

Isiodorus Pelusiota graviter monet *Ophellium*, etiam atque etiam consideret, ex reliquis disciplinis nihil revera commodi oriri, ideoque præ Ethica abjiciendas esse, ex qua una homo ad beatitatis arcem evehatur: cum per eam de vero hominis fine & mediis ad ejus assecutionem idoneis instituamur.

§. 36. Quæritur (8) *An Philosophia moralis & prudentia sint idem habitus.*

Resp. Tractat inter alios quæstionem hanc *Theophilus Raynaudus* in Philosoph. moral. prolog. §. 4. n. 41. 42. 43. 44. ubi affirmativam amplectitur, & defensores ejus laudat *Aristotelem*, *Platonem*, *Stoicos*, *Thomam*, *Mayron*. *Tartaret*: & *Salam*; qui multos alios allegat, 1. 2. tract. 11. d. 3. n. 54. In eandem sententiam concedit quoque *Horneius*, lib. 1. Eth. cap. 2. & *Jacobus Martini*, de felicit. disp. 1. q. 5. ubi *Timplerum* & alios dissentientes grandi supercilio *bonos socios & jejunos Philosophos* appellat: qui respectum accidentarium cum essentiali natura pessimè confundant.

Interim negativam tuentur non tantum *boni socii & jejuni Philosophi*, sed & magni viri, inter quos numerat *Raynaudus Scotum*, *Johannem de Celayâ* & *Gregor.* inprimis vero *Æneam Sylvium*, epist. 104. prob. 1.

Pro affirmativâ militat *Raynaudus*.

(1) Autoritate *Platonis*, *Aristotelis*, *Stoicorum*, *Thomæ*. *Aristoteles* lib. 6. Eth. cap. 8. affirmat, *prudentiam & politicam esse eundem habitum, quamvis non eadem ipsis sit essentia.*

(2) *Ratione*. Si quæ posset assignari distinctio inter moralem

scientiam

ſcientiam & prudentiam, non aliunde peteretur, quam ex eo, quod *prudentia* reſpicit tantum concluſionem ſingularem: dictat enim de actione hic & nunc elicienda: *Moralis* autem ſcientia non reſpicit actum ſingularem, ſed tantum generatim & in communi ſumptum. Atqui hinc non poteſt peti diſtinctio horum habituum: quia unus & idem habitus ſufficere poteſt ad utrumque munus: veluti idem habitus præcipit de ſyllogiſmo in communi, & quomodo idem ſyllogiſmus fabricandus ſit in hac vel illa ſingulari materia.

§. 38. Pro eadem rationes *Jacobi Martini*, contra *bonos ſocios & jejunos Philoſophos*, ſunt:

(1) Prudentia, teſte *Piccolomineo*, eſt virtus rationalis cum morali conjuncta: eſt recta ratio agibilium: eſt regula totius vitæ humanæ: eſt lex, quam qui ſervat, felicem vitam ducit: eſt via regia ad honeſtatem ducens: eſt auriga facultatum animæ noſtræ mortalem hanc vitam ducentium: eſt magiſtra docens ex omnibus elicere bona: eſt acies mentis, quæ finem inſpiciens recte dirigit ordinata in illum: eſt habitus cum ratione vera ad agendum ea dirigens, quæ homini bona ſunt: Ergo eſt idem habitus cum philoſophia morali. Ratio conſequentiæ: quia omnia illa eſſentiam philoſophiæ practicæ concernunt, ſubjectum quoque & finem ejus exprimunt.

(2) Qui conſultando, quæ ſibi & civitati ſunt ſatis utilia, proſpicit, is eſt prudens. Atqui philoſophus practicus conſultando, &c. Ergo Philoſophus practicus eſt prudens: & per conſequens, philoſophia practica & prudentia ſunt unus habitus.

(3) Eadem eſt prudentiæ & philoſophiæ practicæ diviſio. Ergo ſunt idem habitus. Anteced. prob. quia ut prudentia eſt partim unius, partim plurium, & hæc partim familiæ, partim civitatis: ſic & philoſophia practica, quæ diſtinguitur in moralem, politicam, & œconomicam.

Pro *negativa*, in diſputatione prolixa, ratione tantum unica *Raynaudo* videtur pugnare *Æneas Sylvius:* quæ hujuſmodi eſt.

Prudentia eſt activa, bonoſque efficit eos, quibus ineſt: Ethica, ſeu philoſophia moralis, non efficit bonos, quibus ineſt: Ergo.

Propoſitio creditur extra controverſiam eſſe. *Aſſumtio* probatur exemplo multorum, qui *Curios* philoſophicè agunt, & *Bacchanalia* vivunt: & *Salomonis*, quem idem *Sylvius* ait, moralem Philoſophum fuiſſe longè perfectiſſimum, & tamen virorum ſtultiſſimum, vitæque profligatiſſimæ, cui prudentiam defuiſſe extra dubium ſit.

Johan-

Johannis de Celayâ hæc eſt ratio.

Prudentia verſatur tantum circa ſingularia: Moralis Philoſophia tantum circa univerſalia. Non poteſt igitur moralis philoſophia eſſe idem habitus cum prudentia.

Hactenus utriuſque partis fundamenta, quæ ita videntur comparata, ut neutram ſatis fulciant, aut evidenter perſuadeant: quamvis *bonis ſociis & jejunis philoſophis* nec illius, nec iſtius ſententiæ aſſertores accenſendos judicemus: abſit enim ut cujuſquam boni doctique viri famam rodamus, & exiſtimationem lædamus.

Primum *Raynaudi* argumentum ab autoritate petitum quanti in philoſophia ſit momenti, omnes norunt Philoſophi. Non patimur nos premi adverſariorum noſtrorum autoritate, niſi imperare nobis poſſint.

Alterum non tam eſt argumentum pro *Raynaudo* militans, quam oppoſiti argumenti ſolutio. Sed & *connexum* ejus negabunt patroni & defenſores *negativa*, ſi non omnes, ſaltem aliqui, qui illo diſtinctionis fundamento non utuntur.

§. 41. Neque in *Jacobi Martini* rationibus ulla eſt evidentis *conſequentia* neceſſitas. Reſpondemus igitur.

Ad (1) *Antecedens* aliquo modo de prudentia & philoſophia morali poteſt dici: nec tamen propterea eundem cum Philoſophia morali habitum eſſe prudentiam ſequitur. Nam & de Theologia affirmari omnia antecedentis membra poſſunt, quæ tamen propterea non eſt idem cum philoſophia habitus. Vendicare igitur omnia illa ſibi poteſt philoſophia moralis per prudentiam, quæ particulare ejus eſt ſubjectum, cujus declarat naturam; quam præceptis inſtruit, informat, & auditori atque diſcipulo ſuo conciliat: Quomodo ſingularum virtutum moralium actiones morali philoſophiæ feruntur acceptæ, quæ naturam earum præceptis homogeneis declarat, officia præſcribit & actiones dirigit. Unde moralis philoſophus practicus & proprie dictus agit, quicquid agit temperans, quicquid juſtus, &c. neque tamen propterea temperantia, vel juſtitia idem eſt habitus cum philoſophia morali: niſi diſciplinam quis putet confundendam cum ſubjectis ſuis particularibus. Igitur philoſophia moralis non eſt virtus rationalis cum morali conjuncta; ſed eſt diſciplina virtutis rationalis cum morali conjunctæ.

§. 42. Ad (2) A concreto ad abſtractum non valet *conſequentia*. Philoſophus moralis eſt quidem prudens, ſed philoſophia moralis propterea non eſt prudentia. Veluti Philoſophus moralis eſt quidem temperans, non tamen philoſophia moralis eſt temperantia, &c. Philoſophus moralis eſſe quoque phyſicus & metaphyſi-

cus poteſt: neque tamen philoſohia moralis ideò eſt phyſica & metaphyſica.

Ad (3) Neque heic ſatis firma eſt *conſequentia*. Philoſophiæ morali diſtributio illa competit propter ſubjectum ejus particulare, prudentiam: quia agit de prudentia unius vel plurium, eaque familiæ & civitatis. Unde & Philoſophia moralis in *monaſticam*, *oeconomicam* & *politicam* dividitur.

Obſervandum heîc philoſopho minus accurate, ſiquidem genus eſt philoſophia practica, moralis ſpecies.

In hiſce *Iacobi Martini* rationibus etſi dubio procul non acquieviſſet *Timplerus*, tamen, quâ fuit modeſtiâ, *Jacobum Martini* non retuliſſet in cenſum *bonorum ſociorum & jejunorum Philoſophorum*, neque clariſſimi Philoſophi gloriam ei invidiſſet.

Neque verò argumenta pro *negativâ* à *Sylvio* & *Celayâ* adducta majoris ſunt ponderis.

§. 45. Argumenti, quod à *Sylvio* adfertur, nec *propoſitio*, nec *aſſumtio* ſimpliciter & abſolute vera eſt. Ut enim prudentia eſt activa, ſeu practica, ſic & philoſophia moralis. Prudentia bonum dicitur facere, quatenus monſtrat & dictat, quid facto ſit opus, ut culpam declines, & boni nomen conſequaris.

Eodem modo & Philoſophia moralis bonum efficit, officium præſcribendo, & praxin dirigendo: cujus ſi ductum & dictamen ſequaris, à bonitate morali nunquam aberrabis. Namque vere prudens eſt, non qui novit, quid, quando, quomodo, &c. ſit agendum: ſed qui agit, & quandocunque ſe offert occaſio, paratus eſt agere: qui, quod verbis docet, ipſo opere exprimit. Quamvis vulgo morales Philoſophi ſoleant appellari, qui de virtutibus præcipiunt & diſputant, etiamſi ſecundum præcepta moralia non vivunt, ſeu, *qui dicunt & non faciunt*, quos philoſophos eſſe *Epictetus* dixit, *ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν*: q. d. *factis procul, verbis tenus.* Gell. lib. 17. cap. 19. quales Theologiæ & Juriſprudentiæ doctores quoque non pauci ſunt, qui facienda præcipiunt, ſed præcepta non faciunt: vide Matth. 23. v. 2. 3. 4. Rom. 2. v. 1. 2. 3. 18. 19. 20. &c. vide *Hornei*. Eth. lib. 2. cap. 2. n. 2.

Celayæ ſyllogiſmus eodem laborat vitio. Ejus enim nec *propoſitio*, nec *aſſumtio* ſimpliciter eſt vera. Et prudentia & philoſophia moralis verſatur circa univerſalia & ſingularia. Videatur *Raynaudi* ratio. Præcepta prudentiæ & philoſophiæ moralis ſunt univerſalia; quæ in praxi applicanda ſunt ad ſingularia. Hactenus negativæ quoque argumenta enervata.

§. 46.

§. 46. Quid vero tandem statuendum! *Non videtur esse idem habitus prudentia & philosophia moralis.* Ratio est.

Subjectum vel objectum partiale alicujus habitus non est ipse habitus. Atqui prudentia moralis est subjectum vel objectum partiale moralis philosophiæ: Ergo prudentia moralis non est ipsa philosophia moralis.

Propositio est extra controversiam. Realiter distinguitur objectum disciplinæ ab ipsa disciplina: corpus naturale à Physica; quantitas à Geometria: sermo à Grammatica: Finis hominis ab Ethica, &c. Assumtio apud Ethicos in confesso est. Non enim minus homogeneè in philosophia morali præcipiunt de prudentia morali, quam de virtutibus aliis moralibus, temperantia, fortitudine, justitia, liberalitate, &c.

Eodem redit & hæc ratio. Prudentia est pars Ethicæ, ut & virtutes aliæ morales: Ergo non est ipsa Ethica: Idem enim non est simul pars & totum.

Interim à plerisque ethicis philosophia moralis, seu Ethica definitur per prudentiam. *Ethica*, inquit Keckerm. *est prudentia regendi voluntatem & appetitum pro bono civili acquirendo.* Hic ut priores multos est secutus, sic & ipsum posteriores multi. Ad habitus intellectuales referuntur vulgo omnes philosophiæ theoreticæ & practicæ partes: ex iis vero nullus est, qui morali philosophiæ sit accommodatior, quam prudentia de *Peripateticorum* sententia. Sic igitur Ethicæ genus erit prudentia: adeoque Ethica & prudentia non different, nisi ut species & genus.

§ 47. Fluctus hi per distinctionem sunt componendi. Prudentia duobus modis accipitur, vel pro integra disciplina, quæ in divinam & humanam distinguitur. Unde Theologia nonnullis definitur prudentia divina, &c. Philosophia moralis prudentia humana: vel pro virtute, quæ in aliqua disciplina tractatur: quo sensu agere Ethica dicitur de prudentia: uti de aliis quoque agit virtutibus. Sic igitur philosophia moralis erit prudentia, priori sensu accepta, non autem posteriori. Hoc enim significatu prudentia est pars philosophiæ moralis, vel objectum partiale. Vide *Kecker.* Eth. lib. 1. cap. 3. ad definitionem prudentiæ.

Quæritur (9) *An Ethicæ pars sit Jurisprudentia?*

§. 48. Resp *Affirmativam* amplectitur *Raynaudus:* cui adstipulantur, si *Raynaudo* credimus, *Aureolus*, 9. 1. Prolog. *Baptista Possevinus*, dialog. 4. de honore: *Bannes*. in proleg. ad quæstiones de Justitia & Jure, conclus. 2.

Nobis verò non magis Ethicæ pars videtur *Jurisprudentia*, quàm Medicina *Physica*. Ut enim 1. quasi propago quædam *Phy-*

sica Medicina est, sic & prudentia Juris *Ethica*. 2. Ut legum fundamenta & rationes ex ethicis principiis deducit Jurisperitus, sic & assertionum atque actionum suarum Medicus ex Physicis. 3. Ut Subjecti sui, nempe hominis, naturam omnibus partibus explicatam à *Physicâ* accipit Medicina, sic & ab *Ethicâ* Jurisprudentia: cui justitiæ, tanquam virtutis moralis & objecti prudentiæ juris, naturam declarat Ethica. 4. Ut generalia *Physicæ* principia applicat Medicina ad subjecta particularia & individua: sic & principia *Ethicæ* universalia Jurisprudentia ad casus singulares circa varios contractus, &c. Atqui nemo rectè sentientium Medicinam affirmat esse Physicæ partem, etiamsi à Physico plurima accipit medicus. Hinc planè distinctæ quoque sunt professiones, *Ethica* & *Juridica*: quarum hæc in legum occupatur interpretatione, litiumque decisione: illa in virtutum moralium & felicitatis moralis explicatione, & ad omnem virtutem formatione. Et quamvis *Jurisprudentia* sua non constet perfectio sine *Ethica*: tamen sua *Ethica* constat sine *Jurisprudentia*, quam in specie sic hodie appellant: uti & sua *Physica* constat perfectio sine *Medicinâ*: non tamen *Medicina* sine *Physicâ*.

§. 49. Pro *affirmativa* objicit *Raynaudus*.

(1) *Jurisprudentia est partialis quædam prudentia, seu pars prudentiæ. Ergo pars est Philosophiæ moralis.* Ratio consequentiæ. *Quia moralis Philosophia & prudentia sunt idem habitus.*

Resp. *Consequentia* negatur. Ratio falsa est, ut ante ostendimus. Prudentia accepta, pro integra doctrina, seu disciplina, non pro virtute, non est idem habitus cum morali Philosophia, sed est genus Philosophiæ moralis & Jurisprudentiæ. Adeoque Jurisprudentia non est pars philosophiæ moralis, sed species prudentiæ morali philosophiæ disparate opposita, ut una species alteri.

§. 50. (2) *Ratio ferendi legem pertinet ad Philosophiam moralem. Aristotel.* in calc. lib 10. Eth. *Ergo pars ejus est Jurisprudentia. Ratio conseq. Quia Jurisprudentia est legislatoria.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & exclusivè verum non est, neque firma *consequentia*. Non sola philosophia moralis, sed & Jurisprudentia est legislatoria: diverso tamen respectu & modo utraque. *Prudentia moralis* leges fert generales, quando præcipit de officiis & actionibus moralium virtutum in genere: quid nempe secundum fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, veracitatem, taciturnitatem, modestiam, &c. sit faciendum vel vitandum. *Prudentia juris* fert speciales circa objecta Juris specialia, ut, sunt contractus varii, pacta, testamenta, hæreditates, testimonia,

nia, &c. de quibus moralis Philosophus non laborat. Unde non in *ethicis* præceptionibus, sed in *Institutionibus* Juris, in *Codice* in *Digestis* occurrunt: Sic etiam in Ecclesia distinctæ sunt leges morales & forenses.

§. 51. Quæritur (10) *An Philosophiæ morali subalternata sit Iurisprudentia?*

Resp. Rectè expediri hæc quæstio non potest, nisi probè constet quid ad scientiarum & disciplinarum *subalternationem* requiratur. Scientia secundum se totam & secundum naturam suam subjicitur alteri, ex *Pererii* & aliorum sententiâ vel *ratione finis*, vel ratione *subjecti*, vel ratione *principiorum*. Ratione *finis* dupliciter, vel *ex parte scientis:* quando unius disciplinæ finis a sciente refertur ad obtinendum finem alterius: quomodo cognitio rerum naturalium referri solet à multis ad cognitionem rerum divinarum: quo respectu *Physica* dicetur subalternata *Metaphysicæ & Theologiæ*. Vel ex *parte scientiæ:* quando una scientia est quasi instrumentum alterius, ita ut supervacanea sit futura, sublata principali: quomodo Logica subjicitur aliis disciplinis realibus, quarum ipsa est instrumentum.

Ratione *subjecti*, una subjicitur alteri, quando unius subjectum continetur à subjecto alterius, tanquam inferius à superiori, sive per se; quando restringitur per differentiam essentialem, ut animal per rationale: sive per accidens; quando restringitur per differentiam accidentalem, ut linea per esse visibilem: quo modo *Optica* subjicitur *Geometriæ*. Ratione *principiorum*; quando unius principia per se nota non sunt, sed declarantur & demonstrantur à superiori: quomodo *Optica* subjicitur *Geometriæ*, & *Musica Arithmeticæ*. Vel quando unius principia per se nota, si forte negentur & impugnentur, à superiori defenduntur: quomodo aliæ scientiæ dicuntur subjici *Metaphysicæ*.

Ad *subalternationem* vero proprie sic dictam perficiendam, tria requiri brevius docent alii: 1. Ut subjectum unius scientiæ contineatur à subjecto alterius. 2. Ut subjecta sint diversa inter se non essentialiter, sed accidentaliter: quando nempe subjectum disciplinæ superioris ab inferiore contrahitur per differentiam accidentalem, uti linea geometrica in *Optica* per visibile. 3. Ut principia inferioris scientiæ, quamvis demonstrabilia sint, tamen supponantur in eâ scientia, veluti quæ debeant declarari & demonstrari in scientia subalternante: Vide *Perer.* de princip. lib. 1. cap. 13.

§. 52. De subalternatione disciplinarum rigidior est sententia *Zabarellæ Averroem* sequentis, in lib. 1. de trib. præcogn. cap. 12. 13. 14.

12. 13. 14. ubi ait, disciplinas & scientias subalternas nec re considerata, seu objecto, nec modo considerandi differre, sed tantum sensibilem qualitatem à subalternata addi subalternanti; quæ tamen non modum considerandi, sed rem tantum consideratam accidentaliter afficiat. Veluti subjecto *Geometriæ* subalternantur nimirum lineę. *Optica* addit τὸ visibile Subjecto *Arithmeticæ* subalternantis, nempe numero *Musica* addit sonum: ita ut in *Musica* res considerata sit numerus sonorum: modus considerandi, ut numerus, non ut sonus. In *Optica* res considerata linea visibilis: modus considerandi, ut linea, non ut visibilis. Quod à nemine hactenus intellectum ait *Zabarella*. Sic & principia atque affectiones easdem in utraque esse disciplina, subalternante & subalternata, contendit, & affectiones per se inhęrentes demonstrari: Exempli gratia, de sonorum numero, non quatenus est in tonis, sed quatenus est numerus, unde demonstrationem διότι in inferiori nullam esse ait: sed omnem ad superiorem pertinere: imo negat diversas esse sententias: *subalternatam* & *subalternantem*, sed unam & eandem. Concludit tandem, *subalternationem* proprie dictam non dari, nisi in disciplinis mathematicis, nempe *Geometria* & *Optica*, *Arithmetica* & *Musica*: & eos, qui scientias inferiores Metaphysicæ, artemque Medicam Physicæ subalternari credunt, atque alia ejusmodi enunciant, decipi, harumque disciplinarum naturam non intelligere.

§ 53. Constat ex his, secundum *Zabarellæ* sententiam, si de subalternatione accurate sic dicta loquamur, quæstionis *negativam* esse eligendam. Non est potior ratio, cur Jurisprudentiam dicamus subalternari Ethicæ, quam Medicinam Physicæ, quam tamen Physicæ subalternari diserte negat *Zabarella*.

Neque magis conditiones *subalternationis* veræ inter Jurisprudentiam & Ethicam, quam inter Medicinam & Physicam deprehenduntur. In eandem sententiam & *Raynaudus* descendit. Ratio negationis præcipua petitur ex defectu conditionum, quæ requiruntur in subalternatione disciplinarum. Non est idem heic subjectum proprium & adæquatum, non eadem principia propria, non eædem actiones propriæ. Nihil novit *Ethica*, qua talis, de variis contractuum speciebus, de testamentis, de hæreditatibus, &c. nihil de eorum requisitis & affectionibus, &c. Principia in *Jurisprudentia* sunt leges positivæ & civiles, de quibus non laborat *moralis*: etsi pręcipua earum fundamenta subministrat moralis Philosophia.

§. 54. Objicitur (1) *Admodum affines sunt Ethica & Jurisprudentia, ita ut quasi partus Ethicæ sit Jurisprudentia. Ergo sunt subalterna.* Resp.

Resp. Negatur *Consequentia*. Non sufficit affinitas, sed plures requiruntur conditiones. Omnes scientiæ & artes aliquo modo inter se sunt affines, & quasi cognatione quadam conjunctæ: quæ tamen omnes subalternę non sunt.

§. 55. (2) *Ethica & Iurisprudentia objecta se habent ut superius & inferius, ut universale & speciale. Pronunciat enim moralis philosophia universim de rebus, quas sigillatim attingit Iurisprudentia. Ergo sunt subalterna.*

Resp. Negatur *Consequentia*: subalternantis enim scientiæ objectum non est genus objecti scientiæ subalternatæ, ut docet *Averr.* lib. 1. post Comment. *69.* veluti numerus non est genus numeri in sonis considerati: neque linea genus est lineæ in objecto visibili consideratæ. Neque affectiones propriæ generis competunt speciei, ut subjecto primæ: uti nec principia propria generis atribuuntur speciei primo. Unde ex hujusmodi principiis in scientia inferiore non conficitur demonstratio διότι. Vide *Zabarell.* de trib. præcog. cap. 14. *si subjectum*, inquit, *scientia inferioris esset species subjecti superioris, scientia inferiori nec principia, nec affectiones sumere à superiore liceret.*

§. 56. (3) *Ethica subministrat Jurisprudentia principia: Ergo hac illi est subalternata.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia principia illa Ethicæ sunt communia, non propria Jurisprudentiæ.

§. 57. (4) *Jurisprudentia subjicitur Ethica respectu finis, nempe felicitatis politica moralis. Ergo ei est subalternata.*

Resp. Negatur *consequentia*. Non sufficit ad subalternationem disciplinarum communis finis. Possunt enim distinctissimæ disciplinæ communem habere finem aliquem. Unde disciplinæ theoreticæ tendunt ad felicitatem theoreticam, practicę ad practicam.

Quæritur (11) *An Ethica sit distincta à Politica, & utra sit prior?*

§. 58. Non eodem sensu à Philosophis accipitur cum *Ethica*, tum *Politica*, *Aristot.* lib. 1. Eth. cap. 2. totam Philosophiam practicam appellat *Politicam*, cujus partem constituit Ethicam. Unde & 1. Rhetor. cap. 4. *Ethicam* appellat *Politicam*, quæ circa mores versatur. Sic igitur *Politica* distingueretur ab *Ethica*, vel ut genus à specie, vel ut totum à parte; sed aliter hodie voces accipiunt scholæ philosophorum: quibus *Philosophia moralis*, tanquam totum, in tres sive species, sive partes distinguitur, in *Ethicam*, *Politicam* & *Oeconomicam*: quarum *prima* singulos homines ad felicitatem communem instruit per præcepta de virtutibus moralibus: *secunda* civitatem totam, per præcepta de republic.

blic. bene administranda: *tertia* familiam, per præcepta de re familiari bene administranda. Igitur à simplicibus ad composita, à minus compositis ad magis composita si progrediendum, prima philosophiæ practicæ pars erit *Ethica*, quæ singulos informat homines tanquam principia materialia proxima familiæ, seu Oeconomiæ: secunda *Oeconomica*, quæ familiam, tanquam materiam politiæ proximiorem, instruit: ut enim ex hominibus pluribus in una domo constitutis familia, sic ex familiis pluribus in una civitate constitutis respublica constituitur. Tertia igitur & ordine postrema erit *Politica*, quæ civitatem totam, seu rempublic. informat.

§. 59. Aliis tamen alia arridet philosophiæ practicæ distributio, nempe in partes duas: quarum una in genere doceat, quid ad vitæ felicitatem civilem faciat, & ab *Aristotele* lib. Eth. ad Nicomachum tradatur: altera ad magis specialia descendat, & in politicis explicetur. Ita ut *Ethicus* & *Politicus* propemodum circa idem versetur; sed ille communiora, hic specialiora persequatur. Hæc *Averroi* distinctio adscribitur: quam cum *Piccolomineo* plerisque hodie probari putat *Horneius*: ita quidem, ut tota Ethica, tanquam communis quædam pars prudentiæ, referatur ad prudentiam, sed & Oeconomica sit pars Politicæ. Referri vero ad politicam, quæcunque in ethicis traduntur, inde probant: quod unus & idem finis utrique sit propositus. Quod enim Ethicus in genere, & simpliciter bonum summum vocat, id optimus reipubl. status est Politico: quod virtutes sunt Ethico, id leges Politico: cum lex aliud nihil sit, nisi præceptum de virtute autoritate publica munitum.

§. 60. Interim prior & receptissima distributio & nobis arridet: secundum quam *Ethica* non est pars *Politicæ*, sed species disciplinæ practicæ, disparate opposita *Politicæ*, & quidem, ut supra ostendimus, ordine prior *Politicâ*, eaque universalior: quam qui partem *Politicæ* generaliorem appellant, distinctas disciplinas confundunt, ut & ii, qui *Oeconomicam* partem esse volunt *Politicæ* in specie & proprie sic dictæ. Videmus enim præceptis distinctissimas esse tres illas practicæ philosophiæ partes *Ethicam*, *Oeconomicam*, *Politicam*: quæ etsi in fine communi conveniunt: tamen propriis ut præceptis, sic & finibus, distinguuntur. *Ethicæ* finis est informatio singulorum ad honestatem pro summo bono obtinendo: *Oeconomicæ* recta rei familiaris administratio: *Politicæ* recta Reipublicæ gubernatio: etsi & *Oeconomica* & *Politica* in auxilium vocant *Ethicam*, sine qua proprium suum finem nec illa, nec ista assequitur. Unde utrique præmittenda *Ethica*, quæ pro-

prium

prium suum, etiam sine *Oeconomicâ* & *Politicâ* assequi finem potest.

§. 61. Quæritur (12) *An in Christianorum scholis ferenda sit gentilium de virtutibus doctrina?*

Resp. *Affirmativam* defendimus sequentibus argumentis:

(1) Quia aliæ artes & partes philosophiæ à gentilibus olim traditæ & excultę, ut *Geometria, Physica, Metaphysica, Logica, Rhetorica, &c.* in scholis Christianorum feruntur & traduntur.

(2) Quia est pars, seu rivulus divinę legis moralis gentilium cordibus inscriptæ, ad divinæ imaginis post lapsum reliquias referendæ. Unde gentes dicuntur natura facere, quæ legis sunt; Rom. 2. v. 14.

(3) Quia ut excellens virtutis studium in multis Ethnicis fuit Dei donum: sic & doctrina illorum de virtutibus moralibus: quod ipsi etiam agnoverunt gentiles. Unde *Seneca* dixit *Bonum virum à Deo esse, & nullam sine Deo mentem esse bonam.* Plura videantur lib. 1. cap. 4. ad θ. 2.

(4) Quia acuratæ virtutum moralium definitiones & distributiones in gentilium traduntur libris, quas jure culpare nemo Christianus potest.

(5) Quia ad honestatem nos informat & excitat doctrina ista.

(6) Quia gentiles ad Christianismum conversi olim nunquam sunt jussi dediscere aut exuere virtutes, quibus in gentilismo se commendarunt.

Contra objicitur:

§. 62. (1) *Gentiles in suis libris moralibus πολυθείαν referunt. Ergo doctrina ipsorum de moribus & virtutibus moralibus in Christianorum scholis non est toleranda.*

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est. Gentilium sapientissimi πολυθείαν irriserunt, & unicum Deum agnoverunt: quem *motorem* & *Ens primum* appellarunt, *causam omnium*, ut *Aristoteles*, Plato, *Seneca*: etiamsi ad vulgi invidiam & odium declinandum quandoque Deorum mentionem faciant. Memorabilis est locus in Epist. *Platonis* ultima, quam ad *Dionysium* Syracusanorum tyrannum scripsit: τῆς σπουδαίας ἐπιστολῆς Θεὸς ἄρχη, Θεοὶ δὲ τῆς ἧττον: hoc est: *seriæ epistolæ initium est Deus, non seriæ Dii.* Quem locum *Theodoretus* laudans, *Quo pacto*, inquit, *quis melius possit mentis suæ consilium explicare: Plane siquidem nobis ostendit, quid in ea nominum differentia ipse intelligi velit. Quasi manifeste diceret: ut populari sententiæ me accommodem, Deum quandoque numero multitudinis appello: dum videlicet ad falsas meorum civium opiniones respicio. At quotiescunque serio & ingenuè*

 genuè

genuè scribo, neque de illius fide dubito, qui literas perferat, ejusque, qui illas accipiat, Deum singulariter dico, a quo & initium scribendi facio, lib. 2. περὶ τῆς τῶν ἑλληνικῶν παθημάτων θεραπευτικῆς. *Aristoteles ab Herophonte sacerdote accusatus fuit, quod, contra patrios ritus, unum in Lyceo Deum docuisset.*

2. *Consequentia* quoque negatur. *Probate omnia*, inquit Apostolus, *quod bonum est, retinete*, 1. Thessal. 5. v. 21.

§. 63. (2) *Doctrina illa gentilium est imperfectissima, si ad normam Christianæ Ethicæ, vel sacræ scripturæ examinetur. Ergo, &c.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est, si *Ethica Christiana* intelligatur ea sacræ scripturæ pars, quæ de virtutibus agit moralibus, *probitatis* ambitu comprehensis: quarum *definitiones* & *distributiones* philosophicę si considerentur, & cum moralibus Scripturę libris conferantur, tanta non occurret imperfectio doctrinæ gentilis, quanta heîc exprobratur. Distinguenda heîc *materialia* a *formalibus*: illa quamvis in scripturis sacris sint perfectissima: hæc tamen in scripturis Philosophorum methodicis & exquisitis per definitiones & distributiones magis exculta.

2. *Consequentia* quoque nulla est. Nam & imperfecta sunt toleranda, & de iis perficiendis laborandum. Magna cognitionis nostræ, si cum Prophetica & Apostolica cognitione conferatur, est imperfectio: quis verò propterea eam tolerari debere neget.

§. 64. (3) *Virtutes gentilium sunt peccata: Ergo in scholis Christianorum doceri non debent, nec ad earum studium excitandi sunt Christiani.* Antecedens prob. *Quia ex fide non sunt profectæ. Atqui peccatum est, quicquid ex fide non est.* Rom. 14. v. 23.

Resp. *anteced.* Peccata sunt gentilium virtutes, non *per se* & formaliter, sed *per accidens*, propter defectum fidei & debiti finis absentiam: non per *essentiam*, sed per *existentiam* in subjecto infideli & Deodisplicente. Sunt igitur Christiani ad earum studium excitandi, à defectibus verò avocandi. Natura illi, quæ sunt legis, fecerunt, etsi non perfecerunt.

§. 65. (4) *Virtutes gentilium sunt σαρκὸς φρόνημα: Ergo de iis in scholis Christianorum non est præcipiendum.* Anteced. prob. *Quia quicquid est à natura irregenita & corrupta, id est σαρκὸς φρόνημα. Atqui gentilium virtutes sunt à naturâ irregenita.* Ratio consequentiæ: Quia *σαρκὸς φρόνημα est inimicitia adversus Deum.* Rom. 8. v. 7. *Inimicitia vero adversus Deum est releganda è Scholis Christianorum.*

Resp. Syllogismi principalis *antecedens* negatur. Prosyllogismi *propositio* non est simpliciter & universaliter vera: quia natura

per

per lapsum non est ita penitus corrupta, ut in ea plane nihil boni remanserit. Sic enim vel substantia non mansisset reliqua, vel peccatum esset substantia.

Neque penitus abolita est imago Dei, sed ejus aliquæ manserunt reliquiæ, per quas dicuntur gentes habere legem cordibus inscriptam, & natura facere, quæ legis sunt; Rom. 2. v. 14. Igitur *propositio* est distinguenda: quicquid est à natura corrupta, quatenus est corrupta, non quatenus aliquid in ea reliquum est boni, & quatenus à gratia quoque communi adjuvatur, studioque & exercitatione excolitur, &c. σαρκὸς φρόνημα est ipsa naturæ corruptio, non natura humana: cui etsi accidit corruptio, tamen per eam non simpliciter aboletur omne bonum.

§. 66. Quæritur (13). *An Theologus futurus in ethicis prius informari debeat?*

Resp. *Affirmatur*, ob sequentes rationes:

(1) Quia virtutum moralium definitiones & distributiones Theologus accipit ab Ethico: non enim aliter eæ à Theologo definiuntur & distribuuntur, quam ab Ethico: cum una sit virtutis essentia.

(2) Quia terminorum ethicorum, cujusmodi sunt varia virtutum & affectionum nomina, cognitio & explicatio necessaria est Theologo: uti & physicorum opus habet cognitione:

(3) Quia pleniorem primorum principiorum practicorum cognitionem Theologus ab Ethico accipit.

(4) Quia Theologum quoque scire oportet, quid in virtutibus & actionibus moralibus post lapsum, ante regenerationem, possit homo: quod abunde patet è gentilium scriptis & exemplis: unde doctrina ethica concinnatur. Scire eundem oportet, quid differant moralis philosophia & Theologia, lex & Evangelium: quod absque doctrina ethica non sciet.

(5) Quia ethica institutio est præparatio quædam ad doctrinam theologicam sive theoreticam, ut appellant, sive practicam in primis vero legalem.

Objicitur:

§. 67. (1) *Decalogus continet absolutam bene & rectè vivendi doctrinam & regulam: Ergo futuro Theologo nulla est opus informatione ethicâ.*

Resp. Negatur *consequentia*. Decalogus est quidem perfecta recte vivendi norma, sed non ita omnibus suis partibus explicata, ut omnes & singulæ virtutes è lectione & consideratione ejus cuivis sint obviæ, præsertim tyroni: multo minus in decalogo exquisitæ sunt omnium virtutum definitiones & distributiones, quales in

systema-

systemate ethico methodice informato traduntur. Decalogus continet perfectam morum doctrinam βίου non ἐκβίου.

§. 68. (2) *Sapientia hujus mundi est stultitia coram Deo* 1. Cor. 3. vers 19. *Atqui sapientia ethica est sapientia hujus mundi: Ergo stultitia est, & per consequens, Theologiæ studiosus in ea non est exercendus.*

Resp. *Assumtio* negatur, Sapientia ethica, quatenus intra suos se terminos continet, non est hujus mundi sapientia: sed divinæ lucis quasi radius quidã & opus legis inscriptę cordibus hominum. *Per sapientiam hujus mundi* intelligit Apostolus versutiam, seu *πανουργίαν*: unde subjungit: *capit sapientes cum versutia ipsorum*: Est igitur sapientia mundana *versutia*, qua miser homo se opponit creatori, ejusque judicia & consilia conatur eludere: sed miserrimè decipitur, & tandem confunditur, suasque cogitationes fuisse varias magno suo malo deprehendit. *Dum se profitetur sapientem, stultus fit*: Rom. 1. v. 22.

§. 69. (3) *Ethica ab Ethnicis infidelibus & idolorum cultoribus est constituta. Ergo placere Deo non potest, neque futuro theologo est necessaria.* Ratio consequentiæ: *Quia peccatum est, quicquid ex fide non est, neque placere Deo potest, quod sine fide est.* Rom. 14. v. 23. Heb. 11. v. 6.

Resp. Negatur *consequentia*. Eadem ratione probari posset, nec logicam aut physicam futuro Theologo esse necessariam: nam & hæ disciplinæ ab ethnicis infidelibus olim sunt constitutæ,

Hoc verò nemo sanæ mentis facile dederit. Ratio *consequentiæ* est inconsequens. Quia peccatum aliud est per se, aliud per accidens, ex defectu conditionis in subjecto requisitæ: neque placere Deo eodem modo semper dicitur & intelligitur. Ethnicorum Ethica è principiis practicis & lege naturali legitime exstructa tantum per accidens fuit peccatum: per se verò bona. Unde in se considerata Deo placuit: etiamsi Autorum impietas displicuit. Deo enim sine fide ita nemo placet, ut æternæ salutis eum facere participem velit: etsi interim non displicet, quod in infidelibus quoque reliquum est, bonum, cujus ipse est autor. Vide *Heider.* Eth. pag. 27.

§. 70. Quæritur (14) *An Jurisperitus futurus in Ethicis prius informari debeat?*

Resp. *Affirmatur* ob sequentes rationes.

(1) Quia Ethica continet & explicat principia omnium legum, quarum idoneæ reddi rationes non possunt, nisi ex doctrina Ethicâ, quæ fons est omnium legum: Unde *Piccolom.* Grad. 1. cap. 10. ait, eos, qui juri civili dant operam sine accurata virtutum & summi

summi boni cognitione, neglecto fonte, in rivulis versari, & ambulare sine prænotione finis, in quem tendere debent.

(2) Quia lex nulla est justa & æqua, quæ doctrinæ ethicæ contraria est; unde omnis ad virtutem est conformanda.

(3) Quia præceptio de prudentia Ethicæ est propria & homogenea: unde nec intelligi potest, quid sit Jurisprudentia, nisi prius ex Ethica didiceris, quid sit prudentia.

(4) Quia ad vitæ honestatem omnes referuntur leges nomine tam augusto dignæ. Atqui de vitæ honestate ex professo præcipit Ethica.

(5) Quia Iurisprudentia, inquit *Cicero*, lib. 1. de L L. non est ex Prætoris edicto, neque ex XII. Tabulis. sed penitus ex ipsâ philosophiâ hauriendа, eaque ex ipsâ hominis naturâ repetenda est, & qui aliter jus civile tradunt, ii non tam justitiæ, quam litigandi tradunt vias: quoniam *lex est summa ratio insita in naturâ, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, & prohibet contraria.*

(6) Quia justitiæ jurisque definitionem & distributionem ab Ethicâ Iurisperitus accipit: cujus carere notitiâ neutiquam potest.

(7) Quia, secundum quosdam, Iurisprudentia est pars Philosophiæ moralis: quod probantem vide *Raynaud.* philos. moral. Prolog §. 4. n. 47. quam in sententiam ab ipso allegatur *Aureolus* quæst. 1. prolog. ad object. 4. *Possevin*, dialog 4. de honore: *Bannes*, in prolog. ad quæst. de Justit. & Jur. concl. 2. Sunt etiam, qui Jurisprudentiam Ethicæ subalternatam volunt, inter quos *Salas.* 1. 2. tract. 14. *Angest.* lib. 1. de virt. in prol. *Piccolom.* introd. cap. 10. Quamvis *Raynaudo* hoc displiceat.

§. 71. Objicitur: (1) *Jurisconsulti propria sua habent principia, quibus innituntur & utuntur, nempe, leges. Ergo informatione ethica facile possunt carere.*

Resp. 1. *Antecedens* exclusivè verum non est. Non enim habent ICTI tantùm propria sua principia, sed & communia, quæ Ethica ipsis subministrat, sine quibus propria rectè non intelligunt.

2. *Consequentia* negatur: quia informatio ethica propriis ICtorum principiis intelligendis, declarandis & probandis servit.

§. 72. (2) *Aliæ facultates, nempe Theologia & Medicina, non indigent Philosophia. Ergo nec Jurisprudentia indigebit philosophia practica.* Anteced. prob: *quia per se sunt perfectæ.*

Resp. *Antecedens* de Theologiæ & Medicinæ habitibus per methodicam & systematicam institutionem comparatis negatur. Contradicit manifesta experientia. Medicus scientiæ physicæ rudis indignus est Medici nomine: qui nec hominis, nec morborum,

nec

nec medicamentorum naturam intelligit, adeoque ad anicularum relegandus est collegia. Theologum oportet Deum in scriptura & natura loquentem intelligere: quando ad naturam quoque sæpius nos remittit divina patefactio. Probatio *antecedentis* simpliciter vera non est. Perfectio habituum & methodicæ institutionis sine artibus & scientiis haberi non potest. Consulantur hâc de re scriptores sacræ philosophiæ, inter quos *Vallesius*, & alii.

§. 73. Quæritur (15) *An orator opus habeat institutione Ethica?*

Resp. Totus hoc affirmat *Cicero*, lib. 1. de orat. *Quoniam philosophia*, inquit, *tres in partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam atque mores: duo illa relinquamus, idque largiamur inertiæ nostræ: tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus.* Est igitur Ethica thesaurus omnis eloquentiæ, quæ absque ethicis non est nisi mera loquentia. Neque obscura est ratio.

Quæ enim Ethica tractat themata, latissime patent, & per objecta eloquentiæ practica nobilissima se diffundunt, sive laudandum, sive vituperandum, sive accusandum, sive defendendum sit aliquid, sive suadendum, sive dissuadendum, &c. Ethicam vero imprimis hoc loco intelligimus, quæ lectissimis rationibus, exemplis & sententiis est instructa & absoluta: qualem optamus.

§. 74. Quæritur (16) *An Ethica juventuti prius sit tradenda quam philosophia contemplatrix, sive integra, sive pars ejus, exempli gratia, Physica?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur cum doctissimis nonnullis Philosophis, *Diogene Babylonio*, *Chrysippo*, *Philone*, *Simplicio*, *Acciaiolo*, *Petro Martyre*, multisque aliis.

Rationes sunt:

(1) Quia juventus Ethicæ institutionis capacior est, quam Philosophiæ contemplatricis. Sunt enim, quæ mores attinent, longè faciliora, familiariora, & sensibus magis exposita, quam Philosophiæ contemplatricis, & in specie physicæ, objecta: quæ multis magnisque difficultatibus & subtilitatibus sunt implicata. Unde tertia philosophiæ pars, secundum distributionem *Platonicam* & *Stoicam*, *naturæ obscuritas* appellata fuit. *Aristoteles* in *Peripato matutino* selectis quibusdam ingeniis physica tradidit, in *vespertino* promiscuè ingeniis juvenibus rhetorica, civilia & moralia, tanquam faciliora.

(2) Quia

(2) Quia omnium hominum ætati & conditioni magis necessaria est institutio moralis, quam theoretica. Humanæ societatis conservatrix est praxis moralis, non theoria physica, metaphysica, vel mathematica.

(3) Quia ante omnia in id incumbendum, ut vir bonus evadas: cui intentioni principaliter inservit disciplina moralis, non theoretica; in qua excellere etiam viri non boni possunt.

(4) Quia eum, qui futurus est philosophus & sapiens, secundum præcepta Platonica oportet (1) vehementer odisse mendacium: quando defensor, magister, & interpres veritatis est futurus. (2) Habere sedatas omnes perturbationes, & appetitum rationi obedientem: ne magna animi pars à veritatis cognitione & contemplatione abducatur.

(3) Esse amantem temperantiæ, liberalitatis, & justitiæ: quia vitiorum sordibus inquinatus indignus est, qui in purissimum sapientiæ domicilium admittatur, *Plato* lib. 5. & 6. de Republ. Ad omnia hæc nos manuducit institutio moralis: quæ idoneum philosophiæ contemplatrici auditorem & discipulum exhibet. Recte igitur *Simplicius* in procem. phys. *Post morales disciplinas, quæ ad vitæ nostræ institutionem pertinent, & post logicas, quæ nobis tradunt regulas discutiendæ & judicandæ veritatis, addiscenda est rerum naturalium scientia.*

Hinc errorem veterum philosophorum, scientiis tantum speculativis se & discipulos suos occupantium, curamque morum deponentium, *Socrates* emendaturus, missis numeris, lineis, aliisque sterilibus theoriis, ad moralem philosophiam cives suos revocavit, maluitque *cives bonos*; quam *mathematicos, physicos,* & *metaphysicos* in Republ. habere. Videatur *Cicero* 1. Acad. quęst. & 5. Tusculan. nec non in *Bruto*. Practicas disciplinas ante theoreticas inventas & constitutas esse, testatur *Aristoteles* 1. Metaph. cap. 1.

§. 75. In negativam cum multis aliis inclinat *Piccolomineus* cap. 26. Introd. X. Grad. quam sequentibus argumentis putat evinci.

(1) *Ethica est disciplina practica: Ergo post theoricam demum est addiscenda.* Ratio consequentiæ: *quia theorica practicam dirigit, eique principia impertitur.*

Resp. Negatur *consequentia.* Ratio partim falsa, partim inconsequens est. Falsa, quia non omnis theorica practicam dirigit. Ethicam nec *Metaphysica*, nec *Physica*, nec *Mathematica* proprie dirigit. Potest enim in moribus informari, & virtutis rationem, quantum ad praxin sufficit, habere cognitam, & agere secundum

cundum virtutis præscriptum, qui nec *Metaphysicam*, nec *Physicam*, nec *Mathematicam* unquam didicit. Uti certè multi sunt boni viri, qui *Metaphysica*, *Physica* & *Mathematica* ignari, virtutum studio & exercitio superant multos *Metaphysicos*, *Physicos*, *Mathematicos*. *Socrates* non visus sibi ad civitatem bonis moribus formandam indigere disciplinis theoreticis. *Inconsequens* est: Etiamsi enim ad pleniorem & exquisitiorem præceptorum Ethicorum cognitionem, & subtilitates nonnullas expediendas aliquid vel ex *Metaphysicâ*, vel ex *Physicâ* accersi solet, aut potest, præsertim ex doctrinâ de facultatibus animæ & affectibus: tamen propterea *Ethicæ* institutioni non est præmittenda institutio *Metaphysicæ*, vel *Physicæ*.

1. Quia plerisque scientiarum harum præceptis ethica institutio opus non habet. Quid enim ad *Ethicam* subtilitates de materiâ & formâ primâ, de affectionibus corporis naturalis, de cælô, de elementis, de meteoris, plantis, brutis, partibus humani corporis, sensibus, &c. Quid subtilitates metaphysicæ, de ente, essentia, existentia, summis generibus, &c. Quid theoriæ Planetarum? Quid *Euclidis* propositiones & demonstrationes?

2. Quia paucula illa, quæ ex *Physicis* videbuntur assumenda, obiter explicari possunt, sine laboriosa commentatione: ut exemplis suis docent, qui methodicis systematibus ethicam institutionem complexi sunt.

3. Quia ad praxin & exercitium virtutum, cui omnia inservire ethica præcepta debent, vel nihil, vel minimum faciunt: Loquimur heic de præceptis Ethicis exercitium virtutis informantibus, & ad id excitantibus, non de quæstionibus singulis controversis, quæ variæ moveri possunt & solent. Hactenus prima *Piccolominei* ratio.

§. 76. *Prius est opera danda Physicæ, quam arti medendi: Ergo prius quoque addiscenda est Physica, quam Ethica.* Antecedens extra controversiam est. Ratio conseq. *Quia Aristoteles, Moral. Nicom. lib. 1. cap. 13. oportere* ait *civilem scire aliquo modo pertinentia ad animam, uti oculos curaturum oportet scire naturam oculorum.*

Resp. Negatur *consequentia*: Probatio ab autoritate *Aristotelis* depromta est inconsequens. Longe major inter artem *medicam* & *physicam* affinitas intercedit, quam inter *Ethicam* & *Physicam*: Medicus enim theoricam physicam ad praxin deducit, & sine theoria physica indignus est Medici nomine: cum sine ea nec objectum suum, nec morbosas objecti affectiones, nec remediorum naturam habeat cognitam. Virtutis vim intelligit, etiam qui phy-

sicam

ficam ignorat: virtutem exercet, etiam qui animæ doctrinam nunquam inspexit. Cur vero propter pericula illa, quæ ex physica doctrina ad subtiliorem virtutis theoriam assumi solent, physica institutio non sit præmittenda Ethicæ, jam ante diximus.

§. 77. (3) *Contemplatio, præsertim physica, perficit facultatem cognoscentem: Ethica appetentem: Ergo contemplatio physica præmittenda institutioni ethicæ.* Ratio conseq. *Quia cognitio prior est, & dirigit appetitionem: unde primo quoque informanda facultas cognoscens, deinde appetens.*

Resp. 1. *Antecedens* exclusive verum non est. Contemplatio non tantum facultatem cognoscentem, sed & appetentem perficit: quatenus cognoscens perfecte appetentem dirigit. *Ethica* quoque non tantum appetentem, sed & cognoscentem perficit suo modo: quia in *Ethica* quoque est theoria & cognitio, quamvis ad praxin sit directa. Virtutem perfectè nemo exercet, nisi qui actiones ejus proprias, & alias circumstantias novit: de quibus *Ethica* præcipit.

2. *Consequentia negatur.* Ratio est inconsequens. Quia *Ethica* informat facultatem cognoscentem & appetentem methodica præceptione, neque vel ad cognitionem plane necessariam, vel ad praxin necessario requirit *Physicam*: ut experientia testatur, & jam pridem praxi sua confirmavit *Socrates*.

§. 78. (4) *Ea disciplina, cujus juvenis non est idoneus auditor, non est à juvene primo addiscenda. Atqui Ethicæ auditor idoneus non est juvenis: Ergo, &c.* Assumtionem probat *Aristoteles* lib. 1. Moral. Nicom. cap. 3.

Resp. *Assumtio* negatur. *Probatio* partim falsa, partim inconsequens est: ut suo deinceps loco ostendemus. Non omnes juvenes sunt actuum vitæ rudes, non omnes sequuntur perturbationes, &c. videatur quæstio de hac ipsa materia.

§. 79. (5) *Disciplinæ theoreticæ docent sapientiam; Ethica prudentiam. Ergo illæ prius sunt addiscendæ.* Ratio consequentiæ. *Quia prudentia nascitur ex sapientia.*

Resp. Negatur *consequentia.* Ratio simpliciter vera non est. Certe ex sapientia *metaphysica*, *physica* & *mathematica* non nascitur prudentia *ethica*. Multi sunt viri prudentissimi, qui nec *metaphysici*, nec *mathematici*, nec *physici* sunt. Ad consilia raro adhiberi solent *Metaphysica*, *Physica*, *Mathesis*, *Musica*, vel *elementa Euclidea*.

Propter principia quædam, quæ ad sui perfectionem prudentia requirit, & à sapientia in specie sic dicta accipit, totius sa-

pientiæ ſtudium non eſt præmittendum ſtudio prudentiæ.

§. 80. (6) *Phyſica agit de natura ſubjecti Ethicæ, nempe hominis, quem poſtmodum Ethica bonis moribus informat. Ergo prius tradi debet, quam Ethica, ut ex ea præcognoſcatur ſubjectum Ethicæ.*

Reſp. 1. Hac ratione ſequeretur, *Phyſicam* eſſe præmittendam omnibus etiam artibus, *Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, &c.* Quia & hæ informant hominem, cujus naturam explicat phyſica.

2. Non tota phyſica in natura hominis explicanda occupatur, ſed pars tantum, quæ ἀνθρωπολογία appellatur.

3. Homo non eſt ſubjectum tractationis ethicæ, ſed finis hominis.

4. Subjecti Ethicæ præcognitio, ſi maxime haberetur ex *Phyſica*, ſufficiens tamen hæc non eſſet cauſa, cur ante *Ethicam* in ſcholis tradi *Phyſica* deberet, niſi eandem etiam *Grammaticæ* præmittendam dixeris, cujus & ipſa ſubjectum definit. Inſtruit *Grammatica* facultatem ſermocinandi, de qua phyſicus præcipit: nec tamen propterea *Grammaticæ* inſtitutioni præmittitur *phyſica*. Idem eſto judicium de facultate iraſcibili & concupiſcibili, cujus naturam explicat *Phyſicus*, & quam informat *Ethicus*.

§. 81. (7) *Actio prius abſolutè eſt conſideranda, quam quatenus honeſta vel turpis: Ergo Phyſica ante Ethicam tradenda.* Ratio conſequentiæ: *Quia Phyſica agit de actione hominis abſolutè conſiderata: Ethica de actione, quatenus honeſta vel turpis eſt.*

Reſp. Negatur *conſequentia*. Etſi ex *Phyſica* diſcitur, quid ſit hominis actio; ideo tamen *Ethicæ Phyſica* non eſt præmittenda: quia minima pars *Phyſicæ* de hominis actione agit: &, quod ſcire de ea *Ethico* neceſſe eſt, à *Phyſico* peti poteſt. Actione hominis prior eſt actio in genere, cujus naturam declarat *Metaphyſica*: quæ tamen hoc nomine in tradendis philoſophiæ partibus nec *Phyſicæ* nec *Ethicæ* præmittitur: quia difficillima eſt, & adoleſcentum ſuperat captum.

§. 82. Quæritur (17) *An in Ethica dentur demonſtrationes?*

Reſp. *Affirmativam* defendimus hoc argumento.

Ubi datur probatio affectionis de ſubjecto per cauſam proximam, vel per effectum, ibi datur demonſtratio. Atqui in Ethicis datur probatio affectionis propriæ de ſubjecto per cauſam proximam, vel effectum. Ergo in Ethicis datur demonſtratio.

Propoſitio extra controverſiam eſt: Quia demonſtratio eſt probatio affectionis propriæ de ſubjecto per cauſam proximam; qua poſita neceſſario ponitur affectio; vel per effectum neceſſarium,

qui

qui causam suam necessario arguit. Unde duæ demonstrationis species, τῦ διότι, & τῦ ὅτι.

Assumtionem nemo negaverit, nisi qui negaverit, in ethicis dari *subjectum*, *affectionem propriam*, *causam proximam*, per quam affectio insit subjecto; *effectum*, qui causam necessario arguat: quæ omnia qui negat, manifeste falsa dicit. Videatur *Keck*. lib. 3. log. tract. 1. sect. 2. cap. 14. Demonstrat ethicus, *hominem virtutis moralis esse capacem:* quia intellectu & voluntate præditus est. Demonstrat, *virum bonum esse præditum virtutis moralis habitu:* quia crebras actiones morales legi conformes exercet. Demonstrat, *virum bonum esse φιλαυτον:* quia felicitatem & virtutem sibi optat & expetit. Demonstrat, *virum bonum ad honestas actiones propendere*, quia virtute morali est præditus. Demonstrat, *virtutem esse bonum excellentissimum*: quia similes Deo nos reddit, &c. Habet Ethica suas demonstrationes à priori & posteriori, inquit *Heiderus*, Eth. part. 1. pag. 16. ubi exempla quoque adducit plura.

§. 83. Objicitur. *In qua disciplina dantur demonstrationes, in ea de rebus agitur immutabilibus. Atqui in Ethica non agitur de rebus immutabilibus: Ergo in Ethica non dantur demonstrationes.* Propositio prob. *Quia demonstratio gignit scientiam. Atqui scientia est rerum necessariarum, immutabilium, quæ aliter se habere non possunt.* Assumtio prob. *Quia omnia Ethicam attingentia sunt mutabilia: hominum mores sunt mutabiles, affectus sunt mutabiles, actiones sunt mutabiles, voluntas & appetitus hominis sunt mutabiles: & quid non? Invictum hoc contra demonstrationes ethicas argumentum nonnullis videtur.*

Resp. Res, quarum datur scientia, sunt vel *propositiones*, seu axiomata demonstrabilia: vel *axiomatum subjecta*, de quibus demonstrari dicuntur affectiones, axiomatum demonstrabilium *prædicata*. Si axiomatum intelligantur *subjecta*, de quibus affectiones demonstrantur, eodem argumento, si invictum esset, nec in *Physica* dari demonstrationes, nisi de solis corporibus cœlestibus, facile eviceris, idque contra receptam omnium *Peripateticorum* sententiam. Quia præter sola corpora cœlestia, omnia alia corpora, nempe, elementa, & mista omnia, secundum *Peripateticorum* sententiam, sunt mutabilia & corruptibilia. Et quid in *Mathematicis*, vel *Geometricis*, mutabilius est lineis & figuris? Nullæ igitur de iis demonstrationes erunt: quas tamen exquisitissimas esse hucusque creditum. Itaque *propositio* de thematibus accepta simplicibus, vel partibus axiomatum, neganda erit: quicquid tandem obloquantur plerique *Peripatetici* de immutabilitate subjecti scien-

cti scientiæ. Ex propriis isti convincuntur hypothesibus.

Quod si vero integra intelligantur *axiomata*, in quibus subjectorum & prædicatorum attenditur connexio, indeque veritas aut falsitas, necessitas aut contingentia æstimatur: in quam sententiam è *Peripateticis* inclinat doctissimus *Toletus*, q. 2. prolog. in org. Arist. resp. ad arg. 3. nec non *Patres Conimbricenses*, 1. Poster. Analyt. cap. 7. q. 1. Art. 1. 2. 3. missâ *propositione*, negabimus *Assumtionem*: cujus probatio de thematibus accepta simplicibus, vel axiomatum partibus *subjecto* & *prædicato*, inconsequens est. Siquidem partium etiam per se non immutabilium necessaria & immutabilis potest esse connexio & veritas, si existere partes supponas, vel *subjectum* tantum: sic, exempli gratia, etsi animal mutabile & corruptibile est, ipseque sensus mutabilis & corruptibilis: tamen axioma, *animal est sensu præditum*, veritatis est necessariæ & immutabilis. Hæc necessitas & immutabilitas ad demonstrationem sufficit. Hanc quoque in ethicis dari manifestum est, non obstante mutabilitate morum, virtutum, actionum, voluntatis, appetitus, &c. Unde & *Philipp.* disp. quam subjecit libello de animâ, *th.* 24. laudat demonstrationes philosophiæ moralis: & *Stigelius* in oratione de philosoph. moral. tantam ait esse doctrinæ ethicæ certitudinem, ut singularum virtutum eruditæ & splendidæ demonstrationes tradi possint.

Distinguunt nonnulli inter demonstrationes exquisitas, & minus exquisitas. Sed distinctione hâc non est opus. *Ethica* exquisitas quoque demonstrationes habet: vide *Theoph. Raynaud.* philos. mor. prolog. §. 2. n. 21. 22. 23. 24.

Quæritur (18) *An detur finis hominis?*

§. 84. Resp. Cum *Ethica* definiatur *doctrina de fine hominis*: non immerito quæritur, *An detur finis hominis*: præsertim cum *Democritus*, *Leucippus* & *Epicurus* omnes è rerum naturâ fines dicantur sustulisse, autore *Aristotele*, lib. 2. acroamat. cap. 8. His igitur, vel *Aristoteli* potius hoc illis tribuenti, si habenda fides, nec hominis erit finis: quam esse impiam & falsam assertionem sequentibus argumentis probamus.

(1) Quia omnia ad gloriam suam & propter semet ipsum fecit Deus, quem frustra aliquid agere, affirmare, est sapientem esse negare; *Proverb.* 16. v. 4. & qui ad imaginem suam condidit hominem, qui nullum ei finem certum præstituerit? sic & nos omnia jubemur facere ad Dei gloriam, 1. Cor. 10. v. 31. Insignis est *Trismegisti* sententia. *Primum est Deus: secundum Mundus: tertium Homo. Mundus est propter Hominem: Homo propter Deum.*

(2) Quia

(2) Quia etiam bruta propter certos agunt fines: ad quos obtinendos omnia sibi necessaria conquirunt media: ut videre est in aviculis, apibus, araneis, formicis, &c. quod probantem quoque vide *Aristotelem* loco antè allegato.

(3) Quia si nullus esset hominis finis, nulla ejus foret actio: ubi enim appetitus non est, ibi finis non est, ubi finis non est, ibi actio non est: siquidem actio medium est ad finem, & actionem ciet finis. Nisi victorias & nominis immortalitatem intendisset *Alexand.* M. tot laboribus se non fatigasset, tot periculis se non objecisset, &c.

(4) Quia si nullus esset hominis finis, nullus esset ejus appetitus, sive sensitivus, sive rationalis. Fertur enim omnis appetitus in bonum, quod rationem medii vel finis habet: neque media appetuntur, nisi propter finem.

(5) Quia præditum ratione esse, usumque rationis habere, & finem nullum intendere, contradictionem implicant: siquidem primus rationis impetus in finem fertur.

(6) Quia videmus homines iisdem insistere studiis & actionibus: quod non facerent, nisi certos intenderent fines per certa studia & actiones.

(7) Quia homines bona eligunt, unumque alteri præferunt: quod absque intentione finis nunquam facturi essent. Præferuntur enim alia bona aliis; quia videntur esse aut fines præstantiores, aut aptiora ad fines media.

(8) Quia à vero hominis fine omnibus seculis varie aberrarunt homines. Unde *Varro* olim de summo hominis bono & fine pene trecentas sententias numeravit. Tot vero sententiarum de fine hominis divortia manifestè evincunt, thesin, *de fine hominis*, apud omnes fuisse certam; quamvis convenire in hypothesi non potuerint.

§. 85. Objicitur:

Multorum hominum appetitus fertur in malum. Ergo non fertur in finem. Antecedens comprobat experientia: *videmus enim plerosque homines ferri ad vitia, & alia illicita: unde tritum illud: Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* Ratio consequentiæ: *Quia ut finis & bonum convertuntur: ita finis & malum opponuntur.*

Resp. Ad *antecedens:* fertur hominum appetitus in malum, non qua malum, sed quatenus boni præ se ferre speciem videtur. Nunquam mala appetuntur, nisi sub ratione boni apparentis.

Quæritur (19) *An detur actionum humanarum ultimus finis?*

§. 86. Resp. Ultimus finis duobus modis dicitur, vel simpliciter

citer & respectu omnium rerum, quæ in finem ordinari possunt: vel secundum quid, respectu alicujus intentionis & electionum, quæ ab ea procedunt. Utroque modo datur ultimus actionum humanarum finis: Prior est ipse Deus, vel Dei gloria; quod è sacris literis manifestum est; Proverb. 16. v. 4. & 1. Cor. 10. v. 31. *Quicquid facitis, omnia ad Dei gloriam facite.* Quo & illud refertur Apocal. 1. v. 8. *Ego sum primus & ultimus, sum* A & Ω. Quod & Philosophi sunt assecuti. *Arist.* lib. 12. metaph. cap. 10. & in lib. de Mundo. *Plato* in Timæo. & lib. 4. de LL. *Trismegistus* in Poimenand.

§. 87. *Qua vero ratione finis hic demonstrari possit*, porro jam quæritur.

Resp. Evidens hæc videtur probatio. Primum principium efficiens rerum omnium propter aliquem finem illas produxit, conservat & regit, in cujus intentione non datur processus in infinitum. Ergo propter aliquem finem simpliciter ultimum omnia produxit. Ratio *consequentiæ* manifesta est: quia, ubi processus in infinitum non datur, ibi in aliquo simpliciter ultimo necessario est subsistendum. Neque potest Deus plures ultimos intentioni suæ adæquatos fines in operibus suis intendere: quia ad imperfectionem hoc tendit, quam non admittit divina perfectio. Unde necessario in uno ultimo absolute perfecto subsistitur. *Hinc jam porro progredimur.*

Si est aliquis finis simpliciter ultimus divinæ intentioni adæquatus, & perfectissimus atque optimus, non potest is ab ipso Deo esse diversus: & per consequens, ipse erit Deus. Atqui verum prius: Ergo & posterius; *connexi* ratio est: quia perfectissimum & optimum non est nisi unum: si igitur Deus est perfectissimus & optimus, finisque ille simpliciter ultimus perfectissimus & optimus; utique finis ille aliud nihil erit, nisi Deus. *Quod demonstrandum erat.*

Accedit & hæc ratio. Causæ finalis ratio perfecta est, & de se pertinet ad perfectionem simpliciter. Ergo convenit Deo in summo gradu perfectionis: siquidem in Deo omnis perfectio simpliciter est in summo gradu. Quod si vero causæ hujus ratio competit Deo in summo perfectionis gradu, non poterit ea ab ipso Deo esse diversa; quia plura summe perfecta non dantur.

Denique idem hoc quoque modo ostenditur. Deus est perfectissimum & universalissimum agens: Ergo intendit perfectissimum & universalissimum finem: qui alius esse non potest, nisi ipse Deus, à quo sunt omnia, & in quem tendunt omnia: secundum illud Apostoli, Rom, 11. v. 36. *Ex eo* (DEO) *& per eum, & in ipsum*

ipsum sunt omnia. Ratio *consequentiæ* : Quia ordo finium est juxta ordinem agentium, & quo perfectius atque universalius est agens, eo perfectior & universalior est finis. Datur igitur actionum humanarum finis simpliciter ultimus & universalissimus, in quem simpliciter omnia tendunt. Imo progressus in infinitum tollit omnem finem. Nam si ultimus non datur finis, nec medii erunt fines: sunt enim medii propter ultimum, & tendunt ad ultimum: sublato igitur fine ultimo & mediis, nullus restat: vide *Raynaud.* Philosoph. Moral. dist. 1. q. 1. art. 1. n. 5. 6. 7. 8. 9. &c. Dari quoque earundem actionum finem secundum quid ultimum, constat ex absurditate processus in infinitum. Datur autem finis secundum quid ultimus vel *negativè*, qui ad alium finem in illâ serie, & ex vi illius intentionis non ordinatur : vel *positivè*, quatenus omnia, quæ ad illam seriem pertinent, referuntur ad talem, & in eo subsistunt : quomodo impossibile est in hisce finibus processum dari in infinitum. Vide *Suarez.* tom. 1. Metaph. disp. 24. sect. 1. §. 2.

§. 88. Objicitur (1) *Si aliquis finis actionum humanarum simpliciter ultimus daretur, & ille esset Dei gloria, omnes omnium actiones in eum tenderent & ordinarentur. Atqui falsum consequens : Ergo & antecedens.* Assumtio prob. *quia plerique hominum actiones suas ad Dei gloriam non dirigunt vel ordinant.*

Resp. *Assumtio* negatur, *Probatio* est inconsequens. Etiamsi enim plurimi actiones suas ad Dei gloriam non dirigunt ; tamen omnium actiones Deus ad eam dirigit : ut ante probavimus.

§. 89. (2) *Si daretur actionum humanarum finis aliquis secundum quid ultimus, omnes utique finem hunc intenderent. Atqui non intendunt plerique : Ergo.* Assumtio prob. *Quia finis ille creditur esse vita recta secundum virtutem instituta : de quâ paucissimi laborant.*

Resp. *Assumtio* negatur. *Probatio* est inconsequens. Omnes intendunt finem aliquem ultimum, qui ipsis videtur ultimus, quia esse & dari ultimum, omnibus persuasum est : etiam si eum, qui vere est ultimus, omnes non intendunt: quem multi vel ignorant, vel ultimum esse negant. Unde *Varronis* temporibus tam variæ de summo bono & ultimo fine exstiterunt sententiæ.

§ 90. Quæritur (20) *An finis & bonum idem sint?*

Resp. Cum quæritur, *an finis & bonum idem sint* : vel de *identitate formali* quæritur : *An formalis ratio boni & finis eadem sit:* vel de *identitate reciprocationis: An omne bonum sit finis, & omnis finis bonum ; idque vel actu, vel potentia ?*

Hac præmissa distinctione sententiam nostram explicamus tribus assertionibus.

(1) *Finis & bonum non sunt idem formaliter.*

Ratio est : quia boni, ut boni, *ratio formalis* consistit in convenientiâ, & infert relationem convenientiæ vel cum eo, à quo primo est, vel cum eo, cujus est. Ita Deus bonitate transcendente bonus & optimus est, quatenus sibi est convenientissimus: creaturæ sunt bonæ, quatenus cum Deo conveniunt ; & tantò quælibet est melior, quanto magis cum Deo congruit, & ad ejus bonitatem propius accedit: uti tanto quoque pejor est, quanto longius à bonitate creatoris recedit: Vide *Fonsec.* in lib. 4. Metaph. cap. 2. q. 7. Alias bonitas in creaturis æstimatur non tantùm ex convenientiâ cum bonitate primâ, sed ex convenientiâ quoque cum judicio appetentis. Id enim quisque bonum judicat, quod sibi convenire judicat.

§. 91 (2) *Finis & bonum non sunt idem, quoad reciprocationem actualem.*

Ratio est : Quia omnis finis actu habet rationem boni : movet enim omnis finis appetitum per actualem bonitatem atque convenientiam : non autem omne bonum actu habet rationem finis : siquidem semper actu non movet appetitum. Sæpe enim ignotum latet bonum: quodve non appetitur, ita nec movet appetitum. Imò & bonum cognitum non semper appetitur, vel appetitum movet : veluti aurum olim philosophi & theologi contemserunt, etsi bonum illud esse non ignorarunt. Interim non appetiverunt, neque ab eô moveri potuerunt: quia melioribus occupati fuerunt.

§ 92. (3) *Finis & bonum sunt idem, quoad reciprocationem potentialem.* Ratio est: Quia etiamsi omne bonum actu non est finis, actuque non appetitur, tamen est appetibile, & potest habere rationem finis.

§. 93. Quæritur (11) *Quid sit bonum, & an rectè definiatur, quod omnia appetunt?*

Resp. Recepta apud *Peripateticos* est definitio boni: quod omnia appetunt: *Arist.* 1. Nicomach. quam à veteribus *Aristoteles* accipit, à quibus id pulchrè dici bonum ait, quod omnia appetunt: quam boni in genere definitionem esse ostendit *Piccolom.* Grad. 8. cap. 1. *Ea enim*, inquit, *omnis boni est ratio & conditio, ut expetatur, vel potius ut sit expetibile.* Interim definitio hæc non arridet *Senecæ* & *Plotino*, ut observat *Piccolom.* Neque nobis arridet ea: Ratio est,

Bona sunt multa, quæ non appetuntur, quia vel planè sunt ignota, vel minus convenientia judicantur. Atqui malè definitur

res per id, quod ei accidentale & separabile est. Quod si bonum non per actualem appetitionem, sed per appetibilitatem definias, propius quidem ad rem accesseris: omne enim bonum, quâ bonum, est appetibile, etsi actu non omne appetitur; attamen perfectam definitionem non exhibueris: quia appetibilitas non est de ratione formali boni: non enim ideo est bonum, quia appetibile, sed est appetibile, quia bonum; adeoque appetibile consequens est boni. Atqui è posterioribus res exquisite non definiuntur.

Ajunt quidem *Conimbricenses*, eodem redire, ab omnibus appeti, & ab omnibus esse appetibile, sed res ipsa loquitur, eodem non redire actum & potentiam.

§. 94. Objiciunt alii: *nec τὸ appetibile esse consequens proprium boni: quia ipsum malum quoque sit appetibile. Unde cor hominis est pronum ad malum*, Genes. 6. v. 5. & 8. v. 21. *quod blanditur homini per appetibilitatem.*

Sed ut malum, non qua malum, sed qua bonum & conveniens videtur, errore judicii appetitur, & appeti potest: ita cor hominis ad idem sub specie boni blandiens est pronum; adeoq; malum, qua malum, cum bono communem appetibilitatem non habet. Hactenus definitio Aristotelis.

§. 95. *Diogenes Stoicus* definit bonum, *quod est natura absolutum:* cui assentiuntur *Cicero*, *Seneca* & *Simplicius*. Sed obscura & nimis lata est descriptio, neque formalem boni rationem attingit.

Plotinus ait *bonum esse participationem primi boni, quod ex se bonum est:* quæ non est definitio boni, sed originis tantum declaratio, quoad bonum secundum: quam qui tantum novit, unde bonum secundum sit, novit, & interim ignorat, quid sit bonum, sive primum, sive secundum, vel etiam bonum in genere: quod non est primum, vel secundum, sed utrique commune.

A *Platone* definitur: *Quod sibi ipsi est satis.* Quæ generalis descriptio non est. Nullum enim bonum sibi ipsi est satis, nisi primum.

Aliis bonum dicitur, *quod non nisi bona producit & conservat.* Hi vero non quid sit bonum, docent, sed cujus sit principium.

Piccolomineus negat exactam dari posse definitionem boni: quia latissimum est, prioribus principiis caret, & revera unum non est: unde leviter ita describit: *Bonum est perfectio nata expeti, vel sui tantum, vel alterius, vel utriusque gratia.* Hanc descriptionem judicat esse communissimam, & competere omni ge-

 neri

neri atque gradui bonorum: patefacere etiam, quid sit de ratione boni, tam ex parte sui, quam ex parte eorum, quæ referuntur ad illud.

Sed nec hæc nobis arridet descriptio: quæ simul etiam includit distributionem, per quam cuivis bono applicari non potest. Putat quidem *Piccolomineus*, in definitionibus eorum, quæ sunt ab uno, ubi revera non est una natura à contentis distincta, tolerari posse, imo inserendam esse enumerationem: quod Logicis vix persuadebit. Nam & genus πρὸς ἓν naturam habet aliquo modo communem & unam, quæ speciebus competit, etsi uni principalius, quam alteri. Unde cum definitione minime confundenda distributio vel distinctio. Ita genus analogum & πρὸς ἓν est Ens, cujus species analogæ, *substantia* & *accidens*: interim sine ulla enumeratione vel distributione definitur *Ens*: quod in suo conceptu formali expresse nec substantiam, nec accidens, nec Deum, nec creaturam dicit: sed hæc omnia, per modum unius, quatenus sunt inter se aliquo modo similia & conveniunt in essendo: vide *Suarez*. disp. 2. sect. 2. n. 8. De appetibilitate jam ante actum.

Aliis igitur generalissime definitur *Perfectio enti conveniens*: vide *Suarez*. disp. 10. sect. 1. & alios.

§. 97. Quæritur (22) *Quotuplex sit bonum?*

Resp. Variæ sunt boni distinctiones, quas breviter percurremus.

(1) Bonum est *primum*, vel *à primo ortum*. Illud est ens increatum, Deus, hoc creatum, seu creatura: illud est bonum οὐσιωδῶς, seu per essentiam, hoc per participationem & convenientiam cum primo: illius sunt tres conditiones, cuncta eminentia & virtute continere, omnium esse principium, omnia perficere: hujus à primo contineri, effici, perfici.

(2) Bonum est vel *transcendens* vel *naturale*: vel *morale*.

Distinctionem hanc explicat Scaliger, Exer. 307.

Transcendens est modus Entis: quo omne Ens esse bonum dicitur, de sententia creatoris, qui, cum fecisset omnia, valde bona illa esse pronunciavit, Genes. 1. v. 31, neque à summo bono potest quicquam non bonum proficisci. Hoc bonum omnia appetunt Entia, quia esse appetunt: est enim bonum, quia Ens, non autem Ens, quia bonum. Unde hæc bonitas ab Ente realiter non differt, neque affectio ejus est proprie dicta, sed modus. Quid vero *formaliter* sit, apud Metaphysicos controversum est. Plerique tamen statuunt, bonitatem hanc includere positionem realem Entis & negationem defectus: vel, perfectionem Entis, quæ vera est ejus positio, cum negatione defectus ejusdem in suo genere.

Unde

Unde bonum & perfectum non tantum *materialiter* sed & *formaliter* idem putantur esse. De hac bonitate accipiendum illud: *Quicquid est, eo ipso, quo est, bonum est.* Hinc bonum cum Ente, & Ens cum bono convertitur. Putant tamen nonnulli bonitatem transcendentem addere supra Ens; ejusque perfectionem, relationem rationis, quam convenientiam appellant secundum existentiam realem, quam habere potest. Huic bono nullum est oppositum malum: siquidem Ens penitus aboleret, & tantum esset malum, in nullo existens bono, & à principio tantum malo: qui furor *Manichæorum* & *Priscillianistarum* fuit: contra quos, *si bonum non esset*, inquit Augustinus, *in quo malum esset, malum prorsus esse non potuisset!* vide *Horneium* Eth. lib. 2. cap. 7. & *Suarez.* disp. 10.

Naturale bonum definitur à *Scaligero*, perfectio cujusque Entis, qua tale est, producta ex iis, quæ requiruntur ad finem illius Entis: alias appellatur *bonitas relativa* & *naturæ congruentia.* Huic datur oppositum malum naturale, quod boni est privatio: quomodo bonæ mulieri opponitur mala, &c. *Morale bonum* est perfectio actus liberi cum recta ratione.

(3) Bonum est vel *honestum*, vel *utile*, vel *jucundum.*

Honestum idem est, quod morale bonum, nempe virtus & actio virtutis.

Utile est, quod naturæ servit, eamque conservat.

Jucundum, quod menti sensibusque conveniens bruta & homines voluptate perfundit.

Sunt hæc bona ita comparata, ut formali quidem conceptu aliquo modo sint distincta: attamen re & objecto non semper distinguantur. Unde eadem res potest esse honesta, utilis & jucunda: ut pietas, &c. Circa tertiam hanc boni distributionem ejusque membra difficultates quinque expedientem vide *Suarez* disput. 10. s. 2.

(4) Bonum est *simpliciter*, vel *secundum* quid *bonum*: quæ distinctio quam vario sensu accipi possit, vide apud *Suarez* disp. 10. s. 2. n. 33. 34. 35. & *Horneium*, Eth. lib. 2. c. 7. n. 23.

(5) Bonum est *verum* vel *tantum apparens*. Illud est tale, quale existimatur & cognoscitur: hoc non est id, quod existimatur esse. Unde sæpe sub ratione boni apprehenditur, quod vere non est bonum, sed malum.

(6) Bonum est vel *animi*, vel *corporis*, vel *fortunæ*. *Animi bona* sunt virtutes, earumque actiones, & quæ has sequuntur, animi tranquillitas, lætitia, &c. *corporis*, quæ & *naturæ bona* appellantur, sunt robur, bona valetudo, pulchritudo, sensuum integri-

tegritas, membrorum agilitas, &c. *Fortunæ bona* sunt divitiæ, honores, &c.

(7) Bonum est vel *honorabile*, vel *laudabile*, vel *neutrum.*

Honorabile dicitur, quod in se ipso perfectionem suam habet; & alio non refertur, ut Deus, beatitudo.

Laudabile, quod in se bonum alio refertur, ut virtus ad beatitatem, vel animi tranquillitatem.

Neutrum, quod per se nec laudandum, nec vituperandum: sed ex usu tantum æstimatur, si benè vel malè utaris: ut corporis robur, pulchritudo, artes, scientiæ, &c.

(8) Bonum est vel *essentialiter*, vel *formaliter bonum.* Illo modo solus Deus est bonus, qui ipsa est bonitas essentialiter: hoc Entia creata sunt bona: quorum bonitas distincta est ab essentia, tanquam affectio à subjecto.

§. 98. Quæritur (23) *Quis sit maxime idoneus philosophiæ moralis professor & doctor?*

Resp. Non qui doctissimus & subtilissimus, sed qui virtutum studiosissimus, quique non voce tantum & calamo, sed & vitâ atque exemplo docet. Unde doctorem & professorem moralem repertu arduum pronunciat *Maxim. Tyrius*, dissert. 37. qualem *Aristoteles* quoque requirit, lib. 10. Moral. cap. 9. Hujusmodi doctorem & professorem ethicum describit *Lactantius*, lib. 4. cap. 23. *Si bona*, inquit, *sunt, quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse præceptor à numero cœtuque hominum segregare, inter quos agit: & ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum: ne, si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, levioremque doctrinam suam faciat, si reipsa resolvat, quod verbis nitatur adstruere. Unusquisque enim, cum audit præcipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tanquam sibi jus libertatis adimatur. Respondebit itaque Doctori hoc modo.*

Non possum facere, quæ jubes, quoniam sunt impossibilia. Vetas me irasci, vetas cupere, vetas libidine commoveri, vetas dolorem & mortem timere. Sed hoc adeo contra naturam est, ut his affectibus animalia universa subjecta sint: vel si adeo repugnari putas posse naturæ, & tu ipse, quæ præcipis, fac, ut sciam fieri posse: cum autem ipse non facias, quæ insolentia est, ut homini libero imponere velis leges, quibus ipse non pareas. Prius disce, qui doces, & ante, quam mores alienos corrigas, tuos corrige. *Quis neget justam esse hanc responsionem? Quin etiam in contemtum veniet hujusmodi doctor, & deludetur vicissim, quia videtur & ipse deludere. Quid ergo faciet ille præceptor, si hæc ei fuerint*

fuerint opposita? Quomodo adimit excusationem contumacibus, nisi ut præsentibus factis doceat, se possibilia docere? Inde evenit, ut philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim malunt exempla, quam verba: quia loqui facile est, præstare difficile. Utinam quidem tam multi bene faciant, quam multi loquuntur bene. Sed qui præcipiunt, nec faciunt, abest ab iis fides. Plura in hanc sententiam apud eundem videantur, lib. 3. cap. 15.

§. 99. Memorabile est, quod de Republ. Spartanâ referunt, *Plutarch.* in libro de off. audit. *Gellius* lib. 19. cap. 3. *Philo* in libro, *quod deterius potiori insidietur: Isiodorus Pelusiota* lib 3. epist. 232. Prohibitum in ea civem vitæ non probatæ sententiam honestam & utilem promere per se ipsum: sed jussum apud virum honestum eam deponere, qui tanquam mentis suæ partum, illam proponeret: ne utilis & honesta doctrina autoris pravitate suo careret fructu, &, quasi vitium à fonte suo traxisset, iis, ad quos promanaret, suspecta invisa foret, Eadem si adhuc vigeret lex in Rebuspubl. Eccles. & Scholis *Europæis*, quot quæso consultoribus & doctoribus silentium in publico imponendum foret?

§. 100. Gravi quoque censurâ steriles hosce doctores & professores vexat *Epictetus* apud *Arrianum*, lib. 3. cap. 13. *Statim ut sapientes vivere volumus; ac prodesse hominibus: quonam commodo, aut quid faciens, tibi quoque ipsi profuerit? An hortari & instigare eos vis? Tu hortari; tu prodesse his studes? Ostende ipsis tuo exemplo, quales faciat Philosophia, & ne garrias inutiliter. Comedens ipse convivis prodesse, & bibens bibentibus hortator esse velis. Concedens omnibus, indulgensque toleransque, ita nimirum profueris hominibus, & ne pituitam tuam conspuito; aut transfundito in illos.* Plura videantur cap. 16. & lib. 4 cap. 8. Enchiridii capite 73. *Grammaticos*, ait, *esse non Philosophos, qui præcepta sapientum explicant, non sequuntur.* Similia occurrunt apud *Maxim. Tyrium.* dissert. 6. 37. *Nazianz.* orat. 1. & 26. *Gregori.* Mag. 8. Moral. cap. 33. 34. *Gellium*, lib. 1. cap. 2. & 3. cap. 16. & 4. cap. 5. ubi ait, *hujusmodi morales philosophastros in Scholâ leones esse, extra scholam vulpes:* & lib. 17. cap. 19. ubi, de sententia *Epicteti*, ait, *philosophorum doctrinas cum in hominem falsum atque degenerem, tanquam in vas spurcum atque pollutum, influunt, verti, mutari, corrumpi, & urinam fieri, aut si quid urina spurcius.*

Seneca cum passim alibi, tum epist. 108. *sic*, inquit *ista discamus, ut, quæ fuerint verba, fiant opera. Nullos autem pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui philosophiam, veluti aliquod venale artificium, didicerunt, qui aliter vivunt,*

quam

quam vivendum esse præcipiunt. Exempla enim seipsos inutilis disciplinæ circumferunt, nulli non vitio, quod insequuntur, obnoxii. Non magis mihi potest quisquam talis prodesse præceptor, quam gubernator in tempestate nauseabundus. Tenendum est, rapiente fluctu gubernaculum: luctandum cum ipso mari, eripienda sunt vento vela. Quid me potest juvare rector navigii attonitus & vomitans? Quanto majore putas vitam tempestate jactari, quam ullam ratem! Non est loquendum, sed gubernandum. Omnia, quæ dicunt, quæ turba audiente jactant, aliena sunt: dixit illa *Plato*, dixit *Zeno*, dixit *Chrysippus* & *Possidonius*, & ingens agmen tot & talium. *Quomodo probarint sua esse, monstrabo: quæ dixerint, faciant.* Similia habet *Dio Chrysostom.* orat. 35. & 70.

§. 101. De moribus doctrinæ conformandis multa patres: quos utinam omnes Theologi audirent. *Cur superbis* inquit *Chrysost.* homil. 30. in Acta, *quod doces sermonibus? Per quam facile est philosophari verbis. Doce me vitâ tuâ. Hæc doctrina optima est. Dicis modestiâ esse opus, & tu procul ab hoc sermone recedis, & rhetoricaris, nullo prohibente, verbis diffluens. Sed melior ille, qui operibus docet. Non enim æque insident animæ verba atque opera. Quoniam si non habueris opus bonum, non solum non proderis loquendo, sed etiam plus nocebis, utiliusque fuerit tacere. Quare? Quia opus mihi proponit, ac si impossibile foret. Cogito enim mecum: si tu, qui tanta loqueris, non facis, multò magis ego veniâ dignus sum, qui nihil tale dico. Idcirco, inquit Propheta, peccatori dixit Deus:* ut quid tu enarras justificationes meas. *Majus enim hoc damnum, quando bene quis docet verbis, & operibus doctrinam impugnat. Hæc multorum in Ecclesia malorum causa est.*

Accinit *Ambrosius*, lib. 2. off. cap. 22. & *Bernhard.* epist. 201. *Memento*, inquit, *etiam voci tuæ dare vocem virtutis. Quid illud, inquis? ut opera tua verbis concinant, imo verba operibus: ut cures videlicet prius facere, quam docere. Pulcherrimus ordo est & saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te discas, qualiter oporteat aliis moderari. Alioquin subsannabunt te, utpote pigrum illum, cui labor sit manum porrigere ad os, &c.*

§. 102. Tam ardua igitur doctoris & professoris ethici provincia, ad quam nemo, nisi cum magno delectu, adhibendus. Neque suo rectè fungitur officio Auditor, cujus in solis præceptis & disputationibus ethicis fervor occupatur: ut infelicissimo hoc seculo fieri solet, quo à bonis moribus alienissimos esse videas plurimos, qui ethicas subtilitates omnes devorasse sibi videntur.

Paucissimi,

Paucissimi, proh dolor, de modestia & humanitate in scholas revocanda publicas cogitant, aut laborant.

Sed res hæc non est nova, neque insolita: de qua suo quoque seculo conquestus est *Seneca*, epist. 108. *Quidam*, inquit, *veniunt, ut audiant, non ut discant; sicut in theatrum, voluptatis causa, ad delectandas aures oratione, vel voce vel fabulis ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola diversorium otii sit. Non id agunt, ut aliqua illic vitia deponant, ut aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant, sed ut oblectamento aurium perfruantur. Atqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, sed verba, quæ tam sine profectu alieno discant, quam sine suo audiant.*

En seculi nostri insaniam, quæ virtutes instillat præceptis, vitia infundit exemplis!

§. 103. Quæritur (24) *An juvenis sit idoneus Ethicæ auditor?*

Resp. *Negativam* amplectitur *Aristoteles*, duabus potissimum de causis:

(1) *Quia usu & experientia destituitur: unde eorum, quæ in ethicis traduntur, dependet cognitio, quam in auditore Ethicæ requirit Aristoteles.*

(2) *Quia affectibus indulget, eosque nescit frenare: sed ex eorum præscripto vivit ab omni alienus continentia.*

Resp. Rationes hæ partim *falsæ*, partim *inconsequentes* sunt.

Falsæ; quia etiam in juvenes aliquos rerum cadit usus, præsertim fideliter à prima pueritia institutos, & actionibus honestis mature adhibitos. Ex iisdem quoque nonnulli frænare affectus norunt, & quidem rectius, quam senes nonnulli.

Inconsequentes: quia per ethicas præceptiones ad usum paulatim sunt manuducendi & assuefaciendi, eoque inducendi, ut affectus frænent: qui finis quoque est institutionis ethicæ, nempe, ut per virtutes frænum affectibus injiciatur. Unde non tam opus habent institutione ethica, qui affectus possunt coërcere & coërcent, quam qui non coërcent: ut discant coërcere.

§. 104. *Alii* non omnes promiscue juvenes ab auditoriis ethicis excludunt, sed eos tantum, qui (1) *prava sunt indole.* (2) *ad vitia assuefacti* (3) *adversus disciplinam contumaces.* Quam in sententiam plerique concedunt *Peripatetici*: neque abire ab ea videtur *Seneca*; epist. 112. uti & *Pythagoram* ajunt diligentissime prospexisse, quibus animorum vasis philosophiam suam committeret: nec nisi probe expurgatis morum præcepta credere solitum, *Lyside* teste, in epist. ad *Hipparchum*.

Sed nec hisce assentimur: Quia per institutionem ethicam recte & pra-

& practice administratam prava indoles est emendanda, vitiorum consuetudo abolenda, & contumacia frangenda. Medico opus habent non sani, sed ægri: quibus etiam invitis applicanda medicina, quamvis forsan se ægrotare nesciant, aut etiam contra propria commoda laborent: veluti in invitos etiam beneficia quandoque conferimus, & tenemur conferre, ex charitatis lege.

§. 105. Alii, quoad mores, distinguunt juvenes in tres classes:
(1) Nonnulli per se norunt, quid prosit.
(2) Alii etsi judicio ipsi non pollent, tamen rectis & fidelibus monitis obediunt.
(3) Alii denique nec ipsi quicquam intelligunt, nec monitis aliorum locum relinquunt.

Primam & secundam classem admittunt: tertiam repudiant: quia qui ad eam pertinent, plane ἀνίατοι, & desperati sunt.

§. 106. Hisce facilius assentimur: etsi nec tertios simpliciter excludendos arbitramur, nisi postquam omnia ad meliorem frugem reducendi media frustra sunt tentata. Interim deplorata & desperata hæc malitia de nullo juvene temere est præsumenda: quando scimus variam & mutabilem esse hanc ætatem, & quandoque præter exspectationem, qui plane desperati videbantur, ad meliorem redire frugem. Itaque illam *Libenthalii* comparationem non admittimus simpliciter. *Ut medicus frustra medicinam applicat, ubi non est amplius pugna morbi & naturæ, sed jam morbus naturam superavit: sic Ethica frustra adhibetur, ubi jam desiit esse pugna rationis & voluntatis, & affectus jam animum infecerunt, & totam massam corruperunt.* Certiora enim habet Medicus indicia naturæ penitus prostratæ, & amplius non instaurabilis, quam Ethicus. Neque in perditissimis plane videtur cessare rationis & voluntatis pugna, siquidem delere penitus legem cordibus inscriptam non possunt, & subinde stimulos conscientiæ sentiunt, quibus ad desperationem tandem adiguntur, nisi à præcipitio retrahantur. Minime vero omnium omittenda *institutio* & *castigatio*, quando affectus animum infecerunt: Etsi non diffitemur, parum hic proficere subtilitates theoreticas, quibus ethicam institutionem nonnulli absolvunt. Præceptis opus est practicis, atque exemplis efficacibus: quibuscum etiam severior conjungenda disciplina.

§. 107. *Casus* sex recenset impedimenta, ob quæ aliquis idoneus Ethicæ auditor esse non potest. Sunt ea (1) *Defectus ætatis.* (2) *Perversitas opinionis.* (3) *Ignorantia rerum.* (4) *Inconstantia morum.* (5) *Fluxus & refluxus affectuum.* (6) *Affluentia vitiorum.*

Sed

Sed nec hæ satis justæ & ponderosæ sunt causæ, ob quas ad auditorium ethicum aliquis non admittendus.

(1) Omnis ætas, quæ rationis habet usum, admittenda, ut emendetur & confirmetur. Pertinet huc præceptum Dei, de lege liberis admovenda & inculcanda. (2) Perversitas opinionum eximenda & corrigenda per rectam institutionem. (3) Ignorantiæ rerum consulitur per institutionem practicam & theoreticam. (4) Inconstantiæ morum occurritur per institutionis & disciplinæ gravitatem atque severitatem. (5) Fluxus & refluxus affectuum tranquillatur per infusum virtutis oleum. (6) Affluentiæ vitiorum nihil opponitur efficacius, quam copia virtutum.

Igitur prægnantes & urgentes hæ sunt causæ, ob quas aliquis sive senex, sive juvenis in ethicum auditorium compellendus: veluti nemo ad Medicos eorumque præscripta & consilia magis est ablegandus, quam qui variis urgetur morbis: quam in sententiam quoque *Casus*: *Ethicam audiat juvenis, audiat & senex: audiat ille, ut medicinam, audiat hic, ut vitæ regulam. Est enim utilis & bonis & malis: bonis ut semper virtuti studeant: malis, ut ab extrema miseria tandem resiliant.*

Quem nulla affligit perversitas opinionis, nulla ignorantia rerum, nulla inconstantia morum, nullus Fluxus & Refluxus affectuum, nulla affluentia vitiorum, Ethica institutione opus non habet.

§. 108. Interim non diffitemur, per impedimenta illa cursui institutionis ethicæ remoras aliquas injici: quæ tamen à progressu doctorem Ethicæ non magis absterrere debent, quam Medicum varia morbi symptomata, aut navis gubernatorem ab instituto cursu varia navigationis impedimenta. *Tu contra audentior ito.* Hodie promiscue ad auditoria ethica admittuntur omnes juvenes: quibus si non è vestigio, tamen aliquando prodesse ethica præcepta possunt. Sunt institutiones nostræ similes *cœnis Platonicis*, quę sequenti die potius juvant, quam præsenti, *Ælian.* lib. 2. var. hist. Neque inepte ad institutiones ethicas retuleris, quod de geometricis a *Varrone* prolatum legimus apud *Gellium*, lib. 16. cap. 18. *voluptas vel utilitas talium disciplinarum in postprincipiis existit, cum perfectæ absolutæque sunt: in principiis vero ipsis ineptæ & insuaves videntur.* Cogita, cui Moralia sua *Aristoteles* inscripserit. Nonne *Nicomacho*, filio juveni? Cui *Cicero* officia: nonne filio juveni? Et duplicem habuisse περίπατον Aristoteles dicitur: matutinum, in quo selectis quibusdam ingeniis Physica & Logica tradidit: & *vespertinum*, ubi sine delectu juvenes in rhetoricis & civilibus instituit.

§. 109. *Eustatius*, lib. 3. Eth. cap. 3. observat, eo tantum tendere *Aristotelis* disputationem, ut liqueat minore cum fructu adolescentem intemperantem his imbui præceptis, quam si, compressis affectibus, ad hanc institutionem accederet. Quæ si mens *Aristotelis* esset, nemo ei facile contradiceret.

Seneca ait, epist. 68. nullam ætatem aptiorem esse ad hæc studia & bonam mentem, quam senectutem, quæ vitia primo fervore adolescentiæ indomita lassavit, & se multis experimentis, longa & frequenti rerum experientia domuit: quæ ad salutaria, mitigatis affectibus, venit. Interim nulla excludenda.

Neque juvenis, inquit Clemens Alexandr. *quispiam dum est, philosophari negligat, neque senex cum sit, philosophando fatigetur. Neque enim intempestivus ullus est, neque qui ad animæ sanitatem tempus non habeat idoneum. Qui autem dicit, aut nondum philosophandi tempus esse, aut tempus præteriisse, ei similis est, qui dicit, ad beatam vitam aut non adesse tempus, aut non amplius esse. Philosophandum igitur & juveni & seni: illi quidem, ut senescens in virtutibus vigeat, præteritorum gratia: huic, ut juvenis una & senex sit, quod futurorum careat metu. Quam in* sententiam quoque *Seneca* epist. 76. *omnis ætatis homines hæc schola admittit.*

Quamvis non exiguum faciat operæ pretium, qui institutione solerti affectus comprimit, iisque compressis, & via quasi strata, virtutes inducit. Magis ille sibi discipulum obligat, quam qui affectus jam compressos invenit, & fundamento hoc jacto, reliquam virtutum molem superstruit.

CAPUT

CAPUT II.

De DISTRIBUTIONE FINIS HOMINIS, ET ETHICÆ PARTIBUS.

THESIS I.

Finis hominis est duplex: principalis & minus principalis.

II.

Principalis est, ut recte vivat: Minus principalis, ut beate vivat.

Ἔκθεσις.

Extra duos hosce fines, *principalem* & *minus principalem*, omnes alii speciales hominis sunt fines: inter quos præcipuus operum divinorum contemplatio; qui fines tanquã secundarii & ministri ad hosce duos, ut principaliores, referuntur. Unde veteres philosophi ante *Aristotelem*, philosophiæ practicæ potius, hoc est, *Ethicæ*, & *Politicæ*, quam theoreticæ, operam dederunt: ut videre est ex Poëtis antiquis, *Socrate*, *Solone*, *Platone* & aliis: Nec vero finem & perfectionem suam ultimam assequitur contemplatio divinorum operum, nisi tandem ad duos hosce fines referatur, nempe, rectam & beatam vitam.

§. 2. *Principalis finis* hominis non in homine terminatur, sed ad ipsum Deum refertur, qui omnium suorum operum finem in se ipso habet: ideoque *recta vita* ea demum erit, quæ ad Dei cultum & gloriam est directa. Hunc finem *Seneca* novit & agnovit, cum diceret: *In hoc unum eunt dies, in hoc noctes: hoc opus meum est, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. Id ago, ut mihi instar totius vitæ sit dies: ante senectutem curavi, ut bene viverem, in senectute, ut bene moriar.*

§. 3. *Minus principalis*, ut hoc loco consideratur, (quamvis, respectu aliorum finium, omni jure principalis quoq; appellari possit)

 homi-

hominis finis in ipso homine terminatur, estque *vita beata*, alias beatitas, summum hominis bonum, perpetuum rectæ vitæ præmium. Quicunque enim rectæ vitæ studio Deum sincere colunt, beatam in cœlis vitam æternam sunt victuri, sacris literis testibus.

§. 4. De fine hominis philosophice judicandum, ex recta ratione, non ex corruptis hominum judiciis & affectibus. Olim *Alexander* M. vitæ suæ finem statuit, omnia vincere. *Cæsar*, primas inter homines obtinere. Octavianus, pulchre imperium administrare. *Constantinus*, multa suis & amicorum voluptatibus servientia largiri. *Marcus*, Deos imitari: qui rem acu tetigit, & omnia complexus est, omnino ad *Platonis* mentem. Illo enim autore, Deus se in medio exemplar omnium bonorum cum proposuisset, humanam virtutem, qua homo similis Dei aliquo modo saltem redditur, parandam concessit his, qui Deum sequi possunt: neque major est alius fructus, quem ex Deo capere possit homo, quam quod imitatione pulchrorum & bonorum, quæ divinæ naturæ insunt, virtute potitur.

§. 5. Quæritur (1) *An recta hominis vita sit finis ejus principalior, quam beata vita?*

Resp. *Affirmativam* defendit autor, hoc argumento.

Propter quem finem homo principaliter est conditus, is est principalis ejus finis. Atqui propter rectam vitam, non propter beatam vitam, homo principaliter à Deo est conditus. Ergo recta vita, non beata, principalis est finis hominis.

Assumtio prob. Quia beata vita in homine terminatur, recta autem in Deum reflectitur & in Deo terminatur: siquidem tendit in cultum & honorem Dei. Beate sibi homo vivit, recte Deo: adeoque conditus principaliter, non ut ipsi benè esset, sed ut rectè vivendo creatorem suum coleret & glorificaret. Plura vide apud *Velstenium* pro hac sententiâ pugnantem: disp. Eth. 2. q. 1.

§. 9. Excipitur (1) *Summum hominis bonum est principialior ejus finis. Atqui vita beata est summum hominis bonum: Ergo vita beata est principalis ejus finis.* Propositio prob. *quia synonyma sunt, summum bonum & summus finis.* Assumtio in confesso est.

Resp. *Propositio* negatur una cum *probatione*. Si *summum bonum* proprie accipiatur, latis finibus discernuntur *summus hominis finis* & *summum bonum*: etsi vulgo confundi solent. *Summus finis* est vita ad virtutis normam instituta: *summum bonum* est præstantissima hominis conditio. *Summus finis hominis* in Deum reflectitur: *summum bonum* in homine terminatur: *summus finis* est vita proba: *summum bonum* est præmium vitæ probæ & rectæ.

§. 7.

§. 7. (2) *Recta vita est medium ad felicitatem, seu vitam beatam, tanquam finem. Ergo vita recta non est finis principalior hominis. Antecedens in confesso est: siquidem beatitudo est præmium vitæ rectæ, & per vitam rectam obtingit nobis beata vita. Unde pietas dicitur habere promissionem hujus & futuræ vitæ.* Consequentiæ ratio est: *quia finis non est medium.*

Resp. *Consequentia* negatur: *probatio* simpliciter non vera est: potest idem diverso respectu esse finis & medium. Sic vita recta est medium ad vitam beatam, seu beatitudinem: ad eandem quoque, tanquam finem, conditus est homo: est enim vita recta aliud nihil, nisi cultus Dei, quem in creatione intendit Deus: cui promovendo omnes inserviunt creaturæ, aliæ quidem tanquam *objecta*, aliæ vero tanquam *caussa*. Interim utraque vita finis est hominis, etsi non æque principalis: ut ante ostendimus.

III.

Ex hac finium hominis distinctione duæ constituuntur Ethicæ partes: una, de rectâ hominis vitâ: altera, de beatâ ejusdem vitâ.

Ἔκθεσις.

§. 8. Vita etsi bonum est jucundissimum: tamen à sapientibus adeo non expetitur, nisi recta & beata sit, quam optimam appellant, & de eâ unice laborandum judicant. Quam in sententiam *Seneca*: *Non est bonum vivere, sed bene vivere:* Item: *quomodo fabula, sic vita; non quam diu, sed quam benè acta sit, refert.* Et *Socrates* apud *Platonem*: οὐ τὸ ζῆν περὶ πλείστου χρόνου, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν. Et alibi *Seneca*. *Non est positum bonum vitæ in spatio ejus; sed in usu: potest fieri, imo sæpe fit, ut, qui diu vixit, parum vixerit.*

Cum definitione & partitione nostrâ convenit illa *Ciceronis*, lib. 1. &. 5. de finib. *Ars bene beateque vivendi.* Neque dissentit illa quorundam partitio in εὐδαιμονολογίαν & ἀρετολογίαν: quamvis partium ab Autore nostro invertatur ordo: de quo deinceps.

§. 9. Quæritur (2) *An prima Ethicæ pars sit ἀρετολογία?*

Resp. *Affirmativam* cum Autore amplectimur, Ratio est: Quia Ethica est doctrina de fine hominis: qui geminus est, *prin-*

cipalis & *minus principalis*: ille καθ' ἐξοχὴν appellatur *summus finis hominis*: hic in specie, *summum bonum hominis*. Cum igitur virtus virtutisque actio sit finis hominis principalior, minus principalis summa hominis felicitas, quæ ex virtute ejusque actione, tanquam ex fonte, promanat: consequens est, ἀρετολογίαν, quæ de virtute & virtutis actione præcipit, priorem esse ἡ ἐυδαιμονολογία.

§. 10. Sed Eudæmonologiam Aretologiæ præmittendam cum plerisque *Peripateticis* contendit *Sagittarius*. Exercit. Eth. lib. 1. disp. 2. q. 1. Rationes ejus sunt.

(1) *Summum bonum est finis, virtus est medium ad finem. Atqui finis prior est mediis.*

Resp. Autor noster distinguit *summum bonum* à *summo fine*: ut ante vidimus; interim & rectam & beatam vitam appellatione finis complectitur: ita tamen, ut illam pro fine hominis principali, hanc pro minus principali habeat. Hâc igitur *Sagittarii* ratione non affligitur: negat enim virtutem actuosam esse medium ad finem summum, quia ipsa est finis hominis principalis & summus, cujus consequens, non finis, est felicitas, seu beatitudo ethica: uti hoc loco à nobis accipitur. Sed & hoc observetur, ἐυδαιμονία practica *Sagittario* & plerisque aliis peripateticis est actio virtutis moralis. Si igitur ἐυδαιμονία est prima Ethicæ pars, ἀρετολογία secunda: sequetur, primam Ethicæ partem agere de actione virtutis moralis; secundam de virtute morali. Atqui plane præposterum est priori loco agere de actione, posteriori, de principio actionis: priori, de virtutis actu secundo, posteriori, de actu primo: priori, de actione facultatis, posteriori, de ipsa facultate: priori, de effectu, posteriori, de causa: priori, de posteriori: posteriori, de priori. Et quis unquam doctrinam de actionibus virtutum moralium separavit à doctrinâ de virtutibus moralibus? Et quis intelligit, quid sit actio moralis, si nesciat, quid sit virtus moralis. Ubicunque in Ethicis præcipitur de habitu fortitudinis, temperantiæ, liberalitatis, &c. ibi etiam præcipitur de actionibus fortitudinis, temperantiæ, liberalitatis, &c. Imo non definitur virtus absque mentione *objecti* & actionis propriæ: quæ est officium virtutis à virtute minime distrahendum: de quo non minus solicite & accurate præcipiendum, quam de ipsa virtute: adeo ut de virtute ex professo & plene non præcipere judicari debeat, nisi qui de virtutis præcipit officio & actionibus. Hoc à *Peripateticis* quoque observatur ipsis illis locis, quibus de singulis præpiunt actionibus. Quis non rideret philosophum, qui in partes duas Ethicam suam distribueret, & in prima de actionibus virtutum,

tum, in secunda de virtutibus præciperet? Perinde ac si physicus tractatum de sensibus aut qualitatibus in duas distingueret partes, & in prima de actionibus sensuum vel qualitatum, in secunda de sentiendi facultatibus, vel qualitatibus præciperet: nova quadam & in scholis hactenus inaudita methodo.

§. 11. (2) *Finis habet rationem principii in practicis. Atqui εὐδαιμονολογία agit de fine; ἀρετολογία* de mediis. *Ergo.*

Resp. *εὐδαιμονολογία*, uti à nobis accipitur, est de fine hominis minus principali, *ἀρετολογία* de principali, cujus consequens est minus principalis: adeoque hæc illi jure præponitur.

§. 12. Quæritur (3) *An pars Ethicæ sit summum bonum?*

Resp. Movet quæstionem hanc *Libenthal*, colleg Eth. exer. 2. q. 1. aitque, à nonnullis *negari*: quia finis alicujus rei non potest esse pars ejusdem. At summum bonum est Ethicæ finis. Ab aliis *affirmari*: quia Ethica, tanquam disciplina practica, inchoatur à fine ultimo, & omnes de summo bono agunt in ethicis. Tandem quæstionem ipse decidit, & ait, diverso respectu summum bonum esse *finem* & *partem* Ethicæ. *Finem*, respectu virtutum quarum perfectio dicitur. *Partem*, respectu sui ipsius, & quatenus in se consideratur.

Nos quæstionem simpliciter *negamus*: Ratio est: Pars Ethicæ est in Ethica. Summum bonum non est in Ethica: Ergo summum bonum non est pars Ethicæ. *Propositio* patet ex natura partis, sive integralis, sive essentialis, quæ in suo est toto. *Assumtio* prob. Quia summum hominis bonum est in homine. In Ethicâ non sunt nisi præcepta de summo bono, quæ cum summo bono minime sunt confundenda.

Aliud est *objectum* disciplinæ, aliud *pars* disciplinæ: aliud *præceptum* de re, aliud *res ipsa*. Ita corpus naturale non est physica, vel pars physicæ: etiamsi physicæ objectum sit, & de corpore naturali præcipiat physica. Non anima, sed *ψυχολογία* est pars Physicæ. Neque dici aliquid pars debet respectu sui ipsius, & quatenus in se consideratur, sed respectu totius, & quatenus ad totum refertur.

§. 13. Objicitur: *Pars Ethicæ agit de summo bono. Ergo summum bonum est pars Ethicæ.*

Resp. Negatur *consequentia*. Ex antecedente hoc tantum elici potest consequens. *Summum bonum est objectum partis Ethicæ*: quod datur.

CAPUT III.

DE

VIRTUTE.

THESIS I.

Recte vivere est secundum legem vivere: hujus constans propositum vivens appellatur.

Ἔκθεσις.

§. 1. PRIMA heîc occurrit *virtutis* mentio, cujus ingredi templum sine reverentia & veneratione nefas est. *Deus enim*, inquit Plato, *se in medio exemplar omnium bonorum cum proposuisset, humanam virtutem, qua homo similis Dei aliquo modo redditur, parandam concessit his, qui Deum sequi possunt: neq; major est alius fructus, quem ex Deo possit capere homo, quam quod imitatione pulchrorum & bonorum, quæ divinæ naturæ insunt, virtute potitur*; Quæ causa, quod eidem *Platoni* in *Protagora* virtus appellatur κάλλιϛον h. e. *bonorum omnium pulcherrimum*: & *Ciceroni* virtute nihil formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius videtur. *Alcinous* in doctrina *Platonis* ait eam esse διάθεσιν ψυχῆς τελείαν καὶ βελτίϛην, *animæ perfectam & optimam dispositionem*. *Sola virtus* inquit *Isidorus Pelusiota*, ἀοίδιμον καὶ ἀθάνατον κλέος ἔχει: hoc est, *præclaram & nunquam intermorituram gloriam obtinet*. Idem aliter eloquitur Plautus in Capt.

Qui per virtutem peritat, non interit:

Idem in Amphitr.

Virtus præmium est optimum:
Virtus omnibus rebus anteit profecto!
Libertas, salus, vita, res, parentes,
Patria & prognati tutantur, servantur.
Virtus omnia in se habet:
Omnia assunt bona, quem penes est virtus.

Nihil igitur ardentioribus expeti votis debet, quam virtus: cui omnes Mundi hujus postponendi thesauri, & quicquid humano ingenio & industria inventum est artium, scientiarum & disciplinarum.

§. 2. No-

§. 2. Nomen quod attinet, Latinis bonum hoc eximium *virtus* appellatur à viro, ut placet *Ciceroni*, lib. 2. Tuscul. quæst. & *Varroni*, lib. 4. de ling. Lat. *vir*, inquit *Lactantius* de opif. Dei cap. 12. *nominatus est, quod major in eo vis sit, quam in fœmina, & hinc virtus nomen accepit.*

Græcis Ἀρετὴ dicitur, vel ab αἱρέομαι, eligo, quasi αἱρετὴ: vel ab ἀρέσκω, placeo, quasi ἀρεστὴ: vel ab ἐράω amo, quasi ἐρατὴ, per μετάθεσιν: vel ab Ἄρης, *Mars*, quando in specie fortitudinem significat: quæ frequentissima est acceptio.

Hebræis מדה dicitur, à radice מדד, mensurare: vel quod affectuum animi sit mensura, ad quam redigendi & conformandi sunt: vel quod ipsa ad rectæ rationis & legis regulam, tanquam mensuram, sit exigenda. Jam bonô cum Deô virtutis templum ingrediamur.

I I.

Virtus est constans animi propositum vivendi secundum legem.

Ἔκθεσις.

§. 1. ANima & forma virtutis est *conformitas cum lege Dei*, quæ hominum cordibus, *Paulo* teste, est inscripta, pars imaginis divinæ post lapsum in nobis reliqua. Est enim lex veluti idea justissimæ & sanctissimæ Dei naturæ & voluntatis, cum qua omnes nostræ morales actiones & inclinationes sunt conferendæ, tanquam cum exactissimâ regulâ, cui quicquid congruit, rectum, justum, sanctum & virtuosum est: quicquid discrepat curvum, injustum, prophanum & vitiosum est. Unde rectè dicitur forma & essentia virtutis consistere in *conformitate cum lege.*

Pertinet huc descriptio legis à *Cicerone* tradita: *Recta & à Numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.* Consistit enim vitæ rectitudo in prosecutione honestorum & fuga contrariorum. Patet hinc quoque *obedientiam* non esse virtutem specialem, de qua *Piccolomineus* & alii, sed virtutem in genere. Quia prorsus idem sunt obedientia habitualis & constans animi propositum vivendi secundum legem, seu obediendi legi.

§. 2. Virtutem autem cum *animi propositum* appellamus, subjectum virtutis principale indigitamus: de quo deinceps. Quod si vero virtus est *animi propositum* (1) virtuosi ii non erunt dicendi, qui citra deliberationem, nec duce ratione, magni quidpiam patrant: quales ii, qui vel casu, vel favore aliquid assequuntur

(2) Nec soli virtuosi ii erunt dicendi, qui ipso opere & actu exercent virtutem: sed & ii, quibus exercere eam propositum, si detur occasio. Ita non tantum fortis est, qui pro patria fortissime dimicat & occumbit: sed & is, cui dimicare & occumbere decretum, si res ita ferat. Idem judicium de reliquis esto virtutibus.

Porro, si virtus est *constans animi propositum*: non igitur fortes sunt ii, qui ante conflictum fortitudinem suam decantant, & hoste conspecto, cum animis arma abjiciunt: qualem fecisse constat *Xerxen*, Persarum regem, & hac nostra ætate multos, qui non in hoste fortiter profligando, sed in provinciis vastandis & expilandis, apicem fortitudinis ponunt: Qui leones sunt in hospitiis civium & rusticorum, in præliis cornuti cervi & galeati lepores. Non temperantes ii, qui *Curios* hodie simulant, & crastino die *Bacchanalia* vivunt: quales plerique *Monachi*, & ii potissimum, qui in lautissimis epulis, quibus, præter carnes volantium & gressilium, deliciarum nihil deest, jejunia sua prædicant & tanquam singularia merita jactant. Nec justi ii, qui injustitiæ per omnem vitam operati justitiæ unicum aliquando specimen dedere: qualis *Cambyses* fuit.

§. 3. *Hactenus explicata virtutis definitio. Aristoteli* virtus definitur lib. 2. Moral. cap. 6. *habitus electivus in mediocritate ad nos relata & recta prudentiæ ratione definita positus.* Quæ etsi obscurior est definitio, ut pleraque hujus Philosophi, tamen, quo ad rem, à nostra non discrepat. Quod enim nos appellamus *constans animi propositum*, id *Aristoteles* nominat *habitum electivum* seu ἕξιν προαιρετικὴν: siquidem προαίρεσις, seu electio, ad animum & voluntatem nostram pertinet: habitus vero προαιρετικὸς aliud nihil est, nisi constans, longoque usu paratum & roboratum animi propositum aliquid eligendi vel repudiandi.

§. 4. *Mediocritas secundum rectam prudentiæ rationem definita*, in quâ virtus, secundum *Aristotelem*, consistit, aliud nihil est nisi *conformitas cum lege.* Nam lex cordibus nostris inscripta est illa prudentiæ ratio, quæ mediocritatem definit, hoc est, eos actionibus nostris moralibus terminos & fines præscribit, citra vel ultra quos rectæ & laudabiles non sunt, seu ut versiculus habet.

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

§. 5. Ita quidem interpretari possumus *rectam prudentiæ rationem* ut idem sit, quod *conformitas cum lege.* Interim *prudentiæ ratio* ab Ethnicis adhibita infra conformitatem cum lege divina est. Unde tutior actionum humanarum norma est *lex divina*, quam

ratio

ratio prudentiæ humanæ. Hinc monet *Piccolomineus*, medium à virtute servandum dupliciter posse statui & definiri: *exquisitissime* per decem præcepta & leges Domini: vel *minus exquisite*, per hominis prudentiam & rectam ejus rationem naturæ & conditioni rerum consentaneam, Grad. 9. cap. 5. Quamvis vera & recta ratio absolute dicta non videatur distincta in practicis à lege cordi inscripta, & à lumine naturali in nobis reliquo. Hinc *Augustinus* lib. 3. de lib. arb. cap. 5. *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem*: Item: *Potest aliquid esse in rerum natura, quod tua ratione non cogitas, non esse autem, quod vera ratione cogitas, non potest.* Item: *credat ergo Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiamsi hoc in rebus factis non videt.* De hac ratione differentem vide Cl. *Horneium*, Eth. lib. 1. cap. 2. Unde erroris convincuntur, qui verum in philosophia esse credunt & contendunt, quod falsum in Theologia. Quod tamen de Philosophia absolute dicta, non hujus vel illius sectæ accipiendum. Recte *Augustinus*: *A quocunque verum dicitur, illo dante dicitur, qui est ipsa veritas*, epist. 28. & Ambros. in 1. Corinth. cap. 12. *Quicquid verum à quocunque dicitur, à sancto dicitur Spiritu.* Laudamus illud *Hornei*, loco alleg. §. 18. *Philosophia omnis, & quicquid ex principiis natura notis recte & legitime deduci potest, certum & per se bonum est, etiam post lapsum.*

Quod observari ab iis velim, qui lumini naturæ adversari lumen gratiæ clamitant, omnemque sanam rationem in Theologia suspectam habent, & absurda cum gratiæ, tum naturæ adversa per rectam rationem impugnari ægre ferunt, ut sub prætextu revelationis gratiosæ per violentas consequentias confictæ Deo in natura & per naturam loquenti silentium indicant, & monstrosa dogmata Ecclesiæ Christi obtrudant. Nos ultro fatemur, quod exaudiri ab omnibus exoptamus: *Rectam rationem non esse, quicquid divinæ & gratiosæ revelationi repugnat: & rationem contra scripturam non esse audiendam.* Anathema sit, qui contradicit.

§. 6. Sed ad definitionem nostram revertimur. Proposito vivendi secundum legem interna & essentialis est *Recta intentio*; quæ actionum moraliter bonarum includit conditiones ab *Aristotele* requisitas & cum proposito vivendi secundum legem conjunctas: de quibus deinceps. Est autem *Recta intentio*, quæ omnia ad Dei gloriam refert, omnesque actus morales ad eum principaliter dirigit: quo referendæ quoque sunt omnes aliæ actiones liberæ, quoad speciem indifferentes ut edere, bibere, &c. 1. Cor. 10, v. 31. Ideo exercendus est actus moralis; quia ad hunc te lex obligat

obligat, hunc legiſlatori debes, tanquam cultum: aliud qui intendit, de hoc nihil ſolicitus virtutis larvam tantum oſtentat, Deoque & hominibus illudit. Unde egregie *Publius Mimus, Malus eſt vocandus, qui ſua cauſa eſt bonus.* Et Seneca. *Ad finem ſummi boni omne dictum factumque noſtrum reſpiciat.* Pulcherrime idem de Benef. lib. 4. cap. 1. *Inveniuntur*, inquit, *qui honeſta in mercedem colant, quibuſque non placeat virtus gratuita: quæ nihil habet magnificum, ſi quicquam habet venale, cum virtus nec lucro invitetur, nec abſterreatur damno, adeoque neminem ſpe & pollicitatione corrumpat. Calcatis utilitatibus ad illam eundum eſt quocunque vocavit, quocunque miſit, ſine reſpectu rei familiaris: interdum etiam ſine ulla ſanguinis ſui parſimonia. Quid conſequar*, inquis, *ſi hoc fortiter, ſi hoc grate fecero? quod feceris. Nihil tibi extra promittitur. Si quid forte obvenerit commodi inter acceſſiones numerabis. Rerum honeſtarum pretium in ipſis eſt.* Rectiſſima igitur fuerit intentio, non ſui, ſed Dei, non utilis, ſed honeſti adſpectu facere omnia. Egregie *intentionem* hanc deſcribit idem *Seneca*, epiſtol. 96. *Non in facto laus eſt, ſed in eo, quemadmodum fiat. Eadem res ſi gulæ datur, turpis eſt: ſi honori, reprehenſionem effugit. Amico ægro aliquis aſſidet? Probamus. At hoc ſi hæreditatis cauſa facit, vultur eſt, cadaver exſpectat. Eadem & turpia ſunt & honeſta: refert, quare aut quemadmodum fiant. Ergo infigi debet perſuaſio ad totam pertinens vitam: qualis hæc perſuaſio* (alias intentio) *fuerit talia erunt, quæ agentur, quæ cogitabuntur: qualia autem hæc fuerint, talis vita erit, &c. Proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum dictumque reſpiciat, veluti navigantibus ad aliquod ſidus dirigendus eſt curſus, vita ſine propoſito vaga eſt.* Igitur ſine recta intentione virtutis actus eſt nullus. *Quantum intendis*, inquit Ambroſius, tantum facis. Et *Gregorius*, in cap. 38. Job. *Baſes unius cujuſque animæ ſunt intentiones ſuæ.* Et pulchre *Richard. Victorinus: Qualibet actio, quamvis bona videatur, tamen quaſi mortua judicatur, ſi non per intentionem bonam animatur.* Igitur duo cum faciunt idem, non eſt idem, niſi intentio ſit eadem. Exempli gratia. Curiæ *Hieroſolymitanæ* decretum fuit: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Idem quoque fuit decretum cœleſtis curiæ. Sed propter diverſiſſimas intentiones, in *Hieroſolymitano* concilio decretum hoc ſtultum, & injuſtum fuit, in cœleſti ſumme ſapiens & juſtum. Sic, exempli gratia, Chirurgus hominem ægrum arcte alligat brachium ei vulnerat, manum amputat, pedem ſecat; Idem & prædo facit: Interim illi aguntur gratiæ,
repen-

rependuntur aurei: huic in præmium debetur rota. Quare? quia intentio utriusque non est eadem: Illius intentio est, læsum sanare: hujus sanum lædere: ille vitam, hic mortem suis intendit vulneribus.

§. 7. Breviter hîc observentur XII. signa *Rectæ intentionis.*

(1) *Nihil turbulenter aggredi:* Qui enim cum impetu agunt omnia & in res non veniunt, sed rapide feruntur & æstuant, anxiique trepidant, plerunque inconsulta levitate ad labores ruunt, & quid agant vel acturi sint, non satis attendunt, adeoque circa intentionem sæpe peccant. Lente igitur festinandum: quia consilio, non impetu est opus.

(2) *Continuo affectu ad bonam intentionem duci.* Est enim continuus hic affectus quasi habitus quidam bonæ rectæque intentionis, è quo actus intentionis rectus perfluit, ut igitur causa effectum arguit: sic & affectus hic rectam intentionem. Fertur autem affectus hic continuus in Deum & in honestatem propter Deum: quo omnes ejus actiones quoque tendunt.

(3) *Ob agenda non nimis esse anxium:* Nimia enim anxietas distrahit animum in varias curas & à cogitatione Dei avocat, rectamque intentionem impedit. Unde *Thomas de Kemp. si Deus semper esset pura intentio nostri desiderii, non tam facile turbaremur pro resistentia sensus nostri.*

(4) *Peractis rebus non solicitè indagare, quid alii sentiant.* Est enim corruptæ intentionis signum, de aliorum judiciis explorandis anxiè laborare, & arguit animum, vel malè sibi conscium, vel certè dubitantem, quem erigit rectæ intentionis conscientia.

(5) *Eventu laboris adverso & infelici non turbari.* Eventus enim culpam præstare nemo potest vel debet, qui ad opus rectâ animi intentione accessit. Feci, inquit animus sibi bene conscius, quod licuit, quod debui, quod potui. Res aliter cessit? Humanarum hæc natura rerum est. Hominis est laborare, Dei labori adspirare.

(6) *Inanem gloriam omni modo fugere.* Recta enim intentio è diametro pugnat cum inanis gloriæ siti. *Qui virtutem suam publicari vult, inquit Seneca, non virtuti laborat, sed gloriæ.*

(7) *Nulli invidere:* Recta enim intentio ægre fert, si pares vel superiores habeat alios: imo habere optat. Quia non sibi sed Deo, & virtuti laborat, & ad laboris societatem omnes invitat. *Utinam omnes prophetent*, inquit *Moses*, Num. 11. v. 29.

(8) *Judicia humana posse contemnere.* Ridet enim vulgi mendacia animus sibi bene conscius. Nulla est tam modesta felicitas, quæ

quæ malignas vitare censuras possit. Unde monitum priscorum: *Si vis beatus esse, cogita hæc primum, contemnere & contemni.*

Facile autem aliena contemnuntur judicia, si cogites 1. Sæpe graviter falli & fallere judicium vulgi 2. Ab hisce judiciis nihil tibi accedere vel demi. Talis enim quisque est, qualis in oculis Dei est. 3. Te conscientiam habere testem rectæ intentionis. 4. Neminem placere omnibus posse. 5. Eximiæ nobilitatis esse indicium iniqua posse concoquere judicia. 6. Deum aliquando judicia ista ad certissimam amussim exacturum.

(9) *In omnibus, quæ carni sunt grata, esse temperantem*: Si quis enim ad mollia & carni blandientia inclinet, omnibus impuræ de se signum intentionis præbet: quia non Dei virtutisque, sed sui duntaxat rationem habet.

(10) *Non ambire publicum, non spectatores vel auditores.* Qui enim publicum ambit & spectatores, atque auditores, quærit animi morbum, hoc est, vanæ gloriæ sitim prodit, quæ cum rectâ intentione non consistit: vide hac de re egregie disserentem *Senecam*, epist. 7. ad finem. Ubi *Democriti* laudat sententiam. *Unus mihi pro populo est, & populus pro uno.* Et alterius cujusdam, qui interrogatus, quo tanta diligentia artis spectaret ad paucissimos perventuræ? *satis sunt*, inquit, *mihi pauci, satis est unus, satis est nullus* Nec non illud *Epicuri* ad amicum scribentis. *Hæc ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.*

(11) *Opinionibus non seduci, vituperiis non deiici.* Facile enim omnia contemnit mens rectæ intentionis conscia; vanissima spes est, omnibus se placiturum sperare. *Non est vitii vituperari, sed vituperanda facere.*

(12) *Ad utrumque promtum & paratum esse*: hoc est, magno animo ferre adversa & prospera, opes & inopiam, honorem & contemtum, favorem & neglectum, &c. Hoc qui facit Deum quærit, ad quem hac an illa via perveniat, nihil interest, modo perveniat: quæ rectissima est intentio.

§. 8. Quæris, *quid intentioni rectæ maximè sit inimicum?*

Resp. Amor sui. Hic omnem vel evertit, vel vitiat rectam intentionem, comparaturque sylvestri tauro quatuor cornibus intentionem rectam arietanti: quorum *primum* est Aviditas honoris, titulorum & laudis, seu perpetuum eminendi votum: *Secundum* Aviditas delectationis, quod ex cibo potuque percipitur: *Tertium* Aviditas opum: *Quartum* Aviditas damni alieni.

Emolumenta rectæ intentionis sunt maxima: 1 Magna per eam virtuti fit accessio: quia roborat & perficit virtutis habitum, si continuetur. 2, Morabili nexu hominem cum Deo unit. 3.

Magnam precibus vim conciliat. 4. Perpetuum divinæ gratiæ canalem derivat ad hominem. 5. In hostes pugnat nunquam fallaci stratagemate & semper victoriam reportat: quamvis secus cadere res videatur. 6. Ingens in omnibus rebus solatium est, & illâ potissimum horâ, quæ de omnibus annis fert sententiam.

§. 9. *Rectæ intentioni* affinis est *conformatio voluntatis humanæ cum divinâ.*

Sunt enim tria hæc, *Propositum vivendi secundum legem : Recta intentio : & conformatio voluntatis humanæ cum divinâ :* vel formaliter unum & idem, vel essentialiter inter se conjunctissima & planè inseparabilia. Nemo enim vivit secundum Dei legem sine rectâ intentione & conformatione voluntatis suę cum divinâ: uti nemo suam divinæ voluntatem, sine rectâ intentione conformat, & secundum legem vivit. Nihil aliud est voluntas Dei, nisi lex *Dei*, ad quam nostra voluntas conformanda per rectam intentionem. Hinc & XII. Rectæ intentionis signa, totidem sunt conformationis cum divina voluntate signa, nec non vitæ secundum legem actæ.

De hac conformatione voluntatis humanæ cum divina diviné disserit *Epictetus*, & quod edisserit exemplo suo docet apud *Arrianum*, lib. 3. cap. 26.

Ego, inquit, *prohibitus aut impeditus re fui nulla, cum vellem aliquid: nec vi coactus, cum recusarem. Sed fieri illud qui potuit: Quia subjeci voluntatem meam Deo: si volet me febricitare, & ego volo: si aggredi quidpiam non defugiam: si appetere quid percipiat, non respuam: si adipisci, non ego recusabo: sin vero nolit, detrectabo ego quoque, &c.* Et paulo post: *Quid est quod appellas se Deo adjungere? Ut quod ille volet, ipse quoque velit: & quod nolit, ab eodem ipse etiam abhorreat. Istud qui poterit fieri? Num secus, quam si consideret quispiam voluntatem Dei & gubernationem?* Item: *Quam ob causam ego pugnarem cum Deo? Quare expeterem non expetenda, &c.* Item: *Cum omnia à Deo acceperis & temetipsum quoque, indigne fers atque irascereris danti, si quid tibi ademerit? Quis vero es tu, aut unde venis, aut quare? Nonne is te introduxit in mundum? Nonne is ut lumen inspiceres istud concessit? Nonne dedit adminicula & adjutores? Nonne sensus, nonne rationem largitus est? Atqui nam ut esses te introduxit? Nonne ut mortalem, nonne ut pauxilla cum carne victurum in terra? Obsecuturum vero sua gubernationi, &c.* Quotusquisque Christianorum ita suam divinæ voluntati conformat! Ita secundum Dei legem vivit! Ita obsequi Deo in omnibus intendit! Interim hoc illud est, quod precamur, *Fiat voluntas*

luntas tua? quam fieri à nobis par est, intentione pura, amanter, promte, hilariter, integrè, perseveranter. Signa voluntatis nostræ cum divina conformatæ in specie hæc traduntur.

§. 10. (1) *Opem divinam in omnibus implorare, & ad divinæ voluntatis nutum omnia facere.* Unde etiam Ethnicis usurpatum illud: si DEUS voluerit.

(2) *Præsentes & imminentes ærumnas non expavescere, idque ex hac cogitatione, quod à Deo sint nos amante & virtutem nostram exercente.* Ita philosophatur quoque *Seneca: Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quæ Deus immortalis veluti stimulos admovet animis! Calamitas virtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimiâ felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas detinet. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet: eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis enim si quem judicatis exceptum. Veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur demissus esse, dilatus est. Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut luctu, aut incommodis afficit? Quia in castris quoque periculosa fortissimis imperat dux. Lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorentur, aut præsidium loco dejiciant: Nemo eorum, qui exeunt, dicit: male de me Imperator meruit, sed benè judicavit. Idem dicant, quicunque jubentur pati timidis ignavisque flebilia: digni visi sumus* Deo, *in quibus experiretur, quantum humana natura posset.* De provident. cap. 4.

Vide quæso, quam hoc sit sincerum & divinum de ærumnis à Deo immissis judicium ethnici hominis! Quam sacris literis consentaneum! Idem cap. 2. *Paternum Deus habet adversus bonos viros animum, & illos fortius amat & operibus, doloribus ac damnis exagitat, ut verum colligant robur. Languent per inertiam saginata, nec labore tantum, sed mole & ipso sui onere deficiunt. Non fert ullum ictum illæsa felicitas. At ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per injurias duxit, nec ulli malo cedit, sed etiam si succiderit, de genu pugnat. Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, &c. Non video quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem jam partibus non semel fractis stantem, nihilominus inter ruinas publicas erectum, &c.* Similia in eodem libro occurrunt plura, certe admiranda, & non aliunde profecta, quam à conformatione voluntatis humanæ cum divina.

(3) *Sibi*

(3) *Sibi ipsi maxime diffidere & omnes successus ex toto divinæ potentiæ atque bonitati adscribere.*

Hinc Augustinus: *Tota præsumptio tua Deus sit, ita ut agnoscas te absque Deo nihil penitus posse, & in Deo omnia. Cum Deo fortia faciemus!* inquit ille.

(4) *Fidere Deo bonorum omnium remuneratori & malorum vindici.*

Insigne exemplum fiduciæ hujus in *Agesilao* habemus, quo cum *Tissaphernes* dux *Persa* fœdus inierat, non animo, sed lingua tantum: siquidem mox cum ingentibus copiis adfuit & cedere *Græcos Asia* jussit. Ad hanc legatorum denunciationem intrepide *Agesilaus: Duci vestro*, inquit, *referte, me ipsi amplius agere gratias, quod fœdus ruperit, eaque re Divos hominesque in se concitarit: ita copia meæ plurimum augescent ab hostis perfidia.*

(5) *Omnia generoso silentio posse concoquere.*

Qui enim se totum divinæ voluntati mancipat, non suæ opinioni, sed rerum ordini credit, quem omnem tanquam optimum probat silendo. Ita David: *obmutui & non aperui os meum; quoniam tu fecisti.*

(6) *Etiam quæ supra vires videntur ardua pro Dei honore & gloria aggredi.* In Deo meo, inquit *David*, transiliam murum.

§. II. Quæritur (1) *utrum anima rationalis, an appetitus sensitivus, virtutis moralis subjectum sit?*

Resp. Eligimus animam rationalem. Sententiæ hujus propugnatores præcipue sunt inter Scholasticos, *Scotus*, *Bonaventura*, *Pnel*, *Ocham*, *Buridanus* & alii, nec non inter recentiores multi: quorum rationes hæ sunt.

(1) Quia objectum virtutis est honestum. Id vero non ad sensum, sed ad mentem & voluntatem hominis pertinet. Igitur ad eandem virtus quoque pertinet.

(2) Quia virtus ad eam animæ facultatem pertinet, ad quam pertinent libertas & summum bonum. Atqui libertas & summum bonum non ad sensus, sed ad mentem & voluntatem hominis pertinent. Urget rationem hanc *Bonaventura*.

(3) Virtus, secundum *Aristotelem*, est ἕξις προαιρετική, hoc est, habitus, cujus beneficio eligimus, quod legi est conforme. Atqui ut electio pertinet ad voluntatem & rationem hominis, sic & habitus προαιρετικός.

(4) Hominis voluntas est facultas per se indifferens ad objectum suum: Eget igitur aliquo habitu, quo in actionibus moralibus contrahatur ad honestum, seu id, quod est legi conforme. Hic vero habitus est virtus. Igitur in voluntate principaliter est virtus.

 (5) Ra-

(5) Ratio cum voluntate subjectum est Theologiæ totius: quæ ambitu suo complectitur quoque doctrinam moralem. Atqui totius subjectum est quoque partis subjectum, adeoque virtutes morales non minus erunt in anima rationali, quam aliæ habitus Theologiæ partes.

(6) Virtutis proprium est, ut sit laudabilis, teste *Philosopho* & *Apostolo*, Philipp. 2. v. 8. Eam igitur facultatem animæ pro subjecto habet, cujus actionibus maxime proprie debetur laus. Illa autem facultas est voluntas rationi conjuncta.

(7) Aliæ facultates, præter rationem & voluntatem, possunt cogi: unde pro subjecto virtutis haberi non possunt. Alias nolens volens aliquis virtutem posset amittere.

Eandem sententiam adferunt quoque *Fonseca*, lib. 9. metaphys. cap. 5. q. 3. sect. 3. & *Gregor. de Valent.* tom. 2. disput. 5. q. 2.

§. 12. Interim non diffitemur, ad sensuum quoque appetitum aliquo modo pertinere virtutes morales: quia in ejus ἀταξίᾳ emendanda occupantur, ipsoque usu paulatim sensuum appetitum rationi & voluntati rectæ subjugant & legi se conformare adsuefaciunt. Unde dispositiones nonnullæ in eo existunt virtutis præ se speciem ferentes.

§. 13. Virtutum vero moralium proprie dictarum subjectum proprie dictum esse non voluntatem, animæ rationalis facultatem, sed *appetitum sensuum per se irrationalem*, contendit *Piccolom.* Grad. 4. cap. 10. 11. ubi tamen affirmat, virtutes omnes morales ex recta ratione, tanquam ex fonte, manare & duobus modis facultati uni & alteri competere, vel tanquam ducenti & dirigenti, vel tanquam fundamento moderationis & subjecto habitus in medio collocati & more acquisiti: Priori modo virtutes ad mentem & ejus facultates pertinere: posteriori ad appetitum sensuum: quod probat sequentibus argumentis.

(1) *Quod est subjectum materiæ virtutum, id etiam est subjectum formæ. Atqui appetitus sensuum est subjectum materiæ virtutum: hoc est, perturbationum, seu affectuum. Ergo idem quoque est subjectum formæ virtutis.*

Resp. Concessa hypothesi, quod affectus sit materia, hoc est, objectum virtutis moralis, circa cujus moderationem occupatur: quod de objecto partiali, post lapsum, negari facile non potest: *Propositio* negatur. *Materia*, hoc est, *objectum* & *forma virtutis* ad eandem facultatem, tanquam subjectum, necessario non pertinet. Potest habitus subjectivè esse in mente, & objectum ejus reale extra mentem: ut de plerisque constat habitibus circa objecta sua

cta sua occupatis. *Fortitudinis* objectum sunt pericula, quæ nec in voluntate, nec in appetitu sensitivo sunt, sed extra utrumque. *Liberalitatis* objectum sunt opes extra hominem constitutæ, &c. Quidni igitur virtus directrix perturbationum extra perturbationum officinam, in mente & voluntate, tanquam regia sua residere & servis extra regiam excubantibus & rebellantibus aut tumultuantibus imperare possit?

§. 14. (2) *Ad quam partem, tanquam subjectum, pertinent supplicia, & pœnæ, vel dolores, ad eandem quoque pertinent virtutes morales. Atqui ad appetitum sensitivum pertinent supplicia & pœnæ. Ergo ad eundem, tanquam subjectum, pertinent quoque virtutes morales.* Propositio prob. *Quia virtutes sunt quasi curationes dolorum ex pœnis ortorum. Atqui curatio & dolor ad idem pertinent subjectum.* Assumtio prob. *Quia pœnæ sentiuntur.*

Resp. Nec *propositio*, nec *assumtio* simpliciter & exclusivè vera est: possunt supplicia & pœnæ, pœnarumque consequens, dolores esse in subjecto, in quo non sunt ipsæ virtutes morales: veluti & regere partem animæ possunt etiam in quâ subjective non insunt: sic ratio appetitum sensitivum regit, etiamsi in appetitu sensitivo non est. Neque curationes sunt ipsæ virtutes, sed effecta virtutum in subjecto, quod diversum esse à subjecto virtutum potest: veluti artium subjectum est mens, quarum effecta sunt extra mentem in objecto materiali. Ita quoque agere in sensuum appetitum virtus potest, etiamsi in eo subjectivè non est. Deinde supplicia pœnæ & dolores non ad solum pertinent appetitum sensitivum, sed ad ipsam quoque rationem, & voluntatem: quæ propter peccata tormentis obnoxia est gravissimis: ut constat exemplo diabolorum & hominum facinorosorum, qui malæ conscientiæ morsus acutissimos sentiunt.

§. 15. (3) *Igniculi & semina futurarum virtutum non sunt in mente & voluntate, sed in facultate sentiendi. Ergo virtutes quoque sunt in sentiente facultate.* Antecedens prob. *Quia igniculi isti & semina etiam in infantibus deprehenduntur, in quibus rationis usus est nullus.*

Resp. Igniculi virtutum sunt vel dispositiones ad virtutum actionem facilius admittendam, vel inclinationes ad habitum virtutis recipiendum. Priori sensu negatur *consequentia*, posteriori *antecedens*: cujus probatio est inconsequens: quia inclinationes illæ necessario non requirunt usum rationis: quamvis deprehendi vix possint, absque omni rationis usu.

Alias igniculi & semina virtutum dicuntur principia practica,

seu κοιναῖ ἔννοιαι practicæ, nobiscum; ut vulgò ajunt, natę: quæ non sunt appetitus sensitivi, sed animæ rationalis.

§. 16. (4) *Habitus virtutum acquiruntur more & assuetudine: Ergo sunt in appetitu sensuum, tanquam in subjecto.* Ratio consequentiæ: *Quia mos versatur in compositione perturbationum ad appetitum sensuum pertinentium. Evadit enim homo temperans, dum ad medium congruens redigit commotiones cupiditatis.*

Resp. Negatur *consequentia. Probatio* est inconsequens. Acquirit voluntas habitum temperantiæ crebrâ cupiditatum inferiorum moderatione, veluti crebrâ equorum agitatione eques habitum peritè equitandi comparat: qui tamen habitus propterea in equis non est, etsi ad obsequium disponuntur equi, ut & appetitus sensuum.

§. 17. (5) *Si homo esset solus, seu mentem haberet à sensibus sejunctam, non egeret virtute morali: ut constat exemplo intelligentiarum, seu Angelorum. Ergo virtus moralis non est in parte rationali, seu mente aut voluntate, sed in irrationali, hoc est, sensuum appetitu, per quem ad illecebras proni reddimur; qui recto habitu frænandus est.*

Resp. 1. Negatur *consequentia*, Frænatur appetitus per rectam rationem, recto instructam habitu, veluti equus refractarius per equitis periti habitum.

2. *Antecedens* simpliciter verum non est. Et corrupta & integra ratio (quæ intellectum & voluntatem complectitur) habitu recto opus habet: per cujus defectum diaboli semper male agunt.

§. 18. (6) *Facultas qua subjectum est virtutum moralium, capax est alterationis. Atqui mens hominis non est capax alterationis. Ego mens hominis non est subjectum virtutum moralium.* Propositio prob. *Quia virtutes morales non acquiruntur sine alteratione.* Assumtio prob. *Quia planè immaterialis est.*

Resp. *Assumtio* negatur: *Probatio* inconsequens est. Hominis regeneratio citra controversiam est alteratio: quæ tamen primario est facultatum superiorum, seu mentis & voluntatis: quæ vitiis quoque suis infestantur; eaque excutere absque alteratione non possunt. Unde creatio; regeneratio nova generatio hæc mutatio appellatur.

§. 19. *Casus* in Ethicis, lib. 1. cap. 13. inter extremas hasce sententias mediam eligit & virtutem docet recipi *inchoatè* in appetitu, *consummatè* & *absolutè* in voluntate. Quod non adeo probamus. Quidni enim subjectum idem sit habitus inchoati & consummati, uti subjectum idem est dispositionis & habitus? Inte-

rim

rim appetitus sensitivus paulatim quoque formatur ad obsequium rationis, & sic quandam in se habet virtutis imaginem: veluti in equo domito per assuetudinem est quidam quasi habitus obtemperandi nutibus, hortatibus & regimini equitis. Vide *Thomam*, 1. c. q. 56. art. 4. videatur & Plutarch. περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς, non procul ab initio: ubi ostendit qua ratione appetitus ἄλογος regatur à ratione. Ibidem disputantem quoque vide contra eos, qui rationem & appetitum eandem esse facultatem opinantur.

§. 20. Quæritur (2) *An virtutis moralis genus sit habitus?*

Resp. Occasionem huic quæstioni præbet recepta in scholis sententia: Quod virtus sit *principium agendi in animo:* cum autem principia in animo agendi sint tria, *potentia*, *affectus & habitus:* non immerito quæritur: *Quodnam principiorum horum virtutis sit genus?* vel specialius.

An habitus sit virtutis genus? vel *An virtus sit habitus potius*, quàm *potentia*, *aut affectus?*

Nos quæstionis *affirmativam* cum ethicis scholis amplectimur & defendimus. Ratio est: virtus nec potentia, nec affectus est. Ergo habitus est.

Antecedens prob.

(1) Virtus industriâ & crebris actionibus comparatur: potentia & affectus natura nobis insunt.

(2) A virtute boni nominamur & honesti: non item à potentia & affectu.

(3) In virtute est quies & perfectio: quæ nec in potentia, nec in affectu est: in potentia est sola naturæ aptitudo, in passione dispositio.

(4) Ex virtute laudem consequimur, quam nec ex potentia, nec ex affectu per se consequimur.

(5) A consilio & electione virtus oritur: affectus & potentia inde non oriuntur.

(6) Affectus animum perturbant: virtus non perturbat, sed tranquillat.

§. 21. Pro contraria sententia, quæ & *Bernardino Telesio* arridet, de rerum nat. lib. 9. cap. 34. objicitur.

(1) *Passiones quædam sunt vitia, ut odium & invidia, &c. Ergo aliquæ etiam sunt virtutes.* Ratio consequentiæ: *Quia virtus & vitium cum sint contraria, sunt quoque in eodem genere.*

Resp. *Antecedens*, de vitio proprie, & in specie sic dicto, quod est habitus, per quem quis male operatur, negatur: de vitio vero latius accepto, pro quovis peccato, conceditur. Ita in latiore quoque significatu passiones nonnullæ appellantur virtutes, qua-

tenus sequuntur ductum rationis. Odium per se non est vitium: est enim & justum quoddam odium à ratione recta profectum. Invidia non tam per se est passio, quam passionis defectus & labes.

§. 22. (2) *Misericordia est passio. Misericordia est virtus: Ergo quædam virtus est passio.* Propositio prob. *Quia est tristitia de malis alienis: Atqui tristitia est passio.* Assumtio prob. *autoritate Ciceronis, qui misericordiam appellat virtutem,* teste *Augustino*, lib. 9. de C. D. cap. 5.

Resp. *Assumtio* de virtute proprie, & in specie sic dicta negatur. *Cicero* quando misericordiam appellat virtutem, vocabulum accipit in latiore significatu, & misericordiam intelligit non natura nobis competentem, & ex ratione atque assuetudine non pendentem, sed eam, quæ virtutis habitum, rectamque rationem sequitur, adeoque fructus est virtutis: unde quia virtuti est simillima, virtus appellatur.

§. 23. (3) *Virtus moralis est medium inter passiones: Ergo est passio:* Ratio conseq. *quia medium est ejusdem generis cum extremis.*

Resp. *Antecedens* non est simpliciter verum. Virtus secundum essentiam suam, non est medium inter passiones: sed secundum, effectum: quia passiones ad mediocritatem revocat. Cum igitur vulgo dicitur fortitudo medium inter timorem & audaciam, liberalitas medium inter avaritiam & prodigalitatem, non formaliter, sed effective id dicitur & intelligi debet.

§. 24. (4) *Virtus aliqua acquiritur una actione. Ergo non est habitus.*

Antecedens prob. *Quia alicujus rei scientia, quæ virtus est, una demonstratione acquiritur.* Ratio conseq. *Quia habitus non acquiritur una actione, juxta tritum illud: una actio non facit habitum.*

Resp. *Antecedens* negatur: ad probat. resp. scientia unius alicujus conclusionis unica demonstratione acquisita non est virtus, sed pars virtutis, vel initium ejus. Scientia, quæ virtus appellatur intellectualis, est plurium conclusionum per plures demonstrationes acquisita.

§. 25. (5) *Virtutum hoc est munus, ut per eas anima operationes suas proprias recte edat, iisque servetur & perficiatur: Ergo non sunt habitus firmi secus accedentes, sed facultates natura insitæ.* Ratio conseq. *Quia virtutes illas oportet animæ penitissime infixas esse & unitas atque immutabiles: Atqui habitus acquisiti nunquam adeo infigi possunt, quin nullo negotio avellantur.*

Resp.

Resp. Si *antecedens* loquatur de operationibus moralibus & principio earum proximo atque immediato, *consequentiam* negamus. *Probatio* simpliciter vera non est, virtutes morales, ut simpliciter immutabiles non sunt, ita nec nullo negotio avelluntur. Habitus morales semel acquisiti & radicati firmiter hærent: etsi simpliciter immobiles non sunt. Neque alia esse virtutum moralium natura debet; quas continuatis actionibus conservari par est, uti crebris acquiruntur. Plura argumenta vide apud *Heidcrum*, Eth. parr. 2. p. 228.

§. 26. Quæritur (3) *An virtus moralis sit scientia?*

Resp. *Negativam* cum *Peripateticis* amplectimur contra *Socraticos*. Unde virtutem definimus, *constans animi propositum vivendi secundum legem*: neque aliud sibi vult *Aristoteles*, quando habitum proæreticum definit. Rationes sunt.

(1) Scientiam mali cum bonis communem habent: virtus moralis bonorum est propria.

(2) Virtus moralis pertinet ad appetitum & voluntatem; scientia ad intellectum.

(3) Virtutis moralis perfectio non consistit in scientia, seu notitia rerum agendarum, sed in ipsa actione seu praxi. Fortis est non qui scit, quid sit fortiter agere, sed qui fortiter agit. De temperantiæ, justitiæ, liberalitatis, veracitatis, &c. actionibus & officiis disserere etiam intemperantissimi, injustissimi, avarissimi, mendacissimi possunt.

(4) Oppositum moralis virtutis, morale vitium, pertinet ad voluntatem, non ad intellectum: Ergo & virtus moralis. *Antecedens* manifestum est: quia notitia vitii neminem per se vitiosum reddit: imo virtuti studere non potest, qui, quid sit vitium, ignorat. Ratio *consequentiæ*: Quia habitus & privatio ad idem pertinent subjectum.

(5) Mores ad voluntatem & appetitum, non ad intellectum pertinent. Ergo & virtus moralis. *Antecedens* manifestum est: quia bene vel male moratum appellamus, non qui notitiam bonorum aut malorum morum habet: sed qui opere bonos malosve mores exprimit.

§. 27. Contra vero, *Aristoteli* si habenda fides, omnes virtutes esse scientias *Socrates* affirmavit: qui & vitæ finem putasse dicitur *virtutem cognoscere*, Nicomach. lib. 6. cap. ult. & Moral. magn. cap. 1. & alibi. Unde investigasse eum ait, quid sit virtus, non quomodo paretur. Interim certum est, non minus *Socratem* & *Socraticos* virtuti studuisse, ejusque actiones ursisse, quam *Aristotelem* & *Peripateticos*: etsi de virtutis natura idem forsan non sense-

senserunt: ut valde suspecta nobis sit fides *Aristotelis*.

§. 28. Interim sit illa *Socratis* sententia: quam *Franciscus Philelpus* quoque defendit: cujus hæ sunt rationes.

(1) *Omnes mali mores oriuntur ab ignorantia boni: Ergo omnes virtutes morales à scientia boni.* Ratio conseq. *Quia oppositorum sunt causæ opposita.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est: nam & mali mores cum scientia boni in multis consistunt: qui, quod rectum justumque esse norunt, non faciunt, & contra conscientiam pravis se moribus inquinant.

2. *Consequens* nobis non contradicit. Non enim sequitur, formaliter esse boni scientiam, quod cum boni scientia est conjunctum, & ab ea aliquo modo oritur, vel sine ea parari non potest.

§. 29. (2) *Nemo summo studio persequitur, quicquid bonum esse vere cognovit. Ergo à cognitione boni honestæ sunt actiones: & per consequens virtus formaliter est scientia: cum à virtute sint actiones honestæ.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est. Notitiam recti non semper sequitur studium recti. Notum illud: *video meliora proboque. deteriora sequor.*

2. *Consequens* admitti potest: nempe honestas actiones non esse absque boni cognitione. Sed quod inde elicitur, *inconsequens* est, ut & ratio. A virtute sunt actiones honestæ, quæ aliquo modo quoque sunt à notitia boni rectique: nec tamen propterea virtus formaliter est boni rectique notitia. Syllogismus in secunda figura formatus hic est.

Scientia boni est principium actionum honestarum. Virtus est principium actionum honestarum: Ergo virtus est scientia boni.

§. 30. Quæritur (4) *An virtus ex intrinseca sua ratione sit habitus bonus?*

Resp. *Affirmativam*, de virtute morali, absque ulla cunctatione amplectimur: hoc argumento,

Cujus habitus forma est conformitas cum lege Dei, is est bonus ex intrinseca sua ratione. Atqui virtutis forma est conformitas cum lege Dei. Ergo virtus est habitus bonus ex intrinseca sua ratione.

Interim conformitas cum lege ipsas quoque includit & limitat circumstantias, si non expresse, saltem tacite: quam ex lege deducit & circumscribit recta ratio. Unde conformitas omnium circumstantiarum in lege fundata ipsi quoque virtuti intrinseca dici potest: etsi intrinsecæ non sunt circumstantiæ.

§. 31. *Scotum* heic adversarium habere nonnulli sibi videntur: quem

quem in negativam inclinare sibi persuadent. Hos inter est *Jacobus Martini*. quæst. illust. cent. 8. disp. 8. q. 9.

Attamen *Tartaretus* in Comment. in Scot. lib. 1. dist. 17. q. 2. Quæstionis: *Utrum bonitas moralis, quæ est conformitas, sit respectus intrinsecus, an extrinsecus adveniens?* Partem priorem à *Scoto* defendi, & pro respectu intrinsecus adveniente deponi arbitratur: quamvis pro extrinseco militare hypotheses ejus videantur.

(1) *Bonitas moralis est aggregatio circumstantiarum, & conformitas earum ad dictamen prudentiæ. Ergo habitus moralis è ratione extrinseca est bonus.* Ratio consequentiæ: *Quia circumstantiæ sunt extrinsecæ.*

Resp. Negatur *consequentia*. Probatio est inconsequens. Quia differt conformitas circumstantiarum in actu virtutis ab ipsis circumstantiis: uti & lex differt à virtute. Unde conformitas circumstantiarum intrinseca virtuti esse potest, etiamsi circumstantiæ sunt externæ.

§. 32. (2) *Idem numero habitus moralis, qui fuit vitiosus, potest fieri virtuosus. Ergo habitus moralis ex ratione extrinseca est bonus.* Anteced. Prob. *Sunt qui non audent comedere, ut appareant abstinentes: qui abstinentia habitus non est virtus. Quod si postea convertantur, habitus fit bonus propter conformitatem cum ratione recta.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* nulla est: Non comedere ex sinceræ abstinentiæ habitu, & non comedere ex hypocritica abstinentia, non sunt unus numero habitus moralis: sed & numero & specie differunt: ut actus cum lege conformis ab actu difformi.

§. 33. Quæritur (5) *An omnis actio sit bona, quæ bona intentione ad bonum finem refertur:*

Resp. *Negatur:* Quia actionum bonitas & rectitudo æstimanda non ex agentis fine & intentione, sed ex confirmitate cum lege: quæ omnis bonæ rectæque actionis est norma. Igitur contra legem qui agit, male agit, etiamsi bonum intendit finem. Sic intentio largiendi eleemosynas bona bonitatem actioni, qua suum alteri eripitur, non conciliat. Furtum igitur legi divinæ non conformatur per intentionem largiendi eleemosynam: neque mendacium per intentionem amoliendi à se periculum vel damnum, &c. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona:* nec mala desinunt esse mala, quando per ea eveniunt bona. Alias omnia mala evaderent bona, quia in bonos fines omnia diriguntur per divinam providentiam.

§. 34. *Calvino* heic in capillos involat cum *Meisnero*, Sobriæ philo-

philosoph. part. 1. pag. 488. *Velstenius*, Centur. 1. dec. 10. q. 7. quibus si credimus, ex sententia *Calvini*, nihil est malum, cujus finis & intentio est bona: quod inde probant: *quia Calvinus contra Libertinos*, cap. 14. ait, *idem opus ideo impio peccatum, Deo vero non: quod impius avaritia, invidia & crudelitate incitetur ad facinus suum. Ex hac enim animi affectione & fine, quem spectat, merito malum judicari. Deus vero omnino respectum alium habet, declarationem gloriæ suæ & justitiæ in reprobis, misericordiæ in electis.*

§. 35. Quis quæso credat, judiciosissimum, cordatissimum & religiosissimum theologum eò progressum dementiæ & absurditatis, ut affirmare voluerit, omnem actionem esse bonam, quæ ad bonum refertur finem, & ex solis agentium finibus æstimandam esse actionum bonitatem vel malitiam? Quamvis enim negari non possit, fines aliquo modo actionum facere discrimina: qui etiam Lutheranis arridet Canon. Unde *Iacob. Martin.* Log. parte 2. pag. 474. *Cujus finis est bonus, ipsum quoque bonum est*: tamen soli fines non sufficiunt, neque solos sufficere docet *Calvinus*, unde cum fine expresse conjungit *animi affectionem*, quæ fons est actionum: quas bonas vel malas arguit animi affectio, prout ipsa est bona vel mala: quamvis etiam finis habenda sit ratio. Ex defectu enim finis boni actio etiam per se bona censetur mala, ut constat de actionibus gentilium virtuosis, etsi ex solâ intentione & fine bono non omnis actio censetur bona: ut supra ostendimus, & docet *Scaliger*, Exercit. 307. sect. 27. ubi *manifesto* inquit, *actionis bonitatem recta ratio formabit, non solus finis*: nec non *Philipp.* 2. Physic. pag. 231. ubi thesis eius est. *A fine non pendet tota bonitas.* Per affectionem autem cum fine concurrente non intelligit *Calvinus* intentionem, quæ idem est cum fine, sed internum actionis principium & actum primum, sive virtutem, sive vitium habituale; unde emanat actus secundus sive virtutis, sive vitii, hoc est, actio bona vel mala. Hinc ait impium avaritiâ, aut ambitione, aut invidiâ, aut crudelitate incitari ad facinus suum. De sanâ *Calvini* sententiâ ne dubites, vide eundem Institut. lib. 2. cap. 4. §. 2. ubi, proposito exemplo calamitatis *Iobi*, ostendit; idem opus ad Deum, ad Satanam & ad hominem autorem referri, & tamen Satanam non excusari Dei consortio, nec Deum mali autorem prædicari, si finem agendi primùm inspiciamus, deinde modum. *Dei* consilium fuit, servi sui patientiam calamitate exercere: *Satanas* molitus est eum ad desperationem adigere. *Chaldæi* ex re alienâ præter jus & fas, lucrum quærere affectarunt. In modo non minus fuit discri-

minis.

minis. *Satanæ* affligendum servum suum Dominus permisit: *Chaldæos*, quos ad id exequendum ministros delegit, illi permisit & tradidit impellendos. Satan alioqui pravos Chaldæorum animos venenatis suis aculeis ad perpetrandum id flagitium instigavit: illi ad injustitiam furiose ruerunt, omniaque membra scelere obstruxerunt & contaminarunt. Ne *Momus* quidem heîc habet, quod jure reprehendat.

§. 36. Ecce verò *Meisneri* præcipitantiam: *Calvino* falsam affingit assertionem: *Quod bona intentio & bonus finis actionem alioqui vitiosam possit efficere honestam, & laudabilem:* quam exagitat, non sine causa: ita tamen ut evidenti *Calvinum* injuria afficiat, & id neget, quod ante diserte affirmaverat. Verba Meisneri, pag. 479. hæc sunt: *Finibus judicantur actiones, & finis quasi esse largiri videtur operationibus. Si finis bonus, actio bona dicitur, si malus, mala.* Meisneri hæc est assertio: quam loco supra allegato *Jacob. Martin.* hisce Canonibus exprimit: *cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Cujus finis malus est, ipsum quoque malum est.* Hac igitur assertione quæstio expresse affirmatur; quam affirmare *Calvinus* per ineptam consequentiam fingitur, & hoc nomine flagellatur. Hoc vero an philosophi bene sobrii? certe male memoris & male sobrii.

§. 37. De quæstione: *An recta intentio possit opus malum facere bonum?* prolixe & graviter ex Scriptura & Patribus disserentem vide Jesuitam *Drexelium*, de recta intentione, lib. 1. cap. 6. ubi & quæstio expeditur: *cur bona intentio non possit malum opus reddere bonum, cum tamen mala intentio possit opus bonum reddere malum.* Breviter ex *Bernhardo* hanc rationem reddit: quia duo mala robustiora sunt uno bono: ubi intentio est non bona, etsi bonum est opus, ibi duo sunt mala, nempe mala intentio & fallax error: ubi vero opus malum est bona intentione, bonum unicum est intentio, cætera mala sunt omnia. Pertinet huc illud *Dionysii*: *Bonum constat ex integra causa, malum vero ex quovis defectu.* Quam in sententiam quoque *Seneca: Adjice, quod nihil honeste fit, nisi cui totus animus incubuit atque adfuit, cui nulla parte sui repugnavit.* Mirum certe quod in erroris hujus societatem *Meisnerus* & *Velstenius Augustinum* quoque non traxerint, qui idem, quod *Calvinus*, dicit docetque, epist. 38. ad vinc. *Cum Pater tradiderit filium, & Christus corpus suum & Judas Dominum. Cur in hac traditione Deus justus est, & homo reus? Nisi quia in re una, quam fecerunt. causa non est una, ob quam fecerunt.* Eadem scribi dira potuisset *Lutheranis* Theologis: imo & scripturæ, unde exempla sua depromserunt *Augustinus* & *Calvinus*.

§. 38.

§. 38. Quæritur (6) *Unde sit bonitas & malitia actionum moralium?*

Resp. A conformitate cum lege & difformitate. Lex enim mensura & norma est actionum moralium: ita ut moraliter bonæ sint, quæ legi conformes sunt: malæ, quæ difformes. Est etiam ab *objecto*, & variis aliis circumstantiis, quæ versiculo comprehenduntur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Ubi *Quis* significat personam & ejus accidentia. *Quid*, actus substantiam. *Ubi*, locum. *Auxilia*, causas instrmentales. *Cur*, causam finalem & impulsivam. *Quomodo*, actionis modum. *Quando*, tempus.

Circumstantiarum harum nonnullæ malitiam vel bonitatem actionum moralium augent notabiliter, aliæ non item. Vide *Conimbr.* disp. Eth. 5. q. 2. art. 1. 2. & *Hornei*. Eth. lib. 2. cap. 7. n. 15.

§. 39. *Aristoteles* ad actionem moraliter bonam conditiones requirit quinque. Ut quis agat 1. *Sciens.* 2. *ex certo animi proposito.* 3. *examini proposito propter se seu amorem virtutis.* 4. *firma & constanti voluntate.* 5. *Cum animi delectatione & voluptate.* Singula tamen hæc supponunt conformitatem cum lege: sine qua etiam moraliter malæ sunt actiones, non obstantibus hisce quinque conditionibus. Nam & peccata perpetrant scientes, ex certo animi proposito, ex animi proposito propter se, ex firma & constanti voluntate cum animi delectatione & voluptate.

§. 40. Bonitatis & malitiæ moralis essentia ab *Epicteto* collocatur in voluntate hominis & rebus arbitrio nostro subjectis, apud *Arrianum*, lib. 1. cap. 29. *Essentia boni*, inquit, *est aliquo modo se habens voluntas: & mali aliquo modo affecta voluntas. Quid ergo sunt externa hæc? Materia delectus voluntari, in qua versans compos efficitur sui proprii boni aut mali.* Et lib. 2. cap. 16. *Ubi bonum? In arbitrio. Ubi malum? In arbitrio. Ubi neutrum? In rebus voluntati nostra non subjectis.* Et lib. 4. cap. 10. *Substantia boni & mali nonne in his est, quæ sub arbitrium cadunt nostrum?*

Nota: Ipsas etiam circumstantias, quas ita vulgo appellent, actionum moraliter bonarum implicite lex continet, ita ut legi omnino conformis actio censeatur, in qua debita & necessariæ concurrunt circumstantiæ. Pertinet huc quoque *recta intentio* de qua supra copiose.

§. 41. Quæritur (7) *An detur actio libera in individuo indifferens, hoc est, moraliter nec bona nec mala?*

Resp.

Resp. Actus humani liberi indifferentes, hoc est, moraliter nec boni nec mali, intelliguntur & dicuntur, quoad *speciem* vel *individuum*. Ubi *indifferentia secundum speciem* intelligitur, quam actus habet ab objecto, præciso fine externo & aliis circumstantiis accidentalibus. *Indifferentia* vero *secundum individuum* intelligitur, quam actus habet à fine externo, & circumstantiis singularibus, seu conditionibus individuantibus. Sic igitur *indifferentia actuum* quorundam liberorum, secundum speciem, extra controversiam est. Unde lavare manum, proferre pedem, &c. actus liberi per se moraliter nec boni, nec mali sunt: nisi per finem externum & alias circumstantias reddantur tales. Hinc *Augustinus* ait; *quædam facta esse media, quæ fieri possunt bono vel malo animo: de quibus temerarium judicare.* lib. de serm. Dom. in monte.

Quæstio igitur reliqua est de *indifferentia quoad individuum*, cujus *affirmativam* amplectuntur *Scotus* & asseclæ. *Negativam Thomas, Durandus*, & multi alii; quibus & nos adstipulamur.

Ratio *Thomæ* est: omnis actio ordinatur ad debitum finem, vel non ordinatur. Si ordinatur, cum ordine rationis convenit, adeoque boni rationem habet: si non ordinatur, exorbitat ab ordine rationis, adeoque mala est.

Rationem hanc amplificamus & illustramus hoc modo: Omnis actio libera dirigitur ad Dei gloriam, vel non dirigitur. Si dirigitur, est bona & conformis regulæ Apostolicæ, 1. Cor. 10. v. 31. *sive editis, sive bibitis, sive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Si non dirigitur, mala est & contraria regulæ. Huc quoque pertinet & refertur illud Christi, Matth. 12. v. 36. *Quodcunque otiosum verbum locuti fuerint homines, de eo rationem reddituri sunt in die judicii.* Par heîc est ratio dictorum & factorum. Hinc *Augustinus* in lib. de util. cred. cap. 12. *omne factum, si recte factum non est, peccatum est, nec recte factum ullum esse potest, quod non à recta ratione proficiscitur.* Videatur idem lib. 2. cap. 18. de peccat. merit. *voluntas morum est, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit, &c.*

Observetur igitur & hæc ratio. Operatio humana ad naturam rationalem se habet, ut fructus & germen ejus. Idem igitur oportet sit finis operationis naturæ humanæ, qui est naturæ rationalis. Atqui finis ultimus naturæ rationalis est Deus: idem igitur & actionis esse finis debet: Atqui actus indifferens si daretur, pro fine Deum non haberet: sic enim non indifferens, sed bonus esset.

§. 43. Objicitur (1) *Si dantur actus, quoad speciem, indifferentes,*

rentes, utique dabuntur quoq; indifferentes, quoad individuum. Atqui verum prius. Ergo & posterius. Connexi ratio est: *quia nulla est natura specifica, quæ non aliquod sub se habeat individuum.*

Resp. Negatur *Connexi consequentia. Probatio* est inconsequens, propter æquivocationem quæ est in terminis, *indifferentia quoad speciem & individuum*, de qua in ingressu quæstionis hujus actum est. Indifferentia; quam adimemus actibus, quoad individua, non æstimatur ex ratione specifica ad individuum quocunque modo contracta: hoc enim respectu indifferentia per se non repugnat individuis, quatenus suam à specie naturam intrinsecam habent: sed & fine externo & accidentibus circumstantiis, quæ naturæ individuæ superveniunt.

§. 44. (2) *Plerique actus à nobis profecti sine præcepto, ad aliquam naturæ commoditatem, ut fricare manus, ejicere sputum ambulare, currere, &c. nisi excessus accedat vitiosus, ut circumstantia incongrua, moraliter nec boni nec mali sunt: Ergo sunt, quoad individuum, indifferentes.*

Resp. *Antecedens* negatur: quia actiones ad naturæ commoditatem spectantes deliberatè susceptæ sunt bonæ, & cum lege atque recta ratione consentiunt, quæ naturæ conservationem & modicum sui amorem præcipit. Eædem deliberatè intermissæ cum naturæ detrimento, nullo alio majori malo urgentes sunt malæ, & legi rectæque rationi contrariæ.

§. 45. (3) *Sunt aliqui habitus indifferentes. Ergo & actiones ex iis prodeuntes.* Antecedens prob. *Quia Aristoteles*, lib. 4. Eth. cap. 1. *de placidis & prodigis ait, quod non sint mali: quos tamen etiam bonos non esse constat: cum à virtute recedant. Cum igitur nec boni, nec mali sint, indifferentes erunt.*

Resp. *Antecedens* negatur: *probatio* inconsequens est: Placidos & prodigos esse malos non simpliciter negat *Aristoteles*, sed tantum certo respectu: quia sibi ipsis tantum non aliis, nocent. Malus igitur in specie is tantum *Aristoteli* in allegato loco dicitur, qui aliis nocet.

§. 46. (4) *Quandoque actus specie sua indifferentes non ordinantur ad aliquem finem vitii vel virtutis. Ergo aliquis individualis potest esse indifferens.*

Resp. *In antecedente* sumitur, *actum aliquem moralem specie sua esse indifferentem*: quod negatur. Item *actum aliquem moralem non ordinari ad aliquem finem vitii vel virtutis*: quod & ipsum negatur de actu morali propriè dicto à ratione deliberativa ut Thomas loquitur, profecto. De hac quæstione prolixe disputantem

tantem vide *Raynaudum*, dist. 4. q. 1. art. 2. n. 27. 28. &c.

§. 47. Quæritur (8) *An virtutis forma consistat in mediocritate inter duo extrema?*

Resp. Sunt, quibus non arridet *mediocritas Aristotelica*, qua omnis virtus moralis statuitur media inter duo extrema, nempe *defectum* & *excessum*, seu ἧττον καὶ μᾶλλον, veluti *liberalitas* est media inter avaritiam & prodigalitatem: *fortitudo* inter timiditatem & temeritatem, seu audaciam. &c. non arridet, inquam, omnibus hæc *mediocritas*: quia virtutes sunt, quæ nullo excessu vitiari videntur posse: ut pietas, amor Dei, justitia, &c. unde satius fuerit, formam virtutis genericam constituere in *conformitate cum lege*, quam in *mediocritate secundum rationem prudentiæ.*

§. 48. Contra *mediocritatem* disputantem vide Autorem, ibi 2. p. 9. 10. 11. summa huc redit.

(1) Si forma virtutis est mediocritas affectuum, erunt illi affectus vel *per se boni*, ut misericordia, benevolentia, &c. vel *per se mali*, ut odium, petulantia, livor, superbia, &c. vel *neutri*, ut ira, cupiditas, amor, gaudium, metus, &c. Atqui non *per se boni*: quia sive remissi, sive intensi sint, nomen boni nunquam amittunt. Non *per se mali*: quia quantumcunque hi temperentur, nunquam virtutem procreabunt: quoniam à prima statim origine sunt vitiosi. Non *neutri*: quia etiam vehementior ira ex justa causa in vitio non ponitur: neque tam fervido Dei amore quisquam ardet, ut ad quandam mediocritatem sit revocandus. Nemo, qui satis de acceptis à Deo beneficiis lætari, aut de perpetratis peccatis dolere possit. Sunt denique virtutes, quæ circa affectus neutros non versantur. Unde mediocritas eorum non erit virtus.

(2) Si formaliter affectuum mediocritas est virtus, utique genus virtutis erit affectus: Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens. *Connexi* ratio est: quia duorum extremorum medium ejusdem est generis cum extremis.

(3) Si virtus est mediocritas inter duo extrema: utique justitia non erit virtus. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. *Connexi* ratio est: quia justitia non versatur inter duo extrema: injustum enim est, quicquid non est justum.

(4) Mediocritas affectuum & perturbationum non fuit forma virtutum Adami ante lapsum; Ergo nec post lapsum. Ratio *consequentiæ*: quia virtutis forma mansit eadem. Antecedens probatur. Quia ante lapsum homo perturbationibus vitiosis non fuit obnoxius.

(5) Mediocritas affectuum vitiosorum non erit forma virtutum

tum in beata futuri ævi vita. Ergo nec jam est. Ratio *consequentiæ:* Quia virtutis forma non mutatur, etsi virtus perficitur. *Anteced.* prob. Quia in futura vita affectus vitiosi non erunt.

§. 49. Interim mediocritatem laudat *Autor:* quamvis naturam virtutis obscurari putet, si forma ejus in mediocritate affectuum ponatur. Concedit etiam quarundam virtutum totam laudem in mediocritate consistere: ut constat de temperantia, liberalitate, fortitudine, &c. quamvis earum forma non tam sit mediocritas, quam cum lege conformitas.

Contra mediocritatem vide disputantem Clariss. *Amesium* Theolog. lib. 2. cap. 2. *th.* 35. Redigit virtus perturbationes ad mediocritatem, etiamsi formaliter non est ipsa mediocritas: quia subjectum ejus non est appetitus sensitivus sed ratio & voluntas. Et, si forma virtutis est mediocritas affectuum, jure videbitur virtus censenda affectus mediocris, isque non simplex, sed compositus è gradibus extremorum. Vide & *Meisnerum*, Sobr. philosoph. part. 1. pag. 464. & *Heiderum*, part. 2. pag. 240. &c.

§. 50. Breviter heic observentur, quæ de modo inveniendi medium, in quo moralis consistit virtus, ex *Aristotele* annotat *Javellus*, lib. 2. Eth. tract. 3. cap. 3.

(1) Difficile est & fere impossibile in moralibus determinare verum & totale medium, secundum rectam rationem & sufficientiam omnium circumstantiarum, quæ requiruntur ad bonum & laudabilem actum moralem.

(2) Medium virtutis non consistit in puncto & indivisibili, ita ut, qui punctum illud non attingit, non fit virtuosus, & qui parum ab eo declinat, fit vitiosus.

(3) Ut medium inveniri possit, non est pertinaciter eodem statu subsistendum, in quo sumus: sed modo ad excessum, modo ad defectum inclinandum, ut virtutis exquirit ratio, vel inclinatio nostra ad unum potius, quam ad alterum vergens extremum.

§. 51. Addo & hoc. Cum virtus dicitur consistere in medio, medium intelligi volunt scholæ *Peripateticæ* non tam *rei*, quam *rationis*. *Rei medium* appellant, quod simpliciter inter excessum & defectum interjacet, sine respectu personarum, loci, temporis & aliarum circumstantiarum.

Rationis medium nominant, quod ratio determinat, omnium circumstantiarum habito respectu. Unde mediocre dici potest absolute, & quo ad rem, quod respectu circumstantiarum tale non est. Sic prodigus æstimatur & in excessu peccare tenuis fortunæ homo, si quotidie in rem familiarem sex aureos eroget: contra sordidus & in defectu peccare princeps magnus, si non nisi sex aureos

reos eroget. In magnis quæ parva sunt, pro magnis haberi in parvis debent & possunt.

§. 52. Longe tolerabilior de forma virtutis *Peripateticorum* hæc est sententia, quam illa quorundam, qui privationem extremorum virtutis esse formam ajunt: quos cogitare par erat (1) Habitus formam absurde statui privationem: entis positivi privativum, vel non ens.

(2) Ejus, quod est perfectum, imo ipsa perfectio, formam absurdè appellari, quod est imperfectum, imo ipsa imperfectio.

(3) Absurdam esse matamorphosin ex habitu privationem, & ex privatione habitum facere. Extremum virtutis est privatio virtutis, non virtus privatio extremi. Quis sanæ mentis dixerit justitiam esse potius privationem injustitiæ, quam injustitiam justitiæ.

§. 53. Denique observentur descriptiones virtutis in philosophorum scriptis occurrentes aliæ. *Alcinoo* virtus est διάθεσις ψυχῆς τελεία καὶ βελτίστη. *Ciceroni*, perfectio & absolutio rationis. *Platoni* sanitas, pulchritudo & bona animi constitutio. *Senecæ*, in se perfecta & ad summum perducta natura. Magnifica hæc sunt virtutis encomia, etsi genera non adeo sunt exquisita, singula tamen in se continent aliquo modo virtutis formam, nempe conformitatem cum lege. Anima enim tum demum perfecta & optima est, ut & ratio, nec non natura, cum legi divinæ conformis est.

§. 54. Quæritur (9) *An immediatus terminus moralitatis ut loquuntur, hoc est, proxima regula humanorum actuum, sit lex divina?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur, ita tamen ut legis divinæ nomine veniat non ea tantum, quæ tabulis lapideis, vel libro, sed & quæ cordibus hominum est inscripta, & complectitur principia practica, quas κοινὰς ἐννοίας appellant. Rationes sunt.

(1) Quia normam & regulam actuum moralium proximam & immediatam oportet simpliciter esse infallibilem, ne limites confundantur virtutum & vitiorum: conformitas enim cum regula constituit virtutem, difformitas vitium. Atqui præter divinam legem nulla est simpliciter infallibilis regula moralitatis, ad quam dirigenda actio. Rationi hominis dignitas & excellentia hæc nullo modo potest tribui: quippe quæ variis obnoxia est erroribus & regula habet opus, secundum quam agat, vel judicet. Qualis etiam in statu innocentiæ fuit lex inscripta & concreata, quæ per lapsum aliquo modo deleta promulgatione externa postmodum est completa.

(2) Quia ex nulla alia regula de bonitate vel malitia actionum

humanarum ipse Deus pronunciat. Unde ad legem perpetuo hominem revocat: ut videre est in *Mose* & prophetis. Pertinet huc insignis *Psalmus* 119. in quo *David* nullam aliam actionum suarum agnoscit & prædicat regulam, nisi DEI legem, per versiculos singulos, qui numero 176. sunt. Ita & *Johannes* peccatum definit ἀνομίαν, hoc est, transgressionem legis, tanquam regulæ.

Interim recta ratio, si accipiatur pro lege inscripta, diversam non constituit regulam: quam nonnulli appellant *dictamen practicum divinæ prudentiæ.*

§. 55. Contradicit heîc nobis *Theophilus Raynaudus*, Philosoph. mor. dist. 4. q. 1. art. 3. n. 46. & seqq. ubi divinam legem pro regula quidem habet, sed non pro immediata & proxima, sed mediata & remota. Proximam vero & immediatam contendit esse *judicium practicum prudentiale.* Videamus igitur, quid contra legem divinam & pro judicio prudentiali adferat *Monachus.*

(1) *Lex divina nobis non est intrinseca: Ergo non est regulæ proxima & immediata actuum moralium.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est. Est enim lex Dei inscripta nostris cordibus, secundum quam gentiles actus morales bonos exercuerunt: Rom. 2. v. 14. 15.

2. *Consequentia* quoque negatur: quia regulam actus proximam & immediatam simpliciter non est necesse internam esse: nisi per regulam quoque intelligat notitiam regulæ: quo respectu lex moralis positiva dici quoque interna potest. Aliud tamen est notitia rei, aliud res ipsa.

§. 56. (2) *Omnia præcepta artis, quamvis à peritissimis artificibus anterioribus prodita, omnes ideæ externæ quam diu externæ sunt, non dirigunt operantem, nisi quatenus ex eis eruitur dictamen practicum operanti ipsi internum: quod regulæ proximæ rationem hnbet. Ergo eadem est ratio regulæ proximæ actuum moralium.*

Resp. *Antecedens* negatur: Aliud est regula, aliud apprehensio & applicatio regulæ, judiciique per regulam informatio. Itaque dictamen practicum artificum non est regula, sed notitia regulæ, & secundum eam directio actionis, vel ab ea aberratio. Regula non fallit, judicium vero practicum sæpe fallit; quando regula non satis est cognita, vel minus recte applicata. etiamsi igitur secundum legem non perficitur moralis actus, nisi interveniente judicio practico, tamen judicium practicum propterea non est regula.

§. 57. (3) *Etiamsi lex divina positiva nunquam nobis innotuisset, & nunquam Deus eam tulisset: plurima tamen sunt extrinse-*

trinsece mala, quæ facere pravum esset: & alia ex se optima, quæ exequi honestum foret: ut amare & colere Deum, parentibus mutuam vicem rependere, &c. Ergo lex divina positiva non est regula proxima actuum moralium.

Resp. Sermo nobis hoc loco est de lege divina, quatenus est divina in genere: non quatenus positiva in specie. Est enim lex divina non tantum positiva, sed & cordibus atque rationi inscripta. Unde regula est actionum moralium, sive positiva, sive inscripta. Igitur ex *antecedente* non nisi hoc inferri potest: *Legem divinam, quatenus est positiva, non esse regulam proximam omnium actuum moralium.* Quod facile damus. Qui enim de lege positiva, qua tali, hoc est, solenniter & externe à Deo promulgata nihil unquam fando acceperunt, iis non fuit regula actionum moralium, quatenus positiva, sed quatenus in genere divina, vel in specie inscripta. Quicquid exequi honestum est, Dei continetur lege, sive expresse, sive implicite: quamvis plura expresse in positiva, quam in inscripta & interna. Interim omnium actuum moralium in Ethnicis regulam agnoscit Paulus legem inscriptam Rom. 2. v. 14. 15.

§. 58. *Sed Apostolus*, inquis, *præcedenti* v. 12. *ait, eos qui sine lege peccaverunt, sine lege quoque perituros. Agnoscit igitur aliquam aliam regulam actuum moralium, & in specie malorum, præter legem: quando & sine lege peccari potest.*

Resp. Negatur *consequentia*: Quia Apostolus allegato loco non loquitur de lege divina in genere, sed de ministerio *Mosis*, vel lege *Mosaica* populo Israëlitico lata in specie. Legem vero habuisse quoque gentiles expresse docet: quando ait *ostendere ipsos opus legis inscriptum cordibus*: v. 15. *Ubi non est lex, ibi transgressio non est.* Rom. 4. v. 15. Ubi igitur transgressio, hoc est, peccatum, ibi lex quoque: quia peccatum legis transgressio est: Fuisse autem inter gentiles peccata, extra controversiam est. Fuisse quoque gentilibus imputata peccata, & ipsum in confesso est. Atqui peccatum non imputatur, cum nulla est lex, Rom. 5. vers. 13.

§. 59. (4) *Multa bene vel male fieri possunt, absque interventu legis naturalis proxime dirigentis, sive præscribendo, sive vetando. Ergo lex hæc non est regula proxima.*

Resp. *Antecedens* negatur. Judicium practicum, quod sequitur moralis actio bona, nunquam est sine regula divina, saltem inscripta. Etiamsi vero inter actionem moralem & regulam intercedit judicium: non tamen sequitur judicium hoc esse regulam proximiorem divina lege: hæc enim unica est regula moralitatis.

 (5) *Homo*

§. 60. (5) *Homo primo est moralis per rationem practicam, qua judicat de eligibilibus, ita ut ante judicium illud homo non sit formaliter rationalis & moralis, seu habens determinatum objectum, quod persequi consentaneum sit tali naturæ, ut tendenti ad finem suum ultimum, vel quod debeat aversari in ordine ad executionem ejusdem finis. Ergo judicium practicum est proxima moralitatis regula.* Antecedens Prob. *Quia ante illum actum rationis practicæ natura humana pertinet tantum ad ordinem physicum naturarum, nec constituitur in ordine naturarum respicientium finem ultimum.*

Resp. Ad hominis moralitatem requiritur non tantum ratio practica, sed & regula, qua ratio practica dirigitur, & ad quam confirmatur, sine qua cœca est ratio & moralitatem non attingit actu, neque finem ultimum assequitur. Unde ut ad finem ultimum deduceret Deus hominem, non ratione tantum instruxit ipsum, sed & lucem per verbum accendit, per quam ad finem ducit rationem. Igitur patet, partim falsum esse *antecedens*, partim nullam *consequentiam*. Non enim si homo ante judicium practicum formaliter non est moralis, & determinatum objectum rationali & morali naturæ consentaneum non habet, illico sequitur judicium illud esse regulam: sufficit si necessarium sit ad moralitatem actualem & applicationem regulæ ad subjectam materiam.

Quod in probatione *antecedentis* dicitur, *naturam humanam, ante actum rationis practicæ, pertinere tantum ad ordinem physicum naturarum, nec constitui in ordine naturarum respicientium finem ultimum*, falsum est. Sic enim sequeretur, infantes, in quibus actus rationis practicæ nondum est, non constitui in ordine naturarum finem ultimum respicientium: quod falsum.

§. 61. (6) *Si regula immediata consonantiæ & dissonantiæ actuum nostrorum moralium non esset judicium rationis practicæ subsumtum ad dictamina synteresеos: actus nostri, qui interveniente eo judicio boni vel mali sunt, æqui boni essent vel mali, eo judicio secluso. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.*

Resp. Connexi *consequentia* negatur. Requiritur quidem judicium practicum, non tamen tanquam regula, sed tanquam actus regulam applicans & secundum eam directus.

§. 62. Quæritur (10) *Utrum sit præstantius, virtutis habitus, an actio?*

Resp. Actio est præstantior. Rationes sunt.

(1) Quia habitus est propter actionem: ideo enim habitum acquirimus, ut ex habitu agamus. Unde otiosus & frustraneus censetur habitus, qui per actiones se nunquam exerit.

(2) Quia

(2) Quia præmio afficitur virtuosus, non propter habitum, sed propter actionem sive præteritam, sive præsentem, sive futuram. Unde, ut *Aristoteles* ait, lib. 1. Nicomach. cap. 8. *In Olympiis, olim coronabantur non pulcherrimi & robustissimi, sed certantes, qui vicerunt.*

(3) Quia actio est actus, habitus potentia. Atqui actus præstantior est potentia.

(4) Quia summum bonum, secundum *Aristotelem*, non consistit in habitu, sed in actione, ad quam habitus est medium.

(5) Quia per actionem homo similior est Deo, quam per habitum. Siquidem Deus, accurate loquendo, nunquam est in potentia ad agendum: etiamsi opera Dei externa sunt in potentia ad existendum.

(6) Quia habitus est etiam hominis otiosi & nihil boni facientis: actio non nisi negotiosi & bene operantis.

(7) Quia præstantius est bene agere, quam posse bene agere. Deum diligere, quam posse diligere, patriam defendere, quam posse defendere, egenis succurrere, quam posse succurrere, vera loqui, quam posse vera loqui, &c. Illa actionum, hæc habituum sunt.

(8) Quia actio & agentem & alios perficit: habitus non nisi habentem.

§. 63. Objicitur (1) *Habitus est constantior & durabilior actione. Ergo præstantior est actione.* Antecedens Prob. *Quia habitus est ens permanens, actio ens successivum: habitus idem numero semper permanet, actiones omnes numero differunt.*

Resp. *Consequentia* negatur. Majoris præstantiæ sufficiens documentum non est, major constantia & durabilitas. Certiora & veriora documenta ante dedimus. Defectum, quem arguere videtur natura entis successivi, supplet crebra iteratio & continuatio actionis. Non enim habitus heic confertur cum actione una, sed cum omnibus, seu jugi earum exercitio.

§. 64. (2) *Habitus multorum bonorum est causa, actio unius tantum boni: Ergo habitus præstantior est actione.* Antecedens Prob. *Quia habitus principium est omnium actionum virtuosarum. Actio unius tantum boni illius, quod pro termino habet, principium & causa est.*

Resp. *Antecedens* negatur una cum probatione. Per actionem enim, ut modo diximus, quæ in quæstione exprimitur, non intelligimus actionem aliquam unam & singularem, sed omnes, quæ ab uno proficiscuntur, & proficisci solent habitu, veluti unus & singularis fructus arboris non est tota arbore præstantior, sed omnes, quos profert. Plantamus enim arborem propter fru-

 ctus

ctus: absque quibus esset, etiam steriles pyris pomisque præferremus.

§. 65. (3) *Habitus omnium bonorum, quæ ab operationibus sunt, causa est: Ergo operationibus inferior non est.* Antecedens Prob. *Quia habitus principium est operationum, per quas bonorum est causa: ab habitu enim per operationes sunt bona.*

Resp. Negatur *consequentia*, ratio est: quia habitus est causa remota, quæ sæpe tantum est in potentia ad operandum: actio est causa proxima, nunquam otiosa. Unde ab actione potius quam ab habitu commendatur virtuosus.

§. 66. (4) *Intellectus & voluntas, facultates animæ rationalis, præstantiores sunt actionibus suis, intellectione, seu cognitione, & volitione. Ergo virtutis quoque habitus præstantior est actione virtuosa.* Anteced. Prob. *Quia intellectus & voluntas sunt actus primi, essentiales homini & ab eo inseparabiles. Intellectio autem & volitio sunt actus secundi, homini non essentiales & ab eo separabiles.* Ratio consequentiæ: *Quia ut se habet intellectus aut voluntas ad operationem suam: ita virtus quoque ad operationem suam: nec idonea reddi potest ratio, cur præferenda sit virtutis actio virtuti potius, quam intellectus aut voluntatis actio voluntati aut intellectui.*

Resp. *Antecedens*, de præstantia absoluta, si nempe operationibus animæ absolute præstantiores dicantur facultates, negatur. Vera rerum sublimium cognitio & bonarum volitio præstantior est, hominemque magis perficit; quam sola potentia & facultas cognoscendi & volendi. Hæc enim cum summa hominis infelicitate potest consistere: illa minime: cum ipsa sit hominis felicitas, secundum *Aristotelem.* Hæc illam necessario non includit: illa hanc necessario includit. Facultates datæ sunt propter actiones: *Probatio antecedentis* est inconsequens. Utut aliqualem illa arguere possint prærogativam: tamen absolutam minime possunt. Ut patet è responsione ad *antecedens.*

§. 67. Quæritur *An quis uno eodemque tempore plures actiones morales* simul exercere possit?

Resp. Non videtur hoc posse fieri. Actiones enim morales numero plures & specie diversæ, non videntur exerceri posse, nisi successive: quemadmodum & actiones intellectuales numero & specie plures simul à nobis exerceri nequeunt, sed una post aliam. Nemo simul agit ex habitu artis, scientiæ, prudentiæ, sapientiæ in specie sic dictæ. Ut enim distincti hi sunt habitus, ita distinctæ eorum actiones distinctis animi attentionibus successive exercentur, nempe una post aliam, ut experientia testatur. Non simul de

rebus

rebus arduis prudenter consultamus & de objectis sapientiæ vel scientiæ subtiliter disserimus: sed uno actu quando defuncti sumus, ad alterum nos conferimus, cogitatione & attentione ab uno ad alterum conversa.

§. 68. Interim affirmat *Drexelius*, de *intentione recta*, lib. 2. cap. 6. q. 2. bonæ intentioni facilimum esse plures actiones bonas simul eodem tempore exercere: quando nempe actionis alicujus bonæ initium plures fines, seu intentiones bonæ, præstituuntur: quod exemplo docet. *Ad rem divinam & sacram eo (1) Ex obedientia in Dominum meum, quem comitari ex officio debeo, ut aulica Nobilitas Principem suum. (2) Obsequium meum volo sincerum sit: non enim deducam tantum Dominum, ut aliquorum mos est, qui post primum ingressum templi mox se subducunt, & ad finem præsentes se sistunt Domino, tanquam si semper adfuissent, talem ego hypocrytam non agam. (3) Ex obedientia in Ecclesiam, cui hoc dominicis & festis diebus debeo. (4) Ex grato animo in Deum, ut illi gratias agam ob accepta tot beneficia. (5) Cum hodie cœlum rigeat & tempestas perfrigida sit, patientiam exercebo. (6) Cum non desint qui me pessime oderint, pro his inimicis meis Numen serio deprecabor. (7) Fidam Deo: qui absentiam à domo occulto fœnore pensabit.* Heic, inquit, septenæ sunt intentiones & septem virtutum actus, duplicis obedientiæ, sinceritatis, grati animi, patientiæ, charitatis, fiduciæ in Deum, quibus addi possent totidem alii.

§. 69. Distinguendum heic inter *materiale* & *formale* actionis. Respectu *materialis*, seu, *quoad materiam*, actiones morales numero plures eodem tempore simul exerceri non possunt: ob rationem pro negativa allatam. Est enim una numero actio, ad rem divinam & sacram ire. Respectu *formalis*, quod est intentio varia, actiones morales numerantur variæ: quando variæ intentiones uni applicantur materiæ, quæ à seipsa per intentiones varias varie differt. Ita ut actio, quoad materiam, numero una, qualis est, ire ad rem sacram, respectu diversarum intentionum, sit actio *obedientiæ*, actio *sinceritatis*, actio *gratitudinis*, actio *patientiæ*, actio *charitatis*, actio *fiduciæ in Deum*, &c.

§. 70. Quæritur *An actio virtutis, quam Ethica informat, non exteriora tantum, sed & interiora respiciat?*

Resp. Putant nonnulli virtutes morales, quibus ethnici quoque excelluerunt, inter alia in eo quoque differre à theologicis, nempe, vero Dei amore, ardentique dilectione, fiducia vera, spe, &c. quod hæ non externas tantum, sed & internas hominum actiones afficiant & rectificent: illæ externas tantum ad legis

præscriptum componant. Sed à vero penitus aberrant. Etiamsi enim morales virtutes non æque efficaciter internas facultates afficiunt & actiones rectificant, atque theologicæ à Spiritu singulariter infusæ: tamen in solis externis actionibus informandis & regendis minime subsistunt: sed internas quoque facultates & actiones respiciunt, & inprimis afficiunt, adeo, ut vere virtuosa actio censeri non debeat, nisi quæ bonitatem moralem ab interno trahit principio. Unde actionis moralis bonitatem, *Scaliger* deducit & æstimat ex *recta ratione* & *bona intentione*, Exerc. 307. sect. 27. Actionis moraliter bonæ conditiones quinque requirit *Aristotel.* 2. Nicomach. cap. 4. quas ex agente deducit. Igitur ex virtute qui agit, is agit (1) *Sciens* (2) *ex certo animi proposito atque consilio* (3) *solius virtutis & honestatis amore* (4) *firma & constanti voluntate animi* (5) *cum jucunditate quadam.*

§. 71. Longe igitur plura requirit *Ethicus*, quam *Legislator* homo, qui externam tantum actionis cum lege conformitatem urget, & id duntaxat absolvit vel damnat, quod oculis videt, auribus audit, & manu comprehendit, de interioribus animi affectionibus & cogitationibus non solicitus. Non vero Deus tantum in lege sua externam & internam requirit obedientiam: sed & Ethici veteres cum *Peripatetici* tum *Stoici* de internis quoque actionibus & affectibus ad rectæ rationis normam conformandis anxie laborarunt ex præscripto legis inscriptæ. *Regium est*, inquit *Cicero* pro Sylla, *ita vivere, ut non modo homini nemini, sed nec cupiditati ulli servias:* Et lib. 3. off. *virum bonum*, inquit, *non modo facere non, sed non cogitare quidem fas est, quod non audeat prædicare.* Et *Democritus* apud *Stobæum*, serm. 19. *Bonum est non modo injuriam non quidem facere, sed ne velle quidem.* Interim interior rectitudo theologica longe sublimior & perfectior est, quam moralis.

§. 72. Quæritur (13) *An virtus moralis possit esse conjuncta cum tristitia?*

Resp. Duplex est tristitia: una moderata de iis, quæ rationi rectæ & virtuti repugnant: altera de iis, quæ virtuti & rationi conveniunt. Prior cum virtute conjuncta esse potest: posterior non potest. Est enim virtuti plane consentaneum tristari de iis, quæ adversantur virtuti, præsertim, si ita sint comparata, ut execuli facile non possint, & non tristari de iis, quæ conveniunt virtuti. Illa odisse, hæc amare, virtutis est.

Comprobatur idem evidentissimis & omni exceptione majoribus duobus exemplis: quorum unum est *Christi*, in quo perfectissimæ fuerunt omnes virtutes: alterum *Apostoli Pauli*, qui doctor & Iu-

& lumen gentium fuit illustrissimum, purissimum. *Christi* anima ad mortem usque tristis fuit, Matth. 26. v. 38. *Apostolus Paulus* gravissime quaeritur & tristatur de lege in membris suis rebellante legi mentis suae, per quam, quae non voluit, fecit, Rom. 7. v. 15. 16. 19. 20. 21. &c.

§. 73. Objicitur (1) *Impedimentum bonae operationis repugnat virtuti. Tristitia est impedimentum bonae operationis: Ergo repugnat virtuti. Propositio per se manifesta est: Assumtio patet* ex *Aristot.* libr. 7. Eth, cap. ult. & libr. 10. cap. 4. 5.

Resp. *Assumtio* simpliciter vera non est. Tristititia est impedimentum operationis, de qua tristamur: quae *Aristotelis* est sententia: non est impedimentum operationis, de qua non tristamur, & ad quam ex virtutis praescripto nos accingimus. Quin potius stimulat ad operationes honestas, per quas tristitia pellitur.

§. 74. (2) *Ægritudo animi adversatur virtuti: Atqui tristitia est agritudo animi: Ergo tristitia adversatur virtuti.* Proposit. prob. *Quia virtus est bona animi habitudo.* Assumtio est *Cicero.* lib. 4. Tuscul. quaest.

Resp. *Assumtio* simpliciter vera non est: non datur nisi de tristitia immoderata: quae moderata est, animi bonae habitudini non adversatur. Unde Paulus, 2. Corint. 7. vers. 11. *Ecce istud ipsum quod secundum Deum tristitia affecti estis, quantum in vobis effecit studium!*

§. 75. Quaeritur (14) *An habitu virtutis aliquis possit non uti vel malè uti?*

Resp. *Negativam*, de perfecto virtutis habitu, defendimus hoc argumento.

Quod est constans animi propositum vivendi secundum legem eo non potest non uti, nec malè uti, penes quem id est. Atqui virtus est constans animi propositum vivendi secundum legem. Ergo virtute non potest non uti homo, nec male ea uti. *Propositio* prob. Quia contra dictionem implicat, habere constans animi propositum vivendi secundum legem, & proposito illo non uti, quoties datur occasio: siquidem constans dicitur, quia ad usum semper propendet. Contradictionem quoque implicat constante animi proposito vivendi secundum legem male uti. Quia, qui male utitur, is propositum non habet vivendi & agendi secundum legem: hoc enim est bene uti.

Assumtio continet definitionem virtutis moralis. Idem adstruit *Augustinus*, lib. 2. de lib. arb. cap. 18. *Intueris*, inquit, *justitiam, quâ nemo malè utitur. Hae inter summa bona, quae in ipso sunt homine, numeratur, omnesque virtutes animi, quibus*

ipsa recta vita & honesta constat. Nam neque prudentia, neque fortitudine, neque temperantia male quis utitur. In his enim omnibus, sicut in ipsa etiam, quam tu commemorasti, Justitia. Recta ratio viget sine qua virtutes esse non possunt. Recta autem ratione male uti nemo potest.

§. 76. Objicitur (1) *Si virtute morali non uti, vel male uti non possumus, nec virtutibus intellectualibus non uti, vel male uti poterimus. At falsum consequens: Ergo & antecedens. Connexi ratio est: quia rectitudo est de ratione omnium virtutum.*

Resp. Negatur *Consequentia. Probatio* est inconsequens: quia non ejusdem rationis rectitudo est in omnibus virtutibus. In moralibus rectitudo est in proposito constanti secundum legem vivendi: In intellectualibus rectitudo in apitudine est cognoscendi vel agendi, cujus suspendi potest actus secundus, etiam ubi datur occasio, eoque suspenso, quandoque contrarius exerceri, habitu non everso: vel actus etiam proprius in alium, quam par est, adhiberi usum. Quomodo olim philosophi male utebantur vel abutebantur mentis habitibus ad oppugnandam & expugnandam religionem Christianam. Hujusmodi abusus virtutum moralium non est, quarum rectitudo includit conformitatem cum circumstantiis necessariis: quam evertit difformitas. Alia intellectualium est ratio, quas difformitas non adeo afficit, quia conformitas non constituit.

§. 77. (2) *Virtutum moralium actiones in nostra facultate sunt positæ: Ergo data quoque occasione iis possumus non uti.* Antecedens *Aristotelis est* lib. 2. Nicomach. Ratio consequentiæ: *quia quæ in nostra sunt facultate & potestate, iis uti vel non uti possumus.*

Resp. Negatur *Consequentia.* Ratio universaliter vera non est liberæ voluntatis actiones sunt in nostra potestate & facultate: Interim ex iis quoque nonnullæ sunt necessariæ, quas intermittere, & cum conditione quia nunquam vult intermittere, & cum conditione ejus pugnat velle intermittere. Ita beati in gloria non possunt non Deum laudare, quem tamen liberrime laudant. Eodem modo virtus, occasione data, non potest non se exerere, etiamsi libere se exerit: quia constans bene agendi propositum non consistit cum intermissione actionis bonæ, extra negatæ occasionis conditionem.

§. 78. (3) *Virtutibus intellectualibus abuti possumus: Ergo & moralibus.* Anteced. prob. *Quia medicus male uti potest arte medendi.* Ratio consequentiæ: *quia par utrarumq; est ratio.*

Resp. *Consequentia* falsa est: ratio & ipsa falsa: dispar virtu-
tum

tum intellectualium & moralium est ratio; ut ante ostendimus.

§. 79. Quæritur (15) *An virtus moralis recipiat magis & minus?*

Resp. Virtus duobus modis consideratur: vel absolute, quoad essentiam definitione explicatam: vel cum respectu ad subjectum, in quo recipitur, quoad existentiam. Hinc per duas assertiones ad quæstionem respondetur:

Una: ***Virtus absolute considerata, quoad essentiam definitione explicatam, non recipit magis & minus.***

Ratio: Quia id, quod pertinet ad essentiam & speciem rei, est aliquid natura definitum, constans & certum. Unde gradus non includit: quo sensu omnes formæ in simplici & invariabili essentia dicuntur positæ, & numeris comparantur, quibus, sine variatione speciei, nihil potest addi vel demi, 8. metaph. tex. 10. Porphyr. in cap. de different.

§. 80. Altera: ***Virtus, quatenus in subjecto recipitur, quoad existentiam, vel inexistentiam, considerata, admittit gradus, adeoque magis & minus recipit.***

Ratio: Quia multa ad virtutis in subjectum introductionem & in eo radicationem concurrunt: quæ uno momento non adsunt, aut virtutem perficiunt. Hæc ut sua habent incrementa & decrementa, si & virtus per ea magis magisque in subjecto recipitur. Efficit autem gradus hosce:

(1) *Prudentia, dux virtutum moralium:* quæ cum longo rerum usu perficiatur, modo clarior, modo obscurior in virtuoso est. Hanc sequitur virtus.

(2) *Crebritas actionum, quibus formatur virtutis habitus: illa major minorve fortiorem vel imbecilliorem reddit habitum.*

(3) *Aptior vel ineptior dispositio recipientis.* Per varietatem hanc varie recipiuntur formæ accidentales.

(4) *Firmior vel infirmior connexio cum scientia & sapientia.* Unde firmiores sunt habitus morales cum scientia & sapientia conjuncti.

(5) *Connexio major minorve cum aliis virtutibus moralibus.*

(6) *Varia extrinsecus occursantia sive naturæ, sive fortunæ munera, nec non alia opportunitates vel remoræ.* Unde principum virtutes dicuntur optimæ, vitia pessima: quia in utrumque instrumenta abunde suppetunt.

Adstipulatur *experientia:* quæ testatur alios magis, alios minus esse temperantes, fortes, justos, liberales, &c. Constat idem ex virtutum præmio, honore: quem æqualem omnibus non decernunt

cernunt magistratus & leges: quod fieri per æqualitatem virtutum non posset.

§. 81. Interim exercitii gratia sequens observetur discursus.

Essentia virtutis definitione explicata in subjecto virtuoso existit, vel non existit. Si non existit: virtuosus erit sine essentia virtutis: quod absurdum: si existit: aut per gradus successive acquiritur, aut in momento. Si per gradus: utique divisibilis erit essentia, adeoque magis & minus recipiet: contra assertionem primam. Si in momento: falsum est crebritate actionum aliisque modis & mediis, de quibus paulo ante, ad eam fieri accessionem. Omnia enim ista moram & successionem requirunt. Aut forte essentia virtutis erit gemina? Una *absoluta* extra subjectum, in *idea*, indivisibilis, quæ definitione solet exprimi: altera *in subjecto*, concreta & divisibilis.

§. 82. *Stoicorum*, quos secuti *Seneca*, *Cicero* & alii, sententia fuit: virtutem in subjecto, seu individuo, constitutam magis & minus non recipere: quam sequentibus probarunt argumentis.

(1) *Virtus in medio geometrico est posita: Ergo indivisibilis est, & gradus non admittit.* Ratio conseq. *quia medium geometricum unum & individuum est, & uno tantum modo potest attingi.*

Resp. *Piccolomineus* 1. negat *antecedens* simpliciter esse verum: quia etsi medium exactissimæ & perfectissimæ virtutis est unicum & individuum: tamen virtutis cum latitudine acceptæ medium aliquam etiam habet latitudinem, adeoque exquisitum & geometricum non est; quia distare ab uno extremo potest longius, quam ab altero.

2. *Consequentiam* quoque negat: etiamsi enim medium in se est unicum & individuum: tamen erga illud variis modis affecti esse possumus, firmiores & mobiliores, constantiores & inconstantiores. Unde fortes fortiores & fortissimi, temperantes, temperantiores & temperantissimi, &c. videantur & *Conimbr.* disp. Eth. 7. q. 2. art. 1.

§. 83. (2) *Quæ qualitates magis & minus recipiunt; cum contrario suo permiscentur. Atqui virtus cum vitio non permiscetur: Ergo magis & minus non recipit.* Assumtio prob. *quia recta ratio non permiscetur, cum prava, seu perversa, nec honestum cum inhonesto: absolute ratio depravata & actio vitiosa denominatur.*

Resp. *Piccolomineus* propositionem negat universalem esse: eo quod virtus magis & minus possit recipere sine permistione vitii,

per

per accessum ad exacte perfectum, & recessum ab eo, in illa latitudine, quæ est extra vitium. Remissio necessario non fit per mistionem cum contrario: sed quandoque tantum per accessum ad contrarium.

Sed intelligi vix potest, quomodo remitti virtus possit absque admistione contrarii: quo major à perfectione est recessus, eo major ad imperfectionem est accessus. Virtutes Theologicæ in subjectis sunt imperfectæ, quando cum iis concurrunt imbecillitates vitiosæ: quando cum spiritu concurrit & luctatur caro. Et quis fidem sibi imaginetur imbecillem sine omni hæsitatione vel dubitatione? *Credo, Domine*, inquit ille: *succurre incredulitati meæ*, Marc. 9. v. 24.

Addit *Piccolomineus*, *virtutum posse remitti ob nos, qui constantius vel inconstantius eam possidemus.* Atqui non potest de constantia aliquid remitti, sine admistione gradus alicujus inconstantiæ: non de fervore virtutis, sine admistione gradus alicujus frigiditatis, unde trepiditas. Quod si vero vitium formaliter acceptum non est positivum quiddam, sed privativum, quidni dicas, remissionem virtutis fieri per privationem alicujus gradus, per cujus absentiam virtus evadit remissior.

§. 84. (3) *De virtutis ratione est perfectio & absolutio: Ergo non recipit magis & minus.* Ratio conseq. *Quia absolute perfectum non admittit intentionem vel remissionem.*

Resp. *Antecedens* de perfectione omnimoda, & absoluta, & de virtute quocunque modo accepta, simpliciter verum non est. Virtus cum latitudine accepta, uti in subjecto est, etsi possessorem suum perficit, tamen gradus admittit, uti & per gradus possessorem perficit. Absolutissimæ virtutis alia est ratio: quam vendicare sibi in hac imperfectione nemo potest: quæ etiam gradus non admittit.

§. 85. (4) *Vitia sunt paria, nullosque admittunt gradus; Ergo nec virtutes admittunt.* Ratio conseq. *Quia contrariorum par est ratio.* Anteced. prob. *Quia vitium non est positum in hac vel illa, sed absolute in declinatione à recto & à scopo. Unde quicunque ab his recedunt, absolute & æque dicuntur errasse: veluti absolute dicuntur in aqua mersi, quicunque vel uno, vel decem pedibus sub aqua sunt positi.*

Resp. *Antecedens* negatur. Absurdum est dogma de vitiorum & peccatorum omnium æqualitate: per quod omnes leges arguuntur iniquitatis: quia pares omnibus vitiis & peccatis pœnas non dictant. Deinde vitia sunt recessus à virtute & bono morali. Atqui in omni distantia magis & minus. *Probatio* simpli-

simpliciter vera non est, vitium absolute & sine relatione ad subjectum hoc vel illud, consideratum absolutè positum est in declinatione à recto. At consideratum in subjecto, in quo magis vel minus est radicatum, & ex circumstantiarum varietate æstimatum, positum est in majori vel minori declinatione. Sic à lege, *non occides*, magis declinat, qui hominem occidit, quam qui periculose cædit: magis declinat, qui patrem ex destinato consilio, quam qui ex iracundia peregrinum cædit, &c. Igitur declinatio à recto absoluta constituit vitium absolute dictum, sine gradibus consideratum; declinatio major vel minor vitium majus vel minus.

§. 86. (5) *Virtus est rectitudo & ordo: Ergo gradus, seu magis & minus, non admittit:* Ratio conseq. *quia recto nihil est rectius, ordine nihil ordinatius.*

Resp. Negatur *consequentia*. Probatio simpliciter vera non est. Alia est recti mathematici, alia civilis & moralis ratio. Illud gradus non admittit: hoc admittit: illud latitudinem non habet, hoc habet.

§. 87. Quæritur (16) *An homo suis viribus possit cognoscere aliquod verum morale?*

Resp. *Affirmativam* defendimus sequentibus argumentis.

(1) Quia intellectus humanus est potentia naturalis, cujus objectum proportionatum est verum morale, non generale tantum, sed & particulare. Atqui omnis potentia naturalis circa objectum sibi proportionatum aliquem potest actum exercere: alias supervacua, & otiosa esset.

(2) Quia etiam ethnici malæ conscientiæ stimulis, tanquam furiis, agitantur. Atqui conscientia mala nulla est sine scientia recti verique moralis. Hæc ubi nulla est, nulla quoque peccati agnitio est: ubi nulla agnitio, ibi conscientiæ quoque stimulus est nullus.

(3) Quia naturalibus viribus, sine speciali auxilio, cognoscit homo principia prima practica & moralia: nempe bonum esse appetendum, malum fugiendum, parentes honorandos, bene meritis gratiam referendam, suum cuique tribuendum, &c. Unde conclusiones saltem aliquas circa bonum morale, particulare ratio potest deducere.

(4) Quia lex naturalis inscripta omnium cordibus naturæ lumine cognoscitur, Rom. 2. v. 14. Atqui lex naturalis multas veritates morales continet.

§. 88. Contrariam sententiam amplectitur *Gregorius Ariminensis*, sequentibus argumentis.

(1) *Per*

(1) Per peccatum primi hominis vulnus accepimus ignorantiæ, à quo nisi per Christum, sanari nemo potest. Ergo ex humanis viribus nulla est boni moralis notitia. Antecedens extra controversiam est: ratio consequentiæ: quia ignorantia excludit notitiam, uti privatio habitum.

Resp. Ad *antecedens*: Accepimus vulnus ignorantiæ non totalis, sed particularis; quæ privatio est cognitionis non omnis simpliciter, sed alicujus. Est igitur in nobis vulnerata quidem cognitio, sed non plane sublata. Mansisse etiam post lapsum in Adamo aliquam veri bonique moralis notitiam, evicit mala ipsius conscientia, qua constrictus à Judice Iehova se voluit abscondere. Moralis notitiæ post lapsum reliquias in iis etiam, qui sunt extra Christum, à *Paulo* agnosci ratione nostra quarta ostendimus.

§. 89. *(2) Per cognitionem veri moralis acquiritur prudentia: Ergo cognitio ista non est ex naturæ viribus, sed à speciali gratia.* Ratio consequentiæ: *quia prudentia est singulare Dei donum, & cum prudentia connexæ sunt omnes virtutes.*

Resp. *Antecedens* non est simpliciter verum. Non enim per quamvis cognitionem veri moralis acquiritur prudentia, sed per exactam, qua bonum morale non tantum in universali, sed & in particulari exquisite cognoscitur. Deinde, si in *antecedente* prudentia intelligatur aliqualis & imperfecta, *consequentia* quoque negatur una cum *probatione*. Quia aliqualis & imperfecta prudentia non excedit naturæ vires post lapsum reliquas: etsi singularis & exacta etiam in non renatis inter specialia Dei dona non immerito numeratur cum aliis virtutibus heroicis. De connexione virtutum suo loco egimus: non datur ea nisi in perfecta & numeris suis absoluta prudentiâ.

§. 90. (3) *Cognitionem veri moralis Sancti à Deo solent petere, ut David in Psalm. 119. da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Ergo superat ea vires hominis naturales.*

Resp. Ad anteced. Cognitionem veri moralis perfectam & naturæ vires excedentem sancti petunt à Deo, & David quidem in specie non simplicem petit alicujus veri moralis cognitionem, sed totius divinæ legis altissima mysteria continentis intelligentiam & imprimis quidem practicam: de tua nobis hoc loco non est sermo.

§. 91. (4) *Si aliquid morale verum naturæ viribus cognosci posset, iisdem omne cognosci posset. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.* Connexi ratio est: *Quia omnium moralium veritatum eadem est ratio.*

Resp. *Connexum* negatur: *probatio* falsa est. Omnium veritatum

tatum moralium in specie eadem non est ratio: siquidem veritas alia judicio nostro magis est obvia, alia magis occulta & abscondita: uti alia longius distat à principiis per se notis, quam alia. Accedunt variæ circumstantiæ, quæ consilia humana modo magis, modo minus impediunt. Unde circa unam facilius erramus, quam circa alteram. Sæpe ita districti tenemur, ut expedire nos nullo modo possimus, donec consilium à Deo subministretur.

§. 92. (5) *Si nostris viribus morale verum cognosceremus, haberemus utique aliquid ex nobis & merito gloriari possemus. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.* Assumtio prob. ex 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non acceperis? si autem accepisti, quid gloriaris?*

Resp. Connexi *consequentia* simpliciter non datur; quia etiam de eo, quod ex nostris habemus viribus naturalibus justam gloriandi causam non habemus: quando à Deo & naturam & vires accepimus. *Ipse dat omnibus vitam, & habitum & omnia.* Act. 17. v. 25.

Deinde *assumtio*, quoque simpliciter non datur: neque ex allegato loco sufficienter probatur. Loquitur enim Apostolus de iis, qui dona supernaturalia suis viribus tribuebant & fidem inprimis: ut observat *Augustinus*, lib. 1. de prædest. sanct. cap. 4. 5. vires naturales hoc loco distinguuntur à donis Dei singularibus & plane super naturalibus.

§. 93. Quæritur (17) *An virtus moralis versetur circa voluptatem & dolorem?*

Resp. *Aristoteles* lib. 2. Eth. *affirmativam* septem argumentis defendit.

(1) Quia homines plerunque per voluptates incitantur ad vitia & actiones turpes: dolore vero & molestia à bonis & honestis actionibus absterrentur.

(2) Quia virtus versatur circa affectus, quorum perpetui comites sunt voluptas & dolor: sic omnis quoque actio jucunda vel molesta est agenti, adeoque cum voluptate aut dolore conjuncta.

(3) Quia virtutis munus est mederi vitiis: Atqui à vitiis homines, avocantur dolore pœnarum, ad honestas vero actiones invitantur jucunditate præmiorum.

(4) Quia voluptate & dolore habitus morum fiunt meliores aut deteriores: quatenus in illis expetendis, aut fugiendis modus, & aliæ circumstantiæ servantur, aut non servantur.

(5) Quia voluptas & dolor sunt in numero expetendorum, & fugiendorum. Atqui virtus moralis versatur citra expetenda & fugienda,

fugienda, estque proprium ejus munus appetitum regere.

(6) Quia voluptate & molestia homines solent actiones suas æstimare & metiri. Atqui circa actiones hominum morales virtus occupatur, quæ modum iis præscribit & legi conformat.

(7) Quia difficile est circa voluptatem & dolorem se recte gerere: Atqui virtutis proprium est docere, quomodo circa res arduas & difficiles nos gerere debeamus.

§. 94. *Casus* in Eth. lib. 2. cap. 3. Per voluptatem & dolorem affectus ab *Aristotele* intelligi affirmat, & hæc quæri: *An virtus circa omnes affectus versetur?* voluptas enim dulcis & delectabilis est affectus, dolor tristis & injucundus. Ipse *Aristoteles*. 2. rhetor. ostendit, omnium affectuum esse duo summa capita voluptatem & dolorem.

Pulchre *Casus, voluptas*, inquit, *& dolor, qui in intimis quasi animi recessibus latebrisque insidiose habitant, majus semper homini creant periculum, majusque virtutis naufragium minitantur. Sensim dolor serpit, sed occidit: furtim voluptas repit, sed omnem virtutis amorem tollit.* Heic igitur excubandum virtuti.

Pro contraria sententia excipitur.

§. 95. (1) *Voluptates & dolores non sunt objecta virtutum: Ergo virtus in illis, tanquam in objectis, non versatur.* Antecedens prob. *Quia sunt effecta objectorum virtutis: siquidem, præsente pecunia gaudet liberalis, deficiente dolet.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* est inconsequens. Nihil enim obstat, quo minus objectum habitus esse possit, diverso respectu & causa & effectus: quatenus eidem, tanquam res considerata, objiciuntur; In liberalitate objectum internum est effectus, seu voluptas; externum pecunia: quamvis pecuniæ præsentia voluptatem gignat.

§. 96. (2) *Voluptas & dolor sunt objecta temperantiæ*, lib. 3. Eth. cap. 10. *Ergo non sunt objecta virtutis in genere.*

Resp. *Antecedens* negatur de objectis temperantiæ propriis; neque probatur ex allegato *Aristotelis* loco: quia dolorem & voluptatem non in genere intelligit *Aristoteles*: sed eos tantum affectus voluptatis & doloris nomine, qui sunt temperantiæ objecta propria. Unde *consequentia* quoque negari potest: si voluptas & dolor in *antecedente* accipiantur de affectibus temperantiam in specie concernentibus; in *consequente*, de affectibus in genere.

§. 97. (3) *Voluptas neque affectus, neque vitium est: Ergo virtus circa illam non versatur, ut circa objectum.* Antecedens prob ex 7. physicor: cap. 3. & Eth. cap. 11. *Ubi voluptas motus definitur.*

Resp. 1. *Antecedens* negatur: *probatio* est inconsequens: esse enim affectum & esse motum non pugnant: Est enim voluptas motus quidam appetitus, quo perfunditur: qui aliud nihil est nisi affectus.

2. *Consequentia* quoque negatur. Quid enim obstet, quo minus pro objecto motum habere virtus possit, quæ motuum ad moralem ἀπάθειαν inclinantium præses & directrix est?

§. 98. (4) *Virtus versatur circa difficillima: Atqui voluptas & dolor non sunt difficillima. Ergo virtus circa voluptatem & dolorem non versatur.* Assumtio prob. lib. 3. Eth. cap. 9. *Ubi docet Philosophus, esse difficilius res molestas periculorumque plenas ferre, quam eis, quæ voluptatem adferunt, abstinere.*

Resp. Difficilima, circa quæ versari virtus dicitur, cum quadam latitudine accipiuntur. Sunt enim objecta virtutum specialia aliis alia difficiliora. Unde objectum virtutis esse potest etiam id, quod objecto alio minus est difficile, modo in se consideratum sit difficile. Unde patet; *propositionẽ* non esse simpliciter & absolute veram.

§. 99. Observetur descriptio voluptatis, ut, quam in ea refrænanda virtus occupanda sit, appareat. *Voluptas est naturalis & insidiosa affectio animi orta vel ex memoria, vel ex præsentia, vel ex spectatione veri, aut apparenter boni, qua delectantur sensus, diffunduntur spiritus, demulcetur appetitus:* cui, ut ait *Aristoteles*, difficilius est resistere, quam furori. *Casus* lib. 1. Eth. cap. 5.

Dolor definitur, *tristis motus & quasi contractio animi, propter malum præteritum, præsens aut futurum.*

§. 100. Pulchra quoque, eundem in usum, observetur virtutis & voluptatis comparatio à *Seneca* instituta, de vita beata cap. 7. *Altum quiddam est virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile: voluptas humile, servile, imbecillum, caducum: cujus statio ac domicilium fornices popinæque sunt, virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus, voluptatem latitantem sæpius ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam & medicamentis pollinctam.*

§. 101. Victoria, quam de voluptate virtus reportat, omnium est splendidissima. Audiamus heic *Cyprianum*, de discipl. & bono pudicit. pag. 492. *Voluptatem vicisse voluptas est maxima: nec ulla major est victoria, quam ea, quæ è cupiditatibus refertur. Qui hostem vicit, fortior fuit: sed* ALTERO: *qui libidinem repressit, se ipso. Qui inimicum prostravit, externum hostem*

stem percussit: qui cupiditatem depressit, hostem domesticum superavit. Malum omne facilius vincitur, quam voluptas: quia illud quicquid est, horridum est hoc blandum est. Nihildum difficile opprimitur, quam quod per illud armatur. Qui cupiditates tollit, & metus sustulit: nam ex cupiditatibus metus veniunt. Qui cupiditates vincit, de peccato triumphat. Qui cupiditates vincit, malum generis humani sub pedibus suis jacere ostendit. Qui cupiditates vincit, pacem sibi perpetuam dedit. Qui cupiditates vincit, libertatem sibi, quod est etiam ingenuis difficillimum, reddidit.

III.

Splendor & exuperantia virtutis appellatur virtus Heroica, cui in defectu opponitur forma ignavia: in excessu feritas, seu bestialitas.

Ἔκθεσις.

§. 1. HEroica virtus à communi non *specie*, sed *gradu* tantum differt, ut fervor à tepore: habetque in iis potissimum virtutibus locum, in quibus excellere difficilimum, in fortitudine *Alexandri* M. in clementia *Cæsaris*: in justitia *Minois*: in castitate *Lucretiæ* & *Susannæ*: in continentia *Scipionis*: in prudentia *Salomonis*: in temperantia *Iohannis Baptistæ*, in fide *Abrahami*, *&c.* Heroica enim virtus non tantum morales, sed & intellectuales habitus excellentes complectitur: etsi vulgo peculiari ratione in fortitudine potissimum attenditur.

Plenius à nonnullis definitur: *Virtutis habitus paucis quibusdam singulari Dei beneficio tributus, quo insigni prudentia res perplexas & dubias sine errore, admirabili alacritate & constantia, difficiles & arduas, sine defatigatione, ancipites & periculosas incredibili felicitate, sine offensione, ad salutem Ecclesiæ & Reipubl. ita gerunt: ut propius ad Dei perfectionem ascendere, quam ad humanam imbecillitatem se demittere videantur.* Vide *Aristot.* lib. 7. Eth. cap. 1.

§. 2. De *virtute heroica* duo imprimis sunt observanda.

(1) A DEO non singulis annis, sed interdum vix singulis seculis excitari heroica ingenia, heroicis prædita virtutibus; quoties ipsi visum reformare hominum mores, & mutare Respublicas, ut constat exemplo *Mosis*, *Josuæ & Samsonis*, qui fuere reforma-

tores *Israelis*: *Cyri*, qui liberator fuit *Judæorum*, *Alexandri* M. qui Monarchiam à *Persis* ad *Græcos* traduxit. *Julii Cæsaris*, qui autor fuit monarchiæ *Romanæ Constantini M.* qui inter Imperatores *Romanos* primus fuit orthodoxæ religionis defensor: *Caroli M.* qui *Germaniam* reformavit. Sic & heroibus accersendi S. *Martyres*, qui Evangelii veritatem sanguine suo adstruxerunt: nec non magnanimi Ecclesiæ reformatores.

§. 3. *(2)* Tres esse virtutis heroicæ essentiales partes.

1. *Impetum extraordinarium*, seu raptum divinum, ad magni momenti rem magno animo conficiendam.

2. *Constantiam summam*, qua nullis se absterreri molestiis, difficultatibus aut periculis patitur, nullis retardari impedimentis.

3. *Felicitatem admirandam*, qua præter omnem hominum spem è maximis difficultatibus fortissime eluctantur *Heroës*, & metam feliciſſime attingunt.

In quo tria hæc non concurrunt, is culmen & fastigium *heroicæ virtutis* non attigisse creditur. Apparet autem ex hisce partibus & requisitis *heroicæ virtutis*: primam & principalem ejus causam esse singularem afflatum & ductum divinum, quo *Heroes* animati res viribus humanis majores audent, & præter hominum spem feliciſſime conficiunt. Opportunitates & successus inopinati non sunt in viribus humanis. Interim non plane excludimus causas inferiores primæ subordinatas: cujusmodi sunt, *naturalis constitutio*, *institutio* & *exercitatio*.

§. 4. De virtute heroica, Quæritur (1) *An definitione virtutis utraque contineatur, heroica & communis?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur, sive virtutis moralis in genere, sive specierum ejus definitiones speciales intelligas. Nostra definitio generalis est, *constans animi propositum vivendi secundum legem*. Aristotelis, *Habitus electivus in mediocritate ad nos relata, &c. positus*. Atqui & heroica virtus est tale propositum, talisque habitus. *Fortitudo* in specie definitur, virtus, per quam excelsum & invictum in rebus adversis animum tenemus: quam *heroica* quoque fortitudo definitionem admittit. Eadem est ratio *justitiæ*, *castitatis*, *temperantiæ*, *&c.*

§. 5. Objicitur (1) *Si definitione virtutis utraque contineretur & heroica & communis virtus, sequeretur æque perfectam esse communem atque heroicam. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.* Propositio prob. *quia generis univoci species ex æquo naturam generis participant.* Assumtio patet: *quia heroica longe perfectior & excellentior est communi.*

Resp.

Resp. Neque *Connexum* simpliciter est verum, neque *assumtio*. *Connexum* quod attinet & *probationem* ejus, observandum, specierum perfectionem esse geminam: unam quam habent à participatione *generis*, alteram, quam à propria habent *differentia*. Sunt igitur *univoci* generis species æque perfectæ, perfectione illa, quam habent à genere non vero ea, quam à propria habent differentia, seu forma. Hinc brutum & homo æque sunt animalia: nec minus perfecte naturam animalis habet brutum, quam homo: Interim ratione formæ specificæ longe perfectior & excellentior est homo, quam brutum. Unde patet, *assumtionem* quoque simpliciter verum non esse.

Accedit quod distinctio virtutis *in communem* & *heroicam* proprie non sit generis in species, sed potius subjecti per accidentia. Perinde enim est, sive virtutem distinguas in *heroicam* & *communem*, sive in excellentiorem, & minus excellentem: quamvis *heroica κατ' ἐξοχὴν* excellens appelletur.

§. 6. (2) *Virtus moralis in genere pro forma habet conformitatem cum lege. Heroica hac non est forma. Ergo eadem definitione utraque non continetur.* Propositio *manifesta est ex definitione virtutis*. Assumtio prob. *quia lex nulla est, quæ expresse nos obliget ad virtutem heroicam: alias omnes teneremur Heroes esse.*

Resp. *Assumtio* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est: etiamsi enim lex generalis nulla est, per quam absolute omnes & singuli homines teneantur *Heroes* esse: tamen lex est, quæ ad heroicæ virtutis actus obligat omnes, quibus exercere eos est datum. Quibus plura & excellentiora sunt data, quam aliis, ab iis plura quoque & majora requiruntur, Luc. 12. v. 48. Imo lex quoque est, per quam omnes ad summum virtutis culmen tenemur ascendere: lex, inquam, quæ perfectionem imaginis divinæ in nobis requirit: per quam omnes futuri eramus *Heroes*: Lex illa adhuc nos obligat, non obstante imaginis jactura, quam nostra culpa fecimus.

§. 7. (3) *Virtus heroica non consistit in mediocritate: Ergo non continetur definitione virtutis, quam μεσότητα Aristoteles appellat.* Antecedens patet: *quia transcendit mediocritatem & ad excellentiam tendit.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: *probatio* partim falsa, partim inconsequens est. Habet quoque suam mediocritatem *heroica*: etiamsi iisdem gradibus non definitur, quibus communis: adeoque non simpliciter omnem transcendit mediocritatem, sed eam tantum, intra quam communis subsistit. Unde splendidior & excellentior communi dicitur.

§. 8. Quæritur (2) *An virtutes heroicæ referendæ sint ad generales Dei actiones ?*

Resp. Esse heroicos motus atque impetus à Deo, caussis tamen secundis non exclusis, extra controversiam est. *Utrum vero actione generali, an speciali, ad eos concurrat Deus*, porro quæritur ?

Heyderus in Eth. pag. 405. virtutes heroicas piorum refert ad actiones Dei speciales: Gentilium vero ad universales, non tamen ordinarias, sed extraordinarias & infrequentes.

Nos vero & Deorum & Gentilium heroicos & extraordinarios motus ad actiones Dei speciales referendas judicamus; hoc ipso nomine, quia extraordinarii & singulares sunt, tam in gentilibus, quam in fidelibus & piis: quos si universali, seu generali tantum actione, vel influxu indifferente excitaret Deus, non plus ad eos conferret, quam ad gregariorum militum fortitudinem, vel aliam quamcumque virtutem. Cum vero Heroum opera sint planè singularia & extraordinaria, humanis majora viribus, quidni ad Dei influxum specialem seu singularem & extraordinarium potius, quam universalem & ordinarium referantur ? Quis *Cyrum*, quis *Alexandrum* M. Ethnicos, generali tantum actione Dei excitatos credat, aut dicat ? longe nos aliud docet providentia Dei singularis, circa objecta singularia, cum in Ecclesia, tum extra Ecclesiam. De *Cyro* vide Jesaiæ cap. 44. 45. *Edicturus sum Cyro, pastori meo, ut omnem delectationem meam, perficiat: utque edicat Ieruschalaimis, readificantor, & templo, fundator.* Item: *Sic ait Jehova uncto suo Cyro, cujus confirmaturus sum dexteram, ad sternendum coram eo gentes ut lumbos regum dissolvam: ad aperiendum coram eo valvas, ut portæ non occludantur: Ergo tibi præiturus sum, & inæqualia æquaturus, &c.* vide *Andr. Gorrutium*, de provident. divin lib. 12. cap. 2.

§. 9. *Sed actiones Dei speciales*, inquit Heiderus, *pertinent ad solam Ecclesiam, & ad pios homines ?*

Resp. Non damus hoc *Heidero*: neque probari id potest ullo evidenti argumento: sed contrarium potius. Judicia Dei specialia & singularia exercentur non tantum erga fideles, sed & infideles: ut constat ex diluvio, ex plagis Ægypti & singulari atque horribili *Pharaonis* induratione. Sic speciali actione Deus olim infideles reges ad Israeliticum populum rebellem, idololatricum & ingratum puniendum suscitavit: quos *vocasse*, *sanctificasse* & *misisse* ad judiciorum suorum executionem dicitur, iisque præcepta dedisse, & adhibuisse tanquam *secures*, *serras*, *virgas*, *malleos*: Jesaiæ 10. v. 5. 6. & 13. v. 3. 6. Hæc certe non sunt generales, sed speciales

speciales Dei actiones ad certa directæ individua, quæ præ aliis Deus ad judicia sua exercenda vocat, dirigit, applicat. Unde *Augustinus*, de grat. & lib. arb. cap. 20. *Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam: verum etiam illas, quæ conservant seculi naturam, ita in Dei esse potestate, ut eas, quæ voluerit, quando voluerit, faciat inclinari vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine dubitatione justissimo*: vide & cap. 21. & q. 8. in Exod. Evincit hoc ipsum definitio virtutis heroicæ *Heidero* probata, quam habet Part. 2. pag. 403. *virtus heroica est habitus paucis quibusdam singulari Dei beneficio tributus, quo insigni prudentia res perplexas & dubias sine errore, admirabili alacritate & constantia difficiles & arduas sine defatigatione, incredibili felicitate, ancipites & periculosas sine offensione ad salutem Ecclesiæ & Reipubl. ita gerit, ut propius Deorum ad perfectionem ascendere, quam ad humanam imbecillitatem se dimittere videatur.*

Pertinent igitur ad solam Ecclesiam, & pios homines, non actiones Dei speciales in genere, sed in specie actiones salutaris gratiæ. Neque satis concinna est distributio actionum Dei generalium in ordinarias & extraordinarias: quales hoc loco intelliguntur. Extraordinariæ actiones circa *Heroum* individua non sunt generales, sed speciales.

§. 10. Quæritur (3) *An virtus heroica specie differat à moralibus aliis?*

Resp. *Negativa* defenditur hoc argumento.

Virtutes, quæ circa idem specie objectum speciale actionibus intensioribus & remissioribus occupatæ eandem definitionem specialem admittunt, specie non differunt, sed gradibus tantum. Atqui virtutes heroicæ & morales aliæ circa idem specie objectum speciale actionibus intensioribus & remissioribus occupatæ eandem definitionem specialem admittunt:: Ergo non specie, sed gradibus tantum differunt. *Propositio* extra controversiam est. *Assumtio* prob. inductione exemplorum. Fortitudo communis à *Piccolomineo* definitur, *moderatio formidinis & confidentiæ erga ea terribilia, quæ ad salutem corporis pertinent, appetitui irascibili competens, ut inde honestæ prodeant actiones.* Eandem definitionem admittit quoque fortitudo heroica: idem specie utraque habet objectum, nempe terribilia ad salutem corporis pertinentia: utraque moderatio est formidinis & confidentiæ:

utraque appetitui irascibili competit, ex Aristotelis sententia: utraque honestas actiones intendit. Eodem modo se res habet in temperantia, & similibus. Nihil heîc occurrit discriminis, nisi secundum magis & minus, & quo ad accidentia essentiam non mutantia.

§. 11. *Thomas* prim. secund. q. 54. art. 3. *affirmativam* amplectitur, & specificam differentiam propugnat sequentibus argumentis.

(1) *Virtutes heroica & aliæ morales dirigunt ad actiones distinctarum naturarum: Ergo specie differunt.* Anteced. prob. *Quia virtus civilis disponit ad actiones humanæ naturæ: heroica ad actiones congruentes naturæ eminentiori.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est. Dirigit heroica virtus ad actiones humanas, non quidem communes & ordinarias, sed eminentiores, quæ propter raritatem & excellentiam divinæ appellari solent, ut & ingenia divina, quæ usitatum excedunt modulum.

§. 12. (2) *Magnificentia & liberalitas, quamvis in eadem versentur materia, tantumq́, magnitudine & parvitate differunt tamen Aristoteli specie distincta sunt virtutes. Ergo etiam heroica & moralis communis specie sunt destincta: Quamvis in eadem versentur materia, vel circa idem occupentur objectum.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Piccolomineus* specie distingui ait, non quoad essentiam, sed quoad accidentia. Nobis vero quæstio est de differentia specifica, non ex accidentibus, quæ improprie dicta est, sed ex essentia depromta & proprie sic dicta. Interim districte agit *Aristoteles* de liberalitate & magnificentia, seu munificentia: quia communia & popularia exactum & exquisitum semper non adeo observant.

§. 13. (3) *Vitium, quod opponitur morali virtuti specie distinctum est à feritate opposito virtutis heroicæ. Ergo etiam virtus moralis à virtute heroica.* Anteced. prob. *Quia ut fera se habet ad hominem, ita feritas ad vitium morale. Atqui fera & homo distinguuntur specie. Ergo feritas quoque & vitium distinguuntur specie. In feritate exploditur ratio, in vitio pervertitur.* Ratio consequentiæ: *Quia privationum specie differentium habitus quoque specie differunt.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* ambigua & partim falsa, partim inconsequens est. Fera enim, seu bestia, accipitur proprie vel improprie. Proprie pro animali irrationali: improprie pro homine ad bestiam similitudine vitiorum propius accedente, humanam tamen naturam & rationem non prorsus exuente. Ita

te. Ita quoque feritas proprie accipitur pro bestiali irrationalitate: & improprie pro vitio ad bestialem irrationalitatem similitudine quadam propius accedente, non tamen humanum modulum simpliciter excedente. Unde patet *assumtionem prosyllogismi* simpliciter verum non esse: neque ipsam quoque *propositionem*, nisi ambiguitas omnis tollatur. Quo sensu heroica virtus appellatur divina, eodem & feritas belluina. Vide respons. ad rat. 1.

§. 14. Quæritur (4) *Utrum heroica sit virtus, an virtutis tantum excellentia & affectio?*

Resp. Partem quæstionis posteriorem affirmare *autor* noster videtur: cui heroica virtus *splendor* & *excellentia virtutis* appellatur: quam esse virtutis affectionem palam est.

Attamen priorem amplectimur tanquam veram & heroicæ virtuti magis honorificam. Neque alia videtur esse *autoris* mens: cui splendor & excellentia virtutis aliud est nihil, nisi virtus ultra communem sortem & gradum splendida atque excellens. Unde virtutem appellat *heroicam*: & in *Alexandro* prædicatur excellens fortitudo: *in Cæsare* excellens clementia: in *Minoe* excellens justitia, &c. Sic & *Aristoteles* virtutem appellat μεσότητα, quam mediocritatem interpretantur: quæ aliud nihil est, nisi habitus in mediocritate positus.

§. 15. Quæritur (5) *Cur Heroes sint appellati Semidei?*

Resp. Ideo appellantur *Semidei*: quia supra communes hominum vires ardua sunt aggressi & feliciter consecuti. Unde potius ad Dei similitudinem visi ascendere, quam ad humanam infirmitatem descendere.

Tantum igitur communem hominum sortem excesserunt *Heroes*, quantum communem virtutem excessit *virtus heroica*: adeoque medio loco inter Deos & homines veteribus visi sunt collocandi, & *Semidei* appellandi. Nata hinc fabula de ortu *Heroum*, quos ex Deorum cum fœminis consuetudine natos Poetæ finxerunt, & sic medios inter Deos & homines statuerunt. Fabulam excepit superstitio, qua divini honores exhibiti sunt *Heroibus*. Lucianus Heroem definit, ἐξ ἀνθρώπου καὶ θεοῦ σύνθετον.

§. 16. Quæritur (6) *An etiam in fœminas cadat virtus heroica?*

Resp. Laude *virtutis heroicæ* sexum fœminum videtur spoliare *Aristoteles*, 1. Polit. cap. 4. ubi ait: *Nulla ratione hanc mulierum esse virtutem*. Quod si vero natura fœminam facit solertem, industria literatam, educatio piam, experientia sapientem, quidni & *Heroem*? Inter *Heroes* vel *Heroinas* quis non

numeret in sacris literis celebratas, *Deboram, Idelem, Juditham.* In profanis, *Amazones, Gorgonides Lybicas, Semiramidem, Tomiridem, Lacanas mulieres, Cynanem Philippi filiam, Artemisiam, Taniam, Teucam Illyricorum reginam, Camillam Volscorum reginam, Amalasuntham Gothorum reginam, Mauviam Saracenorum reginam, Mathildem & Elysabetham, Anglorum reginas:* de quibus in theatro *Zwingerus.*

In hunc quoque censum à scriptoribus refertur *Johanna Anglicana*, quæ omnibus virilis sexus dotibus ornatissima virilem mentita sexum, anno post natum Christum 855. in pontificatu *Romano Leoni* IV. successit, unanimi Cardinalium deceptorum consensu electa; quæ, admisso in familiares complexus Cardinali, tandem gravida facta, & ad possessionem egressa in via publica peperit (unde IX. P. Romæ saxo incisa quidam interpretatus, *Papa, Pater patriæ, peperit parvum puerum prope portam Petri*) & una cum fœtu extincta est. Probat hoc *Gabriel Ponelus, Anglus* ex LXV. pontificiis historiis & chronicis, de *Antichrist* lib. 1. cap. 27. ℈. 7. videatur quoque *Cælius Rhodig.* A. L. lib. 14. cap. 1.

§. 17. Neque mirum ad hoc virtutis heroicæ fastigium ascendere quoque fœminas. Siquidem Heroëm non tam natura, quam extraordinarius raptus & impetus divinus facit: cui tam facile ad hanc virtutis ἀκμὴν & ὑπερβολὴν educere fœminam, quam virum: etiamsi rarius hoc fit in fœminis, quam in viris.

Quæritur (7) *An etiam in spurios cadat virtus heroica?*

Resp. Admodum abjecta & contemtibilis fuit *spuriorum* conditio olim in Dei populo, ut patet ex Deut. 23. v. 2. *spurius ne venito in congregatione Jehovæ: etiam decima ejus generatio, ne venito in congregatione Jehovæ.* Sapient. 3. v. 16. 17. *Liberi mæchorum non consequentur perfectionem, sed semen ex illegitimo cubili natum delebitur. Etenim sive longævi sint, nihili æstimantur, & inhonora ad finem usque est senectus istorum:* Ecclesiast. 23. v. 32. 33. *Non mittent in diversum filii istorum* (Scortatorum & mæchorum) *radicem. Rami istius non ferent fructum: relinquet execrationem memoriam sui, &c.*

Gravissima hac comminatione & vindicta castitatem Deus & conjugium tuetur, frænoque injecto libidines impuras coërcet. Interim tamen non desunt exempla spuriorum, qui res magnas quoque gesserunt, & Heroibus non immerito accensentur, qui natalium labem virtutis excellentia & splendore sive occultarunt sive absterserunt. In quorum censu *Jephthes*, cui spiritus quoque Jehovæ adfuit, Jud. 11. v. 30. *Themistocles, Timotheus, Romulus,*

lus, *Remus*, *Carolus Martellus*, *Johannes de Austria*. Exempla plura videantur apud *Zwingerum*, in Theat. volum. 3. fol. 1059.

Causæ excellentiæ hujus in spuriis nonnullis sunt partim *divinæ*: quia uti excelsa quandoque Deus deprimit, sic humilia extollit, pro arbitrio: partim *naturales*: quia genitores spurii quandoque habent vegetos, validos & magnanimos: partim *Ethicæ*: quia è natalium obscuritate & macula eluctari per virtutem & rerum arduarum molitionem student.

§. 18. Quæritur (8) *Cur Heroes, quando impingunt, graviter impingant?*

Resp. Duæ potissimum sunt causæ.

(1) Quia impetus heroicarum naturarum sunt magni, & ut virtutis communis mediocritatem excedunt, sic & actuum in excessu exorbitantium modum communem.

(2) Quia circa objecta occupantur magna & ardua, unde & magnis excidunt ausis: & non leviter impingunt, qui non levia moliuntur: cadunt non molliter qui impetu magno feruntur.

§. 19. Quæritur (9) *Cur exitus Heroum sæpe sint infelices.*

Resp. Sæpe infelices & tristes esse *Heroum* exitus, testatur experientia ab historicis laudata. Testes *Samson*, *Saul*, *Josias*, *Cyrus*, *Alexander*, *Romulus*, *Pompeius*, *Julius Cæsar*, & alii.

Infelices vero exitus illi reputantur, qui virtute defunctos, extra heroicos actus, excipiunt, & vel securos opprimunt, vel fraudibus aut iniquâ vi circumventos evertunt è dignitatis suæ dejectos fastigio. Ne quis infelicem interpretur exitum, quando in ipso virtutis exercitio occumbunt, vel ad res magnas gerendas, per damna corporibus illata, inepti redduntur.

Infelicitatis, de qua quæritur, præcipuæ causæ sunt duæ:

(1) *Vehementes animorum impetus ab ignea orti natura*, quibus extra rectæ rationis orbitam quandoque rapiuntur, & in miseriarum seipsos præcipitant abyssum, Deo insolentiam & fastum puniente. Exempla habemus & vetera & recentia in hoc miserrimo & contumacissimo *Germaniæ* bello.

(2) *Magnitudo invidiæ*, quam virtus magna comitem habet, & quæ cultorem ejus haud raro misere pessundat. Testimonia & exempla passim apud scriptores sunt obvia. *Difficillimum*, inquit Sallustius, *inter mortales est gloria invidiam vincere.* Et Philo. *Invidia gravis inimica & vix superabilis, omnes, quæ vocantur, felicitates impetere solita, quam evitare non est facile*: Et *Seneca* in Thebaid. *simul ista mundi conditor posuit Deus, odium*

odium & regnum. Scipionis apud *Valer. Max.* lib. 3. cap. 7. verba sunt. *Non me Punica, non fratrem meum Asiatica Gaza avarum reddiderunt. Sed uterque nostrum magis invidia, quam pecunia, locupletior est.* De monstri hujus iniquitate olim acerbè conquestus est fortissimus Heros, *Belisarius*, qui ob invidiam, jussu Imperatoris *Justiniani*, excæcatus tandem eleemosynam ab aliis, qui tuguriolum præteribant, petere coactus est: quos ita fertur inclamasse: *Viator, da obulum Belisario, quem virtus extulit, excæcavit & ad summam paupertatem adegit invidia: Pontan.* lib. 2. cap. 8.

§. 20. Quæritur (10) *Cur filii Heroum ut plurimum sint noxæ?*

Resp. *Græcorum* est proverbium, ἡρώων τέκνα πήματα: *Heroum filii noxæ.* Unde ad *Diocletianum* scribit *Spartianus*, in *Severo*, cap. 20. 21. *Satis clarere, quod nemo propè magnorum virorum optimum & utilem filium reliquerit: quodque tales habuerint plerique, ut melius fuerit, de rebus humanis sine posteritate discedere.*

Quod inductione plurimorum exemplorum ibidem comprobat: contra, quàm cecinit olim *Horatius: Fortes creantur fortibus, &c.* cui contrarium illud *Homeri* odyss. 5.

Æquat rara patrem soboles: sed plurimi ab illis
Degenerant, pauci superant probitate parentes.

vide & *Zwing:* volum. 3. lib. 11.

Docti rationes hasce adferunt:

(1) Quia infantes plerunque non materno, sed alieno & corruptarum nutricum lacte nutriuntur, & ex iis cum lacte vitia hauriunt: quod in *Politicis* prolixè ostendimus. Ex fonte lactis meretricum amores fluunt meretricii: quos videmus inter eos esse frequentissimos, qui sanguinem è meretricio lacte infantes traxerunt.

(2) Quia languescit in iis educatio: quæ fœminis potius molliculis, quam honestis matronis & viris gravibus demandatur.

(3) Quia *Heroës* majoribus districti curis ipsi non præsunt filiorum educationi, nec de ea magnoperè laborant.

(4) Quia in aulis plerique educuntur, earumque vitiis imbuuntur, & magis afficiuntur exemplis aulicorum pravis in oculos incurrentibus, quam patrum laudatis, quæ audiunt tantum, vel ne audiunt quidem.

(5) Quia ab exemplis patrum deflectere filios Deus permittit, ut virtutis excellentiam agnoscamus esse potius Dei donum, quam hæreditarium naturæ privilegium.

§. 21. Quæritur (11) *In qua virtute splendor heroicus maxime fulgeat?* Resp.

Resp. *Heroica* virtus potissimum est splendor virtutum moralium, & earum præsertim, in quibus refulgere difficilius, & magis supra hominis vires positum. Unde *Heroes Semidei* appellati, quod ex divina & humana natura viderentur conflati, & res gessisse humanis viribus majores. Inter virtutes illas præcipue sunt, *fortitudo*, *magnanimitas* & *temperantia*.

Interim *Heroum* appellatione quoque honestantur, qui præ aliis in aliqua arte insigniter refulserunt: in quorum censu *Æsculapius*, in arte medica clarissimus, quem *Apollinis* filium antiquitas finxit. *Orpheus*, excellentissimus Musicus, itidem *Apollinis*, filius. In virtutibus intellectualibus qui excelluerunt, *divini* potius, quam *Heroes*, sunt appellati. Unde *Plato* ait, *sapientis nomen esse altissimum, & soli Deo convenire*. Omnibus tamen *Heroibus* præferendi *Martyres*, quos à veritatis evangelicæ confessione & agnitione exquisitissima tormenta absterrere non potuerunt. *Heroes illi nuncuparentur*, inquit Augustinus, *si usus ecclesiastici sermonis permitteret*. Ethnica superstitione nonnihil inquinatum *Herois* nomen.

§. 22. Quæritur (12) *Quæ ad virtutem heroicam sint invitamenta?*

Resp. (1) *Vehementissimæ perturbationes:* quibus ad infames voluptates appetitus irritatur; ad quas fortiter domandas & prosternendas quando se animus accingit, & de iis fortiter triumphat, *heroicæ* virtutis splendore decoratur. Unde illud: *Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit.*

(2) *Insignis naturæ ad honestum proclivitas*, qua ad actiones illustres animus excitatur.

(3) *Fortunæ favor:* quo illustrium virtutum instrumenta præbentur, & variæ opportunitates splendide agendi offeruntur. Quod viris in magna constitutis dignitate, & bonis fortunæ abundantibus contingit. Hinc *principum virtutes* dicuntur esse *optimæ*, *vitia pessima*.

(4) *Fortunæ iniquitas:* quam qui magno ferunt & superant animo, tandem heroice refulgent.

(5) *Periculorum patriæ, parentibus & amicis imminentium magnitudo.* Hoc enim heroici splendoris objectū est fere præcipuum.

(6) *Institutionis felicitas*, quæ heroicæ virtutis amorem inserit.

(7) *Crebra heroicorum facinorum in aliis refulgentium cogitatio & meditatio.* Mire enim animos ad honesta natos educatosque inflammant exempla illustria. Unde *Miltiadis* trophæa *Themistocli*, juveni alias satis dissoluto, somnum excusserunt, & ad heroici fulgoris comparandi studium inflammarunt.

(8) *Spes*

(8) *Spes famæ & gloriæ immortalis per illustres pracones obtinenda.* Hinc Cicero, pro Archiâ. *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Certe si nihil animus præsentiret in posterum, &, si, quibus regionibus vitæ spatium est circumscriptum, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, nec toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vita tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.*

I V.

Cum virtute in genere pugnat vitium, quod formaliter est privatio virtutis & conformitatis cum lege.

Ἔκθεσις.

§. 1. QUæritur (1) *Quotuplex sit malum?*

Resp. Ut *boni*, sic & *mali* variæ sunt distinctiones: siquidem bono oppositum est malum: quamvis non omne bonum habet in specie oppositum malum. Datur enim *bonum transcendens*, *malum* vero *transcendens* non datur: quia transcendentia sunt omnibus entibus communia. Atqui malum omnibus entibus commune nullum est: alias omnia entia essent mala. Datur *bonum summum: malum* vero *summum* non datur: quia simpliciter omnem bonitatem, adeoque ipsum quoque subjectum id excluderet, & malum esset sine subjecto extra bonum: quod impossibile. Datur denique *bonum substantiale*: cujusmodi malum non datur: quia omnis substantia per se bona est.

Malum igitur, quod datur, est (1) *verum vel apparens*: illud vere & per se est malum; cujusmodi est omne malum morale, pugnans cum lege. Hoc per se malum non est, sed ex errore judicii videtur esse malum: ut frugalitas, continentia, disciplina, &c. quæ tanquam mala multi fugiunt.

(2) *Absolute & respective malum.* Illud per se est malum omnibus; ut vitium morale: hoc aliquibus tantum, ut vinum febricitanti, arma furioso, divitiæ prodigo & avaro, &c.

(3) *Abso-*

(3) *Absolute vel comparate malum:* quo sensu bona minora nonnunquam pro malis habentur & fugiuntur.

(4) *Morale, naturale, vel artificiale:* quorum primum repugnat rectæ rationi, vel legi: secundum ordini naturæ: tertium regulæ artis.

(5) *Simpliciter vel secundum quid malum:* illud *morale, naturale*, vel *artificiale* malum est: hoc vel *denominative*, vel *caussaliter*, vel *significative* malum. Exemplum primi est homo, quem malum dicimus non formaliter & absolute, sed respectu inhærentis malitiæ: secundi, cibus malus, qui valetudini incommodat: tertii, color malus, seu pallidus, qui morbi indicium facit.

(6) *Per se vel per accidens malum:* illud est omne morale malum, seu peccatum: hoc etiam id, quod per se bonum est, & in abusum trahitur, vel intempestive adhibetur: quomodo vina febricitantibus dicuntur venena, & ebrietatis omniumque in te manantium malorum causæ.

(7) *Malum in abstracto, seu formaliter, & in concreto, seu materialiter ita dictum:* quorum illud est defectus actionis: hoc actio defectu laborans: ut, quando peccatum definitur, actio divinæ legi repugnans.

(8) *Internum vel externum:* illud *corporis* aut *animi* est: hoc *fortunæ* appellari malum solet.

(9) *Voluntarium* vel *involuntarium:* illud volentibus & procurantibus obvenit, hoc invitis & nolentibus.

(10) *Culpæ vel pœnæ malum:* illud est peccatum, vel *ἀνομία*: hoc *ἀνομίας* pœna. Aliæ distinctiones videantur apud theologos & metaphysicos.

§. 2. Quæritur (2) *An aliquid per se & naturâ suâ sit moraliter malum?*

Resp. Esse nonnullos actus moraliter malos, qui tamen natura sua, & per se moraliter mali non sunt, manifestum est. *Exempli* gratia. Comestio fructus ad nutritionem idonei per se actus moraliter malus non est: si tamen contra Dei prohibitionem fiat, moraliter malus est: cujusmodi actus fuit primorum parentum nostrorum in *Paradiso* de fructu vetito comedentium. Hujusmodi actus sunt plurimi per se & natura sua in specie indifferentes: qui accedente lege præcipiente, vel prohibente, fiunt moraliter boni, vel mali.

An verò aliqui etiam dentur actus per se, & natura sua, sine respectu ad legem, moraliter mali, nulloque modo indifferentes, porro quæritur?

§. 3. Tho-

§. 3. *Thomas Bradwardinus*, Doctor pontificius, lib. 3. de causa Dei, cap. 26. affirmat *nullam esse malitiam*, *quæ per se sit malitia.* Rationem reddit: quia eadem actio uni habenti hoc judicium practicum est mala, alteri contrarium habenti dictamen vel judicium est bona. Probatque hoc *exemplo* puerorum & furiosorum, in quibus crimine vacant actus, qui in adultis & sui compotibus essent horribiles & capitales culpæ. Ita secundum essentiam similes motus sunt culpabiliter, & inculpabiliter occidentium, hoc est, magistratus secundum legem & latronum contra legem occidentium. Similis est complexus adulterorum & immaculatorum conjugum. Unde infert, hos & similes actus omnes vel æque fore pravos, quod falsum: vel nullum eorum per se vitiosum, sed tantum ratione judicii, quo dirigitur is, qui actum admittit. Si recte se agere existimet rectam fore actionem, si male, malam. Vide *Gregor.* in 2. dist. 38. q. 9. un art. 2. si à patre occidi filium innocentem, per se simpliciter malum non erit, quia Dei accedente jussu, bonum & laudabile est. Quo nomine laudatur obsequium *Abrahami* ad cædem filii Isaaci se promte accingentis.

§. 4. Attamen sententiam hanc, tanquam absurdam, plerique saniores damnant. Sunt enim nonnulli actus moraliter mali, ut blasphemia, periurium, mendacium, qui nunquam materialiter evadunt boni, neque etiam præcipi à Deo possunt: quia simpliciter cum divina pugnant justitia, non obstante judicio hujus vel illius.

§. 5. *Raynaudus* distinguit inter malum *per se*, *objective & fundamentaliter*, & inter malum *per se*, *complete & formaliter* ita dictum. Hinc ait argumentum *Bradwardini* non probare, nihil esse per se malum *objective & fundamentaliter*, (hoc enim sensu doctores communiter admittere, aliqua esse per se mala) sed tantum probare, nihil secundum se esse *complete & formaliter* malum, ante judicium practicum operatione vel omissione interdicens: quo sensu ipse quoque negat, aliquid per se *complete & formaliter* malum esse, absque præeunte hujusmodi judicio: quod tum demum actio vel omissio vertatur probro, cum judicium antecessit, non autem prius: quamvis esset ejusdem naturæ & speciei physicæ, cujus est postea, quando judicium antecessit.

§. 6. Distinctionem hanc non contemnendam arbitramur. Ut enim de ratione actus moralis *complete & formaliter* boni est, ut à sciente & volente proficiscatur: sic actus moralis *complete & formaliter* malus scientiam quoque & voluntatem requirit, sine quibus judicium practicum non est. Sic, *exempli* gratia, adulterium *complete & formaliter* non erit, si quis cum uxore alterius rem habeat,

beat, quam alterius esse nesciat, sed suam putet: quod fieri per dolum adulteræ posse extra controversiam est. Sic qui *complete & formaliter* mali sunt actus respectu eorum, qui cum ratione agunt, pro talibus non habentur, si à furiosis vel infantibus perpetrentur: Unde illis possunt & solent esse capitales, his non item. Interim tamen actus hujusmodi ab insanis vel infantibus profecti minime sunt boni, sed *objective & fundamentaliter* mali.

Quæritur (3) *An bona sine malis, vel virtutes sine vitiis esse possint.*

Resp. *Negativam* amplectitur *Chrysippus* apud *Gellium*, lib. 6. cap. 1. ubi in lib. περὶ προνοίας 4. *Nihil est prorsus istis*, inquit, *imperitius, nihil insubidius, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent itidem mala. Nam cum bona malis contraria sint, utraque necessarium est opposita inter se se, & quasi mutuo adversoque nisu fulta consistere. Nullum adeo contrarium sine contrario altero. Quo enim pacto Justitiæ sensus esse posset, nisi essent injuriæ? Aut quid aliud Justitia est, quam injustitiæ privatio? Quid item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignaviæ oppositione? Quid continentia, nisi ex intemperantia? Quo item modo prudentia esset, nisi foret contrà imprudentia?*

Proinde, inquit, *homines stulti cur non hoc etiam desiderant, ut veritas sit, & non sit mendacium. Namque itidem sunt bona & mala, felicitas & infortunitas, & dolor & voluptas: Alterum enim ex altero, sicut Plato ait, verticibus inter se contrariis deligatum est. Sustuleris unum, abstuleris utrumque.* Hactenus *Chrysippus.*

§. 8. Quanta quæso, doctissimi hujus viri cæcitas? cui recte meritoque hoc regesseris. *Nihil est prorsus istis imperitius, nihil insubidius, qui opinantur bona esse non potuisse, si non essent itidem mala.* Quasi vero ad boni, quatenus est bonum, esse aut bene esse aliquid conferat malum, & aliqua sit boni à malo, formæ à privatione, perfectionis à defectu, lucis à tenebris dependentia. *Quæ communio luci cum tenebris*, inquit *Apostolus* 2. Cor. 6. v. 14. Et quis credat quæso, non posse bonum esse sine eo, quod est destructivum boni? In Innocentiæ statu si cum Angeli tum homines perseverassent, quod fieri omnino potuisset, nullus malo locus fuisset, sine ullo boni detrimento. Neque falsa tantum, sed & plane perniciosa hæc est *Chrysippi* opinio. Nam si bonum morale sine morali malo esse non potest, utique laborandum nobis non erit de morali malo penitus exstirpando: ne ipsum morale bonum exstirpemus. Sed indignum hoc dogma, cui refutando diutius immoremur.

Interim objicit nobis *Chrysippus*.

§. 9. (1) *Bonum & malum morale sunt contraria. Ergo dato uno & alterum datur: sublato uno & alterum tollitur. Hæc enim contrariorum est natura.*

Resp. Misso jam *antecedente*, de quo suo agitur loco, *consequentiam* negamus. *Probatio*, quod ea sit contrariorum natura, ut, posito uno, ponatur & alterum, simpliciter vera non est. Quid ni enim in suo esse subjecto posset calor, etiam omni undiquaque sublato frigore; aut frigus, omni sublato calore? De privative oppositis manifestior res est. An ne, si cæcus non esset, nemo videret? vel si surdus non esset, nemo audiret? &c. Ita si toto orbe exularet injustitia, intemperantia &c. an ne simul exularet justitia, temperantia &c.

At enim contraria, inquis, *sunt relata: relatorum vero uno posito vel sublato, alterum quoque ponitur vel tollitur.*

Resp. In *contrariis* duo sunt consideranda & distinguenda, nempe subjectum per se absolutum & subjecto accidens relatio, quæ in specie appellatur contrarietas. Ratione subjectorum absolutorum contraria, *exempli* gratia, calidum & frigidum, à se invicem non pendent, potestque unum esse sine altero, ut ante diximus: quæ virtutis quoque & vitii est ratio: sed respectu relationum, seu quatenus actu sunt relata, unum esse sine altero non potest. Siquidem actu relatum esse & dici non potest, nisi quod actu ad aliud, tanquam correlatum, refertur: & sic contrarium actu esse alteri non potest, nisi sit alterum, tanquam ejus correlatum. Ita calidum, qua calidum per se absolutum, & esse sine frigido potest: etiamsi actu contrarium frigido non est nisi existenti. Esset igitur virtus, si maximè vitium non esset: etiamsi actu vitio, tanquam non existenti, contraria non esset. Nisi forte actu contraria quoque videantur appellanda, quorum unum actu est, alterum mente concipitur, quamvis actu non sit.

§. 10. (2) *Virtutes sine vitiis intelligi non possunt. Ergo etiam sine iis esse non possunt. Antecedens probat exemplo justitiæ, fortitudinis, temperantiæ & prudentiæ: quæ quid sint intelligi non posset, si nullæ essent injuriæ, nulla ignavia, nulla intemperantia, nulla imprudentia.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* falsa est Habitus ut esse potest sine privatione, ita sine ea quoque cognosci & definiri potest & debet. Virtus non definitur per vitium. Igitur & cognosci potest sine vitio: quamvis excellentiam virtutis aliquo modo commendet opposita ei turpitudo: quæ quid sit concipi potest & intelligi, etiamsi actu non est.

§. 11. Ha-

§. 11. Hactenus *Chrysippi* refutata insania: quæ utinam propria illi & non communis cùm aliis esset! aut saltem extra Ecclesiam, non in ipsa etiam Ecclesia, veritati & pietati obstreperet. Sed ecce, in Ecclesia *Chrysippum* agit Doctor, & quidem theologiæ, & quod mireris, *Lutheranus*, publicus in Academia *Rostochiensi* olim professor. *Eilhardus Lubinus Chytrai* successor: qui in *Phosphoro* suo, anno 1601 *Rostochi* edito, cap. 19. hanc promulgavit thesin.

Necessarium prorsus fuit malum esse.

Quæ benigniore forte excusari interpretatione posset, nisi plane monstrosis fulciretur rationibus quatuor:

(1) *Quia alias Deus id, quod nihil est, sibi simile fecisset, ut ipse nihil esset.*

(2) *Quia non potuisset esse & Deus, nisi malum etiam & Diabolus fuisset.*

(3) *Quia alias homo creatura rationalis esse non potuisset.*

(4) *Quia alias nec Deus esset Deus, nec posset cognosci Deus, nec nos homines rationales essemus.*

Quanta, Deum immortalem, hæc mali moralis necessitas! tanta, quanta ipsius Dei. Siquidem Deus esse non posse creditur, nisi malum sit. Unde sequitur, aboleri à Deo non posse malum, nisi ipse Deus aboleatur, adeoque non minus æternum esse malum, quam ipse Deus est æternus. Quis ita blaspheme unquam deliravit!

Interim tu, Lector, cogita quæso, quorsum illa tendant *Lutheri*:

Non potest Deus esse Deus, nisi prius fuerit, vel fiat, aut factus sit diabolus: Gott kan nicht Gott seyn / er muß zu vorn ein Teuffel werden. Tom. 5. ten. pag. 157.

Tanta igitur necessitas Diaboli, quanta ipsius Dei, & prior Deo Diabolus. Ignoscat nobis hæc talia referentibus divina misericordia. Hæc si vel *Zwinglio*, vel *Calvino* excidissent, ad inferos nemo nostrum non relegaret. Sed heroicus *Lutheri* Spiritus ubique impune triumphat.

Quæritur (4) *An mali moralis detur causa efficiens?*

§. 12. Resp. Sunt qui negant mali moralis dari causam efficientem: Unde *Keckerm.* lib. 1. log. cap. 15. hunc tradit canonem? *causa efficiens κυρίως dicta non efficit, nisi in se bonum quid.* Quam in sententiam allegat *Thomæ* canonem: *Causa per se defectus non est aliquid positivum, sed alius defectus.* Allegat quoque *Augustinum*, qui lib. 12. de C. D. cap. 7. statuit, mali causam non tam *efficientem*, quam *deficientem* esse.

 Sed

Sed cur, mali moralis causam efficientem proprie dictam esse, negari debeat, sufficientes hæ rationes nobis non videntur, sive in concreto, sive in abstracto malum consideretur: neque ipsi repugnat defectui esse effectum, adeoque nec causę efficienti esse deficientem, vel in efficiendo deficere. Rationes nostræ sunt.

(1) Quicquid est, & à se ipso non est, eo ipso, quo ab alio, tanquam principio externo, est, id causam sui habet efficientem proprie dictam. Atqui malum morale est, & à se ipso non est: eo ipso igitur, quo ab alio est &c. *Propositio* probatur: quia esse ab alio, tanquam principio externo, definitio est effectus. Atqui effectus omnis est causæ efficientis effectus.

(2) Peccatum seu vitium morale est ab aliqua causa per se, tanquam principio externo: Ergo est ab efficiente proprie sic dicta. *Antecedens* in confesso est. Quicquid enim extra Deum est, id est à causa aliqua per se, eaque vel prima vel secunda. Ratio *consequentiæ*: quia nec à materia, nec à forma, nec à fine est, tanquam principio externo. De materia & forma res manifesta est: quia materia & forma non sunt principia externa: de fine quoque nullum est dubium. Non enim est res à fine, sed propter finem. Præter hæc tria causarum genera, non est nisi quartum, nempe causa efficiens, per communem omnium theologorum & Philosophorum sententiam. Contra quam minime audiendi sunt, qui deficientem nobis obtrudunt non efficientem. Vel enim deficiens causa non est causa, vel efficientis propriæ dictæ est modus, seu species: quia non nisi quatuor causarum prima sunt genera, efficiens & finis, materia & forma.

(3) Homicidia, adulteria, furta, perjuria, &c. quatenus sunt vitia & mala moralia, habent autores suos & causas procreantes, à quibus scientibus & volentibus proficiscuntur, quæ ab omnibus logicis referuntur ad causas efficientes. Ergo dantur vitiorum, seu moralium malorum causæ efficientes. Ratio conseq. quia homicidia, adulteria, furta, perjuria &c. sunt mala moralia.

§. 13. Sed argumenta videamus contraria.

(1) *Causa efficiens non efficit nisi in se bonum quid. Atqui malum morale non est bonum. Ergo causam efficientem non habet.*

Resp. *Propositio* non est universaliter vera. Contrarium modo evicimus.

(2) *Efficiens causa non efficit nisi ens. Atqui malum morale non est ens. Ergo à causa efficiente non est.* Propositio prob. *quia effectus non est toto genere deterior sua causa.*

Resp.

Resp. *Propositio* simpliciter vera non est. Nam & privatio est à causa efficiente. Atqui privatio non est ens. *Probatio* est inconsequens: siquidem per se efficiens causa moralis mali & ipsa laborat defectu, seu privatione rectitudinis moralis. Unde qualis causa, talis effectus: adeoque effectus non est toto genere simpliciter deterior causa sua efficiente. Est enim effectus malus à causa mala, defectus à causa laborante defectu. *Omnis arbor bona, inquit Christus* Matth. 7. v. 17. 18. *fert fructus bonos: putris autem arbor fert fructus malos: non potest arbor bona fructus malos ferre, neque arbor putris fructus bonos ferre.*

§. 15. (3) *Quod non est effectus, sed defectus, illud quoque causam habet non efficientem, sed deficientem. Atqui malum morale non est effectus, sed defectus: Ergo causam quoque habet non efficientem, sed deficientem.*

Resp. *Propositio* laborat elencho oppositorum. Effectus & defectus non sunt opposita: quia & defectus est effectus, quatenus est à causa efficiente in agendo à rectitudine deficiente. Igitur *assumtio* quoque negatur. Malum morale effectus & defectus est, nempe arboris malæ fructus malus: causæ efficientis in agendo deficientis effectus defectivus, seu privativus. Deficiendo nihil producitur, nisi efficiendi se vis exerat.

§. 16. (4) *Quod habet efficientem causam, id finis quoque rationem habet. Atqui malum morale non habet rationem finis: ergo nec efficientem causam habet.* Propositio prob. *quia efficiens agit propter finem, & effectum suum, tanquam finem, intendit.* Assumtio prob. *quia quod finis rationem habet, id bonum est. Unde finem proprie dictum non nisi bonum esse scholæ Peripateticæ affirmant. At malum morale non est bonum.*

Resp. *Assumtio* negatur. *Probatio* est inconsequens, & partim quoque falsa. Est enim bonum non unius generis: aliud est *verum*, aliud *apparens bonum:* aliud *honestum*, aliud *utile* vel *jucundum*. Potest igitur & morale malum esse bonum, non quidem *verum*, sed *apparens*, non *honestum*, sed *utile* vel *jucundum*. Unde finis quoque rationem habere potest, & intenditur morale malum, ut finis, & propter finem, quamvis non qua malum, sed qua bonum *apparens*, *utile*, aut *jucundum:* vide *Suarez*. disp. 11. sect. 3. n. 3.

§. 17. (5) *Malum morale non habet efficientem causam primam nempe Deum. Ergo per se nec secundam habet.* Antecedens *extra controversiam est.* Ratio conseq. *Quia secunda causa in agendo pendet à prima.*

Resp. Negatur *consequentia*. *Probatio* est inconsequens. Etjam

jam secunda causa deficiens à prima pendere potest, ut tamen defectus culpa in primam non redundet: quæ in mediis etiam confusionibus & defectibus sanctum suum opus peragit, creaturam defectu laborantem conservando, ad objecta applicando & defectus malos in fines bonos dirigendo.

§. 5. Quæritur (5) *An mali moralis detur causa finalis?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur: Rationes sunt:

(1) Quicquid habet causam efficientem, id etiam finalem habet: Atqui malum morale, seu peccatum, præsertim quod commissionis appellatur, habet causam efficientem. Ergo & finalem habet. *Propositio* est canon logicus, apud *Keckerm.* lib. log. cap. 18. can. 3. cujus ratio est: quia efficiens non agit, nisi à fine mota. *Assumtionem* modo probavimus.

(2) Qui vitiis moralibus operantur, nempe fures, avari, homicidæ, perjuri, adulteri, injusti &c. eos actuum suorum vitiosorum certos habere fines, quos intendunt & assequuntur per hujusmodi actus, etiam apud ipsos peccatores est in confesso.

(3) Actus nonnulli moraliter mali sunt difficiles & periculosi, qui non exercerentur, nisi sub intentione & spe certi alicujus finis & commodi: ut constat de avaris, furibus, homicidis &c. qui ad obtinenda vota sua nullis parcunt laboribus, nulla declinant pericula.

§. 19. Interim *negativam* multi eligunt. Hinc *Dionys.* de divin. nom. Vitium omne caret efficiente & fine: cui *Simplicius* subscribit in *Epictet.* Et *Ciceronem* perstringit *Scaliger*, Exer: 250 sect. 1. quod malis quoque finem assignarit: Quando de bonorum & malorum finibus scripsit. Unde natus *Keckermanno* canon logicus.

Finis per se & sua natura tantum est bonus & boni.

Rationem negativæ si requiras, unam hanc omnes reddunt: *Quia finis habet rationem boni, ad minimum apparentis: Finis enim appetitur: appetitus autem natura ordinatur ad bonum.*

Atqui plane *inconsequens* hæc ratio est: neque periculum est, ne mala fiant bona, si per ea quandoque bonum intendatur. ut si amici innocentis conservandi causa, homicidium vel perjurium committas. Intentione bona quamvis actionem reddi bonam, ut nemo sanæ mentis facile dixerit, ita quoque minime negandum fuerit, per mala media intendi quandoque bonum: etsi bonum non est per mala intendere bonum. *Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona*, inquit Apostolus, Rom. 3. v. 8. Nil opus

fuisset

fuisset hac prohibitione, si intendi bona per mala non possent, vel malorum fines boni esse non possent.

Excipit cum aliis *Keckerm.* in log. *Quod interdum rei malæ dicitur esse finis, sciendum est, id per accidens fieri & dici, quatenus id, quod finis dicitur, bonum apparet, cum revera non sit.*

Resp. Minime hoc damus *Keckermanno*, cui & ratio & manifesta repugnat experientia. Rei malæ sæpissime finis est non per accidens, præter intentionem male agentis, sed per se, & secundum primariam ejus intentionem: ut, si quis diviti pecuniam suffuretur, ut dare eleemosynam pauperibus possit: Si quis mentiatur, ut Deum glorificet: quo exemplo utitur *Augustinus.* Si perjurium quis committat, ut innocentem Dei servum è præsenti vitæ discrimine, latronibus vel tyrannis persequentibus eripiat, &c. Hæc & similia per media mala per se intenduntur, & sunt fines per se boni. Est enim per se bonum largiri eleemosynas, glorificare Deum, innocentem Dei ser vum conservare &c. quamvis per se mala sint media, iisque ipsa etiam inquinentur bona: quæ tamen propterea per se fines esse non desinunt.

§. 21. Quæritur (6) *Utrum virtuti vitium opponatur contrarie, an privative?*

Resp. Trita in scholis assertio est: *vitium & virtutem opponi contrarie, vel esse opposita contraria.* Unde in logicis quoque plerunque tanquam exempla contrarie oppositorum adducuntur. Contra vero, vitium non contrarie, sed privative virtuti opponi hac ratione prob: Quicquid contrarie alteri opponitur, positivum quiddam est & ens, adeoque bonum. Atqui vitium, seu malum morale, non est positivum quiddam &c. ergo vitium virtuti contrarie non opponitur.

Propositio manifesta est: quia contrarie opposita in specie sic dicta ab omnibus logicis habentur pro positivis: & hinc à privantibus & contradicentibus distinguuntur.

Assumtio prob. Quia vitium morale peccatum est proprie dictum, seu ἀνομία. Ut enim virtus moralis est conformitas cum lege, sic vitium est difformitas. Atqui ἀνομία non est positivum quiddam, sed privativum: non enim ens & bonum est, sed non ens & malum.

Item: Privatio habitui non opponitur contrarie, sed privative: Atqui vitium est privatio, virtus autem habitus: Ergo virtuti non contrarie, sed privative opponitur.

Parum proficere dicuntur, qui vitium *materialiter*, aut *concrete* acceptum, pro actione vitiosa, virtuti contrarie opponi ajunt. Siquidem fit oppositio contraria non secundum materiale.

Actio enim materialiter accepta actioni, quatenus est actio, non opponitur contrariè, sed ratione formalis sui, quo differt actio ab actione. Unde non minus privative opponitur actio, quatenus est ἀνομία, actioni, quatenus ἐννομία; quam ἡ ἀνομία τῇ ἐννομίᾳ: ut ita loqui liceat.

§. 22. Interim sententiæ huic obstacula ponuntur non parva, inter quæ & hoc:

Habitus non opponitur habitui privative: Atqui vitium morale est habitus: Ergo virtuti, tanquam habitui, non opponitur privative.

Propositio manifesta est: quia habitus non est privatio: opponuntur enim habitus & privatio. Atqui eorum, quæ opponuntur privative, alterum oportet esse privationem. *Assumtio* est in confesso. Avari enim, prodigi, mendaces, ebriosi, voraces, libidinosi dicuntur non ab uno aliquo vitioso actu, sed ab actuum vitiosorum crebritate, quibus habitum acquiri vitiosum palam est.

Hinc *in oppositionem contrariam* inclinant alii, inter quos & *Augustinus* videtur esse, qui in Enchirid. cap. 14. *in bono & malo* ait *deficere regulam dialecticam: quod contraria eidem inesse non possint: quia eadem res potest esse bona & mala.* Sed contraria *Augustino* videntur accipi in significatu latiore, pro oppositis, ut sæpe alias. Expressior est *Dionysii* sententia, cap. 4. de divin. nom. *Malum*, inquit, *non pugnat contra bonum, nisi ratione alicujus boni: Nam secundum se est impotens.* Neque contemnenda est ratio quam modo adduximus.

§. 23. Non obstante ergo exceptione contra rationem pro oppositione privativa adversus contrariam allatam, diverso respectu *privativè* & *contrariè* opponi vitium virtuti contendunt alii. Unde *Aristoteles* quoque in cap: de oppos: & lib: 2. Eth. cap: 8. malum bono contrarie opponi affirmat: qui tamen in vitio morali privationem rectitudinis rationi convenientis agnoscit. Igitur vitium morale *commissionis* (alia enim est ratio ejus, quod *omissionis* appellant) duobus modis consideratur, vel quo ad formalem rectitudinis carentiam solam oppositam rectitudini, vel quoad totalitatem suam constantem actu & rectitudinis defectu. *Priori modo* oppositio non est nisi privativa: quia citra contradictionem carentia rectitudinis positiva dici non potest. *Posteriori* admittenda quoque oppositio contraria: quia hoc modo vitium morale *commissionis* includit quoque actum, quem privatio formaliter accepta non includit, eumque opposi-

tum

tum actui virtutis, non tantum per carentiam rectitudinis, sed & per contrarietatem inclinationum & actionum, quæ in virtutibus & vitiis oppositis, præter privationem, est conspicua. Sic, *exempli* gratia, per *temperantiam* parcè cibus potusque assumitur, & naturæ, quæ paucis est contenta, habetur ratio: per *intemperantiam* magna copia ingeritur cibus potusque, & natura obruitur. Per *fortitudinem* intrepide aggredimur pericula, per *timiditatem* eadem fugimus effuso etiam cursu. Per *taciturnitatem* premuntur arcana, frænumque injicitur linguæ, & tempestive atque parce verba fiunt: Per *garrulitatem* propalantur arcana, frænum laxatur linguæ, & quovis tempore funduntur verba. In his & similibus actibus vitiosis, præter carentiam rectitudinis, esse quandam contrarietatem nemo sanæ mentis facile negaverit. Neque huic obstat sententiæ sic declaratæ & probatæ *exceptio*, cujus ante est facta mentio. Contrariis & positivis actibus accidere potest privatio, per quam formaliter evadunt vitiosi.

§. 24. Quæritur (7) *An malum morale sit pura privatio?*

Resp. *Affirmativam* videtur stabilire ratio mali moralis. Est enim non ens. Atqui non-ens est negativum vel privativum. Cum igitur morale malum non sit non ens negativum, quod per se legi divinæ non adversatur; utique privativum erit, adeoque pura privatio.

§. 25. Hac tamen ratione non obstante *negativam* eligimus. Sunt enim vitiorum aliæ puræ privationes, aliæ actiones rectitudine sua privatæ.

Exempli gratia; non facere, quod debebas facere, pura est privatio: facere, quod non debebas facere, actio est rectitudine sua privata, utrumque moraliter malum est: Illud omissionis, hoc commissionis. Sic furari, inebriari, &c. mala sunt moralia: Quia formali sua ratione deficiunt à lege, & privationem rectitudinis includunt: attamen puræ privationes non sunt: quia nec furtum, nec inebriatio est sine actione: illud enim non committitur sine ablatione rei alienæ; hæc non sine bibitione multa. Igitur plurimum differunt esse puram privationem, & esse aliquid, quod per rationem suam formalem sit privativum. Hoc enim materiale includit, quod entis & boni rationem habet, quamvis per privationem ei deformitas accidat, quæ per se non ens est: illa nihil in se habet boni.

Pro *affirmativa* ratio adducta solutu facilis est. Omne malum morale est non ens ratione sui formalis, quod est defectus:

 non

non autem ratione ſui materialis. Itaque idem non ſunt privatio & aliquid privativum: illa enim, qua talis, eſt non-ens; hoc ens cum non-ente complicatum: quo reſpectu ipſum quoque malum dici poteſt eſſe aliquid poſitivum, non quidem quoad formale, ſed quoad materiale: quod peccatis commiſſionis eſt intimum & eſſentiale.

§. 27. Quæritur (8) *An vitium morale ſit habitus proæreticus?*

Reſp. *Affirmativa* in Scholis recepta eſt, quam hoc modo defendimus. Promtitudo agendi cum electione crebris actionibus comparata eſt habitus proæreticus. Atqui vitium morale eſt promtitudo agendi cum electione crebris actionibus comparata: Ergo vitium morale eſt habitus proæreticus.

Propoſitio manifeſta eſt ex definitione habitus proæretici.

Aſſumptio prob. Quia ut virtus moralis eſt promtitudo agendi ſecundum legem crebris comparata actionibus: Sic & vitium morale eſt promtitudo agendi contra legem &c. neque minus ex promtitudine agendi contra legem actiones fluunt inhoneſtæ, quam ex promitudine agendi ſecundum legem honeſtæ. Eſt & utrobique electio: quamvis unam recta, alteram non recta ratio moderetur.

§. 28. Excipitur: *Habitus eſt qualitas, adeoque ens & bonum quiddam. Atqui vitium morale non eſt qualitas, ſed non-ens & malum. Ergo vitium morale non eſt habitus.*

Propoſitio manifeſta eſt ex prædicamento qualitatis & natura entis, cum quo bonum convertitur. Aſſumtio prob. *Quia per naturam ſuam eſt privatio & defectus entis atqui boni.*

Reſp. Ad *propoſit:* Habitus, ſecundum materiale ſuum, eſt qualitas, adeoque ens & bonum quiddam: ſecundum formale etjam non-ens & malum quiddam atque privatio boni eſſe poteſt. Hac diſtinctione præmiſſa *aſſumtio* ſimpliciter non conceditur. Etiamſi enim vitium morale, ratione formalis ſui, eſt non-ens & malum, ſeu privatio boni & defectus entis, ſive qualitatis, ſive actionis: tamen ratione materialis ſui eſt ens & bonum quiddam, ſive qualitas, ſive actio &c unde peccatum ratione formalis ſui *ἀνομία*, ſeu defectus cum lege pugnans à Theologis nihilominus appellatur actio, vel inclinatio: cui ſi formale addas, nempe pugnam cum lege ſeu privationem rectitudinis per legem præceptę, integra evadit peccati deſcriptio: *Actio, ſeu inclinatio naturæ rationalis pugnans cum lege Dei, vel privata rectitudine morali, ſeu legali.* Ubi *genus*, hoc eſt actio ſeu inclinatio, habet rationem materiæ, ut alias: *differentia*, pugna cum lege Dei, ſeu privatio rectitudinis legalis, rationem formæ.

§. 29. Quæ-

§. 29. Quæritur (9) *An omne vitium morale sit tale, quia præcise contra divinam rationem, seu legem est, ita ut morale vitium non esset, si contra rationem & legem divinam non esset?*

Resp. Quæstionis hujus *negativam* adstruit *Gregor.* 2. dist. 34. q. 11. quam veram judicat *Raynaudus*, dist. 4. q. 3. art. 1. n. 237. & probari ait *Sam.* 1.2. tract. 3. d. 2. n. 58. 72. 73. & *Suarez*: 2. de leg: cap. 6. n. 17. Rationes pro ea adducit sequentes.

(1) *Quia si, per impossibile, divina ratio & Deus non esset, fingeremusque esse hominem, adhuc posset esse peccato locus, violando legem particularem & repugnando rationis rectæ dictaminibus, ut si intelligeremus, Deum non esse, adhuc verum esset eum, qui mentiretur, male agere & in naturam suam delinquere: quia in mendacio, absque ullo ad Deum respectu, reperitur inordinatio dedecens hominem, adeoque malitia moralis, seu culpa.*

(2) *Quia operari contra conscientiam semper est malum & peccatum. Atqui ἄθεος, vel qui Deum nullo modo nosceret, essetque sibi ipsi lex; posset agere contra conscientiam. Ergo posset peccare.*

(3) *Si peccati ratio penderet à divina prohibitione, verumque esset, divinum præceptum esse terminum essentialem dissonantiæ cujusvis peccati, fatendum esset, gradum evidentiæ de malitia alicujus operis affectari gradum evidentiæ de existentia Dei. At falsum consequens: Ergo & antecedens.* Assumptio prob: *quia etiam ubi existentiæ Dei evidentia nulla est, nihilo minus evidentia est de operis alicujus malitia, per rationem & judicium practicum atque conscientiam.*

(4) *Si omne vitium morale æstimandum esset ex lege divina, & per dissonantiam ab ea esset vitium, sequeretur, actus moraliter vitiosos fuisse nullos in iis, qui legem divinam non habuerunt. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.* Assumtio patet ex Paulo. Rom. 2. v. 12. 14. ubi docet, *etiam sine lege gentes peccasse.*

§. 30. Contra vero huic *negativæ* videtur obstare (1) Definitio peccati: quæ est transgressio legis divinæ. Si vero omne peccatum est transgressio divinæ legis. Utique in universum forma omnis vitii moralis erit dissonantia à lege divina.

(2) Effectus universalis peccati. Quia per omne peccatum offenditur Deus & injuria afficitur: quod fieri non potest, nisi per violationem divinæ legis.

Sed non tam re, quam verbis diffidere autores videntur. Qui

negativam,

negativam adstruunt, per divinam legem in specie intelligunt legem à legislatore Deo sollenniter promulgatam, quam vulgo *positivam* appellant, nempe *Mosis* ministerio datam populo Israelitico.

Negativam qui repudiant & *affirmativam* amplectuntur, per divinam legem in genere intelligunt, quæ Deum habet autorem, sive solenniter per legislatorem sit promulgata, sive singulariter omnibus & singulis hominibus ab ipso ortu per creatorem inscripta: quam nonnulli in specie appellant naturalem: quia natura est nota, etiam sine promulgatione.

Priori modo dicta lex divina, quatenus est promulgata solemniter, non est regula universalis omnium actuum moralium: quia etiam sine illa multi peccant, qui de promulgatione legis nihil unquam audiverunt, vel fando acceperunt. Unde Apostolus: *qui sine lege peccarunt, sine lege quoque peribunt: & quicunque in lege peccaverunt, per legem damnabuntur.* Illorum igitur actus morales exigentur ad legem non *positivã* & *Mosis* ministerio promulgatam, quam ipsi non habuerunt: sed ad legem aliam, nempe *inscriptam:* de qua ibidem Apostolus: *Isti legem non habentes sibi ipsis sunt lex: ut qui ostendant opus legis inscriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia, & cogitationibus sese mutuo accusantibus, aut etiam excusantibus.*

Posteriori modo lex divina dicta universalis est omnium actuum moralium regula. Unde ex lege divina omnes judicabuntur, sive *promulgata*, sive *cordibus inscripta.* Hoc enim in specie non attendetur, modo nota lex fuerit, aut esse potuerit.

§. 32. Observanda distinctio: Lex divina consideratur, vel quoad *materiale*, hoc est, ipsa præcepta & prohibitiones creaturam rationalem obligantes: vel quoad *formale* externum, consistens vel in promulgatione solenni externa, vel in inscriptione interna. Ratione *materialis* lex divina est una: nec enim aliud Deus promulgavit, aliud inscripsit: quamvis expressior & plenior sit promulgatio, quam inscriptio post lapsum. Ratione *formalis* est gemina, nempe in specie *promulgata* vel *inscripta.* Quo sensu lex promulgata, quatenus est promulgata, negatur esse regula universalis omnium actuum moralium.

Militant igitur argumenta *negativæ* opposita pro lege divina posteriore sensu accepta. Contra, *negativam* adstruentia officium regulæ universalis adimunt divinæ legi, non ratione materialis, sed formalis, quatenus est promulgata.

§. 33. Interim rationes pro *negativa* allatæ, præsertim tres priores, non placent. Prima absurdam & impossibilem ponit hypothesin,

pothesin, nempe, *Deum non esse, & nihilominus hominem esse.* Unde infert, actum moraliter bonum vel malum fore in homine etiam sine respectu ad Deum, per rectæ rationis dictamen. Sed qui quæso recta in homine posset esse ratio, nisi à Deo esset, nisi lex à Deo ei esset inscripta, per quam esset recta in moralibus. Lex particularis nulla esset, si Deus non esset: neque peccatum esset, si lex non esset: quia peccatum est legis transgressio.

Secunda ponit *atheum, qui sibi ipsi sit lex & regula actuum moralium, respectu cujus peccet contra conscientiam.* Atqui non potest dici *atheus* sibi ipsi lex, nisi quatenus legem habet inscriptam: quæ divina esse non desinit, etsi pro divina eam *atheus* non habet. Interim simpliciter *atheus*, qui nullo modo Deum esse credat, vix datur.

Tertia supponit *esse evidentiam de operis alicujus malitia morali per rationem & judicium practicum, etiam ubi nulla est evidentia existentiæ divinæ, ut in atheis*, quæ si maxime daretur, (quamvis an detur, maxime sit dubium: vix enim cogitari potest, qui per rectam rationem evidentia possit esse de malitia alicujus operis moralis, sine evidentia existentiæ divinæ) tamen exinde non sequeretur, alicujus operis moralis regulam non esse legem divinam. Non enim illico lex divina esse desineret, quam *atheus* pro divina non haberet: qui tandem per legem divinam cordi inscriptam damnabitur, etiamsi forte divina ipsi non est visa.

§. 34. Quæritur (11) *An inter malum morale commissionis & omissionis detur medium, seu tertium, quod nec commissionis nec omissionis sit?*

Resp. *Negativa* in Scholis theologicis & ethicis est recepta. Ubi observandum, species istas nominibus distingui à nonnullis, ita ut *commissionis* malum in specie appelletur peccatum, *omissionis* delictum: ut docent *Gregor.* M. in Ezech. homil. 21. & *Augustinus*, quæst. 20. in Levit. *fortasse*, inquit, *peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni.*
Sed de nominibus non adeo laborandum. *Negativæ* attendenda ratio.

Omne peccatum est difformitas & dissonantia à regula actuum moralium. Tot ergo in genere sunt species peccati, quot sunt præcepta, seu regulæ generales, à quibus dissonat peccatum. Atqui præcepta in genere sunt duplicia, nempe *affirmativa* vel *negativa*: quorum illa præcipiunt actum aliquem exercendum, ut *cole Deum, honora patrem*: hæc prohibent actum, ut, *ne occide, ne furare*, &c. Inter hæc ergo membra cum sit oppositio immediata, non potest nisi duplex statui genus

genus moralis formalisve malitiæ, nempe *malitia commissionis* pugnans cum præcepto negativo, qua ponitur actus, quem poni præceptum prohibet; *& malitia omissionis*, pugnans cum præcepto affirmativo, qua negligitur & intermittitur actus, quem poni præceptum jubet.

Eodem tendit ratio. Inter facere quod prohibetur, & non facere quod præcipitur, tertium & medium non datur. Ergo nec inter commissionis & omissionis malum datur medium, seu tertium. Ratio *consequentiæ*: quia facere quod prohibetur, est commissionis, non facere quod præcipitur, est omissionis malum. *Antecedens* tam diu verum manebit. donec medium & tertium detur: quod an dari possit, jam videbimus.

§. 35. Putat id dari *Angestus*, cap. 10. mor. t. 4. idque affirmat esse conatum anteriorem moralitatis capacem, quo peccare possit voluntas nec omittendo, nec committendo. Rationem hanc adducit *Almainus*, tract. 3. c. 26. *Conatus voluntatis distinguitur ab actu voluntatis: Ergo potest poni conatus ad aliquid legi dissonum, & turpis esse, qui tamen nec commissio erit, cum nondum sit actus, vel etiam non futurus, conatu per obicem aliunde injectum impedito: nec omissio, cum supponere possimus, nullum tum urgere præceptum affirmativum. Et per consequens dari peccatum actuale potest, quod nec commissio, nec omissio sit.*

Antecedens rationis prob. *Quia actus voluntatis est ex conatu & à conatu: adeoque conatus natura prior est actu voluntatis elicito, & sic distinctus ab eo.*

Resp. Si conatus est libera voluntatis applicatio & determinatio ad volendum, ut definitur ab *Almaino*: *antecedens* simpliciter verum non est, & *probatio* ejus inconsequens. Etiamsi enim voluntatis conatus ab aliquo ejus actu elicito distinguitur, tamen non simpliciter ab omni actu, sed ab eo tantum, qui sequitur inclinationem & determinationem, siquidem applicatio & determinatio voluntatis libera ad aliquem actum & ipsa est aliquis actus. Agit enim, quod se applicat & determinat ad aliquid. Quamvis interior illa applicatio & determinatio ad volendum aliud nihil sit nisi volitio quædam inchoata. Unde moralitas ejus distincta ab actu continuato & perfecto nulla erit. Aut si applicatio illa & determinatio libera nullo modo est volitio, quod tamen fingi non potest, utique nec moralitatis actualis esse capax poterit, ut haberi pro peccato actuali debeat. Summa: si actio est, & quidem voluntatis, eaque legi contraria, peccatum commissionis erit: Si intermissio actionis, legi contraria, omissionis peccatum erit.

erit. Neque poteſt eſſe omiſſio moraliter mala, ubi non urget præceptum affirmativum.

§. 36. Quæritur (11) *An duo extrema vitia, inter quæ media eſt virtus, magis ſibi invicem adverſentur, quam virtus extremis?*

Reſp. *Affirmativa* defenditur his argumentis:

(1) Inter quæ major eſt diſtantia, ea etiam magis ſibi adverſantur: Atqui inter duo extrema vitia major eſt diſtantia, quam inter virtutem mediam & extrema vitia: Ergo extrema vitia magis ſibi adverſantur, quam virtus media extremis.

Propoſitio Ariſtotelis eſt lib. 10. Metaph. *Aſſumtio* apud omnes eſt in confeſſo.

(2) Inter extremum & extremum nulla eſt convenientia: inter medium & extrema eſt convenientia aliqua: Ergo extremum extremo magis adverſatur, quam medium extremis.

Antecedens probatur exemplis. Inter avaritiam & prodigalitatem, quæ duo ſunt liberalitatis extrema, nulla eſt convenientia: ſiquidem extreme diſtant. Illa modum in retinendo nullum obſervat, hæc in erogando & profundendo nullum. Media liberalitas cum avaritia retentionem, cum prodigalitate largitionem habet communem: etſi modum utrique præſcribit. Idem videre eſt in fortitudine, quæ media eſt inter audaciam & timiditatem.

§. 37. *Piccolomineus* per diſtinctionem reſpondet: nempe oppoſitionem virtutis & vitiorum dupliciter poſſe conſiderari: reſpectu *extenſionis*, quæ eſt in latitudine rei; vel reſpectu *generum*. Quoad *extenſionem* latitudinis rei extrema duo vitia magis ſibi invicem, quam virtuti aſſerit adverſari: quia extrema maxime diſtant. Quoad *genera* virtutis & vitiorum extrema vitia magis virtuti adverſari ſtatuit, quam ſibi invicem: quia ambo extrema vitia in generica vitii moralis natura conveniunt & virtuti maxime adverſantur. Hanc ſecundam oppoſitionem ideo majorem eſſe addit, quia in prima eſt diſtinctio per differentias ſub eodem genere poſitas: in altera vero ſejunctio per tota genera: Siquidem virtus & vitium, tanquam bonum & malum, toto genere diſſident. Hinc ſubjungit: *facilius avarum tranſire in prodigum, quam in liberalem: quod difficilius ſit mutare genus, quam differentiam tantum proximam.* Hoc an rationi ſit ſatis congruum, *Piccolomineus* viderit. Alias diſtinctiones non improbamus; unde parata eſt ſolutio objectionis.

Quæ genere diſſident, magis ſibi invicem adverſantur, quam quæ genere conveniunt. Atqui virtus & extrema genere diſſident, extrema vero genere conveniunt: Ergo magis ſibi invicem adverſantur virtus & extrema, quam extrema. aſſumtio manifeſta eſt;

eſt: *quia utrumque extremum & malum : virtus vero in genere bonorum eſt.*

§. 38. Quæritur (2) *An virtus magis adverſetur uni extremo, quam alteri?*

Reſp. *Affirmativa* defenditur ſequentibus argumentis.

(1) Unum extremum magis eſt diſſimile virtuti mediæ, quam alterum: Ergo uni magis adverſatur virtus, quam alteri. *Antecedens* prob: exemplis. *Avaritia* magis eſt diſſimilis *liberalitati*, quàm *prodigalitas*: quia *liberalitatis* potius eſt largiri, quod cum *prodigalitate* habet commune, quam retinere, quod eſt *avaritiæ*. Sic *timiditas* magis eſt diſſimilis *fortitudini*, quàm *audacia*: quia *fortitudinis* eſt potius aggredi pericula, quod cum *audacia* habet commune, quam ea refugere, quod eſt *timiditatis*.

(2) Magis inclinamus ad unum extremum vitioſum, quam ad alterum: Ergo virtus magis adverſatur uni, quam alteri.

Antecedens experientia comprobat. Magis inclinant plerique homines ad ἀκολασίαν ſeu intemperantiam, quam ad ἀναισθησίαν ſeu ſtuporem. Inter extrema hæc media eſt intemperantia: quæ magis adverſatur τῇ ἀκολασίᾳ, quam τῇ ἀναισθησίᾳ.

(3) Extremum unum potius, quam alterum, ſortitur nomen virtutis mediæ: Ergo uni magis adverſatur, quam alteri virtus media: *Antecedens* patet. Prodigus appellari vulgo ſolet liberalis, quem nemo avarum dicit: audax fortis, nunquam timidus &c. Ratio *conſequentiæ*: quia nominum illa permutatio eſt ab affinitate majori.

Obſervant Ethici: In virtutibus, quæ verſantur circa facultatis concupiſcibilis paſſiones, & ad boni ſenſibilis proſecutionem pertinent, extremum excedens magis adverſari virtuti: in iis vero, quæ circa facultatis iraſcibilis paſſiones verſantur, & ad mali fugam ſunt ordinatæ, extremum deficiens magis adverſari virtuti. Unde temperantia magis adverſatur intemperantiæ, quam ſtupori, ſeu τῇ ἀναισθησίᾳ: fortitudo autem magis timiditati, quam audaciæ. Et facilius ad temperantiam traducitur ἀναίσθητος, quam intemperans: facilius ad fortitudinem audax, quàm timidus.

§. 39. Objicitur: *Æque diſtat virtus ab utroque extremo: Ergo non magis adverſatur uni, quam alteri extremo.* Antecedens prob: *quia medium eſt inter utrumque extremum: Atqui medium ab extremis æque diſtat, veluti centrum à circumferentia.* Ratio conſequentiæ: *Quia æqualitas diſſidii eſt ab æqualitate diſtantiæ.*

Reſp. *Antecedens* negatur: ut quæſtione ſuperiori vidimus. *Probatio* eſt inconſequens: non omne medium ab extremis æque diſtat,

distat, nec omne medium est simile centro intra circumferentiam posito. Medium dicitur etiam id, quod ab extremorum uno distat longius, quam ab altero. Medium est non tantum arithmeticum, sed & geometricum atque harmonicum.

§. 40. Quæritur (13) *An duo virtutis extrema sibi contrarie opponantur?*

Resp. *Affirmativa* in scholis est recepta. Unde contraria dicuntur extreme dissidentia, timiditas & audacia, avaritia & prodigalitas &c. quia actionibus extreme dissident. Vulgo enim inter actus sub uno & eodem genere longissime distantes contraria esse oppositio dicitur: quæ in habitibus quoque est actionum contrariarum principiis. Quia igitur longissime & extreme distant sine ratione omnia pericula aggredi & omnia fugere; pecuniæ tenacissime inhærere, & eandem temere profundere; idem utique de actionum harum principiis, nempe, timiditate & audacia, avaritia & prodigalitate judicandum quoque fuerit. Quales enim effectus, tales causæ. Sic calor & frigus contrarie opponuntur: quia actiones, calefactio & frigefactio, sunt contrariæ: non enim innotescit causarum contrarietas, nisi ex effectorum, seu actionum, contrarietate. In vitiorum extremorum actibus, præter privationem, est etiam quædam contrarietas, ut ostendimus ad quæstionem de oppositione virtutis & vitii.

§. 41. Pro contraria sententia objicitur.

(1) *Duo extrema vitia sunt privationes virtutis in medio consistentis: Ergo inter se contrarie non opponuntur.* Antecedens *in confesso est.* Ratio conseq. *Quia contraria sunt opposita positiva, distincta à contradictorie & privative oppositis.*

Resp. Negatur *consequentia. Probatio* est inconsequens: vitia extrema non sunt puræ privationes, sed actus cum privatione; adeoque privationes quoad formale, non quoad materiale. Opponuntur igitur contrarie non per formale simpliciter, sed per materiale, hoc est actus, qui non tantum privationem, sed & contrarietatem includunt, ut ante diximus.

§. 42. (2) *Species ejusdem generis opponuntur disparate. Atqui extrema duo vitia sunt species ejusdem generis: Ergo opponuntur disparate, & per consequens non contrarie.* Propositio *ex natura & definitione disparatorum manifesta est.* Assumtio *extra dubium est. Sunt enim virtutum, exempli gratia, fortitudinis & liberalitatis, extrema timiditas & audacia, avaritia & prodigalitas, species vitii moralis.*

Resp. Totum datur: Sed quod ex *conclusione* deducitur *conse-*

 quent

quens eſt inconſequens: quia eadem diverſo reſpectu opponi poſſunt *diſparate* & *contrarie.* *Diſparate*, quatenus ſunt ſpecies oppoſitæ ejuſdem generis: *Contrarie*, quatenus ſunt habitus vel actiones hoſtiliter ſe infeſtantes & mutuo excludentes: ut conſtat de timiditate & audacia, de avaritia & prodigalitate, earumque actionibus.

§. 43. Quæritur (14) *An vitium morale commiſſionis formaliter ſit aliquid poſitivum?*

Reſp. Quæſtionis hujus *negativa* in ſcholis cum Theologicis, tum Philoſophicis eſt receptiſſima. Unde ſuperioribus annis monſtri ſimilis viſa eſt *Meiſneri* ſententia, *de peccato originali formaliter poſitivo*. Ratio communis eſt: Omne poſitivum eſt ens, vel tranſcendens entis affectio ab ente realiter non diverſa: Atqui ens & bonum convertuntur. Cum igitur morale malum formaliter non ſit bonum, utique ens non erit, adeoque nec formaliter poſitivum quiddam.

Accedit, quod omne malum morale ſit formaliter ἀταξία & ἀνομία: Atqui ἀταξία non eſt poſitio, ſed privatio τάξεως, uti & ἀνομία privatio rectitudinis legalis.

Denique omne poſitivum & ens eſt ab ente primo, & eſt participatio quædam entitatis primæ. Ita Theologi Patres, Scholaſtici, & recentes plerique omnes ſtatuunt: Ita Philoſophi. Vide *Raynaud.* diſt. 4. q. 3. art. 2. n. 252.

§. 44. Interim qui *negativæ* contradicunt, non deſunt: quamvis non una eorum ſit ſententia.

Putant nonnulli vitium, ſeu *malum morale commiſſionis* formaliter integrari ex privatione & actu: adeoque de formali ratione vitii, ſeu malitiæ moralis, non tantum eſſe privationem rectitudinis, ſed & actum poſitivum. Hujus ſententiæ autores laudat *Raynaudus* art. alleg. n. 267. *Ferrarienſem*, *Aquarium*, *Jacobum Payvam*, *Suaretium*, *Hieronymum à Rua*, *Nicolaum Magneſium.*

§. 45. Alii vero, in alterum præcipites extremum, affirmant *malitiam moralem commiſſionis* formaliter & totaliter, adeoque abſolute poſitivum quid eſſe, nempe actus poſitivi entitatem regulæ ſuæ diſconvenientem: ita ut formaliter non ſit niſi poſitivum quiddam, & privationes atque negationes, quæ concurrunt, non ſint de ejus ratione formali.

Hanc ſententiam pertinaciter propugnat *Raynaudus* à n. 253. ad n. 292. quam non nuper excogitatam, ſed vere priſcam in ſcholis Philoſophorum & Theologorum eſſe affirmat n. 276. ejuſque patronos laudat *Ariſtotelem*, *Patres Conimbricenſes*, *Burleum*,

leum,

leum, *Gibertum*, *Angeſtum*, *Thomam*, *Cajetanum*, *Mayronium*, *Occam*, *Scotum*, *Gregorium*, pluresque recentiores. n. 279. Trahuntur quoque in hanc ſententiam Patres, n. 284. & ſeqq. & inprimis *Auguſtinus*, n. 279. quamvis multis in locis diſerte contradicat. Unde per fidiculas in hanc torquetur ſententiam, n. 286.

Videamus *Raynaudi* rationes, quas adducit, n. 280. & ſeqq.

(1) *Quod directe prohibetur, id formaliter eſt malum. Atqui actus poſitivus legi diſſonus directe prohibetur: Ergo actus poſitivus legi diſsonus formaliter eſt malus.* Propoſitio prob. *Quia quod præcipitur, eſt directe bonum: ergo quod prohibetur eſt directe malum.* Rationem quoque ſic informat: *quod directe opponitur præcepto, id debet cenſeri formaliter malum: Atqui ipſa actio poſitiva, ſeu commiſſio directè opponitur præcepto negativo, jubenti omiſſionem, vel vetanti actionem. Ergo actio poſitiva formaliter eſt mala.*

Reſp. Qui dicit actum poſitivum legi diſſonum, is peccatum dicit materiali & formali conſtans: quia actus, quatenus poſitivus eſt, diſſonantia, vel pugna cum lege, conſiſtens in rectitudinis debitæ privatione formale peccati exprimit. Unde actus rectitudine legali privatus dici poteſt formaliter eſſe peccatum, quia peccati formale habet, ſine quo actus lege non prohibetur. Sic igitur *principalis Syllogiſmi concluſio* à nobis nullo ſententiæ noſtræ damno poterit concedi: neque negamus directe malum eſſe hunc actum, quia formale malitiæ in ſe habet, nempe *ἀνομίαν*, vel privationem rectitudinis legalis. Interim actus, quatenus actus, per ſe non prohibetur, ſed quatenus malus. Eſt autem malus, non quatenus actus, ſed quatenus rectitudine debita eſt privatus. Neque alterius Syllogiſmi nobis opponitur *concluſio*. Actio poſitiva formaliter eſt mala, quatenus rectitudine ſua privata eſt. quæ forma eſt actionis poſitivæ prohibitæ, & reſpectu hujus prohibetur actio.

§. 46. (2) *Quod contrahit genus ad ſpeciem, id eſt aliquid poſitivum. Atqui malitia pravæ commiſſionis contrahit genus moris, & conſtituit ſpeciem ejus honeſtati actuali oppoſitam. Ergo malitia hæc eſt aliquid poſitivum.* Propoſitio *per ſe manifeſta eſt. Non enim limitatio & completio generis poſitivi per differentiam poteſt conferri à privatione.* Aſſumtio patet: *quia genus moris diſtribuitur in actionem moraliter bonam & malam, tanquam in duas ſpecies oppoſitas. Neq; uſpiam alibi habitus & privatio habent rationem ſpecierum oppoſitarum ejuſdem generis.*

 Reſp.

Resp. *Propositio* universaliter vera non est: uti nec *probatio.* Quid ni enim genus positivum limitare & ad speciem restringere possit differentia non positiva, sed privativa: veluti cum actio distribuitur in rectam & non rectam, seu rectitudine morali privatam: animal visu præditum & cæcum, vocale & mutum, rationale & rationis expers, &c. aliquid in positivum & privativum. Quod vero negat *Raynaudus*, uspiam alibi habitum & privationem habere rationem specierum oppositarum ejusdem generis, ab ipso refutatur *Raynaudo*, qui malitiam distinguit in malitiam commissionis & omissionis: quarum illa ipsi est formaliter positiva, hæc formaliter privativa, art. 3. in Assert. & habitus atque privatio nonne sunt species oppositæ ejusdem generis, nempe oppositorum?

§ 47. (3) *Actus moraliter bonus & moraliter malus sunt contrarii: ergo uterque est positivus. Antecedens prob: quia sunt sub eodem genere, & ab invicem maxime distant, seseque mutuo ab eodem subjecto expellunt.* Ratio consequentiæ: *quia contrarietas non est nisi inter positiva.*

Resp. *Antecedens* exclusive verum non est. Non enim opponuntur tantum contrarie, sed & privative, ut supra ostendimus. Unde patet *antecedentis* probationem quoque inconsequentem esse.

Adversus id, quod responderi solet, *nempe virtutem & vitium opponi contrarie, respectu actuum privationi substratorum, ipsam vero malitiam formaliter acceptam honestati non nisi privative opponi*, excipit *Raynaudus.*

Nihil est alteri contrarium, quatenus cum eo convenit, quasi ratio, propter quam contraria sunt, esse queat illud, quod est utrique commune. Atqui malitia & bonitas conveniunt quo ad subjectum, quod adventu alterutrius moralitatis non mutatur physice, sed idem intrinsece perseverat: Ergo malitia & bonitas, seu honestas, non opponuntur contrarie, propter actus positivos.

Resp. Si bonitas & malitia moralis accipiantur abstractive, pro rectitudine legali & carentia seu privatione rectitudinis, conveniunt quidem in substrato actu in genere: quia tam hæc, quam illa, actui positivo accidit: sed non in specie: quia actibus formæ illæ obveniunt contrariis: exempli gratia, rectitudo moralis in temperantia actui illecebras & occasiones intemperantiæ fugienti & aversanti: carentia rectitudinis moralis in intemperantia actui easdem illecebras & occasiones captanti & persequenti: quos esse actus contrarios nemo negaverit. Unde patet, *assumtionem* non esse simpliciter veram. Conveniunt malitia & boni-

tas

tas moralis quoad subjectum generale, sed non quoad speciale. Sunt enim temperantiæ & intemperantiæ actus contrarii: fuga & persecutio.

§. 48. (4) *Intemperantia & ἀναισθησία, extrema temperantiæ, sunt vitia contraria, ut omnes admittunt: Ergo & actus horum vitiorum sunt contrarii, & proinde positivi: alias enim nullo modo opponerentur. Omnis enim oppositio est vel inter duo positiva, vel inter unum positivum, & alterum negativum: nulla autem est oppositio inter duo negativa.*

Resp. *Consequens* nobis non contradicit: admittimus enim contrarietatem in virtutibus & vitiis respectu actuum: interim tamen negamus formale vitii contrarie opponi virtutis habitui vel actioni. Quod *nulla sit oppositio inter duo privativa*, falsum est. Ratio est: Inter quæ nulla est oppositio, illa sunt consentanea & de se affirmari possunt. Atqui duæ privationes, exempli gratia, cæcitas & surditas, non sunt consentaneæ: Erunt igitur dissentaneæ, adeoque oppositæ. De specie oppositorum si quæras, disparata nominamus, ad quæ species referuntur ejusdem generis, sive proximi, sive remoti.

§. 49. *Observandum*, qua ratione *Raynaudus* declinet difficultatem, quæ ex affirmativa quæstionis hujus maxima exurgit: nempe: *Si peccatum commissionis etiam formaliter esset positivum quiddam & ens, utique bonum esset & Deum haberet autorem, tanquam primam omnis entitatis & bonitatis causam: quod falsum & absurdum esse omnes scholæ clamant.*

Connexi hujus consequentiam negat *Raynaudus*, aitque commissionem pravam & positivam duobus posse modis considerari, nempe materialiter & formaliter, sive, ut entitas quædam est, & ut entitas prava & regulæ dissona.

Priori modo, seu materialiter spectatam dubio procul esse à Deo: *posteriori*, seu formaliter, non esse à Deo, sed tantum à creatura. Et hoc, ait, non est admittere, dari rationem aliquam positivam, quæ Deus non sit, & tamen à Deo non fiat: quia ea ratio positiva non sit diversa ab ipsa ratione materiali & entitativa, quam effici à Deo admiserit: quamvis formaliter spectata non sit à Deo: quia hoc modo ordinem dicat essentialem ad modum operandi creaturæ liberæ, cui Deus cooperatur, & ex eo operandi modo resultet. Illustrat hoc simili actionis numero ejusdem à Deo & à creatura manantis, & utramque causam essentialiter spectantis. Ubi uterque respectus, quatenus à Deo & quatenus à creatura est, positivus est, & tamen actio formaliter, ut est à creatura, non est à Deo: quia sic respicit solam

cit solam causam secundam: ut à Deo est, non est à creatura: quia sic respicit solam causam primam. Hæc *Raynaudus*.

Sed non occurrit modus, quo concipi ens pravum & regulæ dissonum possit sine privatione, seu carentia rectitudinis, quam requirit regula: adeoque actus mere positivus, qui tamen rectitudine sua careat, sine contradictione non potest concipi.

Quæritur (15) *An detur actus moraliter malus & vitiosus in voluntate, sine præcedente intellectus errore?*

Resp. Triplex est hominis in hac vita status: *integritatis* ante lapsum, *peccati* post lapsum, ante regenerationem, & *gratiæ* post regenerationem, ante glorificationem. Ad quæstionem igitur respondemus tribus assertionibus.

Prima. *In statu integritatis nec in voluntate actus fuit moraliter malus, nec in intellectu error.*

Ratio manifesta est: (1) quia ubi vitium in voluntate & error in intellectu, ibi non est integritas. Implicant igitur contradictionem, in statu integritatis esse, & vitio voluntatem, vel errori intellectum obnoxium habere.

2. Nihil in statu integritatis fuit, quod Deum autorem non habuerit. Actus igitur voluntatis vitiosus & error intellectus non fuit; aut, si fuit, Deum autorem habuit. Posterius blasphemum: prius igitur pium & orthodoxum.

§. 51. Secunda: *Transitus ex statu integritatis in statum peccati initium sumsit ab errore intellectus.*

Patet hoc ex historia lapsus & artificio, quo usus est Satan in Eva ad apostasiam solicitanda. Ante omnia enim in id incubuit Satan, ut suspectam homini redderet veritatem comminationis divinæ, eoque induceret, ut sibi promittenti potius, quam Deo comminanti, fidem haberet. Dixerat Deus: *Ne comedatis ex isto fructu, neque attingatis eum, ne moriamini.* Excepit & contradixit Satan: *Non utique moriemini. Novit enim Deus, quo die comederitis ex eo, aperturos se oculos vestros, & vos fore sicut Deos* &c. Genes. 3. vers. 1. 2. 3. Nisi igitur fidem potius Satanæ promittenti similitudinem cum Deo, quam Deo mortem transgressoribus comminanti, Eva habuisset, nunquam ad latæ legis violationem se induci fuisset passa.

§. 52. Tertia: *Cum in gratia, tum in peccati statu quandoque datur actus in voluntate moraliter malus absque præcedente errore in intellectu, qui vitiosi actus sit causa.*

Ratio manifesta est de *statu gratiæ*: quia sæpe peccant renati contra dictamen rectæ & renatæ rationis, per imbecillitatem carnis: adeoque id faciunt, quod non faciendum, & Dei lege prohibitum

hibitum esse sciunt. Rom. 7. v. 15. 16. 17. 18. &c.

De *statu peccati* justa quoque dubitandi causa non est: ubi testem locupletem habemus experientiam, & quotidiana contra scientiam & conscientiam peccantium exempla. Idem pluribus probat *Aristoteles* Ethic. lib. 3. cap. 4. Pertinet huc illud.

- - *Video meliora, proboque,*
Deteriora sequor.

§. 53. *Velstenius* quæst. Philosoph. cent. 1. dec. 2. c. 8. affirmat *in statu integritatis actum malum in voluntate fuisse, absque prævio intellectus errore.*

Rationem reddit: *quia nullum ibi locum habuit error, nulla ignorantia, sed summa perfectitudo, integritas, scientiaq; quando ad imaginem Dei creatus homo erat.*

Resp. in statu integro non magis locus fuit actui vitioso voluntatis, quam errori intellectus. Integritas illa status omnes requirit facultates, & in primis quidem voluntatem ejusq; actus: quia præcipua divinæ imaginis pars est justitia & sanctitas, quæ voluntatis potius est, quam intellectus. Errat igitur *Velstenius*, & confundit statum integrum cum transitu ex integro in corruptum, vel, si mavis, cum corruptis. Si quidem eo ipso momento in statu integritatis desiit esse homo, quo primum admisit internum peccatum: quo intellectum ostendimus affectum & infectum esse.

Observandum tamen, distingui hic à nonnullis inter *ignorantiam formalem*, seu defectum scientiæ, & *ignorantiam*, ut vocant, *interpretativam*, seu inconsiderantiam intellectus: per quam etsi sciat intellectus id esse malum, quod appetitus vult, tamen sæpe non consideret vel attendat, aut non tam diligenter cogitet & recogitet, quam possit & debeat. Etiamsi igitur errorem voluntatis non semper antecedit *ignorantia formalis*: tamen vix unquam errare voluntatem putant, nisi intellectus antecesserit quædam *inconsiderantia*: quod probantem vide *Thomam*, 1. 2. q. 77. art. 2. & *Suarez*: disp. 19. sect. 7. num. 9. 10. 11. 12. 13. qui cum *Fonseca* quasi mediam eligit sententiam, distinguendo inter errorem circa *finem* & *media*. Etiamsi enim non est error intellectus circa medium, quod sæpe malum esse novit, & voluntas nihilo minus eligit: tamen occurrit error circa *finem*, qui sub ratione boni apparentis apprehenditur, etsi vere bonus non est.

§. 55. Quæritur (16) *An dentur actiones, quæ nihil nisi peccata & vitia sunt?*

Resp. *Negativam* amplectimur, & defendimus sequentibus argumentis:

(1) Quia

(1) Quia omnis actio, quatenus actio, est positivum quiddam & ens quod cum bono convertitur. Atqui peccatum, quatenus peccatum, non est ens, nec bonum quiddam.

(2) Omnis actus secundus est ab actu simpliciter primo, hoc est, Deo, sive immediate, sive mediate. ***In Deo enim sumus, vivimus & movemur***, Act. 17. Quod si vero actus aliquis secundus, quatenus actus, formaliter nihil nisi peccatum esset; utique à Deo peccatum esset: quod blasphemum.

(3) Vitium, quatenus vitium, est deformitas actionis, vel facultatis: Ergo non est formaliter & totaliter ipsa actio vel facultas: Sed pro subjecto habet actionem vel facultatem: quæ entia sunt, adeoque bona. Unde malum dicitur esse non posse, nisi in bono. ***Si bonum non esset***, inquit Augustinus, ***in quo malum esset, prorsus nec malum esse posset.***

§. 56. Objicitur. *Atqui peccatum definitur actio mala divinæ legi contraria, cujusmodi est furtum, mendacium, homicidium, adulterium &c. Ergo de intrinseca ratione peccati est actio: adeoque peccatum formaliter est actio, & actio quædam nil nisi peccatum.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia minus accurate & proprie peccatum definitur per actionem, tanquam formale suum. Interim ad peccati essentiam quoque aliquo modo pertinere actionem jam ante ostendimus. Peccatum formaliter non est actio sed ἀταξία & deformitas actionis, vel privatio conformitatis cum lege inhærens actioni; si loquamur de peccato commissionis.

Quæritur (17) *An homo sponte fiat malus & peccet?*

§. 57. Resp. *Affirmativam* defendit contra *Platonem Aristoteles*, in 3. Moral. sequentibus argumentis,

(1) Quia liberi arbitrii est homo, & ut sponte est bonus: ita quoque sponte fieri potest malus.

(2) Quia scelera dum patramus, opem ipsi ferimus, causæ horum sumus, cum lætitia conspiramus: quod non faciunt, qui inviti & coacti aliquid faciunt.

(3) Quia homo per suam voluntatem & προαίρεσιν est principium suarum actionum, quarum aliæ sunt probæ, aliæ improbæ. Unde fortunæ suę prædicatur quisque faber.

(4) Quia improbus qui evadit, media vult ad improbitatem ducentia, ea eligit, & novit ad improbitatem perducere.

(5) Quia legibus sancitum est, ne fiamus improbi: quod frustrancum esset, si sponte nemo improbus esset; quo pertinent

quoque

quoque præmia & pœnæ, laudes & vituperationes: quæ omnia arguunt virtutes & vitia ſpontanea.

(6) Quia homines ſæpe pœnitet commiſſorum ſcelerum, increpant ſe ipſos & alios. Hæc vero in iis tantum habet locum, quæ ſponte fiunt & poſſunt non fieri.

§. 58. Contra *Plato* lib. 9. de LL. negat homines ſponte malos fieri: negat injuſtum ſponte injuſtum eſſe, lib. 5. de LL. aſſentiuntur *Academici*: quorum argumenta ſequentia ſunt.

(1) *Nemo volens laborat ægritudine corporis: Ergo multo minus ægritudine animi.* Antecedens *in confeſſo eſt.* Ratio conſequentiæ: *Quia animi ægritudo deterior eſt corporis ægritudine.*

Reſp. 1. *Antecedens* ſimpliciter verum non eſt. Dum enim homo intemperanter vivit, inquit *Ariſtoteles*, & medicorum præcepta atque conſilia aſpernatur, ſponte in morbum labitur. Hinc multos reprehendimus, qui ob vitæ ſuæ diſſolutionem ægrotant. Sed evidentiore ratione *antecedens* impugnamus. Nonnulli volentes ſibi mortem accelerant, quando violentas ſibi manus inferunt, vel morti ſe ſponte offerunt, cum intentione moriendi, vel lethalia vulnera accipiendi. Ita qui ſcientes & volentes venena hauriunt, & corporis ægritudinem & mortem ſponte admittunt.

(2) Negatur quoque *conſequentia*: quia quoad invitum & ſpontaneum non eſt par ratio ægritudinis animi & corporis. Animi ægritudo conjuncta eſſe poteſt cum voluptate, per quam ſponte expetitur, quamvis contra rationis rectæ dictamen. Corporis ægritudo non cum voluntate, ſed cum dolore conjuncta eſt. Unde ſponte ad eam ita homo non fertur, ut ad animi ægritudinem. In animi ægritudine actio plerunque eſt humana & libera, in corporis ægritudine paſſio, vel etiam actio per naturam & neceſſitatem; quamvis & libera quandoque ſit: ut oſtendimus.

§. 59. (2) *Homo dum patrat ſcelus, non vult id malum, quod in eo poſitum eſt, ſed rem alienam, quam ſibi utilem judicat. Ergo volens & ſponte nemo fit malus.* Antecedens prob. *Fur non vult improbitatem & vitium, ſed rem alienam, quam judicat ſibi utilem. Unde ſi malus evadit, præter intentionem hoc ei accidit.* Ratio conſequentiæ *redditur à Platone: quia, quicunque aliquid alterius gratia agit, non id vult, quod agit, ſed id, cujus gratia agit.*

Reſp. *Antecedens* ſimpliciter verum non eſt; neque *probatio.* Etiamſi enim primaria intentione id homo vult, cujus gratia agit;

tamen ſecundaria intentione id quoque vult, per quod finem & utile conſequitur, nempe actionem vitioſam. Qui enim finem intendit, is media quoque eligit. Ebrius voluptatem & delectationem intendit: quam in rem deligit nimium potus inebrietantis hauſtum. Fur rem alterius, tanquam utilem ſibi, expetit: unde illicitam contrectationem eligit.

(3) *Tyranni & improbi non agunt id, quod volunt: ſed quod eis videtur. Ergo ſponte mali non fiunt.*

Reſp. *Antecedens* ſimpliciter verum non eſt: quia etiam id volunt & agunt improbi, quod eis videtur: ſequitur enim voluntas judicium practicum, quamvis à vero bono aberrans.

§. 61. (4) *Dum homines in ſcelera prolabuntur, id faciunt vel ſua imbecillitate, vel inſcitia, vel depravata ratione, vel agitati perturbatione, vel ab externo objecto rapti, vel pravo habitu ſeducti, vel commotione temperamentum ſequente compulſi. Ergo ſponte non prolabuntur.* Ratio conſequentiæ: *Quia principia illa ſunt actionum non liberarum.*

Reſp. Negatur *conſequentia:* quia pleraque illa principia voluntatem ſimpliciter non evertunt, vel excludunt: ſed in aſſenſum tandem abſque coactione trahunt: quamvis ipſam quoque voluntatem male afficiant & diſponant. Interim cogi illa non poteſt.

Conciliationem *Platonis* cum *Ariſtotele* tentatam vide apud *Piccol.* Grad. 3. cap. 20.

§ 62. Quæritur (18) *An in iis, quæ ad mores pertinent, ſciens aliquis errare & peccaſe poſſit?*

Reſp. Plato *negativam* amplectitur: qui in *Protagora* colligit, *ſcientem peccare non poſſe, eo quod ſcientia omnium ſit potentiſſima dux appetitionum & actionum, judex boni & mali. Unde vinci & ſuperari à voluptate aliave perturbatione ait extremam eſſe inſcitiam.* Idem in Alcibiade oſtendit: *ſolam inſcitiam pravæ diſpoſitionis eſſe principium humanorum errorum.* Et *Ariſtoteles* quandoque in hanc inclinare ſententiam videtur; quando 3. moral. cap. 1. ait: *Ignorat ſane improbus omnis, quænam ſint agenda, & à quibus ſit abſtinendum, propterque hoc peccatum homines efficiuntur injuſti.*

§. 93. *Piccolomineus* conciliationem molitur. Unde diſtinguit inter ſcientiam in actu primo & in actu ſecundo: inter ſcientiam exactam & inter opinionem: inter ſcientiam communium, & ſingularium: & concludit: *Scientem confuſe, non diſtincte: ſcientem communem, non ſingularem enunciationem: ſcientem*

tem habitu, non actu secundo: scientem scientia perturbationibus obumbrata posse peccare & errare: non vero scientem actu secundo & absque perturbatione.

§. 64. Sed absque distinctionum ambagibus & involucris, sacrarum literarum peritus quæstionis *affirmativam* amplectetur, seposita *Platonis* & *Aristotelis* autoritate. Datur enim *peccatum contra conscientiam*: quod committere non potest nisi sciens: idque frequentissimum est. Notum illud fæminæ, lib. 7. metamorph. *video meliora, proboque, deteriora sequor.* Major & divinior est *Paulus*, quam *Plato* & *Aristoteles*. Ille Gentium doctor, Rom 7. acerbe deplorat imbecillitatem, atque *se non facere, quod probat, & quod faciendum judicat, adeoque peccare: & contra facere, quæ improbat, & non facienda novit*, v. 15. 16. 17 18. &c.

§. 65. *At enim*, inquias, *sententiam Platonis probare Paulus videtur: qui* v. 15. *expresse ait; quod perpetro, non agnosco.*

Resp. *Agnoscere* loco allegato Apostolo est probare: si simplicem notaret scientiam, vel notitiam, sibi ipsi Apostolus diserte contradiceret.

Pertinet huc illa Christi sententia, Luc. 12. v. 47. *ille servus, qui novit voluntatem Domini sui, nec se comparavit, nec fecit ex voluntate, cæditur multis plagis.* Et gravis illa *Pauli* increpatio Judæorum Rom. 2. v. 18. 19. &c. *Scientium voluntatem Dei & explorantium, quæ discrepant, aliosque ex lege instituentium* &c. *& tamen à legis operibus varie exorbitantium, nihilque minus, quam quod sciunt, facientium.*

§. 66. Quæritur (19) *An vitium sit contra naturam hominis?*

Resp. *Affirmativa* defenditur hoc argumento.

Quicquid est contra ordinem rationis, id est contra naturam hominis, quatenus est homo. Atqui vitium morale est contra ordinem rationis: Ergo est contra naturam hominis, quatenus est homo.

Propositio prob. quia natura hominis est rationalis, utpote cujus forma est anima rationalis. Unde non potest non naturæ rationali, qua talis est, adversari, quod ordini rationis adversatur. Consistit enim cujusque rei virtus in eo, quod secundum naturæ suæ convenientiam recte sit disposita.

Assumtio prob. quia ut virtus consistit in mediocritate per rectam rationem definita, ita vitium exorbitat à mediocritate illa, & limites à recta ratione præscriptos transgreditur.

Hinc alia ratio. Virtus est secundum naturam rationalem: Ergo

Ergo vitium eſt contra eam. *Antecedens prob.* quia mediocritatem moralem definit ratio. *Conſequentia prob.* quia oppoſitorum oppoſita ſunt conſequentia. Unde *Auguſtinus*, de lib. arb. lib. 3. c. 13. *omne vitium eo ipſo, quo vitium eſt, contra naturam eſt.*

§. 67. Pro contraria ſententia objicitur.

(1) *Vitium homini eſt naturale: Ergo non eſt contra naturam hominis.* Antecedens prob. *Quia virtus non eſt naturalis. Atqui de quo contrariorum negatur unum, de eo affirmatur alterum: ſi contraria ſint immediata. Non autem eſſe homini virtutem naturalem, inde probatur: quia doctrina & exercitatione comparatur.*

Reſp. *Antecedens* de homine integro, & quatenus eſt homo, negatur.

Probatio ſimpliciter vera non eſt, vide cap. 4. 5. 7. *virtutes*, inquit Thomas, *etſi non cauſantur à natura ſecundum eſſe perfectum: tamen inclinant ad id, quod eſt ſecundum naturam, id eſt, ſecundum ordinem rationis.*

Inſt. *Atqui homo natura propenſus eſt ad odium Dei & proximi: Ergo peccatum & vitium ei non eſt naturale.*

Reſp. *Propenſio* illa non eſt naturæ rationalis, qua talis, ſed quatenus per peccatum eſt corrupta. Neque directe etiam corruptus homo propenſus eſt ad odium Dei & proximi: ſed indirecte & quaſi per *conſequentiam*: quia per naturæ corruptionem debita præſtare officia Deo & proximo non poteſt: etſi diligendum eſſe Deum & proximum è principiis natura inſitis agnoſcit. Unde legem à natura inſcriptam habere dicitur; Rom. 2. v. 15. imo & natura, quæ legis ſunt, facere, v. 14. Deinde *naturale* dicitur vel quod inhæret naturæ à ſuis primordiis, ſaltem quoad inclinationem & quandam diſpoſitionem: vel quod naturæ rationali congruum eſt. Priori, non poſteriori modo vitium homini eſt naturale: quamvis inter *appetitum* & *rationem* quoque ſit diſtinguendum.

§. 68. (2) *Homines aſſueſiunt ad vitia: Ergo vitia non ſunt contra naturam hominis.* Ratio conſeq. *quia ea, quæ ſunt contra naturam, non mutantur per aſſuefactionem. Sic gravia per aſſuefactionem non aſcendunt.* Ariſtot. lib. 2. Eth.

Reſp. *Conſequentia* negatur, Ratio univerſaliter vera non eſt: alia eſt ratio naturæ ſenſus & rationis expertis: cujuſmodi eſt natura gravium, quatenus ſunt gravia: alia naturæ ſenſus & rationis participis. Hinc videmus etiam naturæ humanæ vitia nonnulla per aſſuetudinem mutari; ut propenſionem ad iram & libidinem

dinem &c Alias contra naturam aliquid duobus modis dicitur: ut nempe opponitur vel ei, quod est à natura, vel quod est secundum naturam.

De priori, non de posteriori, *Aristotelem* in allegato loco loqui Thomas ait: Distinguenda quoque inclinatio & propensio naturalis ab actione vitiosa.

§. 69. (3) *Quod est contra naturam, non invenitur in habentibus naturam illam, ut in pluribus. Atqui vitia inveniuntur in hominibus, ut in pluribus:* Ergo &c. Propositionem *comprobat experientia. Mutum esse est contra naturam hominis: quod in pluribus non reperitur. Sic quævis monstrosa deformitas cum sit contra naturam hominis, in paucioribus reperitur.*

Resp. *Propositio* distinguenda. Quod est contra naturam in perfectione sua totali acceptam, non invenitur, &c. Cum hac limitatione accepta conclusio nobis simpliciter non contradicit. Sunt enim vitia moralia contra naturam hominis non in perfectione sua totali acceptam, sed à principaliori denominatam. Si quidem natura hominis duobus completur actibus, rationali & sensitivo. Vitia igitur quando contra naturam dicuntur esse, actus naturæ rationalis intelligitur, non sensitivus: quia natura sensitiva, per se modi nescia, plerunque ad extrema fertur, & circa voluptates & dolores sibi non temperat: unde in vitia præceps fertur contra naturam; seu actum rationalem: & plures sequuntur inclinationem naturæ sensitivæ, quam ordinem rationis.

§. 70. Quæritur (20) *An omnia vitia sint paria.*

Resp. *Negativam* amplectuntur omnes recte sentientes.

(1) Quia pariter omnia à virtute non distant.

(2) Quia pares omnium circumstantiæ non sunt: per quas alia minus, alia magis excusantur vel accusantur.

(3) Quia pares omnibus pœnæ non sunt constitutæ, nec in humanis, nec in divinis legibus.

(4) Quia alia pluribus, alia paucioribus nocent: alia magis, alia minus.

(5) Quia nonnulla animam potius, quam corpus inquinant.

(6) Quia alia magis, alia minus exosos reddunt.

(7) Quia proximius nonnulla Deum, quam hominem attingunt: neque paria omnium objecta sunt.

(8) Quia culpa alia est lata, alia levis, alia levissima: &c.

§. 71. *Affirmativam* defendere dicuntur *Stoici*; de quibus *Cicero. Placet Stoicis omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse*

esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinacium, cum opus non fuerit, quam qui patrem suffocaverit. Certe monstrosa sententia!

Ratio ipsorum præcipua hæc est. *vitium est positum non in hac vel illa, sed absolute in declinatione à scopo & à recto: Ergo quicunque ab his recedunt, absolute & æque dicuntur errare: veluti absolute dicuntur in aqua demersi, qui vel uno vel decem pedibus infra aquam sunt positi. Pariter non sunt in Canopo, qui centum Canopo abest stadiis, & qui uno. In aqua nihilo magis respirant, qui jam ad summum ejus appropinquant, quam qui sunt in profundo:*

Resp. Negatur *consequentia*. Errant quidem quicunque recedunt, sed non æque errant omnes: quia æque omnes non recedunt, sed alii magis, alii minus. Sic absunt quidem *Canopo*, qui centum absunt stadiis, & qui uno tantum. Attamen illi longius, quam hi, absunt. Neque æqualitas distantiæ ab objectis diversis paria & æqualia facit peccata omnia: quia non omnia objecta sunt æqualia, neque æquales omnes circumstantiæ. Gravius peccant sacri legi, quam fures communiter ita dicti: gravius parricidæ, quam in genere sic dicti homicidæ: gravius qui Deum blasphemant, quam qui homini maledicunt &c. Pertinent huc illud *Horatii*, lib. 1. Serm: Satyr: 3.

Non vincit ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti:
Et qui nocturnus Divum sacra legerit. Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Nec scutica dignum horribili sectere flagello.
Nam ut ferula cædas meritum majora subire
Verbera, non vereor, cum dicas esse pares res
Furta latrociniis, & magnis parva mineris,
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines.

Qui vel uno, vel decem pedibus infra aquam sunt positi, in aqua quidem utrique sunt demersi, sed non utrique pariter: etiamsi nihil magis respirant, qui jam ad summum ejus appropinquant, quam qui sunt in profundo: quamvis dispar quoque sit vitiorum & aquarum ratio: Magis respirare possunt, qui minus profunde immersi sunt vitiis: ad respirationem vero faciliorem nihil facit minus profunda in aquam demersio: Siquidem omnis demersio in aqua simpliciter respirationem impedit. Itaque simile hoc dissimile est, & nihil probat.

§. 72. Eundem errorem *Stoicis* tribuunt *Hieronymus*, epist. 14. & 50.

14. & 50. *Augustinus*, epistol. 22. *Ambrosius*, lib. 1. de pœnit: cap. 1. Monet tamen *Hieronym.* hunc Stoicorum errorem suo non carere usu. *Nos*, inquit, *etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus: tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cavere. Tanto enim facilius abstinemus à quocunque delicto, quanto illud magis metuimus: nec cito ad majora progreditur, qui etiam minora formidat.*

§. 73. Sed idem heic accidisse *Stoicis* videtur, quod aliis quoque, & imprimis *Socrati* atque *Epicuro* accidit. Quis enim credat sapientissimos viros omnimodam peccatorum æqualitatem statuisse, nullosque simpliciter admisisse gradus? *Seneca* de Clement: cap. 6. *Peccavimus*, inquit, *omnes: alii gravia, alii leviora, alii ex destinato, alii forte impulsi, aut aliena nequitia ablati.* Aliud igitur nihil voluisse *Stoici* hac sua peccatorum æqualitate videntur, quam convenientiam peccatorum omnium in formali ratione peccati, per quam unum non est magis peccatum, quam alterum: Etiamsi interim majus est unum quam alterum. Non enim necessario magis & minus inferunt majus & minus. Hoc igitur sensu æqualitatem adstruxerunt, ut nihilo minus dissimilitudinem concesserint, quam ad dispares retulisse gradus omnino videntur. Ita *Stoicorum* exprimunt sententiam & sensum illa *Stobæi* in Eclog: Eth: cap. 4. *Æqualia dicunt esse omnia peccata, non item similia. Cum enim ab uno vitii tanquam fonte profluant, judicio in omnibus eodem existente, per externam eorum causam, de quibus judicium fiat, dissimilia reddi peccata. Id autem hoc pacto licet cognoscere. Omne mendacium est æquale, nec aliud alio magis est falsum. Sed quanquam omne mendacium æque est mendacium, non tamen omnes, qui mentiuntur, æque mentiuntur. Ac similiter omne peccatum æquè est peccatum, quando omne peccatum mendacio constat.* Idem etiam voluisse *Tullius* videtur, paradox. 3. ubi ait: *Etiam si patris & mancipii cædes æque peccatum sit, hoc tamen differre, quod in servo necando semel peccetur, in patre multa, quia violatur is, qui procreavit, qui aluit, qui erudivit: multitudine peccatorum præstat, eoque majore pœna dignus est.* Ubi per multitudinem peccatorum videntur indigitari respectus & rationes variæ peccati constitutivæ, quæ singulæ communissimam peccati rationem habent, conjunctæ vero in uno id aggravant.

§. 74. Quæritur (21) *An vitium sit pejus, quam actus vitiosus.*

Resp. Per vitium intelligitur habitus malus, per actum vitiosum actio mala: quam in specie peccatum vulgo appellant. Unde eodem quæstio recidit: *An vitium sit potius peccato?*

Thomas

Thomas actum vitiosum vitio, seu habitu vitioso priorem esse affirmat. Rationes reddit.

(1) Quia propter actum vitiosum aliquis juste punitur, non autem propter habitum vitiosum, nisi in actum producatur.

(2) Quia ut est melius bene agere, quam posse bene agere: ita quoque pejus est male agere, quam posse male agere.

(3) Quia habitus non dicitur bonus vel malus, nisi quatenus inclinat ad actum bonum vel malum. Unde propter bonitatem vel malitiam actus habitus dicitur bonus vel malus, & sic in bonitate vel malitia potior est actus, quam habitus.

(4) Quia actus vitiosi pluribus nocent, & gravius, quam habitus, qui suo tantum subjecto nocent; & etiam minus id affligunt, quam actiones: quæ & autori & aliis sunt damnosæ.

§. 75. Objicitur (1) *Habitus vitiosus est diuturnior actu vitioso: Ergo est pejor. Ut enim bonum, quod est diuturnius, melius est: ita malum, quod diuturnius, pejus est.*

Resp. Negatur *consequentia*. Nisi alia interveniat bonitatis vel malitiæ majoris ratio, sola diuturnitas major bonitatem vel malitiam per se & absolute majorem non facit. Videmus præstantissima ingenia plerunque magis esse caduca, quam mediocria. Neque simpliciter verum est *antecedens*. Non enim habitus confertur tantum cum uno actu vitioso, sed cum omnibus, qui ex uno habitus fonte fluunt. Quomodo actus plerunque sunt æque diuturni, atque ipse habitus.

§. 76. (2) *Plura mala sunt magis fugienda, quam unum malum. Atqui habitus est plura mala: Siquidem ab eo plures sunt actus mali.* Ergo &c.

Resp. Ad *propositionem* per distinct. Mala actu plura sunt magis fugienda, quam unum actu. Cum hac limitatione negatur *assumtio*. Habitus malus non est actu, sed potentia tantum mala plura: actus vero ab uno profecti habitu sunt actu plura mala.

§. 77. (3) *Habitus vitiosus est causa omnium actuum vitiosorum. Ergo est pejor omnibus actibus vitiosis.* Antecedens *in confesso est*. Ratio consequentiæ: *quia causa est potior effectibus.*

Resp. Negatur *consequentia*. *Probatio* simpliciter & universaliter non est vera. Effectus possunt esse deteriores causa: uti & sunt habituum effectus; ex quorum malitia æstimatur malitia habituum. Habitus actu unum est malum; effectus seu actus unius habitus actu sunt plura mala: & plus nocent actus mali, quam habitus mali: *Exempli* gratia, Ebrietas per se plus nocet, quam ebriositas: siquidem ebriosus, quam diu ebrius non est; incommoda sæpe non sentit, neque dat, quæ ebrius & sentit & dat.

§. 78. Quæ-

§. 78. Quæritur (22) *An actus vitiosus possit esse cum virtute ?*

Resp. Affirmatur *de virtute plenam suam perfectionem non adeptâ.*

Ratio est. Quia virtus est mentis, seu animæ habitus. Atqui habitus animæ actum, seu operationem suam, necessario non producit: quia eo uti, vel non uti in hominis est arbitrio. Unde, habitu in anima existente, potest non uti habitu, & contrarium exercere actum. Sæpe etiam habitus à perturbationibus nonnullis impeditur, quo minus in actum prodeat: unde contrarius nonnunquam erumpit actus. Ita sobrius quandoque sui quasi immemor potu nimio oneratur: & artifices sæpe per nimiam præcipitantiam errant. Unde actus vitiosus non tollit virtutem: uti nec unus actus virtuosus etiam gignit. *Thomæ* est & affirmatio & ratio.

Limitationem, de *virtute plenam suam perfectionem non adepta*, addidimus, ut conciliari *affirmatio* possit cum *negatione* quæst. cap. 3. n. 2. De ratione *Thomæ* cogitandum, *an nullus animæ habitus operationem suam necessario producat ?* Data occasione, & sublatis impedimentis, *negativa* nobis probabilior videtur. De habitu minus confirmato dari hoc forsan possit. Videatur quæstio allegata.

§. 79. Excipitur (1) *Contraria non possunt simul esse in eodem subjecto: Atqui actus vitiosus est contrarius virtuti. Ergo actus vitiosus esse in eodem subjecto cum virtute non potest.*

Resp. *Assumtionem* negat *Thomas*. Actus vitiosus contrariatur actui virtuoso, non virtuti. Contrariantur actus actibus, & habitus habitibus.

§. 80. (2) *Vitium non potest esse simul in eodem subjecto cum virtute: Ergo nec actus vitiosus.* Ratio consequentiæ: *quia actus vitiosus est pejor vitio, seu habitu vitioso.*

Resp. Negatur *consequentia:* ratio est inconsequens: quia vitium virtuti directe contrariatur, uti & vitiosus actus actui virtuoso: virtuti vero, seu habitui virtuoso directe non contrariatur actus vitiosus.

§. 81. Quæritur (23) *An in quolibet peccato sit actus aliquis ?*

Resp. *Negatur:* Ratio est: quia datur *peccatum omissionis*, in quo nec internus nec externus est actus, qui peccati rationem per se habeat. Ut, si quis omittat, quod faciendum erat, sine intentione & voluntate omittendi, & sine actu alio præcedente omissionem per se causante. Ita sæpe per cogitationem in officium ali-

quod nimis intentam omittitur aliud officium, quod & ipsum erat faciendum, absque ulla tamen omittendi intentione, aut per se illicita cogitatione.

§. 82. Objicitur. *Omne peccatum proprie dictum est voluntarium. Ergo nullum est sine actu voluntatis.* Antecedens *est Augustini.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: quamvis *Augustino* ita videatur. Quicquid divinæ legi in homine repugnat, peccatum est, sive sit voluntarium, sive non voluntarium. Unde infantes quoque ante rationis usum obnoxii sunt peccato. *Thomas* ait, voluntarium esse, non solum quod cadit in actum voluntatis, sed & id, quod in potestate nostra est, ut fiat, vel non fiat.

§. 83. Quæritur (24) *Utrum sit homini familiarius, ignorantia, an vitium morale?*

Resp. Ignorantia & vitium morale comparantur invicem ratione *originis* vel *propensionis*. Ratione *originis* familiarior est ignorantia: quia cum ea orimur, neque exposcit illa vitium morale in specie ita dictum, sed tanquam dispositio nonnunquam antecedit. Hominis intellectum, qualis à natura est, *Aristoteles* comparabat rasæ tabulæ, in qua scriptum est nihil, scribi tamen possunt omnia. Ignorantia ubi est, ibi duce & directrice destituta voluntas in electione plerunque errat, & à mediocritate ad extrema appetitui gratiora deflectit: quam *vitiorum matrem homini congenitam* recte dixeris.

Ratione *propensionis* familiarius morale vitium est. Ad hoc enim maximè sumus proclives ex vitio appetitus sensitivi. Contra vero scire omnes per naturam appetimus, & ignorantiam molestam ducimus, secundum illud *Aristotelis*, lib. 1. Metaph. cap. 1. πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει: quod probat ex amore sensuum σημεῖον δ' ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις.

§. 84. Quæritur (25) *Utrum magis in viro, an in fæmina, locum habeat vitium?*

Resp. Distinguendum heic inter vitii *extensionem* ratione subjectorum, & *intensionem* ratione graduum. Priori modo in fæminis, posteriori in viris vitium magis habet locum. Fæminæ in universum facilius succumbunt perturbationibus, & à voluptate atque dolore facilius superantur, quam viri: unde in vitia proniores sunt, quam viri. Vide *Aristotel.* lib. 9. de Hist. animal. cap. 1. & *Platon.* lib. 6. de LL. Viri vero quanto sunt calidiores, vehementioribus obnoxii affectibus, ingeniosores, validiores & in vita liberiores, eo redduntur deteriores, si male fuerint educati.

§. 85. Quæ-

§. 85. Quæritur (26) *In quibus maxime se exerant vitia?*

Resp. In plerisque iis, in quibus perfectior virtutis requiritur gradus, in quibus etiam plures sunt delinquendi occasiones, & spes impunitatis major, nempe in rerum publicarum Rectoribus, & iis inprimis, qui monarchice rempublicam administrant: quo vetus spectat verbum ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι: h. e. *Magistratus virum ostendit.* Multi cum privati essent, nihil avare, nihil intemperanter, nihil libidinose, nihil injuste egerunt: ad rempublicam vero postquam accesserunt, in omnia se vitia & flagitia effuderunt, licere sibi rati, quicquid liberet, idque per impunitatis fiduciam, qua habenas affectibus pravis laxarunt, & luxu, adulteriis, homicidiis, blasphemiis numinisque contemtu se infamarunt. Egregie hoc explicat *Seneca*, Epist. 42. *Multorum*, inquit, *quia imbecilla sunt, latent vitia, non minus ausura, cum illis vires sua placuerint, quam illa, quæ jam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tuto serpens, etiam pestifera, tractatur, dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas & ambitio & luxuria ne paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur. Eadem velle eos cognosces, da posse, quantum volunt.*

Tendit huc tritum illud: *Licentia omnes deteriores sumus.*

§. 86. Quæritur (27) *Cur vitium designetur Cerbero trifauci?*

Resp. Quia tribus quasi faucibus est præditum, verba sunt *Piccolominei*, quibus vorat se, virtutem & medium utriusque: vorat principium, medium & finem perfectionis nostræ: evertit præterita, præsentia & futura bona: labefactat honestum, utile & vere jucundum: turbat bona naturæ, fortunæ & animi: pervertit voluntatem, cupiditatem & rationem: labefactat actionem, prælectionem & consultationem: extenuat fidem, spem & charitatem: explodit religionem, pietatem & sanctitatem. Unde *Plato* colligit: *optimum esse viro improbo puniri: quia beneficio pœnæ purgatur à labe præteriti sceleris, & emendatur pro futuro bono.*

§. 87. Quæritur (28) *An feritas sit deterior vitio morali?*

Resp. Distinguenda *feritas*: vel enim rationis usum plane excludit, aut magna ex parte, ita ut cum oppositæ virtutis notitia non sit conjuncta: vel penitus non excludit, quamvis maxime pervertat; & oppositæ virtutis notitiam habet, quamvis ad extrema propendeat & feratur.

Prior feritas est ex morbo, & in maniacis, seu furiosis deprehenditur, vel assuetudine nationi integræ communi, quæ in barbaris nonnullis nationibus occurrit, quales in *Indiis* Ἀνθρωποφάγοι, ferarum more in sylvis degentes: qui parentes & propinquos jam senes trucidant prius, quam naturali morte exspirent, & in feralibus epulis devorant, intra viscera sua sepelientes.

Posterior frequenti actionum summe vitiosarum exercitio comparatur, contra dictamen rectæ rationis, quæ penitus non est obliterata, quamvis nimio perturbationum excessu quasi oppressa lateat, & frænare affectus feroces nullo modo possit, tandem etiam iis se submittat: etsi subinde conscientiæ stimulos efferatos exagitat.

§. 88. Hac præmissa distinctione, quæstionis *affirmativam* amplectimur, si posteriori sensu feritas accipiatur: *negativam*, si priore.

Ratio *affirmativa*: quia ut heroica virtus eminentia est virtutis moralis, excellentior virtute morali communi: sic feritas posteriori sensu accepta, excessus est vitii moralis, deterior vitio morali communi.

Ratio *negativa* est: quia vitium morale culpa est præeligentis: feritas vero priori sensu accepta ut rationem excludit ita & prælectionem. Atqui atrocior est excessus, qui ex proæresi proficiscitur, quam qui absque proæresi à morbo est, vel naturali assuetudine & recti ignorantia. Hinc *Aristotel.* lib.7.moral. c. 6. ait, *feritatem minus quidem esse malum vitiositate, sed tamen horribilius.* Homicidium à furioso commissum capitale non est: ex proæresi vero à latrone immani commissum, omnino capitale.

§. 89. Quæritur (29) *Utrum vitia moralia specifice & formaliter à se invicem distinguantur per objecta seu conversionem aliud atque aliud objectum virtutis objecto contrarium: an per comparationem ad rectitudinem specie aliam atque aliam, quæ debebat inesse?*

Prius affirmat *Thomas*, posterius *Scotus*. Si igitur quæratur exempli gratia, de distinctione intemperantiæ ab injustitia, respondet *Thomas*, intemperantiam specifice & formaliter distingui ab injustitia per objecta virtutum contrariarum, temperantiæ & justitiæ, objectis contraria: quod nempe actiones intemperantis spectent illicitas corporis voluptates, actiones vero injusti, bona aliena.

Scotus vero intemperantiam ab injustitia distinguit per privationem rectitudinis, quam præscribunt temperantia & justitia actionibus circa objecta propria.

Thoma

Thomæ ratio præcipua est, 1. 2. q. 72. art. 1. Quia actus voluntarii distinguuntur specie secundum objecta, veluti motus secundum terminos. Atqui peccata, seu vitia moralia, sunt actus voluntarii: Ergo.

Assumtio est in confesso. Ad peccati enim rationem duo concurrunt, actus voluntarius, & *ἀνομία* per recessum à lege, seu privatio rectitudinis legalis.

Quod autem specifica differentia non petatur ex *ἀνομία*, seu privatione, sic probat *Thomas*. Ἀνομία, seu privatio rectitudinis legalis, per accidens se habet ad intentionem peccantis: Ergo non dat speciem peccati, vel per eam specifice non distinguuntur peccata, seu vitia moralia. *Antecedens* prob: quia nullus malum qua malum, operando intendit. Ratio *Consequentiæ*: quia speciem constituit, quod est per se, non quod est: per accidens. Quæ enim per accidens sunt, extra speciei rationem sunt.

Scoti ratio est: privationes distinguuntur specie ex distinctione habituum specifica, & numero, ex distinctione habituum numerali. Ergo peccata, seu vitia moralia, quæ sunt privationes rectitudinum, quæ deberent inesse actibus distinguuntur formaliter ex distinctione talium rectitudinum: ita quidem ut specie distincta sint vitia, seu peccata, ideo, quia specie distinctarum rectitudinum sunt privationes.

§. 90. Nos *Scoti* sententiam ita probamus, ut distinctionem aliquo modo ad objecta quoque referamus. Distinguimus igitur vitia moralia per objecta & rectitudines, quarum sunt privationes; ita tamen ut principalior distinctionis ratio petatur ex rectitudinibus, quarum privationes sunt vitia, quam ex objectis: quam *Scoti* quoque sententiam esse commentator ejus *Tartaretus* docet, quando quæstionem, *per quid distinguantur peccata*, facile ait dilui, per objecta & rectitudines quibus privant. Neque obscura est ratio. Quid ni enim principalius sit distinctionis specificæ fundamentum, quod ex ratione formali, quam quod ex objecto tantum petitur. Siquidem res per formam suam internam potius in specie certa constituitur, quam per aliquid externum. Unde patet virtutum quoque moralium specificam distinctionem principalius à ratione formali, seu rectitudine legali, quam objecto, peti: quamvis ratio formalis includat quoque respectum ad objectum: quia rectitudo actionis est circa objectum.

Igitur *Thomæ* sententiam,, quod specifica vitiorum differentia tantum ex objectis petatur, minime probamus: quia in solo ordine vitii ad objectum non consistit formalis ratio vitii, sed in defectu & privatione rectitudinis legalis. Ut igitur

vitium constituitur per privationem rectitudinis, sic etiam distinguitur per varias privationis hujus rationes, quæ in objectis variis sunt conspicuæ.

§. 91. Argumenti, quo probare *Thomas* conatur, specificam vitiorum differentiam non peti ex *ἀνομίᾳ*, seu privatione rectitudinis, nulla est *consequentia*. Etsi enim privatio rectitudinis per se non intenditur à peccante: quia malum sub ratione mali non intenditur: tamen privatio illa per se competit peccato, & per illam peccatum est peccatum: quod non tam ex intentione peccantis æstimatur, quam ex pugna cum lege & recta ratione; quam etiam bona peccantis intentio legi non conciliat.

Opponimus *Thomæ* hanc quoque rationem: si vitia moralia distinguerentur tantum per objecta, sequeretur specie distincta vitia non esse, quæ circa idem versantur objectum. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. *Assumtio prob.* Quia audacia & timiditas versatur circa idem objectum, nempe res arduas, & in specie pericula vitæ: interim specie distingui & contraria esse apud omnes est in confesso. Aliunde igitur petenda distinctionis ratio, nempe ex periculorum intempestiva & cum recta ratione pugnante aggressione & fuga. In audacia est periculi aggressio per excessum, in timiditate fuga per defectum; utraque contra rectam rationem. Idem in aliis quoq; virtutum extremis, in prodigalitate & avaritia, &c. videre est. Imo & vitium circa virtutis objectum versatur, & hoc modo à virtute non distinguitur.

§. 92. Quæritur (30) *Quodnam sit vitium perfectum, ex quo humana prodit miseria.*

Resp. Quemadmodum felicitas humana est à virtute perfecta: sic & miseria, seu infelicitas humana, est à vitio perfecto. Quisquis igitur noverit, quæ sit perfecta virtus: idem quoque noverit, quod sit perfectum vitium: quod ab Ethicis ita appellatur, quamvis minus proprie: imperfectioni enim perfectio proprie non competit.

Distinguitur virtus *in universalem* & *particularem*. *Universalis* non est natura virtutis generica, seu totum subjectivum, quod sub se species continet & de iis in casu recto prædicatur; sed totum aggregativum, cujus partes aggregatæ sunt virtutes singulæ: quo sensu *particulares* appellantur, quas in se actu continet universalis virtus; quas, quia totum est subjectivum, non nisi potentia continet. Totum, hoc aggregativum est unum per connexionem partium omnium, quamvis inter se dissimiles sint eæ. Hęc perfecta est virtus, à qua felicitas est humana moralis: vide *Piccolom.* grad. 4. cap. 38.

Eodem

Eodem modo ſenſuque vitium perfectum & univerſale totum erit aggregativum, cujus partes aggregatæ ſunt vitia moralia ſingula, ſeu particularia. Hoc perfectum eſt vitium, ut ita loqui fas ſit, à quo miſeria & felicitas eſt moralis. Vide *Piccolom.* grad. 9. cap. 5.

§. 93. Sed videtur vitium hujuſmodi univerſale dari non poſſe. *Datur enim virtus univerſalis, quia partes ejus inter ſe non pugnant, ſed unâ quadam harmonia & conſenſione ſunt conjunctæ & mutuo ſe perficiunt: quod videtur in vitiis fieri non poſſe: quia inter ſe acerrime pugnant, & ſe invicem perimunt.*

Reſp. Pugna illa vitiorum hoſtilis non impetit eorum aggregationem & unionem in toto aggregato: quod etiam ex partibus maxime contrariis conflari poteſt. Hujuſmodi aggregatum eſt *mundus*, cujus aggregatæ partes multæ inter ſe maxime ſunt contrariæ. Quin & integrale totum per ſe unum ex partibus heterogeneis & contrariis conflatur, ut videre eſt in corpore humano, cujus partes temperamentis maxime diſtant.

Uniuntur autem & junguntur vitia contraria non per coëxiſtentiam & inhæſionem actualem in uno ſubjecto; quod impoſſibile per naturam contrariorum extremè pugnantium: ſed aliis modis tripliciter.

(1) Per *Principium*: quia ut omnium virtutum in ſe ſemina includit prudentia, ſic omnium vitiorum ſemina imprudentia.

(2) Per *medium*: quia omne vitium eſt receſſus à medio, everſio medii & inobedientia.

(3) Per *finem*: quia omnia naturam pervertunt, honeſto adverſantur & infelicitatem pariunt.

Interim eâdem ratione per *univerſale vitium* nemo ſummè miſer evadit, quâ felix *per univerſalem virtutem.* Oritur enim felicitas ex actuali coexiſtentiâ & inhæſione virtutum omnium in eodem ſubjecto: quia non contrariæ, ſed diſparatæ tantum ſunt virtutes, adeoque in eodem ſe ferre ſubjecto unà poſſunt omnes. Miſeria ex omnibus in eodem ſubjecto coexiſtentibus vitiis oriri non poteſt: quia, ut modo diximus coëxiſtere omnia propter contrarietatem, non poſſunt. Eſt igitur humana miſeria in omnibus quidem à vitio aliquo modo univerſali: quia univerſalis & perfectæ expars virtutis obnoxius eſt vitiis, diſparatis omnibus, non verò contrariis: Siquidem illa in eodem coëxiſtere ſubjecto poſſunt, hæc non poſſunt.

§. 94. Quæritur (3) *Qui gradus ſint pœnarum, quæ vitia comitantur?*

 Reſp.

Resp. Quatuor numerantur gradus.

(1) *Ipsa actio improba.* Unde Seneca epist. 93. *Prima illa & maxima peccantium est pœna, peccasse: nec ullum scelus impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est.*

(2) *Perpetuus malæ conscientiæ morsus.* Unde se judice nemo nocens absolvitur. *Et impiis*, inquit *Cal. Rhodig.* A. L. lib. 6. cap. 14. *Sufficit ad pœnam ipsorum vita assidue fluctuata & turbulenta.* Idem lib. 10. cap. 14. pulchre explicat, cur *vermis* nomine indigitetur conscientiæ remorsus & vellicatio.

(3) *Metus pœnæ perpetuus.* Unde *Seneca*, epist. 98. *multos* (improbos) *fortuna liberat pœna, metu neminem.*

(4) *Variæ externæ pœnæ & infamia.* Quibus affecti improbi mortem vivam dicuntur vivere.

Quæritur (32) *Quot modis in genere excusari soleant vitiosi actus, & quomodo elidi excusationes istæ debeant?*

Resp. Pulchre *Gregor.* M. lib. 22. Moral. cap. 9. *usitatum* inquit, *humani generis vitium est, & latendo peccatum committere & commissum negando abscondere & convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc argumenta ducimus nequitiæ, ex quo ipsam radicem traximus culpæ.*

Sed modos excusationum indictarum numeremus *Multis modis*, inquit Bernhardus, de 12. grad. *fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit, qui se excusat, Non feci: aut, feci quidem, sed bene feci: aut, si male, non multum male: aut si multum male, non mala intentione: si autem & de illa, sicut Adam vel Eva, convincitur, aliena suasione excusare se nititur.* Unde quadruplici potissimum vafritie excusationes texuntur: *Negando: in specie excusando. Accusando. Imitando.*

§. 95. (1) *Negando:* Non feci: alienum hoc est à me & consuetudine atque indole mea; injuria mihi fit: Exempla ubique sunt obvia etiam à mundi exordio: negavit Cain cædem fratris. Notum est vetus illud: *si fecisti, nega*: quod juventuti scholasticæ familiarissimum. Confert hosce tales erinaceis *Gregorius*: qui cum in sylvis agitantur, caput habent & pedes: cum capiuntur, nec caput nec pedes videntur habere: quia in sphæras se convolvunt & nil nisi globum aculeatum ostendunt. Ita plurimis nec pedes nec manus ad flagitia desunt: cum deprehenduntur, pictis mendaciis se defendunt & manus atque pedes nequitiæ famulantes occultant, ut vix objici iis quicquam possit. Hi vel testibus, vel confessione propria jurata sunt convincendi, vel divinæ vindictæ permittendi.

§. 96. (2) *In specie excusando*, idque variis modis: Homo sum, humani

humani à me nihil alienum duco; vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur: memoriæ labilis est culpa; necessitas me ursit: ira præcipitem me egit: ebrietas in causa fuit: valetudine integra non fui &c. Graviores quidem, vel leviores per hujusmodi circumstantias sunt vitiosi actus morales: attamen propterea vitiosi & culpabiles esse non desinunt: siquidem omnis ἀνομία peccatum est, quocunque tandem pingatur, aut veletur prætextu. Qui igitur vitiosum actum ita excusat, ut culpabilem esse neget, longe peccat gravius, quam qui culpam agnoscit.

§. 97. (3) *Accusando*: Ad hoc me flagitium alii impulerunt: nunquam hoc perpetrassem, nisi autores & suasores mihi fuissent alii: horum est culpa. Sic olim *Eva* prævaricationis culpam conjecit in Satanam, vel serpentem seductorem. *Adamus* in Evam & haud obscure in ipsum quoque Deum *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de arbore, & comedi:* Quasi diceret: si tu hanc mihi sociam non dedisses, ego legem tuam non violassem. Sic & impiis atque profanis aliis familiare est in criminis societatem trahere ipsum quoque Deum & providentiam ejus, vel astrorum influxus. *Sunt* inquit priscus scriptor apud *Augustinum*, de vera & falsa sapientia, cap. 16. *qui defendunt culpam in Dei providentia, reputantes Dei ordinationi & necessitati, quod relictum est voluntati & arbitrii libertati.* Sed non excusat hæc accusatio. Suadere vitiosum & legi contrarium actum primis hominibus Satan potuit, cogere vero ad perpetrandum eum non potuit. Itaque divinæ prohibitionis clypeo elidenda erant Satanæ tela & mendaces insidiæ: unde ex lege quoq; in prævaricatorem sententia fertur: *quia auscultasti voci uxoris tuæ & comedisti de fructu arboris illius, quo inter dixeram tibi, dicendo, ne comedas ex isto* &c. Valere igitur plus apud nos debet unica unius Dei lex, quam mille diabolorum & hominum contrariæ suasiones.

In Deum, vel astra qui culpam conferunt, eam aggravant, & iniquitatis atque injustitiæ justissimum judicem magno suo malo accusant. Ordinavit ille pœnam amantibus culpam. Astrorum influxus stulte & impie hic trahitur. Non excusatur Deus, si per astra infundit hominibus vitia.

§. 98. (4) *Imitando*: Primus ego non feci: trita & frequens est ejusdem culpæ via: Aliis cum hoc sit permissum, quidni & mihi? Inferior illis non sum &c. Stulta hæc est excusatio: Tam peccarunt & reatum contraxerunt, quam tu, qui securus es illos. Nullum inde tibi levamen sperandum, nisi quod pœnarum

rum habiturus es socios: neque minus ardebit qui cum multis ardebit. *Ne insistito vestigiis potentiorum ad mala*, inquit Deus, Exod. 23. v. 2. quam legem ita interpretatur. *Johannes Sarisberiensium*: *Non est*, inquit *quod error concurrentium sub pratextu multitudinis excusetur: quia vivendi norma à convivendi multitudine nequaquam trahitur.* De quarto hoc excusationis modo eleganter *Seneca*, ep. 123. *Inter causas malorum nostrorum est*, inquit, *quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari: cum plures facere cœperunt, quia honestius sit: quia frequentius, sequimur: & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est.*

§. 99. Quæritur (23) *Quæ præcipua sint argumenta, quibus ad vitiorum fugam induci possit & debeat animus?*

Resp. Sequentia! (1) quia pugnat cum natura rationali:

Unde *Lactantius*, institut. lib. 4. cap. 1. *solum sapientem & virtuti addictum hominis nomine dignum affirmat.* Et *Philo*, in lib. de Abrahamó: *Nemo injustus*, inquit, *est homo sed potius bestia humana forma prædita. In solum autem justitiæ sectatorem nomen hoc competit.*

§. 100. (2) Quia divinam excutiunt prosapiam atque ἀνθρωπίαν.

Hinc pulchre apud *Arrianum Epictetus*, lib. 2. cap. 8. *Tu principale quiddam es, delibatum ex divina natura. Habes aliquam partem ejus in te ipso. Quare ignoras prosapiam tuam? Nescis unde veneris? Non meminisse vis, quando vesceris, qui existens vescaris & quem nutrias, & in cætu vivens & cum aliis versans quando exerceris, quando disputas, an nescis te nutrire Deum: circumferre Deum te, ô miser, ignoras? Censes me loqui de aureo quodam aut argenteo quem extrinsecus circumferas. In te ipso, inquam, illum gestas: quem? coinquinari abs te non sentis? Impuris enim cogitationibus sordidisque actionibus id facis. Quod si Dei effigies quædam adesset, non in animum induceres tale aliquid agere. Deo autem ipso præsente in penetralibus & inspiciente omnia atque audiente, non pudet te ista cogitare & facere & propriæ naturæ ignarum, & dignum, cui Deus sit iratus.*

§. 101. (3) Quia in bestiam transformant hominem.

Docet hoc *Epictetus apud Arrianum*, lib. 1. cap. 5. *Homines*, inquit, *labendo in culpam, transeunt in leones, lupos, vulpes & similes alias feras pro vitiati affectus natura.* Et *Tyrius*, dissert. 34. *simul ac belluinæ imperant animo libidines, formam quidem integram relinquunt: sui vero obsequio eum, qui utitur,*

utitur, hominem in belluam convertunt. Hoc sibi centauri volunt, hoc Gorgones, hoc Chimaræ, hoc Ceropes: &c. vide & *Trismegistum* in Melep. Imo vero etiam infra bestias hominem deprimunt, ut docet *Chrysostomus*, homil. 32. ad Popul: ubi tandem ita concludit: *Scientes itaque, quod & brutis simus pejores, si virtute careamus, hanc exerceamus, ut efficiamur homines.* Idem tractat argumentum homil. 4. in Matth. & præcipue in homil. de instituenda secundum Deum vita, quæ est decima tomi 3. & homil. 9. in 1. ad Corinth. *Quid vobis pictura opus est, cum liceat eos, qui in peccatis vivunt, in apertum adducere. Quem igitur vultis priori loco pingamus? Num cupidum & rapacem hominem? Et quidnam illorum oculis impudentius? quid pervicacius? Quid cani similius? Neque enim tam impudens canis visus est, quam hic, cum undique omnia diripit. Quid hujus manibus scelestius?* &c.

§. 102. (4) Quia quasi in sordidum carcerem compingunt hominem: quod pulchre docentem vide *Chrysost.* homil. 14. in Matth. exemplo divitis avari: *sicut*, inquit, *cum aliquem videris vinctum & cervice, manibus, pedibusque ferratum, propterea illum maxime miseraris: sic etiam cum videris divitem cunctis rebus omnino circundatum, noli eum propter illa putare locupletem, propter quæ debes infelicem vocare. Præter illa siquidem vincula habet custodem carceris sæviorem, amorem videlicet pecuniarum, qui semel in se vinctum nequaquam de hoc carcere exire permittit; sed mille illi imponit catenas, & ostia & feras atque custodias, & in interiorem illum conjiciens carcerem etiam delectari his vinculis facit.*

§. 103. (5) Quia animæ sunt morbi & mortis prodromi.

Est enim virtus animi sanitas, ut ostendit *Tyrius*, dissert. 41. *Seneca*, epist. 75. cui contrarium vitium necessario morbus est. Unde *Plato* lib. 4. de republ. *virtus, ut apparet, sanitas quædam est & pulchritudo & robustus animi vigor: pravitas contra morbus, turpitudo & imbecillitas. Chrysostom.* homil. 24. in Epist. ad Eph. *omne peccatum corruptio est. Et quemadmodum virginem corrumpi dicimus, ita & animam. Propterea Paulus dixit: Ne quo pacto corrumpantur sensus vestri. Philo* de confus. lingu. *Gravissimum malorum est & pene solum insanabile omnium animæ partium ad peccatum consensus: cum tanquam in publica pestilentia nihil sani sit reliquum, quod ægrotus mederi possit.*

Mortis, & quidem æternæ, prodromum esse vitium seu peccatum apud Theologos in confesso est: unde *mortiferum* quoq; & *lethale* appellatur, vide *August.* de C.D. lib. 13. cap. 2. & lib. 29. c. 6.

Quia

§. 104. (6) Quia cum quolibet peccato complicata est impietas.

Est enim omnis peccator in Deum injurius. Imo ut *Hierocles* ad v. 19. *Pythag.* scribit, *qui injuriam alteri facit, Deum esse non vult, ne dando pœnam, tanquam Sysiphi lapidem impendentem sustineat.* Quam in sententiam *Bernhardus*, serm. 3. de Pasch. *Nunc autem & ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet, Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire: vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis plane & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat! Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa & leæna sævissima.*

Stoicorum dogma fuit, omne peccatum esse impietatem: cujus probationes vide apud *Stobæum* in Eclog. eth. cap. 4. *Qui injuste agit*, inquit *Antoninus*, lib. 9. *Impietatis reus est.* Apud *Dionem*, orat. 3. *Rex Justus arbitratur virtutem esse pietatem, vitium vero impietatem.*

(7) Quia victoria de vitio non est difficilis.

§. 105. Sic enim *Epictetus* apud *Arrianum*, lib. 4. cap. 9. *Nunc* vero *tibi ipsi abnuis opitulari. At quanto opem ferendi hæc est expeditior ratio? Non est necesse ut contrucides aliquem: non vinciendus aut injuria afficiendus quispiam, non progrediendum in forum: sed tale tecum loquaris oportet, tibimet præsertim obtemperaturus: cum aptius persuadere nullus, quam tu tibi ipsi, quicquam possit.*

§. 106. (8) Quia horribilis est carnificina scelerum conscientia.

Ita *Pelag.* Epist. ad *Demetriad*: *Frequenter carnifice occulto in autorem sceleris conscientiæ tormenta desæviunt, & latentem rem secreta menis pœna persequitur, nec ullus post culpam impunitati locus est, cum reatus ipse supplicium sit.* Et *Augustin.* in Psal. 45. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio quam conscientia delictorum.*

Ambros. Epist. 28. ad animam vitiis squalentem. *Nullus major est dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque ullum gravius est onus, quàm peccatorum sarcina & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram, ne se erigere possit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera.* Sic & *Seneca*, epist: 97. *Hic Epicuro consentiamus, mala facinora conscientiâ flagellari, & plurimum illi tormentorum*

rum esse, eò quod posterior illam solicitudo urget & verberat, quod sponsoribus securitatis suæ non potest credere. Et *Iuvenalis* Satyr. 13.

--- Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos & surdo verbere cadit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, & multo sævior illis,
Quas & Caditius gravis invenit, aut Rhadamantus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Macrobius, lib. 1. in somn: Scipion: cap.: 10. *Per vulturem jecur immortale lancinantem, fabulis notum, nihil aliud intelligitur, quam tormenta malæ conscientiæ obnoxia flagitio viscera interiora rimantis & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentaverint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis, lege hac, qua, se judice, nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam.* Ita quod de inferno olim commenti sunt Poëtæ, ad malam conscientiam refert *Macrobius*: cui ex theologis quoque nonnulli assentiuntur:

§. 107. (9) Quia vitiorum servitus est ærumnosissima & turpissima. *Nulla servitus turpior est*, inquit Seneca, *quam voluntaria. Hæc vero vitiorum est servitus: pleraque omnes aliæ sunt coactæ. Liber est*, inquit idem, *qui servitutem effugit sui. Hæc est assidua servitus & ineluctabilis, & per diem & noctem æqualiter premens, sine intervallo, sine commeatu, sibi servire gravissima servitus est.*

§. 108. (10) Quia merces vitiorum æterna mors est.

Spiritus Dei hæc est sententia per *Johannem* enunciata, Apocal. 21. v. 8. *Timidis, & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & scortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars assignata est in stagno ardente igni & sulphure: quæ est mors secunda.* Et cap. 22. v. 15. *Foris erunt canes, & venefici, & scortatores, & idololatræ, & quisquis amat & committit mendacium.*

In mortis hujus horrendæ descriptione multi sunt patres, & inter eos *Basilius* in psal. 33. & in lib. de vera virginit: *Chrysostom.* homil. 1. ad Hebræ. *Bernhardus* in declam. ad illud: *Ecce nos relinquimus omnia.*

Neque Christiani soli, sed & Ethnici hoc argumento à vitiis dehortati sunt homines. Hinc memorabilia sunt *Zaleuci* in legum

prooemio

procemio verba, apud *Stob.* serm. 44. *Illos quorum voluntas non facile ad hac persuaderi potest, & animus ad injustitiam pronus est, viros & fœminas, cives aliosque cohabitatores, admonitos velim meminisse Deorum, ut qui & sint, & pœnas ab injustis sumant: atque ob oculos ponere tempus istud, quod unicuique finis est vita futurum. Morituros enim omnes injuriarum, quas commiserunt, memores pœnitentia invadit & vehemens cupiditas, qua vellent exactam sibi vitam omnem fuisse justam. Quamobrem singulos oportet semper in singulis actionibus illud tempus adeo suis cogitationibus familiare facere, ac si præsens esset. Ita enim maxime honesti justique cura vigebit.* Sic & *Plato* in Phæd. *Grave periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam. Si enim mors totius dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, cum & à corpore & ab eorum pravitate cum anima liberarentur. Nunc autem cum anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima & prudentissima fiat. Nihil enim aliud cum migrat ad manes, anima secum transfert, præter eruditionem atque educationem.*

§. 109. Quæritur (34) *Quæ media sint idonea ad fugienda & declinanda vitia?*

Resp. (1) Precatio.

Ita *Zaleucus* in proæmio LL. apud Stob. Serm. 44. *Si quis*, inquit, *à malo genio quopiam assistente sibi ad injustitiam instigetur, is ad templa, aras & delubra versetur fugiens injustitiam, ceu dominam iniquissimam molestissimamque, & Deos oret, ut opem ad propellendam ipsam sibi ferant.* Et egregie apud *Arrianum Epictetus*, lib. 2. cap. 19. *Is est revera studiosus, qui sese contra tales Phantasias exercet. Consiste, miser, ne auferat te phantasia. Magnum certamen est divini operis functio. De regno certatur, de libertate, de rebus omnibus secundis & tranquillitate. Memineris Dei, illum invoca auxiliatorem, & tanquam præsidium: ut solent nautæ, qui in tempestatibus, invocant Castorem & Pollucem &c.*

§. 110. (2) Cogitatio & contuitus præsentis Numinis.

Quis alius modus, inquit Origenes lib. 4. *qui facilius hominem ad recte vivendum convertat, quam fides certaque persuasio, nihil nobis vel dici, vel geri, vel cogitari denique, quin oculis DEI pateat.* Et *Lactantius*, lib. 6. Institut: cap. 14. *Nec lucrari se quispiam putet, si delicti conscium non habebit.: scit enim ille omnia, in cujus conspectu vivimus, nec, si universos homines celare possumus, Deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum.* Quod in exhortationibus suis *Seneca* mirabili

mirabili sententia terminavit: *Magnum*, inquit, *nescio quid, majusque quam cogitari potest, Numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusam esse conscientiam, patemus Deo.* Et mox: *Nullus ergo mendacio, nullus dissimulationi locus est: quia parietibus oculi hominum submoventur: Dei autem divinitas nec visceribus submoveri potest, quominus totum hominem perspiciat & norit.* Vide quoque *Gellium* lib. 12. cap. 11.

§. 111. (3) Monitor fidus, isque patienter admissus.

Chrysost. homil: 10. in acta: *Quod sæpius dixi, hoc etiam nunc dico. Sint animadversores eorum, quæ dicuntur, multi: fient inquisitores & correctores. Non est confusio ab alto corrigi: Imo confusio est repellere corrigentes & in damnum propriæ salutis hoc facere. Et tu quidem si vestem indueris inversam, permittis te à puero admoneri, non confunderis, ab illis discens: quamvis certe in hoc magna confusio. Hic autem in detrimento animæ confusio ne est, dic mihi, ab alto erudiri? Et ornantem quidem te vestibus fers servulum & calciantem: ornantem autem animam tuam non fers? Et quantæ inscientiæ hæc sunt? sit & minister horum doctor, sit & puellus, sit & uxor, sit & amicus & vicinus & cognatus. Quemadmodum enim fera, quæ undiquaque agitatur, non facile evadit: ita fieri nequit, quin is, qui tot habet custodes, tot observatores, tot increpantes & undique affligitur, facile effugiat & servetur. Et primo quidem die difficulter feres hoc, & tertio: deinde autem facile erit & jam post quartum molestum ultra non erit.*

§. 112. (4) Declinatio convictus vitiosorum.

Hinc *Seneca*, epist. 7. *Quid tibi vitandum præcipue existimem, quæris? Turbam. Nondum illi te tuto commiseris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur: aliquid ex his, quæ fugavi, redit &c. Inimica multorum est conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allicit* &c. vide & Epist. 104. & 123. *Epictetus* apud *Arrian.* lib. 4. c. 16.

§. 113. (5) Devitatio occasionum peccandi.

Ita *Pelagianus*, autor lib. de divitiis. *Occasiones peccatorum occasionibus valetudinum similes sunt. Sicut enim corpus invalidum pristinam difficile recipiet sospitatem, nisi omnes prius occasiones, per quas infirmitatum causæ ministrantur, abstulerit: ita anima peccatorum depressa morbo & iniquitatum febribus exæstuans prævalescere difficile poterit, si non universas ante occasiones absciderit delictorum.* Obstru-

(6) Obstructio fontium peccati.

§. 114. Unde *Philo*, lib. in decalog: *Nisi ratio philosophica, ceu bonus medicus, cohibeat diffundentem se concupiscentiam, totam vitam perturbabit necessario. Cuncta enim sine exceptione subjiciuntur huic vitio. Sed nunquam magis insanit, quam cum nacta est licentiam: quando in omnibus facit omnia.*

Pertinet huc præceptum *Aristotelis*, de voluptate contemnenda, quæ ad quævis nos peccata pertrahit, lib. 2. Et cap. ult.

§. 115. (7) Obstacula principiis posita.

Hinc *Seneca* in consolat: ad *Marciam*, cap. 1. *omnia vitia penitus insidunt, nisi, dum surgunt, oppressa sint. Epictetus*, apud *Arrianum*, lib. 2. cap. 18. *si semel succumbens dixeris: post hac superior ero: deinde rursus eandem usurpes orationem, scito tam fore imbecillum te & languidum, ut deinceps ne animadvertere quidem possis, te peccare. Imo vero subinde incipies his, quæ facis, patrocinari.*

§. 116. (8) Fuga minimarum culparum.

Pulchre hanc in rem *Chrysostomus*, homil. 12. ad Roman: *Exhortor ut caveamus, vel pusilla fugientes mala. Nam magna ab his nascuntur. Etenim qui in uno quoque peccato dicere doctus, est:* Non in hoc positum est salutis momentum: *is pedetentim omnia pessundabit. Hoc igitur vitiositatem ipsam attraxit, hoc januas reseravit prædoni, hoc urbis mœnia dejecit; Nimirum, quoties ad unum quodque peccatum dicis:* Non hoc ad rem magnopere pertinet. *Sic & in ipsis corporibus usu venire videmus, ut magnæ ægritudines augeantur, quoties parvas negligimus.* Similia habet *Cyprianus*, lib. de Zelo & livore. *Basilius*, regul. 293. Epict: lib. 1. cap. 7.

§. 117. (9) Quotidianum conscientiæ examen.

Præceperunt hoc, tanquam efficacissimum, adversus malitiam moralem, alexipharmacum, non Christiani tantum, sed & Ethnici doctores, *Phocylides*, *Pythagoras*, *Epictetus*, *Seneca*.

Phocylides, si *Stobæo* credimus, primus omnium mortales docuit quotidie se ipsos ad conscientiæ tribunal citare.

Pythagoræ in carminibus hæc sunt verba:

Non somnum mollibus oculis suscipias
Ante, quam diurnorum operum unum quodque ter recensueris.
Ubi prævaricatus sum? Quid feci? quid fieri oportebat, quod non fecerim?
Incipiens à primo percurre omnia.

Ac postea

Ac postea, si turpia admiseris, dole & castiga: si bona, lætare & gaude.

Laudabile hoc *Pythagoræ* institutum eleganti carmine expressit Ausonius Idyll. 16.

De matutino & vespertino sui examine præcipientem vide *Epictet: apud Arrian*: lib. 3. cap. 10. & lib. 4. cap. 6.

Pulcherrime *Seneca*, lib. 3. de ira, cap. 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? Qua parte melior es? Desinet ira & eris moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad judicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis: utor hac potestate & quotidie apud me causam dico.*

Cum sublatum è conspectu lumen est, & conticuit uxor, moris & jam mei conscia, totum diem mecum scrutor: facta & dicta mea remetior: nihil mihi abscondo, nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere, vide ne istud amplius facias? nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es. Noli postea congredi cum imperitis. Nolunt discere, qui nunquam didicerunt. Illum liberius admonuisti, quam debebas. Itaq; non emendasti, sed offendisti. De cætero, vide non tantum an verum sit, quod dicis, sed an ille, cui dicitur, veri patiens sit. Obstupisco, inquit Jesuita *Drexelius*, Trismegisti lib. 1. c. 2. *quoties hæc lego, nec sine admiratione & rubore, unquam legi. Homini tot negotiis, tot studiis, nobili etiam uxore distracto hæc tam arcta & quotidiana in se ipsum inquisitio fuerit.*

Idem epist. 28. in fine: *Initium est salutis notitia peccati: egregie mihi hoc dixisse videtur* Epicurus. *Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet ante, quam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo, quantum potes, te ipsum coargue. Inquire in te. Accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris. Aliquando te offende.* Vide eundem in lib. de brevitat: vitæ, c. 19. & Epist: 50.

Examinis hujus usum quoque commendat *Galenus*, in lib. de cognosc. & curand: animi affect.

Utinam, utinam *juventus Academica*, & *scholastica* præceptorem & professorem ethicum, *Senecam*, heic audiret,

& omnia diurna sua facta sub occasum solis, nocturna sub ejusdem exortum ruminaretur, se ipsam coargueret, in se ipsam inquireret, se ipsam accusaret, & in se ipsam sententiam ferret!

Quanto castigatiores habituri essemus mores *Academicos* & *Scholasticos!* quanto vitam humanitatis professione digniorem! quanto tranquilliores noctes! Quanto laboriosiores dies!

De Gymnosophistis ita *Apulejus*, lib. 1. Florid. *ubi mensa posita, prius quam edulia apponantur, omnes adolescentes ex diversis locis & officiis ad dapem conveniunt. Magistri perrogant: quod factum, à lucis ortu ad illud diei, bonum fecerint? Hic alius se commemorat inter duos arbitrum dilectum sanata simultate amicos ex infensis reddidisse. Inde alius, sese parentibus quidpiam imperantibus obedisse: aliquid & alius meditatione sua repetisse, vel alterius demonstratione didicisse: qui nihil habet afferre, cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur.*

Si hæc in Christianorum scholas consuetudo induceretur & discipulorum nemo vel ad prandium, vel ad cœnam admitteretur, nisi aliquod cibo potuque dignum vel interdiu vel noctu fecisse, nihilque indignum patrasse præceptoribus & magistris suis probasset, quot putes quæso singulis septimanis jejunos plurimis ducendos fore dies? præsertim si sancto omnes ad veritatem dicendam voto se obstrinxissent: mendacio enim & impudenti negatione nil frequentius & familiarius vitiorum mancipiis. Etsi multis non adeo gravis vel prandii, vel cœnæ jactura accideret, quibus nempe nec dies nec noctes sunt sobriæ.

De conscientiæ examine prolixe præcipientem vide *Drexelium* in Trismegisto, lib. 1. qui est de cultu conscientiæ: ubi examinis hujus demonstrat *utilitatem*, cap. 3. *necessitatem*, cap. 4. *Modum*, cap. 3. *Partes*, cap. 6.

Sanctis viris olim singulis diebus *matutinum* & *vespertinum* examen in usu fuit. Mane se examinarunt quomodo noctem exegerint: vesperi, quomodo diem. Nullum est efficacius ad improbos mores emendandos & mutandos remedium: qui enim inhonestos & improbos actus suos quotidie ad calculum vocat, & in conscientiæ speculo, deformitatem atque turpitudinem suam intuetur, non potest non tandem displicere sibi & de sui reformatione serio cogitare. Utinam qui humanioris & sanctioris literaturæ videri & appellari volunt studiosi, singulis diebus, mane & vesperi se ipsos excuterent, & quam à professione alienam egerint noctu vitam; quando ad insanam ebrietatem usque potu corpus obruerunt & gurgustiis effusi furiarum instar per plateas discursarunt, horrendis boatibus nocturnam quietem turbarunt

runt, strictis ensibus lapides verberarunt, obvios quosque incursarunt, virorum bonorum existimationem lacerarunt, fenestras exturbarunt, improbitatis suæ vindices exagitarunt, & tandem in capita & capillos sibi mutuo involarunt, probe expenderent, & hoc se nomine detestarentur. Quam alienam à professione interdiu vitam! Quando aureas auroræ horas stertendo transmiserunt, privata & publica studia nauseantes intermiserunt, ad pocula redierunt, ad reddendas rationes citati innocentiam suam affirmarunt & ad venturę noctis silentium inquietandum se præpararunt. Innocentes ut sua hac frui innocentia, ita nocentes sua exaudire probra par est: quibus tamen ex infamibus hisce culpis eluctari facile erit, si singulis diebus coram conscientiæ suæ tribunali bis apparuerint & ex actis probatisque latam in se sententiam audiverint.

§. 118. (10) Fuga desperationis etiam post lapsum.

Desperatio enim omni malo pejor est, teste *Chrysologo*, serm. 83. *Epictetus* heic audiendus, lib. 4. cap. 9. *Qui auditorem suum gravissima oratione ad vitiorum expugnationem cohortatur, & tandem hec subjungit. Damna quod non sit aliquid recte commissum: quo facto, ne propterea despondeas animum, ne id tibi accidat, quod timidis solet, qui cum semel remiserunt, abjiciunt se totos, & tanquam fluoribus quibusdam abripiuntur. Usurpato illud, quod pædotribæ solent:* cecidit puellus: resurgens capesse, inquit, denuo pugnam, donec robur acquiras. *Ita tu quoque sis animo tuo affectus. Nosti enim anima hominis nibil esse flexibilius. Tantum velle oportebit, & factum erit, nec pravitati erit locus. Si rursus obdormieris, quæ fuit rectitudo, perit. Intra te est interitus & salus.* Vide eundem lib. 3. cap. 25. *Si succumbamus*, inquit, *non prohibemur in hac pugna, quo minus denuo certemus, nec exspectare opus est quadriennium aliud, quo redeant iterum Olympia alia: sed statim respirandi & colligendi se, eademque promtitudine affecto denuo pugnare licet: & iterum, si non obtines, aggredi licebit. Quod si semel viceris, similis ei es, qui succubuit nunquam.*

CAPUT IV.

De

CAUSA VIRTUTIS PROCREANTE, PRINCIPALI ET ADMINISTRIS.

I.

Virtutis efficiens procreans est principalis vel administra.

II.

Principalis est Deus, omnis boni in natura autor, qui virtutem homini, velut imaginem sui, imprimit.

Ἔκθεσις.

§. 1. PRINCIPALEM Virtutis procreantem causam esse DEUM, etiam *Ethnici* agnovere, unde:

Seneca *Bonus vir à Deo est.* Et: *Nulla sine Deo mens est bona.*

Plato: *Nullum est nobis donum, quod non Dii dederint.*

Memorabilis est Dialogus *Alcibiadis* & *Socratis* apud *Platonem.* Soc. *Nostine quo pacto effugere possis animi tui inordinatum motum* AL. *Equidem:* Soc. *Quomodo?* AL. *Si velis:* Soc. *Non recte ais.* AL: *At quomodo dicendum?* Soc. *Si* DEUS *velit.*

Laconici bonum commendaturi virum, *divinus*, ajunt, *hic vir est* θεῖος ἀνήρ: teste *Platone*, in *Menone:* ubi θείᾳ μοίρᾳ παραγίνεσθαι, hoc est, *divina sorte dari virtutem docet.* Vide *Maximi Tyrii* dissert. 22. εἰ γένοιτο θείᾳ μοίρᾳ ἀγαθὸς; *Bias*, apud *Laertium: si quid boni*, inquit, *egeris*, *ad Deum refer.* Pindarus 6. Nem. *Ad summum virtutis culmen venerunt, qui labores degustarunt, Dei tamen beneficio.* Itaque ad *Cyclopes* ablegandi sunt, qui Deorum ajunt esse munus, ut vivamus, sed nostrum,

strum, ut bene vivamus, nec de virtute Deo agendas esse gratias. *Cic.* lib. 3. de N. D.

Cicero: *Nemo unquam magnus sine afflatu divino extitit.*

Aristoteles: *Beatitudinem, quæ virtutis est præmium, appellat bonum* θεόσδοτον, θεόπεμπτον *i à Deo dátum, à Deo missum.*

III.

Administra est interna vel externa.

IV.

Interna in animo est vel in corpore.

V.

In animo est: (1) Lex naturæ (2) συντήρησις. *(3) conscientia.*

Ἔκθεσις.

§. 1. Lex *naturæ* sunt principia practica, semina virtutum nobiscum nata, seu cordibus nostris quasi digito Dei inserta; è quibus, fideli cultu accedente, tandem pullulant virtutes.

Sunt autem principia ista practica ἀξιώματα quædam generalia, quæ quasi norma sunt actionum moralium & virtuosarum, omnibus nota hominibus, qualia sunt:

(1) *Actionum, quæ ab hominibus proficiscuntur, aliæ sunt honestæ, aliæ turpes.*

(2) *Honesta sunt appetenda: turpia fugienda.*

(3) *Deus est colendus.*

(4) *Parentes sunt honorandi.*

(5) *Nemo est lædendus.*

(6) *Benefactoribus rependenda est gratia.*

(7) *Iniquam vim licet repellere.*

(8) *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* &c.

Hæc principia recte appellantur *igniculi virtutum*, qui excitati per institutionem & exercitationem tandem in flammas virtutum illustres erumpunt. Appellantur etiam κοιναὶ ἔννοιαι *commu-*

Resp. Quatuor numerantur gradus.

(1) *Ipsa actio improba.* Unde Seneca epist. 93. *Prima illa & maxima peccantium est pœna, peccasse: nec ullum scelus impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est.*

(2) *Perpetuus malæ conscientiæ morsus.* Unde se judice nemo nocens absolvitur. *Et impiis*, inquit *Cal. Rhodig.* A. L. lib. 6. cap. 14. *Sufficit ad pœnam ipsorum vita assidue fluctuata & turbulenta.* Idem lib. 10. cap. 14. pulchre explicat, cur *vermis* nomine indigitetur conscientiæ remorsus & vellicatio.

(3) *Metus pœnæ perpetuus.* Unde *Seneca*, epist. 98. *multos* (improbos) *fortuna liberat pœna, metu neminem.*

(4) *Variæ externæ pœnæ & infamia.* Quibus affecti improbi mortem vivam dicuntur vivere.

Quæritur (32) *Quot modis in genere excusari soleant vitiosi actus, & quomodo elidi excusationes istæ debeant?*

Resp. Pulchre *Gregor.* M. lib. 22. Moral. cap. 9. *usitatum* inquit, *humani generis vitium est, & latendo peccatum committere & commissum negando abscondere & convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc argumenta ducimus nequitiæ, ex quo ipsam radicem traximus culpæ.*

Sed modos excusationum indictarum numeremus *Multis modis*, inquit Bernhardus, de 12. grad. *fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit, qui se excusat, Non feci: aut, feci quidem, sed bene feci: aut, si male, non multum male: aut si multum male, non mala intentione: si autem & de illa, sicut Adam vel Eva, convincitur, aliena suasione excusare se nititur.* Unde quadruplici potissimum vafritie excusationes texuntur: *Negando: in specie excusando. Accusando. Imitando.*

§. 95. (1) *Negando:* Non feci: alienum hoc est à me & consuetudine atque indole mea; injuria mihi fit: Exempla ubique sunt obvia etiam à mundi exordio: negavit Cain cædem fratris. Notum est vetus illud: *si fecisti, nega*: quod juventuti scholasticæ familiarissimum. Confert hosce tales erinaceis *Gregorius*: qui cum in sylvis agitantur, caput habent & pedes: cum capiuntur, nec caput nec pedes videntur habere: quia in sphæras se convolvunt & nil nisi globum aculeatum ostendunt. Ita plurimis nec pedes nec manus ad flagitia desunt: cum deprehenduntur, pictis mendaciis se defendunt & manus atque pedes nequitiæ famulantes occultant, ut vix objici iis quicquam possit. Hi vel testibus, vel confessione propria jurata sunt convincendi, vel divinæ vindictæ permittendi.

§. 96. (2) *In specie excusando*, idque variis modis: Homo sum, humani

humani à me nihil alienum duco; vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur: memoriæ labilis est culpa; necessitas me ursit: ira præcipitem me egit: ebrietas in causa fuit: valetudine integra non fui &c. Graviores quidem, vel leviores per hujusmodi circumstantias sunt vitiosi actus morales: attamen propterea vitiosi & culpabiles esse non desinunt: siquidem omnis ἀνομία peccatum est, quocunque tandem pingatur, aut veletur prætextu. Qui igitur vitiosum actum ita excusat, ut culpabilem esse neget, longe peccat gravius, quam qui culpam agnoscit.

§. 97. (3) *Accusando*: Ad hoc me flagitium alii impulerunt: nunquam hoc perpetrassem, nisi autores & suasores mihi fuissent alii: horum est culpa. Sic olim *Eva* prævaricationis culpam conjecit in Satanam, vel serpentem seductorem. *Adamus* in Evam & haud obscure in ipsum quoque Deum *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de arbore, & comedi:* Quasi diceret: si tu hanc mihi sociam non dedisses, ego legem tuam non violassem. Sic & impiis atque profanis aliis familiare est in criminis societatem trahere ipsum quoque Deum & providentiam ejus, vel astrorum influxus. *Sunt* inquit priscus scriptor apud *Augustinum*, de vera & falsa sapientia, cap. 16. *qui defendunt culpam in Dei providentia, reputantes Dei ordinationi & necessitati, quod relictum est voluntati & arbitrii libertati.* Sed non excusat hæc accusatio. Suadere vitiosum & legi contrarium actum primis hominibus Satan potuit, cogere vero ad perpetrandum eum non potuit. Itaque divinæ prohibitionis clypeo elidenda erant Satanæ tela & mendaces insidiæ: unde ex lege quoq; in prævaricatorem sententia fertur: *quia auscultasti voci uxoris tuæ & comedisti de fructu arboris illius, quo inter dixeram tibi, dicendo, ne comedas ex isto* &c. Valere igitur plus apud nos debet unica unius Dei lex, quam mille diabolorum & hominum contrariæ suasiones.

In Deum, vel astra qui culpam conferunt, eam aggravant, & iniquitatis atque injustitiæ justissimum judicem magno suo malo accusant. Ordinavit ille pœnam amantibus culpam. Astrorum influxus stulte & impie hic trahitur. Non excusatur Deus, si per astra infundit hominibus vitia.

§. 98. (4) *Imitando*: Primus ego non feci: trita & frequens est ejusdem culpæ via: Aliis cum hoc sit permissum, quidni & mihi? Inferior illis non sum &c. Stulta hæc est excusatio: Tam peccarunt & reatum contraxerunt, quam tu, qui secutus es illos. Nullum inde tibi levamen sperandum, nisi quod pœna-

 rum

rum habiturus es socios: neque minus ardebit qui cum multis ardebit. *Ne insistito vestigiis potentiorum ad mala*, inquit Deus, Exod. 23. v. 2. quam legem ita interpretatur. *Johannes Sarisberiensium*: *Non est*, inquit *quod error concurrentium sub prætextu multitudinis excusetur: quia vivendi norma à convivendi multitudine nequaquam trahitur.* De quarto hoc excusationis modo eleganter *Seneca*, ep. 123. *Inter causas malorum nostrorum est*, inquit, *quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari: cum plures facere cœperunt, quia honestius sit: quia frequentius, sequimur: & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est.*

§. 99. Quæritur (23) *Quæ præcipua sint argumenta, quibus ad vitiorum fugam induci possit & debeat animus?*

Resp. Sequentia! (1) quia pugnat cum natura rationali:

Unde *Lactantius*, institut. lib. 4. cap. 1. *solum sapientem & virtuti addictum hominis nomine dignum affirmat.* Et *Philo*, in lib. de Abrahamo: *Nemo injustus*, inquit, *est homo sed potius bestia humana forma prædita. In solum autem justitiæ sectatorem nomen hoc competit.*

§. 100. (2) Quia divinam excutiunt prosapiam atque ἀνθρωπίαν.

Hinc pulchre apud *Arrianum Epictetus*, lib. 2. cap. 8. *Tu principale quiddam es, delibatum ex divina natura. Habes aliquam partem ejus in te ipso. Quare ignoras prosapiam tuam? Nescis unde veneris? Non meminisse vis, quando vesceris, qui existens vescaris & quem nutrias, & in cœtu vivens & cum aliis versans quando exerceris, quando disputas, an nescis te nutrire Deum: circumferre Deum te, ô miser, ignoras? Censes me loqui de aureo quodam aut argenteo quem extrinsecus circumferas. In te ipso, inquam, illum gestas: quem? coinquinari abs te non sentis? Impuris enim cogitationibus sordidisque actionibus id facis. Quod si Dei effigies quædam adesset, non in animum induceres tale aliquid agere. Deo autem ipso præsente in penetralibus & inspiciente omnia atque audiente, non pudet te ista cogitare & facere & propria naturæ ignarum, & dignum, cui Deus sit iratus.*

§. 101. (3) Quia in bestiam transformant hominem.

Docet hoc *Epictetus apud Arrianum*, lib. 1. cap. 5. *Homines*, inquit, *labendo in culpam, transeunt in leones, lupos, vulpes & similes alias feras pro vitiati affectus natura.* Et *Tyrius*, dissert. 34. *simul ac belluinæ imperant animo libidines, formam quidem integram relinquunt: sui vero obsequio eum, qui utitur,*

utitur, hominem in belluam convertunt. Hoc sibi centauri volunt, hoc Gorgones, hoc Chimeræ, hoc Ceropes: &c. vide & *Trismegistum* in Melep. Imo vero etiam infra bestias hominem deprimunt, ut docet *Chrysostomus*, homil. 32. ad Popul: ubi tandem ita concludit: *Scientes itaque, quod & brutis simus pejores, si virtute careamus, hanc exerceamus, ut efficiamur homines.* Idem tractat argumentum homil. 4. in Matth. & præcipue in homil. de instituenda secundum Deum vita, quæ est decima tomi 3. & homil. 9. in 1. ad Corinth. *Quid vobis pictura opus est, cum liceat eos, qui in peccatis vivunt, in apertum adducere. Quem igitur vultu priori loco pingamus? Num cupidum & rapacem hominem? Et quidnam illorum oculis impudentius? quid pervicacius? Quid cani similius? Neque enim tam impudens canis visus est, quam hic, cum undique omnia diripit. Quid hujus manibus scelestius?* &c.

§. 102. (4) Quia quasi in sordidum carcerem compingunt hominem: quod pulchre docentem vide *Chrysost.* homil. 14. in Matth. exemplo divitis avari: *sicut*, inquit, *cum aliquem videris vinctum & cervice, manibus, pedibusque ferratum, propterea illum maxime miseraris: sic etiam cum videris divitem cunctis rebus omnino circundatum, noli eum propter illa putare locupletem, propter quæ debes infelicem vocare. Præter illa siquidem vincula habet custodem carceris sæviorem, amorem videlicet pecuniarum, qui semel in se vinctum nequaquam de hoc carcere exire permittit; sed mille illi imponit catenas, & ostia & seras atque custodias, & in interiorem illum conjiciens carcerem etiam delectari his vinculis facit.*

§. 103. (5) Quia animæ sunt morbi & mortis prodromi.

Est enim virtus animi sanitas, ut ostendit *Tyrius*, dissert. 41. *Seneca*, epist. 75. cui contrarium vitium necessario morbus est. Unde *Plato* lib. 4. de republ. *virtus, ut apparet, sanitas quadam est & pulchritudo & robustus animi vigor: pravitas contra morbus, turpitudo & imbecillitas. Chrysostom.* homil. 24. in Epist. ad Eph. *omne peccatum corruptio est. Et quemadmodum virginem corrumpi dicimus, ita & animam. Propterea Paulus dixit: Ne quo pacto corrumpantur sensus vestri. Philo* de confus. lingu. *Gravissimum malorum est & pene solum insanabile omnium animæ partium ad peccatum consensus: cum tanquam in publica pestilentia nihil sani sit reliquum, quod ægrotus mederi possit.*

Mortis, & quidem æternæ, prodromum esse vitium seu peccatum apud Theologos in confesso est: unde *mortiferum* quoq; & *lethale* appellatur, vide *August.* de C.D. lib. 13. cap. 2. & lib. 29. c. 6.

Quia

§. 104. (6) Quia cum quolibet peccato complicata est impietas.

Est enim omnis peccator in Deum injurius. Imo ut *Hierocles* ad v. 19. *Pythag.* scribit, *qui injuriam alteri facit, Deum esse non vult, ne dando pœnam, tanquam Sysiphi lapidem impendentem sustineat.* Quam in sententiam *Bernhardus*, serm. 3. de Pasch. *Nunc autem & ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet, Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire: vult ergo eum non esse Deum, qua, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis plane & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat! Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa & leæna sævissima.*

Stoicorum dogma fuit, omne peccatum esse impietatem: cujus probationes vide apud *Stobæum* in Eclog. eth. cap. 4. *Qui injuste agit*, inquit *Antoninus*, lib. 9. *Impietatis reus est.* Apud *Dionem*, orat. 3. *Rex justus arbitratur virtutem esse pietatem, vitium vero impietatem.*

(7) Quia victoria de vitio non est difficilis.

§. 105. Sic enim *Epictetus* apud *Arrianum*, lib. 4. cap. 9. *Nunc* vero *tibi ipsi abnuis opitulari. At quanto opem ferendi hæc est expeditior ratio? Non est necesse ut contrucides aliquem: non vinciendus aut injuria afficiendus quispiam, non progrediendum in forum: sed tale tecum loquaris oportet, tibimet præsertim obtemperaturus: cum aptius persuadere nullus, quam tu tibi ipsi, quicquam possit.*

§. 106. (8) Quia horribilis est carnificina scelerum conscientia.

Ita *Pelag.* Epist. ad *Demetri ad: Frequenter carnifice occulto in autorem sceleris conscientiæ tormenta desæviunt, & latentem rem secreta mentis pœna persequitur, nec ullus post culpam impunitati locus est, cum reatus ipse supplicium sit.* Et *Augustin.* in Psal. 45. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio quam conscientia delictorum.*

Ambros. Epist. 18. ad animam vitiis squalentem. *Nullus major est dolor, quam is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque ullum gravius est onus, quàm peccatorum sarcina & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram, ne se erigere possit. Gravia, fili, gravia nimis delictorum pondera.* Sic & *Seneca*, epist: 97. *Hic Epicuro consentiamus, mala facinora conscientiâ flagellari, & plurimum illi tormentorum*

rum esse, eò quod posterior illam solicitudo urget & verberat, quod sponsoribus securitatus sua non potest credere. Et *Juvenalis* Satyr. 13.

--- Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos & surdo verbere cadit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, & multo sævior illis,
Quas & Caditius gravis invenit, aut Rhadamantus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Macrobius, lib. 1. in somn: Scipion: cap.: 10. *Per vulturem jecur immortale lancinantem, fabulis notum, nihil aliud intelligitur, quam tormenta malæ conscientiæ obnoxia flagitio viscera interiora rimantis & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentaverint, excitantis, tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis, lege hac, qua, se judice, nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam.* Ita quod de inferno olim commenti sunt Poëtæ, ad malam conscientiam refert *Macrobius*: cui ex theologis quoque nonnulli assentiuntur:

§. 107. (9) Quia vitiorum servitus est ærumnosissima & turpissima. *Nulla servitus turpior est*, inquit Seneca, *quam voluntaria. Hæc vero vitiorum est servitus: pleraque omnes aliæ sunt coacta. Liber est*, inquit idem, *qui servitutem effugit sui. Hæc est assidua servitus & ineluctabilis, & per diem & noctem æqualiter premens, sine intervallo, sine commeatu, sibi servire gravissima servitus est.*

§. 108. (10) Quia merces vitiorum æterna mors est.

Spiritus Dei hæc est sententia per *Johannem* enunciata, Apocal. 21. v. 8. *Timidis, & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & scortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars assignata est in stagno ardente igni & sulphure: quæ est mors secunda.* Et cap. 22. v. 15. *Foris erunt canes, & venefici, & scortatores, & idololatræ, & quisquis amat & committit mendacium.*

In mortis hujus horrendæ descriptione multi sunt patres, & inter eos *Basilius* in psal. 33. & in lib. de vera virginit: *Chrysostom.* homil. 1. ad Hebræ. *Bernhardus* in declam. ad illud: *Ecce nos relinquimus omnia.*

Neque Christiani soli, sed & Ethnici hoc argumento à vitiis dehortati sunt homines. Hinc memorabilia sunt *Zaleuci* in legum proœmio

proœmio verba, apud *Stob.* ferm. 44. *Illos quorum voluntas non facile ad hac persuaderi potest, & animus ad injustitiam pronus est, viros & fœminas, cives aliosque cohabitatores, admonitos velim meminisse Deorum, ut qui & sint, & pœnas ab injustis sumant: atque ob oculos ponere tempus istud, quod unicuique finis est vitæ futurum. Morituros enim omnes injuriarum, quas commiserunt, memores pœnitentia invadit & vehemens cupiditas, qua vellent exactam sibi vitam omnem fuisse justam. Quamobrem singulos oportet semper in singulis actionibus illud tempus adeo suis cogitationibus familiare facere, ac si præsens esset. Ita enim maxime honesti justique cura vigebit.* Sic & *Plato* in Phæd. *Grave periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam. Si enim mors totius dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, tum & à corpore & ab eorum pravitate cum anima liberarentur. Nunc autem cum anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima & prudentissima fiat. Nihil enim aliud cum migrat ad manes, anima secum transfert, præter eruditionem atque educationem.*

§. 109. Quæritur (34) *Quæ media sint idonea ad fugienda & declinanda vitia?*

Resp. (1) Precatio.

Ita *Zaleucus* in proœmio LL. apud Stob. Serm. 44. *Si quis*, inquit, *à malo genio quopiam assistente sibi ad injustitiam instigetur, is ad templa, aras & delubra versetur fugiens injustitiam, ceu dominam iniquissimam molestissimamque, & Deos oret, ut opem ad propellendam ipsam sibi ferant.* Et egregie apud *Arrianum Epictetus*, lib. 2. cap. 19. *Is est revera studiosus, qui sese contra tales Phantasias exercet. Consiste, miser, ne auferat te phantasia. Magnum certamen est divini operis functio. De regno certatur, de libertate, de rebus omnibus secundis & tranquillitate. Memineris Dei, illum invoca auxiliatorem, & tanquam præsidium: ut solent nautæ, qui in tempestatibus, invocant Castorem & Pollucem &c.*

§. 110. (2) Cogitatio & contuitus præsentis Numinis.

Quis alius modus, inquit Origenes lib. 4. *qui facilius hominem ad recte vivendum convertat, quam fides certaque persuasio, nihil nobis vel dici, vel geri, vel cogitari denique, quin oculis DEI pateat.* Et *Lactantius*, lib. 6. Institut: cap. 14. *Nec lucrari se quispiam putet, si delicti conscium non habebit.: scit enim ille omnia, in cujus conspectu vivimus, nec, si universos homines celare possumus, Deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum.* Quod in exhortationibus suis *Seneca* mirabili

mirabili sententia terminavit: *Magnum*, inquit, *nescio quid, majusque quam cogitari potest, Numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusam esse conscientiam, patemus Deo.* Et mox: *Nullus ergo mendacio, nullus dissimulationi locus est: quia parietibus oculi hominum submoventur: Dei autem divinitas nec visceribus submoveri potest, quominus totum hominem perspiciat & norit.* Vide quoque *Gellium* lib. 12. cap. 11.

§. 111. (3) Monitor fidus, isque patienter admissus.

Chrysost. homil: 10. in acta: *Quod sæpius dixi, hoc etiam nunc dico. Sint animadversores eorum, quæ dicuntur, multi: sint inquisitores & correctores. Non est confusio ab alto corrigi: Imo confusio est repellere corrigentes & in damnum propriæ salutis hoc facere. Et tu quidem si vestem indueris inversam, permittis te à puero admoneri, non confunderis, ab illis discens: quamvis certe in hoc magna confusio. Hic autem in detrimento animæ confusio ne est, dic mihi, ab alto erudiri? Et ornantem quidem te vestibus fers servulum & calciantem: ornantem autem animam tuam non fers? Et quantæ inscientiæ hæc sunt? sit & minister horum doctor, sit & puellus, sit & uxor, sit & amicus & vicinus & cognatus. Quemadmodum enim fera, quæ undiquaque agitatur, non facile evadit: ita fieri nequit, quin is, qui tot habet custodes, tot observatores, tot increpantes & undique affligitur, facile effugiat & servetur. Et primo quidem die difficulter feres hoc, & tertio: deinde autem facile erit & jam post quartum molestum ultra non erit.*

§. 112. (4) Declinatio convictus vitiosorum.

Hinc *Seneca*, epist. 7. *Quid tibi vitandum præcipue existimem, quæris? Turbam. Nondum illi te tuto commiseris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur: aliquid ex his, quæ fugavi, redit &c. Inimica multorum est conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allicit* &c. vide & Epist. 104. & 123. *Epictetus* apud *Arrian*. lib. 4. c. 16.

§. 113. (5) Devitatio occasionum peccandi.

Ita *Pelagianus*, autor lib. de divitiis. *Occasiones peccatorum occasionibus valetudinum similes sunt. Sicut enim corpus invalidum pristinam difficile recipiet sospitatem, nisi omnes prius occasiones, per quas infirmitatum causæ ministrantur, abstulerit: ita anima peccatorum depressa morbo & iniquitatum febribus exæstuans prævalescere difficile poterit, si non universas ante occasiones abscideril delictorum.* Obstru-

(6) Obstructio fontium peccati.

§. 114. Unde *Philo*, lib. in decalog: *Nisi ratio philosophica, ceu bonus medicus, cohibeat diffundentem se concupiscentiam, totam vitam perturbabit necessario. Cuncta enim sine exceptione subjiciuntur huic vitio. Sed nunquam magis insanit, quam cum nacta est licentiam: quando in omnibus facit omnia.*

Pertinet huc præceptum *Aristotelis*, de voluptate contemnenda, quæ ad quævis nos peccata pertrahit, lib. 2. Et cap. ult.

§. 115. (7) Obstacula principiis posita.

Hinc *Seneca* in consolat: ad *Marciam*, cap. 1. *omnia vitia penitus insidunt, nisi, dum surgunt, oppressa sint. Epictetus*, apud *Arrianum*, lib. 2. cap. 18. *si semel succumbens dixeris; post hac superior ero: deinde rursus eandem usurpes orationem, scito tam fore imbecillum te & languidum, ut deinceps ne animadvertere quidem possis, te peccare. Imo vero subinde incipies his, quæ facis, patrocinari.*

§. 116. (8) Fuga minimarum culparum.

Pulchre hanc in rem *Chrysostomus*, homil. 12. ad Roman: *Exhortor ut caveamus, vel pusilla fugientes mala. Nam magna ab his nascuntur. Etenim qui in uno quoque peccato dicere doctus, est:* Non in hoc positum est salutis momentum: *is pedetentim omnia pessundabit. Hoc igitur vitiositatem ipsam attraxit, hoc januas reseravit prædoni, hoc urbis mœnia dejecit; Nimirum, quoties ad unum quodque peccatum dicis*: Non hoc ad rem magnopere pertinet. *Sic & in ipsis corporibus usu venire videmus, ut magnæ ægritudines augeantur, quoties parvas negligimus.* Similia habet *Cyprianus*, lib. de Zelo & livore. *Basilius*, regul. 293. Epict: lib. 1. cap. 7.

§. 117. (9) Quotidianum conscientiæ examen.

Præceperunt hoc, tanquam efficacissimum, adversus malitiam moralem, alexipharmacum, non Christiani tantum, sed & Ethnici doctores, *Phocylides*, *Pythagoras*, *Epictetus*, *Seneca*.

Phocylides, si *Stobæo* credimus, primus omnium mortales docuit quotidie se ipsos ad conscientiæ tribunal citare.

Pythagoræ in carminibus hæc sunt verba:

Non somnum mollibus oculis suscipias
Ante, quam diurnorum operum unum quodque ter recensueris.
Ubi prævaricatus sum? Quid feci? quid fieri oportebat, quod non fecerim?
Incipiens à primo percurre omnia.

Ac postea

Ac postea, si turpia admiseris, dole & castiga: si bona, lætare & gaude.

Laudabile hoc *Pythagoræ* institutum eleganti carmine expressit Ausonius Idyll. 16.

De matutino & vespertino sui examine præcipientem vide *Epictet: apud Arrian*: lib. 3. cap. 10. & lib. 4. cap. 6.

Pulcherrime *Seneca*, lib. 3. de ira, cap. 36. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? Qua parte melior es? Desinet ira & eris moderatior, quæ sciet tibi quotidie ad judicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus, altus ac liber, cum aut laudatus est animus, aut admonitus & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis: utor hac potestate & quotidie apud me causam dico.*

Cum sublatum è conspectu lumen est, & conticuit uxor, moris & jam mei conscia, totum diem mecum scrutor: facta & dicta mea remetior: nihil mihi abscondo, nihil transeo. Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere, vide ne istud amplius facias? nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es. Noli postea congredi cum imperitis. Nolunt discere, qui nunquam didicerunt. Illum liberius admonuisti, quam debebas. Itaq; non emendasti, sed offendisti. De cætero, vide non tantum an verum sit, quod dicis, sed an ille, cui dicitur, veri patiens sit. Obstupisco, inquit Jesuita *Drexelius*, Trismegisti lib. 1. c. 2. *quoties hæc lego, nec sine admiratione & rubore, unquam legi. Homini tot negotiis, tot studiis, nobili etiam uxore distracto hac tam arcta & quotidiana in se ipsum inquisitio fuerit.*

Idem epist. 28. in fine: *Initium est salutis notitia peccati: egregie mihi hoc dixisse videtur* Epicurus. *Nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet ante, quam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo, quantum potes, te ipsum coargue. Inquire in te. Accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris. Aliquando te offende.* Vide eundem in lib. de brevitat: vitæ, c. 19. & Epist: 50.

Examinis hujus usum quoque commendat *Galenus*, in lib. de cognosc. & curand: animi affect.

Utinam, utinam *juventus Academica*, & *scholastica* præceptorem & professorem ethicum, *Senecam*, heic audiret,

 & omnia

& omnia diurna sua facta sub occasum solis, nocturna sub ejusdem exortum ruminaretur, se ipsam coargueret, in se ipsam inquireret, se ipsam accusaret, & in se ipsam sententiam ferret!

Quanto castigatiores habituri essemus mores *Academicos* & *Scholasticos!* quanto vitam humanitatis professione digniorem! quanto tranquilliores noctes! Quanto laboriosiores dies!

De Gymnosophistis ita *Apulejus*, lib. 1. Florid. *ubi mensa posita, prius quam edulia apponantur, omnes adolescentes ex diversis locis & officiis ad dapem conveniunt. Magistri perrogant: quod factum, à lucis ortu ad illud diei, bonum fecerint? Hic alius se commemorat inter duos arbitrum dilectum sanata simultate amicos ex infensis reddidisse. Inde alius, sese parentibus quidpiam imperantibus obedisse: aliquid & alius meditatione sua repe risse, vel alterius demonstratione didicisse: qui nihil habet afferre, cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur.*

Si hæc in Christianorum scholas consuetudo induceretur & discipulorum nemo vel ad prandium, vel ad cænam admitteretur, nisi aliquod cibo potuque dignum vel interdiu vel noctu fecisse, nihilque indignum patrasse præceptoribus & magistris suis probasset, quot putes quæso singulis septimanis jejunos plurimis ducendos fore dies? præsertim si sancto omnes ad veritatem dicendam voto se obstrinxissent: mendacio enim & impudenti negatione nil frequentius & familiarius vitiorum mancipiis. Etsi multis non adeo gravis vel prandii, vel cœnæ jactura accideret, quibus nempe nec dies nec noctes sunt sobriæ.

De conscientiæ examine prolixe præcipientem vide *Drexelium* in Trismegisto, lib. 1. qui est de cultu conscientiæ: ubi examinis hujus demonstrat *utilitatem*, cap. 3. *necessitatem*, cap. 4. *Modum*, cap. 5. *Partes*, cap. 6.

Sanctis viris olim singulis diebus *matutinum* & *vespertinum* examen in usu fuit. Mane se examinarunt quomodo noctem exegerint: vesperi, quomodo diem. Nullum est efficacius ad improbos mores emendandos & mutandos remedium: qui enim inhonestos & improbos actus suos quotidie ad calculum vocat, & in conscientiæ speculo, deformitatem atque turpitudinem suam intuetur, non potest non tandem displicere sibi & de sui reformatione serio cogitare. Utinam qui humanioris & sanctioris literaturæ videri & appellari volunt studiosi, singulis diebus, mane & vesperi se ipsos excuterent, & quam à professione alienam egerint noctu vitam; quando ad insanam ebrietatem usque potu corpus obruerunt & gurgustiis effusi furiarum instar per plateas discursarunt, horrendis boatibus nocturnam quietem turbarunt

runt, ſtrictis enſibus lapides verberarunt, obvios quoſque incurſarunt, virorum bonorum exiſtimationem lacerarunt, feneſtras exturbarunt, improbitatis ſuæ vindices exagitarunt, & tandem in capita & capillos ſibi mutuo involarunt, probe expenderent, & hoc ſe nomine deteſtarentur. Quam alienam à profeſſione interdiu vitam! Quando aureas auroræ horas ſtertendo tranſmiſerunt, privata & publica ſtudia nauſeantes intermiſerunt, ad pocula redierunt, ad reddendas rationes citati innocentiam ſuam affirmarunt & ad venturę noctis ſilentium inquietandum ſe præpararunt. Innocentes ut ſua hac frui innocentia, ita nocentes ſua exaudire probra par eſt: quibus tamen ex infamibus hiſce culpis eluctari facile erit, ſi ſingulis diebus coram conſcientiæ ſuæ tribunali bis apparuerint & ex actis probatiſque latam in ſe ſententiam audiverint.

§. 118. *(10)* Fuga deſperationis etiam poſt lapſum.

Deſperatio enim omni malo pejor eſt, teſte *Chryſologo*, ſerm. 83. *Epictetus* heic audiendus, lib. 4. cap. 9. *Qui auditorem ſuum graviſſima oratione ad vitiorum expugnationem cohortatur, & tandem hæc ſubjungit. Damna quod non ſit aliquid recte commiſſum: quo facto, ne propterea deſpondeas animum, ne id tibi accidat, quod timidis ſolet, qui cum ſemel remiſerunt, abjiciunt ſe totos, & tanquam fluoribus quibuſdam abripiuntur. Uſurpato illud, quod pædotribæ ſolent:* cecidit puellus: reſurgens capeſſe, inquit, denuo pugnam, donec robur acquiras. *Ita tu quoque ſis animo tuo affectus. Noſti enim anima hominis nihil eſſe flexibilius. Tantum velle oportebit, & factum erit, nec pravitati erit locus. Si rurſus obdormieris, quæ fuit rectitudo, perit. Intra te eſt interitus & ſalus.* Vide eundem lib. 3. cap. 25. *Si ſuccumbamus*, inquit, *non prohibemur in hac pugna, quo minus denuo certemus, nec exſpectare opus eſt quadriennium aliud, quo redeant iterum Olympia alia: ſed ſtatim reſpirandi & colligendi ſe, eademque promtitudine affecto denuo pugnare licet: & iterum, ſi non obtines, aggredi licebit. Quod ſi ſemel viceris, ſimilis ei es, qui ſuccubuit nunquam.*

ſtrum, ut bene vivamus, nec de virtute Deo agendas eſſe gratias. *Cic.* lib. 3. de N. D.

Cicero: *Nemo unquam magnus ſine afflatu divino extitit.*

Ariſtoteles: *Beatitudinem, quæ virtutis eſt præmium, apellat bonum θεόδοτον, θεόπεμπτον* i. *à Deo datum, à Deo miſſum.*

III.

Adminiſtra eſt interna vel externa.

IV.

Interna in animo eſt vel in corpore.

V.

In animo eſt: (1) Lex naturæ (2) συντήρησις. (3) conſcientia.

Ἔκθεσις.

§. 1. LEX *naturæ* ſunt principia practica, ſemina virtutum nobiſcum nata, ſeu cordibus noſtris quaſi digito Dei inſerta; è quibus, fideli cultu accedente, tandem pullulant virtutes.

Sunt autem principia iſta practica *ἀξιώματα* quædam generalia, quæ quaſi norma ſunt actionum moralium & virtuoſarum, omnibus nota hominibus, qualia ſunt:

(1) *Actionum, quæ ab hominibus proficiſcuntur, aliæ ſunt honeſtæ, aliæ turpes.*

(2) *Honeſta ſunt appetenda: turpia fugienda.*

(3) *Deus eſt colendus.*

(4) *Parentes ſunt honorandi.*

(5) *Nemo eſt lædendus.*

(6) *Benefactoribus rependenda eſt gratia.*

(7) *Iniquam vim licet repellere.*

(8) *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* &c.

Hæc principia recte appellantur *igniculi virtutum*, qui excitati per inſtitutionem & exercitationem tandem in flammas virtutum illuſtres erumpunt. Appellantur etiam *κοιναὶ ἔννοιαι commu-*

nes notiones: quia omnibus hominibus per insitæ rationis dictamen sunt notæ.

§. 2. *Συντήρησις* est habitus, per quem promte assentimur principiis practicis, quæ lex naturæ comprehendit. Hic quoque habitus ad virtutem plurimum confert: quia omnium virtutum in se fundamenta habet, qui principiis practicis assentitur; ex quibus deinde variæ eliciuntur conclusiones virtutum & vitiorum moralium naturam indigitantes; illarumque exercitium, horum fugam suadentes: *exempli gratia.*

Si Deus est colendus tanquam summum bonum: Ergo tota mente in eo acquiescendum: ejus gloriæ omnia nostra impendenda: blasphemia & idololatria fugienda.

Si Parentes sunt honorandi: Ergo honeste de iis sentiendum & loquendum est: eorum mandatis obtemperandum: eorum infirmitates tolerandæ & tegendæ.

Si nemo est lædendus: Ergo amice cum omnibus est vivendum: studendum *temperantiæ*, ne vel nos ipsos, vel alios per intemperantiam lædamus: studendum *justitiæ*, per quam suum cuilibet tribuimus, suum nemini vel clam vel palam eripimus: studendum *castitati*, per quam ab amore illicito abstinentes corporis nostri & aliorum læsionem vitamus: studendum *veracitati*, quæ humanam conservat societatem, & in judiciis præsertim, justitiæ quasi fax est.

Si vim iniquam licet repellere: Ergo studendum *fortitudini*, per quam à nobis, à proximo, & à patria vim iniquam propulsamus.

§. 3. *Conscientia* in homine est sensus judicii divini de factis propriis, quo excusat vel accusat se ipsum homo. Et hæc hominem ad virtutis studium instigat: Siquidem nullum est majus tormentum, quam mala conscientia: hoc vero excutere non possunt, nisi qui virtuti dant operam, cujus perpetua comes est bonæ conscientiæ tranquillitas & mentis lætitia.

Conscientiæ vis & natura continetur hujusmodi Syllogismo.

Qui vitiis dat operam, Deo exosus est: Ego vitiis do operam: Ergo ego sum Deo exosus & puniendus.

Conscientia, respectu *propositionis*, dicitur lumen & lex: Respectu *assumtionis*, dicitur index vel liber: respectu *conclusionis*, proprie appellatur judex.

Propositionem dictat *συντήρησις*: *Assumtio* per appropriationem vocatur *συνείδησις*, conscientia. *Conclusio* est ipsa *κρίσις*, seu sententia.

Proposi-

Propositio agit de jure: *Assumtio* de facto: *Conclusio* de reatu & relatione ex facto ratione juris exurgente.

Igitur reatu ut te exsolvas & pœnam evites, misso vitio, danda virtuti opera.

§. 4. De conscientia egregie & acute differentem vide *Amesium*, lib. I. de casib. conscient. observetur distinctio conscientiæ in (1) *Rectam*: (2) *Errantem*: (3) *Probabilem*: (4) *Dubiam*: (5) *Scrupulosam*.

Recta conscientia id faciendum judicat, aut omittendum, quod cum jure divino vel humano consentire vel pugnare certo & indubitato scit.

Errans id faciendum, vel omittendum judicat, quod à jure divino vel humano dissentit, quod tamen consentire ipsa judicat.

Probabilis vel *opinativa* faciendum vel omittendum judicat, quod probabiliter eum jure divino vel humano consentire credit, vel opinatur.

Dubia hæsitat & nescit, utri contradictionis parti sit assentiendum: quia etiam de jure dubitat: quæ tamen proprie dicta conscientia non est.

Scrupulosa licitum aliquid esse statuit, sed non sine scrupulo. Quod *conscientia recta* præcipit, omnino faciendum, & recte fit: si eo modo fiat, quo jus divinum vel humanum fieri vult: modo humanum jus divino non repugnet.

Conscientia errans, nempe judicans illud esse licitum vel debitum, quod est illicitum, ita ligat, ut peccet, qui contra eam agit, & peccet quoque qui juxta præceptum ejus agit. Hic enim *materialiter* contra legem Dei agit, quia, quod non licet, facit: Ille *formaliter* & *interpretativè* contra eam agit, quia intendit violationem legis, etsi vera illa non est lex, quam esse putat.

Conscientia probabilis, si causa nitatur probabili & præsertim doctoribus probata, quibus non videas, qua occurri possit ratione, & ipsa obligat ut recta: quamvis plurium doctorum consensu & judicio semper necessario non standum: quia melior sæpe unius, quam plurium, sententia.

Conscientia dubia non obligat: unde peccat, qui dubia conscientia aliquid agit, eo ipso, periculo peccandi se exponit: imo & aliquo modo peccare vult, quatenus perinde ei est, sive bene sive male agat. Hinc Apostolus ad Rom: 14. v. 23. ait, *Quia ex fide non edit: sine qua quicquid fit, peccatum est.*

Conscientia scrupulosa si rationabilis fit, obligat: sin irrationabilis,

nabilis, misso scrupulo, dictamen conscientiæ sequi par est.

§. 5. *Hactenus conscientia:* quæ arguit & necessario includit *scientiam*, sine qua virtutis actio exerceri non potest: Unde inter requisita actionis moralis *Aristoteles* quoque numerat scientiam.

VI.

In corpore est bonum temperamentum, hoc est, humorum principalium (1) Sanguinis: (2) Cholera, seu bilis flavæ: (3) Melancholia seu bilis atra: (4) Pituita seu Phlegmatis mistio, seu Crasis laudabilis.

VII.

Hactenus procreantes virtutum causæ internæ*: Sequuntur* externæ, *quibus principia & semina virtutum in homine latentia foventur, excitantur, indeque tandem fœcunda virtutum messis elicitur & maturatur. Sunt autem quatuor potissimum istæ causæ: (1) Doctrina institutio: (2) Exemplorum consideratio & cum bonis conversatio: (3) exercitatio: (4) Legum bonarum adversus improbos constitutio & executio.*

Ἔκθεσις.

§. 1. INstitutio habetur ex Magistris, vel *vivis*: qui viva nos voce ad virtutes instruunt, naturam eorum declarando, pulchritudinem commendando, prœmia pollicendo, actiones nostras præceptis dirigendo, conatus laudando & deniq; vitiorum deformitatem exaggerando; vel *mutis:* hoc est libris, qui scriptam continent Magistrorum seu præceptorum vocem. Maxima *recta Institutionis*, præsertim quæ viva fit voce, ad virtutem vis est. Nam ut arbores natura steriles & infœcundæ per insitionem redduntur fœcundæ & frugiferæ; autore *Plinio:* sic & prava ingenia institutione ad frugem possunt demutari: *Virtus*, inquit, *Quinctilianus*, lib. 12. cap. 2. *à natura sumit initium, sed doctrina perficitur.*

Ad *institutionem* pertinet *educatio;* cujus maxima utilitas, maxima necessitas.

Unde

§. 2. Unde *Crates* apud *Plutarchum*, *si possem*, inquit, *audiri ab omnibus hominibus, conscenderem turrim & clamarem, quo ruitis, homines, qui colligitis & corroditis nummos, & interim educationem liberorum negligitis! Plato in Alcibiade*: *Bene natos*, inquit, *si bene etiam educantur, ita demum ad virtutem pervenire necesse est. Diogenes Pythagoraeus* quaerenti, *quod nam sit fundamentum totius Reipublicæ?* Respondet: *Adolescentium educatio.* Hinc magni viri omnibus seculis tantopere sibi gratulati sunt de bonis Praeceptoribus & solerti institutione. *Philippus* Macedoniae Rex non tam gratulabatur sibi de nato filio *Alexandro*, quam quod eo natus esset tempore, quo *Aristotele* uti praeceptore posset. *Plato* Praeceptor *Aristotelis*, de tribus rebus tanquam maximis beneficiis, Deo gratias agere solitus: (1) *quod se crearit masculum, non fœminam.* (2) *quod se nasci voluerit temporibus Socratis, tanquam optimi Philosophi & magistri:* (3) *idque in celeberrima Athenarum urbe, tanquam theatro omnis eruditionis & virtutis:* unde ἑλλὰς ἑλλάδος dicta est. Videatur *Plutarchi* dissertatio, cui titulus, ὅτι διδακτὸν ἀρετή: hoc est: *quod doceri virtus possit*: Tom. 2. Moral. *Si homines discendo non fiunt meliores, perit merces pædagogis data, qui primum accipientes ab ipso lacte puerum, sicut nutrices corpus manibus formant, ita ipsi animum fingunt, consuetudine ad prima virtutis vestigia adducentes.* Laco interrogatus: *Quid utilitatis adferret pueris, quos instituebat?* Respondit: *Facio ut honesta eis fiant suavia.* Non defuerunt *Sophistæ* olim, qui virtutem doceri posse negabant, contra quos disputat *Plutarchus.*

Persæ olim, docente *Platone*, in *Alcibiade* 1. regios pueros cum quartum decimum aetatis annum attigissent, quatuor tradere paedagogis solebant, nempe *sapientissimo, justissimo, temperantissimo* & *fortissimo*. Primus *Magiam*, hoc est, quae ad religionem & sacra pertinebant docebat. Secundus *veritatem*: Tertius *temperantiam*: Quartus *fortitudinem* docebat.

Inprimis autem institutione habent opus, qui animo sunt sagaci, ingenio acri, indole generosa, natura inquieta: de quibus *Sallustius.* Ut *pingue solum, si colas, fortissimum est: si negligas, gramine, lolio, tribulis, lappis & spinis obsitum. Ita hoc genus hominum si probe instituas, optimum, si negligenter, pessimum evadet.* Probat id exemplo *Catilinæ.*

Servit autem virtuti conciliandae *institutio*, non tantum *practica*, sed & *theoretica*, quamvis ut causa remotior: quod probatur.

 (1) Quia

(1) Quia rerum divinarum humanarumque contemplatio animum hominis admodum acuit & ad omnes disciplinas capessendas præparat.

(2) Quia principia tradit communia, quæ ad ipsas quoque virtutes extenduntur: cujusmodi sunt, *Bonum*, *verum*, *Actus*, *Potentia*; *Necessarium*, *Contingens*, *Perfectum*, *Imperfectum*, *Providentia Facultates animæ*, *Potentiæ naturales*, *Dispositiones*, *Habitus &c.*

(3) Quia animum avocat à corpore & voluptatibus corporeis.

(4) Quia multas virtutum imagines ob oculos ponit: ut constat ex Physicis.

(5) Quia nostri nobis notitiam conciliat: quæ omnium virtutum est origo. Vide *Piccol.* Grad. 4. c. 17.

Unde patet, virtutes esse perfectiores in iis qui doctrina & theoretica & practica sunt exculti, quam qui plane sunt rudes, etsi interim & ipsi dant operam virtuti.

Exemplorum consideratio & cum bonis consuetudo plurimum quoque adfert momenti & adiumenti ad bonos mores & virtutes comparandas: Nam, ut dici solet, *exemplis mollissime suadetur.* Et tales plerunque evadunt homines, quales sunt ii, quibus cum versantur, & quibus familiariter utuntur. Unde tritus versiculus:

Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

Nec minor est *exemplorum* vis in partem contrariam, ad infundenda vitia, quod proverbio indigitant veteres:

Ovis una scabiosa totum gregem inficit.

Et *Menander* Poëta græcus, quem Paulus laudat 1. Corinth. 15. v. 33.

Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

Corrumpunt sanos mores consortia prava.

Exercitatio, hoc est, crebra actionum virtuosarum iteratio, seu frequentia, ad virtutis habitum comparandum plane necessaria est: quia acquisiti habitus non comparantur nisi crebris actionibus. Nec enim unica actio artificem facit, uti nec una hirundo ver. Annuit *Seneca* epist. 114. *Pars virtutis disciplina constat, pars exercitatione: & discas oportet, &, quod didicisti, agendo confirmes.* Exercitationem hanc *laboriosam* oportet esse: unde ante virtutem Dii dicuntur sudorem posuisse, longamque & arduam viam: de sententia *Hesiodi*, quam *Plato* & *Xenophon* laudant. Quo sensu *Simonides* apud *Platonem*, scribit, *virtutem habitare*

habitare in rupibus aditu difficilibus & locum tenere castum : neque adspici posse omnium mortalium ciliis, sed ab eo demum, cujus animum sudor mordax intus penetraverit. Et *Corinthii*, apud *Thucid.* πάτριον ἡμῖν ἐκ τῶν πόνων τὰς ἀρετὰς κτᾶσθαι. *Patrium nobis virtutes laboribus parare.*

§. 5. *Legum bonarum adversus improbos constitutio & executio* ad pravos hominum mores mutandos plurimum confert. Quæ enim legibus non prohibentur & impune fiunt, recte vulgo putantur fieri, & applausores atque imitatores inveniunt plures: quæ vero legibus prohibentur & patrata puniuntur, si non ex amore virtutis, saltem ex pœnæ formidine vitantur. Unde inviti etiam nonnulli ad virtutem deflectunt & consuetudine quadam recte faciendi habitum tandem parant. Hinc est quod sobrietate quædam nationes excellant; quia ex legibus infamis apud eas est ebrietas: aliæ ebrietate gaudeant, quia laudi ducitur & præmia consequitur.

§. 6. Pertinent huc, quæ à *Peripateticis* tradi solent, de efficiente virtutum causa, nempe actionibus humanis, earumque principiis. Acquiruntur enim virtutum moralium habitus per crebras actiones mediocritati conformatas: iidemque postmodum se exerunt per actiones. Unde actiones morales virtutem antecedunt & sequuntur, illæ sunt causæ, hæ effecta virtutis, in quibus requiritur ut à *sciente*, *consultò*, *virtutis amore*, *firmo animi proposito* & cum *voluptate* suscipiantur.

Distinguitur actio in *voluntariam* & *invitam*. *Voluntaria* est cujus principium est in agente singulas actionis circumstantias sciente: in qua requiruntur *voluntas*, *consultatio* & *electio*. *Voluntas* est appetitio veri & apparentis boni cum ratione: *Consultatio* ratiocinatio de mediis, per quæ ad finem in agendo pervenitur: *Electio* est appetitio præmeditata eorum, quæ à nobis fieri possunt: Tria hæc Græcis appellantur βούλησις, βούλευσις, προαίρεσις.

§. 7. Hactenus actio *voluntaria*: Sequitur *invita*, cujus principium aliunde provenit: quę distinguitur in *violentam* & *imprudentem*: *Illa* est à vi, & est *absolutè violenta* vel *mista*. *Absolute violenta est*, ad quam nihil adjumenti adfert, qui agit, aut patitur. *Mista* est, cujus principium cum in nostra sit potestate, & res per se mala videatur, ideoque non eligenda: tamen, respectu circumstantiarum, bona & eligenda censetur. Merenturque hujusmodi actiones vel *laudem*, vel *reprehensionem*, vel *veniam*. *Laudem*, quando propter magnum aliquod bonum obtinendum violato decore, attamen sine scelere, suscipiuntur, veluti

uti cum *Regulus*, ob jurisjurandi religionem, ad exquisita supplicia *Carthaginem* reversus est. *Reprehensionem*, quando exigui commodi causa turpe aliquid vel quocunque tandem fine scelestum aut impium facinus admittitur: veluti cum *Numantini* & *Caliguritani* ab hostibus obsessi uxores suas gnatosque ad usum nefariæ dapis verterunt: *Veniam* & *commiserationem*: quando gravissimis de causis ad aliquid non quidem scelestum, attamen probrosum, adigimur: veluti si hostibus impares vitæ conservandæ causa, in fugam nos demus.

§. 8. Hactenus *actio invita violenta*: Sequitur *imprudens*, quæ ab agente circumstantiarum quarundam singularum ignarô & culpæ fraudisque vacuo proficiscitur, habetque comitem *Pœnitentiam*, ob admissum peccatum. Hac occasione *de ignorantia* quoque præcipitur, cujus breviter observandæ distinctiones.

Est igitur ignorantia *improprie* vel *proprie dicta*.

(1) *Improprie dicta* appellatur *ignorantia puræ negationis*, quæ est in subjecto scientiæ vel simpliciter non capaci, ut in lapide: vel pro certo tempore atque statu non capaci, ut in infante aut amente.

(2) *Proprie dicta*, est ignorantia vel *simplicis privationis* vel *pravæ dispositionis*. Illa est simplex *carentia scientiæ* in subjecto scientiæ per naturam & ætatem capaci; cujusmodi in rustico est rerum civilium & naturalium ignorantia: Ista est *positiva quadam deceptio & contrarius veritati error* cum contemtu veritatis indagandæ conjunctus, qualis est in *Judæis*, *hæreticis* & aliis, qui suis ita irretiti erroribus de veritate inquirenda & cognoscenda non laborant.

(3) Alia *juris*, alia *facti* est ignorantia: *illa* est, qua quis ignorat, quod lege, vel consuetudine vim legis obtinente est constitutum, *ista*, qua quis ignorat singulares quasdam circumstantias, in quibus præcipuum actionis momentum consistit.

(4) Alia est *operis causa*, alia *non est causa operis*, sed comitatur tantum opus. *Illa* est, si amicum occidas, quem feram esse putaveris: quem non occidisses, si absque hac fuisset ignorantia. *Ista* est, si inimicum, quem maxime occisum volebas, pro fera occidas, non ob ignorantiam, sed cum ignorantia: quia occidisses, si maxime feram non esse, scivisses: Unde factum illud comitatur pœnitentia: hoc non comitatur.

(5) Alia est *antecedens* alia *consequens*: *Illa* omnem voluntatis actum antecedit adeoque nec directe nec indirecte voluntaria est: quam alias appellant *ignorantiam justam*, *probabilem*, *invinci-*

vincibilem : quatenus morali diligentia superari vel tolli non potest, aut nunquam in mentem venit dubitare vel cogitare de opposito : vel si venit in mentem, tamen adhibita diligenti inquisitione, ignorantia depelli & veritas cognosci non potuit. *Ista* aliquando voluntaria est, & voluntatem consequitur directe vel indirecte : quam appellant *ignorantiam injustam, improbabilem, vincibilem* : quia vinci & tolli potuisset & debuisset inquisitione diligenti.

(6) Vincibilis ignorantia est *affectata* vel *non affectata*, *illa* directe, *hæc* indirecte est voluntaria. Per *illam* data opera quis vult ignorare & veritatem non inquirere ex discendi tædio, vel spe impunitatis,quam ex ignorantia legis sibi promittit. Per *istam* sine ignorandi proposito erratur ex defectu inquisitionis vel non tentatæ, vel non sufficienter tentatæ.

Ignorantia *invincibilis* tam *juris* quam *facti* à culpa excusat, secundum receptissimam doctorum sententiam. Vide *August.* de lib. arb. lib. 3. cap. 18. & *Thom*: 1. 2. 9. 76. art. 3. *Ratio* redditur : quia in ignorantia invincibili voluntarium non est.

§. 9. Quæritur (1) *An virtutes homini sint naturales ?*

Resp. *Plato* non satis sibi constare in quæstionis hujus decisione videtur : modo ait, modo negat, in utramque ut solet, partem disputando : Ait interdum virtutem è naturæ existere seminario & nobis esse συγγενῆ, congenitam : in *Menone* neque natura, neque doctrina nobis docet competere, sed divina obvenire sorte. In *Protagora* persona disputat, eam doceri, nostraque opera cura & studio acquiri. In *Socratis* persona eam minime doceri contendit.

Aristoteles quoque varius videtur : quandoque ait, comparari industria, hoc est, doctrina & exercitatione : neque natura ingenerari : alias vero natura nobis inesse videtur asserere. Vide *Piccol.* Grad. 4. cap. 16. 17.

Ad rectam quæstionis decisionem, opus distinctione *subjecti* & *prædicati* : *Subjectum* est *virtus moralis* : *Prædicatum*, *naturalis*; vel *naturale*. *Virtus moralis* duobus modis accipitur : vel pro seminario & rudimento atque inclinatione ad virtutem vel pro habitu completo & perfecto. *Naturale* itidem duobus modis dicitur : vel quod oppositum est voluntario & à natura perfectum est : ut facultas nutriendi, sentiendi, movendi, vel quod inclinatione naturali convenit, ad quod natura propendet, & quod ex ejus principiis educitur. De natura sermo est non integra sed per lapsum corrupta : unde duabus assertionibus veritas explicari solet.

§. 10. Una:

§. 10. Una: *Virtus moralis ratione seminarii, rudimenti, inclinationis atque principiorum, ex quibus deducitur, est naturalis.*

§. 11. Altera: *Virtus moralis, quatenus est habitus perfectus & complexus, non est naturalis, quatenus naturale opponitur voluntario.*

Prioris assertionis rationes adferuntur sequentes.

(1) Quia homo natura sua rationis est particeps, eique naturale est secundum rationem vivere. Atqui actiones virtutum sunt consentaneæ rationi rectæ: ad illas igitur inclinat natura rationalis. Unde *Cicero* lib. 3. off. *Virtus maxime est natura consentiens & magis quam ipsa vita aut voluptas.*

(2) Quia quasi congenita sunt naturæ rationali principia, ex quibus deducuntur virtutes: unde appellantur κοιναὶ ἔννοιαι *nobiscum nata.*

(3) Quia homo per naturam inclinatur ad cognitionem veri, *Arist.* 1. Metaphys. cap. 1. ad appetitionem boni, 1. Eth. cap. 1. Atqui cognitio veri & boni ad virtutem plane necessaria est.

(4) Quia mores sequuntur temperamentum corporis, ut supra ostendimus.

§. 12. *Posterioris assertionis* hæ sunt rationes.

(1) Quia habitus moralis est προαιρετικός. Est igitur necessario voluntarius, adeoque non naturalis.

(2) Habitus moralis acquiritur institutione & assuefactione, seu exercitio, quibus naturalia non acquiruntur.

(3) De virtutibus comparandis feruntur leges: quæ naturalibus, non voluntariis, ferri non solent.

(4) Virtutum habitus non insunt omnibus: Ergo non sunt simpliciter naturales: Naturales enim facultates omnibus insunt, ut constat de facultate nutriendi, sentiendi &c.

(5) Quæ per naturam nobis insunt, ea prius habemus, quam per ea operemur, ut constat de facultate ratiocinandi, volendi, videndi &c. Atqui virtutes in nobis non antecedunt operationes; nascuntur enim ex crebris operationibus.

(6) Habitus moralis citra destructionem subjecti potest mutari & auferri: Facultas naturalis, ut facultas nutriendi, sentiendi, non potest.

§. 13. Pro contraria sententia, objicitur: *vitium homini corrupto est naturale: Ergo virtus non est naturalis.*

Antecedens *apud theologos & philosophos est in confesso.* Ratio consequentiæ: *quia natura non inclinat ad contraria.*

§. 14 Resp. Negatur *consequentia.* Quo sensu homini naturale

rale est vitium, eodem & virtus est naturalis, quamvis diverso respectu. Datur enim inclinatio ad virtutem per principia practica in rationali natura corrupti hominis reliqua, quas *κοινὰς* appellant *ἐννοίας*. Datur etiam inclinatio ad vitium, per inhærentem intellectui, voluntati & aliis inferioribus facultatibus corruptelam. Ratio *consequentiæ* simpliciter vera non est. Natura rationalis ex principiis contrariis propendet ad contraria: Sunt autem contraria illa principia defectus naturæ rationalis & reliquæ in eadem *κοιναὶ ἔννοιαι*, seu principia cum *theoretica*, tum *practica*. Sic in homine quoque regenito principia sunt contraria, quæ in scripturis appellantur, *Spiritus & caro*: *lex peccati & lex mentis* &c. pugna illa contrariorum principiorum non tantum est in diversis facultatibus, sed & in eadem, etiam in homine ad imaginem Dei aliqua ex parte instaurato. Si subjectis distinguerentur inclinatio ad virtutem & inclinatio ad vitium, facile expediri difficultas posset: nempe si inclinatio ad virtutem tantum esset in intellectu & voluntate, inclinatio vero ad vitium tantum in appetitu sensuum. Atqui solius hujus appetitus limitibus non circumscribitur naturæ nostræ depravatio: arcem rationis maxime quoque infestat.

Quæritur (2) An pugna rationis & appetitus sensitivi circa actiones morales homini sit naturalis?

Resp. Distinguendum inter naturam hominis *integram* & *corruptam*. Unde per geminam assertionem respondemus.

Prima est: *Pugna illa homini corrupto est naturalis*: Est hæc apud omnes in confesso:

§. 15. Secunda: *Pugna illa homini integro non fuit naturalis*: Rationes sunt:

(1) *Ἀνομία* homini integro non fuit naturalis: Atqui pugna illa rationis & appetitus sensitivi est *ἀνομία*. Ergo homini integro non fuit naturalis.

Propositio probatur: Quia quicquid homini integro, qualis à Deo primum est conditus, fuit naturale, id autorem Deum habuit: qui naturam dedit, & omnia naturalia: Atqui *ἀνομία* Deum autorem non habuit, sed Diabolum & hominem.

Assumtio probatur: quia contraria est legi rectitudinem actionum humanarum sancienti, nititurque, ex parte appetitus sensitivi, in vetitum; & est concupiscentia lege damnata, quæ non est à patre, 1. Johan. 2. v. 16. quam oderunt pii. Rom. 7. v. 15.

(2) Pugna appetitus sensitivi cum ratione fuit defectus & morbus naturæ: Ergo non fuit in natura hominis integra.

Antecedens concedit *Bellarminus* cum aliis Pontificiis, quos hac

hac in parte adversarios habemus; de *Grat. primi hom.* cap. 7. Ratio consequentiæ est evidens: Quia contradicunt: naturam esse integram perfectamque, & laborare defectu atque morbo.

(3) Si pugna appetitus sensitivi cum ratione homini integro fuisset naturalis, & à Deo ortum traxisset, ipse DEUS hominis felicitati & tranquillitati posuisset obicem: Atqui falsum consequens: Ergo &c.

Assumtio prob: quia alienum hoc est à summo amore, quo creaturam ad imaginem suam conditam & valde bonam complexùs est creator. *Nulla tali rixa*, inquit *Augustinus* de corrept: & grat. cap. 11. *à seipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.*

(4) Integra natura unice Deo adhæsit. Ergo in se nihil habuit quod à Deo abstraheret: habuisset autem quod abstraxisset, vel certe abstrahere laborasset, si appetitum habuisset rationali contrarium.

(5) Finis hominis integri naturalis fuit æterna beatitudo: Ergo & medium ad finem illum obtinendum fuit naturale. Et per *consequens*, rectitudo, quæ consistit in harmonia appetitus sensitivi & rectæ rationis, mediumque fuit principale, homini naturalis fuit, non pugna illa, quæ privatio est rectitudinis.

§. 16. Cum *Pelagianis Pontificii* heic contradicunt recte sentientibus, statuuntque etiam ante lapsum appetitum sensitivum repugnasse rationi rectæ & legi mentis, ex conditione materiæ: Et ad eum compescendum, donum supernaturale homini additum, justitiam & rectitudinem originalem, qua veluti aureo freno pars inferior superiori, & superior Deo subjecta contineretur. Argumenta *Bellarmini* sunt sequentia.

(1) *Homo natura est pulvis*, *Genes.* 3. v. 19. *Ergo rectitudo originalis ei non fuit naturalis; & per consequens, oppositum illius rectitudinis, nempe pugna appetitus sensitivi cum facultate superiore fuit naturalis.* Ratio conseq. *Quia pulvis non est capax insignis illius rectitudinis & justitiæ, quæ resultare nequit ex conditione materiæ.*

Resp. Ad *antecedens:* quod exclusive verum non est: Homo quidem *pulvis* est, sed non tantum *pulvis*; sed & anima rationalis: Genes: 2. v. 7. *factus est homo anima vivens:* cui omnino naturalis esse potuit rectitudo, per voluntatem & potentiam creatoris: qui hominem condidit ad suam imaginem.

§. 17. (2) *Natura in statu integro ex contrariis fuit composita, nempe ex corpore & anima: Ergo etiam cum contrariis inclinationibus: & per consequens non minus naturalis fuit appe-*

titus contra rationem pugna, quam rationis contra appetitum.

Resp. *Antecedens* negatur. Corpus & anima in statu integro non fuerunt contraria, sed disparata: Igitur & inclinationes contrariæ non fuerunt, sed disparatæ, ita tamen, ut inferiores superioribus fuerint subjectæ, & invicem amicè consenserint utræque.

§. 18. Quæritur (3) *An lex naturæ plura contineat præcepta, vel unum tantum?*

Resp. Plura contineri in lege naturali præcepta, supra confirmavimus, ubi legis hujus præcepta enumeravimus, capitis hujus quarti §. 1. Neque obscura est ratio: Ita enim se habent præcepta legis naturæ in homine, quoad operabilia, ut se habent prima principia in demonstrativis: Atqui hæc principia indemonstrabilia sunt plura: Ergo & illa.

§. 19. Interim unum esse tantum legis naturalis præceptum, videtur probari posse sequentibus argumentis.

(1) *Si legis naturalis plura essent præcepta, plures essent leges naturales: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Connexi ratio est: *Quia lex continetur in genere præcepti: unde quot sunt præcepta tot sunt leges:* Assumtio prob. *Quia lex naturæ, tanquam una, in numero singulari dicitur: non leges naturæ in plurali.*

Resp. Negatur partim *connexi consequentia*, partim *assumtio*: sunt enim diverso respectu leges naturales plures, & non plures, sed una tantum: pro ut lex moralis est una & non una: una est lex naturalis: ut una est lex moralis. Utque legis moralis plura sint præcepta, nempe decem, sic & naturalis. Ut igitur una est lex moralis per aggregationem præceptorum decem, quæ omnes ad unum quasi caput reducuntur, nempe *dilectionem Deì & proximi*: Sic & una est lex naturæ, per aggregationem multorum principiorum & præceptorum, quæ ad unum reducuntur caput, *de amando bono & vitando malo.* Eadem forensis & ceremonialis quoque est ratio legis.

Legis & *præcepti* non est plane eadem ratio: *Lex* modo accipitur pro uno præcepto, modo pro aggregato ex multis præceptis ad unum aliquod & summum tendentibus. *Præceptum* pro aggregato ex multis præceptis perinde non solet accipi.

§. 20. (2) *Humana natura est una secundum totum, licet sit multiplex secundum partes: Ergo & lex naturæ est unum tantum præceptum, quamvis partes ejus sint multa.*

Connexi ratio est: *Quia lex naturalis consequitur hominis naturam.*

Resp. *Consequentia* negatur: *probatio* est inconsequens: Uni homini non unam tantum ferri legem, ne dum unum tantum præceptum, manifestum est: Unde triplex olim lata lex Ecclesiæ *Judaicæ*, moralis, forensis, ceremonialis: uti & hodie in eadem & una Republ. variæ sunt leges. Interim damus legem naturalem esse unam per aggregationem multorum præceptorum, quamvis non sit una unitate præcepti.

(3) *Una tantum est in homine ratio: Ergo legis naturæ quoque unum tantum est præceptum.* Ratio conseq. *Quia lex ad rationem pertinet.*

Resp. Negatur *consequentia* cujus ratio plane inconsequens est. Ut ante vidimus, varia sunt unius hominis & rationis officia, ad quæ per varias leges & præcepta obligatur.

§. 22. Quæritur (4) *An omnes actus virtutum sint de lege naturæ?*

Resp. *Affirmativam* tuemur hoc sensu: *Quod omnes virtutum actus ad naturæ legem aliquo modo referri & in eam resolvi possint & debeant*: Ratio est: Quia prima actuum virtuosorum fundamenta sunt in lege naturæ, quæ rationem informat, & actionum norma est universalis: cum qua conveniens actus censetur virtuosus. Est enim lex naturæ ipsa Dei lex homini inscripta, actionum humanarum norma & regula. *Inclinatur*, inquit Thomas, *unumquodque naturaliter ad operationem sibi convenientem secundum suam formam: Sicut ignis ad calefaciendum. Unde cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc, quod agat secundum rationem: & hoc est agere secundum virtutem. Unde secundum hoc omnes actus virtutum sunt de lege naturali: dictat enim hoc naturaliter unicuique ratio propria, ut virtuose agat.* Et hoc respectu virtutes naturales esse ait *Damascenus*, lib. 3. orth. fid. cap. 14.

§. 23. Objicitur (1) *Quidam virtutum actus ordinantur ad alicujus bonum privatum, ut actus temperantiæ: Ergo non sunt de lege naturæ.*

Ratio conseq. *Quia de ratione legis est, ut ordinetur ad bonum commune.*

Resp. *Antecedens* exclusive verum non est: Unde & *consequentia* solida non est: Ordinantur quidem virtutum actus ad bonum alicujus privatum: ita tamen ut aliquo modo etiam bono communi & publico serviant: ut constat de actibus temperantiæ: Nam & publicæ rei interest, ut temperantiæ studeant singuli: quia intemperantiæ privatæ incommoda in universam redundant Rempu-

Rempublicam. Unde *Ethica*, quam *monasticam* appellant, maximopere inservit *Politicæ*: corruptis enim moribus humana labefactatur societas.

§. 24. (2) *Si omnes virtutum actus essent de lege naturæ, omnia peccata essent contra naturam: Atqui falsum consequens. Ergo.*

Assumtio probatur. *Quia Sodomia appellatur vitium seu peccatum contra naturam: quod non magis de Sodomia dici deberet, quam de aliis peccatis, si omnia contra naturam essent.*

Resp. *Assumtio* negatur: *Probatio* est inconsequens: *Sodomia* dicitur peccatum contra naturam, non quod sola adversetur naturæ, sed quod peculiari ratione ei adversetur: omnia peccata sunt contra naturam hominis propriam, hoc est rationem. *Sodomia*, & alia quædam peccata in specie dicuntur esse contra naturam, quæ homini cum brutis est communis. Unde secundum naturam dicitur commistio maris & fœminæ: contra naturam concubitus masculorum: Rom. 1. v. 26. 27.

§. 25. (3) *Si omnes virtutum actiones essent secundum naturam, omnes in virtutum actibus convenirent, ita ut quod uni virtuosum est, omnibus virtuosum esset: Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.*

Connexi ratio est: *quia in iis, quæ secundum naturam sunt, omnes conveniunt*: Assumtio prob. *Quia aliquid virtuosum est uni, quod virtuosum non est alteri*: Exempli gratia: *virtuosum est principi dona dare magna & splendida: quod virtuosum non est mediocrium fortunarum privato homini: In illo donatio hujusmodi est actus magnificentiæ, seu munificentiæ, in hoc prodigalitatis.*

Resp. *Connexum* distinguitur: Si omnes virtutum actus essent secundum naturam absolute, absque respectu proportionis ad subjecta, vel causas principales, omnes in virtutum actibus convenirent &c. Atqui virtutum actus nonnulli secundum naturam non absolute tantum & in se considerantur. Sed cum *objectis* suis & *causis* quoque sunt conferendi & ad justam cum iis proportionem redigendi: cujus si nulla habeatur ratio, actuum virtuosorum amittere rationem possunt, ut *exemplo* constat allato.

§. 26. Quæritur (5) *An una sit naturæ lex apud omnes?*

Resp. *Affirmativa* defenditur.

(1) Quia eadem est virtutis ratio apud omnes: Atqui non potest ea esse apud omnes una, nisi norma & regula, quæ est naturæ lex, sit una.

 (2) Quia

(2) Quia omnium cordibus unam DEUS inscribit: per quam legis faciunt opera, etiam quibus lex non est promulgata. Rom. 2. v. 14. 15.

(3) Quia principiis practicis communibus omnes assentiuntur. Unde *Isidorus* ait, *jus naturale omni nationi esse commune.*

(4) Quia contrarium legis naturæ non est lex naturæ: hæc enim contraria sibi non est.

§. 26. Excipitur (1) *Justum apud omnes idem non est: Ergo nec lex naturæ apud omnes eadem est.*

Antecedens est *Aristotelis* lib. 5. Eth. cap. 1. Ratio conseq. *Quia, quæ justa dicuntur esse, secundum legem sunt, quæ regula est Justitiæ.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est: neque hoc sensu ab *Aristotele* profertur: Justum igitur est, quod principia practica communia dictant immediate & proxime, vel quod ex principiis communibus per *consequentiam* deducitur, & per *conclusionem* enunciatur. Prius apud omnes idem est,& à lege naturæ apud omnes eadem dictatur: posterius apud alios diversificatur, ut vulgo loquuntur: Ex iisdem enim principiis easdem deducere conclusiones non omnes norunt: neque singularium admittit varietas: sæpe enim unica circumstantia totum mutat actum & factum. Sic apud omnes rectum verumque est, *secundum rationem esse agendum*: Unde quasi propria conclusio deducitur: *quod deposita sint reddenda*: conclusio hæc etsi justum præcipit, & secundum rationem agit, qui depositum reddit: tamen exceptionem admittit: quam qui negligit & in deposito reddendo nullam attendit circumstantiam, contra rationem & justitiam reddere quandoque depositum potest: ut si arma deposita reddat furioso, & ei, quem ad patriam oppugnandam iis abusurum sciat; & qui hoc eo fine petat.

§. 28. (2) *Homines naturaliter ad diversa inclinantur, alius ad voluptates, alius ad honores, alius ad cumulandas opes, alius ad alia*: *Ergo lex naturæ apud omnes eadem non est.*

Ratio conseq. *Quia ad legem naturæ pertinet id, ad quod homo secundum naturam suam inclinatur.*

Resp. *Conseq.* negatur: ratio universaliter vera non est. Non omne id ad legem naturæ pertinet, ad quod homo ex quocunque principio naturali inclinatur; sed ad quod per rationem rectam inclinatur; Appetitus rationi rectæ plerunque repugnat, & contra præscriptum ejus ad non justa fertur.

§. 29. Quæritur (6) *An lex naturæ possit aboleri ex corde hominis?*

Resp.

Resp. *Negativa* defenditur sequentibus argumentis.

(1) Quia lex naturæ est particula divinæ imaginis etiam post lapsum in omnibus hominibus reliqua, per conditoris eam conservantis indultum. Hanc enim cum per lapsum aboleri creator non permiserit; utique post lapsum eam aboleri non patitur. Ratio conservationis utrobique eadem est.

(2) Quia conscientia hominem excusans vel accusans aboleri non potest. Atqui cum conscientia necessario conjuncta est lex naturæ, vel ejus habitus συντήρησις. Rom. 2. v. 15.

(3) Quia per naturæ legem omnes in universum gentiles, quibus nec legis nec Euangelii prædicatio contingit, redduntur inexcusabiles: docente Apostolo, Rom. 1. v. 19. 20. 21. & cap. 2. v. 14. 15. Hoc igitur penitus aboleri medium Deus non patitur.

(4) Quia ita conjuncta est lex hæc cum ratione, ut absque ea ratio suam asserere divinitatem haud possit, & absque ea ratio non sit. Unde in diabolis quoque corruptissimis est reliqua.

(5) Quia nemo unquam sanæ mentis & explicatæ rationis inventus est homo, in quo lex hæc penitus abolita fuerit: Unde *August.* lib. 2. confess. cap. 4. *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.*

§. 30. Objicitur (1) *Per regenerationem lex Justitiæ inscribitur cordibus, quam delevit culpa: Ergo deleri potest lex naturæ, quæ est lex Justitiæ.* Anteced. prob. *Jerem.* 31. v. 33.

Resp. *Conseq.* negatur: Quia lex, quæ per culpam Adami fuit deleta, & per regenerationis gratiam inscribitur cordi, non est lex naturæ, sed lex specialis gratiæ: quæ etsi in statu innocentiæ naturalis fuit: tamen per lapsum quatenus deleta est, naturalis esse post lapsum desiit. Lex vero quæ in specie modò *naturæ* appellatur, ut ante lapsum naturalis fuit, sic & post eum mansit, neque unquam deletur.

§. 31. (2) *Lex gratiæ deletur per culpam: Ergo multo magis lex naturæ:* Ratio conseq. *Quia lex gratiæ est efficacior, quam lex naturæ.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: Lex gratiæ regenerantis semel inscripta penitus non deletur. 2. *Consequentia* quoque nulla, ejusque *Probatio* inconsequens. Non omnis major efficacia conjuncta est cum majori immutabilitate. Ignis longe efficacior est terra, & tamen eâdem longe est mutabilior. *Gratia*, inquit Thomas, *etsi est efficacior, quam natura: tamen natura essentialior est homini.*

§. 32. (3) *Sunt quædam hominum statuta legi naturæ adversa: Ergo naturæ lex deleri potest.*

Antecedens prob. *Quia apud quosdam latrocinia non reputantur pro peccatis: quod de veteribus Germanis scribit Julius Cæsar.* lib. 6. de bell. Gall. *Sic & vitia contra naturam à multis perpetrantur.*

Resp. *Conseq.* negatur de naturæ lege, quoad prima ejus & universalia præcepta. Statuta legi naturæ apud quosdam contraria, sunt secunda quædam præcepta ex primis male deducta, vel iis per corruptæ naturæ vitium addita: quæ consistere cum primis posse male sana ratio sibi persuadet: adeoque in prima impingere principia non vult videri.

§. 33. (4) *In atheis abolitum est principium & præceptum legis naturalis, de* DEO *colendo: Ergo lex naturæ potest aboleri*: Antecedens prob. *Quia qui Deum esse negat, colendum esse non statuit.*

Resp. *Antecedens* negatur. Athei, qui DEUM esse simpliciter negent, nulli sunt: repugnat enim hic furor simpliciter rationi. Interim nonnullis cum imputetur, non tam ex ipsorum confessione & animi sententia, directe, quam indirecte per consequentiam videtur imputari. Et si qui maxime hoc dogma expresse essent professi & confessi, dubium tamen non est, quin conscientia reclamante id fecerint, & sic veritatem injuste detinuerint: *quoniam id, quod de* DEO *cognosci potest, manifestum est in ipsis: Deus enim eis manifestum fecit;* Rom. 1. v. 18. 19.

§. 34. Quæritur (7) *An συντήρησις, quæ inter principia virtutum numeratur, sit anima rationalis facultas?*

Resp. *Affirmativa* nonnullis arridet, inter quos *Philoponus*; qui animæ facultatibus accenset *attentivam*, quam *Damascenus* distinguit in συντήρησιν & σύνεσιν: *Illa* principiorum est practicorum ad mores pertinentium, de quibus paulo ante: *Ista* contemplativorum. Interim negativa veritati magis est consona quæ συντήρησιν habitum facultatis sive proprie sive improprie dictum, non facultatem esse contendit: quam & *Thomas* amplectitur, 1. 1. q. 79. art. 12. Facultates animæ sine necessitate non sunt multiplicandæ. Atqui nulla nos urget necessitas multiplicandi facultates per *Synteresin*: quando habitus facultatis sufficit. Intellectus cum theoricus, tum practicus facultas est, quæ non facultatibus aliis, sed habitibus perficitur. Inter habitus hosce est συντήρησις & *intelligentia*: quæ *nonnullis* sunt species disparatæ: diciturque *illa* habitus principiorum practicorum, *hæc* habitus principiorum theoreticorum;

rum: *aliis* vero differunt tantum ut genus & species. Unde *Piccolomineus* ait, *intelligentiam esse principiorum practicorum in iis, quæ ad prudentiam pertinent: vel theoreticorum, quæ demonstrationis & scientiæ sunt. Alii* unius rei, seu habitus, diversa tantum esse nomina *intelligentiam* & *συντήρησιν* volunt. Ita ut idem habitus, respectu principiorum theoreticorum, *intelligentia*, respectu practicorum, *συντήρησις* appelletur: Quæstio hæc tractata videatur cap. 35. §. 5.

§. 35. *Philopono* & *Damasceno*, quos supra nominavimus assentiuntur *Durandus* 2. Sent. Disp. 24. 9. 2. *Nominales* fere omnes & *Scotus*. 1. de Just. & Jur. 9. 4. Cum multis aliis, quibus *συνήρησις* est ipse intellectus possibilis, quatenus primis principiis assentitur. Putant enim ad hunc assensum non esse opus peculiari habitu. Præcipua ipsorum argumenta hæc sunt.

(1) *Voluntas non indiget habitu acquisito ad amplectenda ea bona, quæ per se primo appetibilia sunt, ut bonum in genere & summum bonum: Ergo nec intellectus ad assentiendum iis quæ per se primo sunt vera; qualia sunt principia prima & communia.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: relinquitur enim in voluntate habitus facilius amplectendi bonum in commune & summe bonum, cum ex assuetudine actuum, quibus illa primo sumus amplexi tum ex usu amplectendi bona particularia.

§. 36. (2) *In externis sensibus non sunt necessarii, habitus ad sentiendum objecta propria: Ergo nec in intellectu ad assentiendum primis principiis.*

Resp. Negatur *conseq.* quia alia est ratio *externorum sensuum*, alia *intellectus*: *Externorum sensuum* ea est ratio, ut non cognoscant objecta sua nisi præsentia: non enim cadit in eos notitia abstractiva. *Intellectus* per species præsentes non minus absentia, quam præsentia objecta cognoscit. Unde nullo habitu illi opus habent: hic vero habet, ad objecta sua facilius & promtius, apprehendenda & principia approbanda.

§. 37. (3) *Intellectus ex se est determinatus ad assentiendum principiis per se primo notis, nec ad id ullam habet difficultatem aut tarditatem: Ergo non habet opus acquisito habitu.*

Ratio conseq. *Quia habitus acquisitus non ponitur, nisi ut potentia facilius & promtius exerceat quasdam operationes.*

Resp. *Consequentia* negatur: probatio est inconsequens. Etiamsi enim habitus principiorum non sunt necessarii ad primos

actus, quibus assentimur principiis: uti nec habitus conclusionum ad primos actus, quibus assentimur conclusionibus: tamen necessarii sunt, ut facilius & promtius assentiamur, quibus assensum jam sine omni difficultate præbuimus.

§. 38. (4) *Si habitibus indigeremus acquisitis ad assentiendum principiis primis, saltem promte & facile, nulli principio assentiremur sine habitu acquisito. At falsum consequens. Ergo & antecedens.*

Assumtio prob. *Quia hoc modo aut induceretur infinitas habituum præcedentium: si ante omnem actum promte & facile assentiendi aliquis habitus esset dandus: aut nullum esset per se principium notissimum, cui facillime & promtissime assentiremur.*

Resp. Partim nulla est *connexi consequentia*; Partim falsa *assumtio*: Ad assentiendum primis principiis, quoad primos actus, nullis indigemus habitibus antecedentibus, quia illa sunt clara primo occursu, ut in ea etiam semel audita, terminis saltem agnitis, feratur assensus. Interim ad assensum primum ita formandum, ut nullo turbari scrupulo possit, diligentiore opus est consideratione: siquidem principium nullum tam est evidens, quin probabili vel Sophisticâ aut apparente turbari ratione circa id assensus possit, ut constat de manifestis illis & primis principiis theoreticis: *Impossibile est idem simul esse & non esse.* Et *omne totum, est majus sua parte*: quorum illud, nisi accuratè considerentur contradictionis conditiones, quæ cuivis notæ non sunt, varias patitur instantias. Hoc vero, ex hypothesi: *Quod omne quantum continuum in infinitum sit divisibile*, graviter affligitur. Ex hac igitur accuratiore consideratione & rationum oppositarum eversione firmior redditur assensus per habitum diligenti illa consideratione acquisitum. Unde manifestum est, nec omni simpliciter assensus actu priorem esse habitum, nec processum in habitibus dari in infinitum, nec nullum principium esse per se ita notum, cui primo occursu assentiamur facile.

§. 39. Quæritur (8) *Quodnam inter principia practica, quæ ad συντήρησιν referri solent, simpliciter primum sit?*

Resp. Principia, quæ appellant immediata & à priori indemonstrabilia, non sunt ejusdem rationis; sunt enim alia minus *universalia*, alia *universalissima*, tam in theoreticis quam in practicis. In practicis *universalissimum* dicitur, quod universam Philosophiam practicam pervadit, & omnibus aliis est superius & prius. Id vero quodnam sit, in quæstione est: nos cum *Thoma* & aliis

aliis hoc agnoſcimus : *Omne bonum eſt amandum* : cui oppoſitum hoc : *Omne malum eſt vitandum*. Ad illud omnes virtutes & virtutum actus reducuntur, ad hoc omnia vitia & vitiorum actus.

§. 40. Sententiam hanc pulchrè confirmat *Thomas* 1. 2. q. 94. art. 2. ***Ut in Theoreticis principium** indemonſtrabile eſt **illud , quod fundatur in ratione Entis & non-Entis** , nempe **illud** :* impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe : *quia Ens , ex quo **illud principium formatur, eſt primum** , quod ſub intellectus **apprehenſionem cadit. Ita in practicis** omnino primum principium **illud eſt , quod conſtat ex terminis** , qui primi ſunt in genere **moris, vel qui primum cadunt** ſub rationis practicæ apprehenſionem **: cujuſmodi termini** ſunt bonum & malum. **Omne enim agens agit** propter **finem** , quia boni rationem **habet ; & hinc ad mali oppoſiti fertur** declinationem.* In his principiis omnes conſentiunt , teſte *Epicteto* apud *Arrianum*, lib. 1. cap. 21. lib. 2. cap. 17. lib. 3. cap. 26. Pro diverſa hominis ad varia bona inclinatione varia ſunt alia principia, minus univerſalia , accommodata tamen ad eliciendas concluſiones practicas , quæ deduci ex iis poſſunt. Fertur homo, ad bonum, quod ***commune*** eſt ei cum aliis, vel quod ***proprium*** eſt hominis: Quod cum aliis ***commune*** eſt, *univerſalius* vel *ſpecialius* eſt : ***Illud*** cum omnibus ſubſtantiis habet commune : quando nempe ſui appetit conſervationem : *hoc* cum aliis animalibus, ut amare, alere ſobolem, &c. *Proprium* hominis, ad quod fertur ſecundum naturam rationis ; ſecundum quod fertur homo ad cultum DEI, ad honorem parentum, ad gratiam benefactoribus rependendam, ad vitandam offenſionem eorum, quibus cum eſt converſandum &c. *Abſolute primum principium* ſingulos hoſce pervadit ordines.

Reliqua ***minus univerſalia*** ad diſtincte pertinent bona, quæ appetuntur ſecundum naturam vel omnium ſubſtantiarum, vel omnium animalium, vel hominis.

§. 41. Quæritur (9) *An ad actiones morales & honeſtas requiratur voluntas, conſultatio & prælectio, & quomodo inter ſe conveniant & differant hæc principia.*

Reſp. Ad ***priorem*** quæſtionis ***partem*** expedita erit reſponſio, ſi de trium illorum principiorum conſtiterit definitionibus, quæ ex ſententia ***Peripateticorum*** ita habent.

Voluntas eſt appetitus rationalis in finem tendens operationum humanarum à ratione, ut bonum, nobis judicatum.

Conſultatio eſt inveſtigatio mediorum ad nos pertinentium

 & in

& in nostra potestate constitutorum pro fine obtinendo.

Praelectio, Græcis προαίρεσις, est appetitus rationalis conjunctus cum imaginatione ex sensuum appetitione, quo media per consultationem inventa atque monstrata amplectimur & in finem dirigimus.

Manifestum hinc est, inter actionum honestarum & virtuosarum principia omnino numerari debere *voluntatem*, *consultationem* & *praelectionem*. Et primum *voluntatem*. Nemo enim actionibus honestis & virtuosis dare operam potest, sine voluntate, seu appetitu rationis in finem tendente, sive virtus ille sit, sive actio virtutis, sive actionis consequens: ut suo loco patebit; Ideo enim ad honestas nos actiones accingimus; ut per eas summo bono & fine potiamur.

Deinde *consultationem*: Quia frustra finem appetit; qui de mediis ad eum ducentibus non laborat: cum obtineri sine mediis neutiquam possit: Unde tritum illud: *Qui finem vult, & media vult*. Denique *praelectionem*: quia actio honesta & virtuosa: præsertim externa, edi nulla potest, nisi mediis apprehensis & in finem directis, insuperque imaginatione & appetitione sensitiva excitatis, organisque motui servientibus concitatis.

§. 42. Patet hinc *convenientia* & *differentia* voluntatis & προαιρέσεως, seu *praelectionis*.

Conveniunt (1) Quia utraque sequitur mentis judicium: (2) Quia utraque in bonum tendit.

Differunt (1) Quia *voluntas* solum exposcit mentis judicium: *praelectio* vero præter mentis judicium, etiam consultationem de mediis, quæ eligit & dirigit.

(2) Quia *voluntas* in finem tendit: *praelectio* in mediis ad finem occupatur. Quia enim sani esse cupimus, medicum quærimus, pharmaca expetimus, diætam amplectimur.

(3) Quia *voluntas* non tantum ad nos, sed & ad alios pertinentia respicit: *praelectio* autem ea tantum, quæ nos attinent.

§. 43. (4) *Voluntas* in ea quoque appetendo fertur, quæ supra nostras vires sunt: *Praelectio* vero eorum est tantum, quæ in nostra sunt facultate. Patet quoque *convenientia* & *differentia consultationis* & *praelectionis*.

Conveniunt (1) Quia utraque circa idem versatur objectum: nempe circa contingentia & possibilia. (2) Quia utraque in iis tantum versatur, quæ ad nos pertinent. (3) Quia utraque tantum est, de mediis ad finem, non de fine ipso.

Differunt (1) Quia *consultatio* antecedit: *praelectio* sequitur: (2) Quia *consultatio* est investigatio & comparatio mediorum

rum : *praelectio* est rei investigatæ apprehensio. (3) *Consultatio* est facultatis cognoscentis, *praelectio* appetentis.

§. 44. Observetur quoque differentia *electionis* & *praelectionis*.

(1) *Electio* latius patet, quam *praelectio* : omnis enim *praelectio* est *electio* : Sed non omnis *electio* est *praelectio* : differunt igitur ut genus & species: *electioni* tanquam generi, *praelectio* specificam addit differentiam, per consultationem : quæ omnem antecedit præelectionem, sed non electionem ; hæc enim solam sequi potest cognitionem & judicium, sine consultatione.

(2) *Electio* etiam brutorum est : Ita cani si objicias panem & aurum, panem eligit, aurum rejicit, sine consultatione, quæ solorum est ratione præditorum, ut & præelectio.

(3) *Electio* non tantum est ordinatorum ad finem sed aliquo modo etiam ipsius finis : *Praelectio* tantum est mediorum ad finem.

Adversus ea, quæ diximus modo, aliqui moventur scrupuli, qui paucis expediendi.

§. 45. (1) *Non videtur consultatio esse de iis tantum, quæ ad nos pertinent : Ita principum consiliarii deliberant de Principum negotiis, Patres de filiorum negotiis : Est enim consultatio inquisitio & comparatio ordinatorum ad finem : quæ tam de alienis, quam de nostris institui rebus potest.*

Resp. Cum *consultatio* de iis tantum esse dicitur, quæ ad nos pertinent, per *nos* intelligi debent non nostræ tantum consultantium personæ, sed & eæ, quæ nos attingunt, & quarum nobis incumbit cura : Sic principum cura incumbit consiliariis, filiorum patribus: quorum negotia non minus, quam propria sua tenentur curare : *Aristot* : lib. 3. Nicomach. cap. 3. Ubi & hoc observandum, de consultatione hoc loco sermonem esse prudenti & utili, non stulta & inani. Stulti enim deliberare dicuntur de rebus ad se non pertinentibus.

§. 46. (2) *Neque videtur consultatio tantum de mediis esse : quia de fine quoque interdum deliberamus ; exempli gratia quod nam vitæ genus amplecti debeamus, practicum & civile, an contemplativum? cui operam navare facultati debeamus Juridicæ an medicæ &c. Ubi de fine, non de mediis deliberatur : Constituto enim fine, nempe vitæ genere practico vel theoretico, facultate Juridica vel medica, &c. de mediis deliberatur.*

Resp. Distinctione heic opus. Finis est *ultimus* vel *ultimo subordinatus*, qui & medius appellatur ; ille simpliciter est finis ;

finis: hic, respectu finis ultimi, etiam medii habet rationem: est enim medium ad finem ultimum: ut & ipsa vita theoretica vel practica: quæ tamen ad felicitatem rationem finis habet, respectu mediorum ad eam ordinatorum. Itaque consultatio instituitur non de fine ultimo, sed de non ultimo, eoque non quatenus est finis, sed quatenus medium.

§. 47. (3) *Nec praelectio videtur necessario conjuncta cum consultatione, vel sequi eam: quia etiam sine consultatione praelectioni locus esse potest: quando nempe, quæ manifesta sunt, absque ulla praconsultatione praeligimus, ut literarum studia ad obtinendam sapientiam.*

Resp. Quæ ita sunt manifesta, ut justa de iis dubitandi causa sit nulla, potius eliguntur, quam præeliguntur. Vide *Piccolom.* Grad. 2. cap. 26.

§. 48. (4) *An voluntas tantum sit finis, & non mediorum ad finem ducentium*, controverti quoque possit: Tritissima enim sententia est: *Qui vult finem, vult etiam media: & qui ordinata in finem vult media, idem & finem vult*: Lib. 3. Moral. c. 5. *ita nemo non tam media, quam finem velle vulgo dicitur: veluti cum dicimur velle ambulare, ut sanitati consulamus: velle libris operam dare, ut animum excolamus &c.*

Resp. Voluntas proprie sic dicta, hoc est appetitus rationalis, tendere in aliquid dicitur *primario*, tanquam in principale objectum: vel *secundario* tanquam objectum minus principale.

Priori modo voluntas in finem tendit, uti consultatio & prælectio in media: *posteriori* etiam in media. Vide Aristotel. 1. Nicomach. & lib. 3. cap. 2.

§. 49. (5) Dictum quoque supra, voluntatem in ea quoque appetendo ferri, quæ supra nostras vires sunt. *Hoc vero alienum videtur esse à viro prudenti, & voluntate secundum naturam recte affecta. Stultorum est velle, quæ consequi non possunt, & quæ se non consecuturos præsciunt.*

Resp. Quæ supra viri prudentis sunt vires, duorum sunt generum: Alia enim naturæ simpliciter sunt impossibilia, ut cælum ruere, hominem volare: alia non simpliciter, sed ei tantum, qui velle & appetere dicitur. Quæ *prioris* sunt generis, nemo sanæ mentis vult: Quæ *posterioris*, etiam prudentes velle & quandoque debere velle manifestum est. Ita vir bonus & prudens patriam à tyranno oppressam vult salvam & conservatam, etiamsi conservare eam ipse nequit: Idem cum videt, innocentem à tyranno occidi, vult eum non occidi: neutrum nolle absque impietate potest. Etsi hæc talia potius optare, quam velle dicimur,

cimur, & rectius dicimus, vellemus, quam volumus.

§. 50. Quæritur (10) *An libertas homini competat?*

Resp. Libertas hoc loco intelligitur, qua pro nostro arbitratu in finē tendimus, vel etiam non tendimus, qua media eligimus, vel non eligimus, qua agimus vel non agimus: quam appellant *libertatem indifferentiæ ad utrumque oppositum*, ita nempe ut, posito objecto, & omnibus aliis requisitis iisq; nihil mutatis, homo possit velle & non velle, agere & non agere. Receptissimam hanc libertatis apud doctores descriptionem esse ostendit *Raynaud.* moral. philosoph. dist. 2. q 2. art. 2. n. 76. Ubi de *libertatis indifferentia* prolixe agitur sequentibus numeris 77. 78. 80. &c. Interim alios quoque libertatis esse modos, præsertim quoad actus specificationem, nemo facile negaverit. Hæc libertas, quia inter actionum moralium principia merito quoque numeratur, & cum omnibus reliquis concurrit, hoc loco minime negligenda est. Ubi, quam modo movimus, quæstio primas jure suo obtinet, cujus *affirmativa* in scholis receptissima est, quamvis non sine contradictione. Rationibus igitur libertas hominis propugnatur sequentibus.

(1) Quia consilii & rationis particeps est homo: unde faciendum aliquid vel non faciendum per rationem judicat, instituta deliberatione vel consultatione; tandemque media à ratione demonstrata eligit, vel etiam non eligit, quando agere ipsi, vel non agere visum. Ubi vero nulla est libertas, frustranea est ratiocinatio vel consultatio, neque agere aut non agere in agentis est potestate.

(2) Quia sine libertate actiones honestæ præmiis, vitiosæ pœnis dignæ non sunt. Unde neminem laudamus aut vituperamus, qui fecit, quod non potuit non facere, vel omisit, quod non potuit non omittere. Nec *laudes*, inquit *Clemens Alexand. nec vituperationes, nec honores, nec supplicia jussa sunt, si anima non habeat liberam potestatem & appetendi & abstinendi, sed sit vitium involuntarium.*

(3) Quia leges frustraneæ aut iniquæ sunt, ubi nulla est libertas & ad utrumque oppositum indifferentia: Ita frustranea erit *de homicidio non perpetrando, de furto non faciendo*, lex si homicidium furtumque nullo modo perpetrare homo posset: iniqua vero, si non posset non perpetrare. Eadem est ratio legis de honorandis parentibus, & aliarum similium. Nam si non possunt non honorari parentes; quid attinet honorem percipere? si vero non possunt honorari: & frustra & inique honor præcipitur.

(4) Per-

(4) Perfectio mundi omnes formarum requirit gradus. Cum igitur in universa rerum serie dentur inanimata & animata bruta quæ plane sunt serva: dentur etiam ab omni materia adjunctæ mentes, seu *intelligentiæ*, quæ cum libertate conjunctam habent necessitatem. Utique mediis etiam gradus dabitur substantiarum liberarum & contingentium: quales sunt homines.

(5) Libertatem hanc quilibet in se singulis pene momentis deprehendit: loquimur enim & non loquimur, benedicimus & maledicimus, largimur & non largimur &c. pro arbitrio.

(6) Arbitrio humano libertatem expresse quoque scriptura tribuit. Insignis est locus 1. cor. 7. v. 37. *Qui stabilis perstat in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde suo, ut servet suam virginem, bene facit.* Et Actor. 5, v. 4 De *Anania*, *Nonne si servasses, manebat tibi & venundatum in tua potestate.* Ecclesiast. 15. v. 14. *Ipse in principio cum fecit hominem, permisit ipsum consilio ipsius: dicens: si voles custodies mandata & fidem faciendo, quod placet. Apposuit tibi ignem & aquam, ad utrum volueris, extende manum tuam*, &c. Attingit hæc libertas naturalia & moralia quæ regenitis cum irregenitis sunt communia: Spiritualium alia est ratio. Admodum prolixus in hac quæstione est *Raynaud.* dist. 2. quæst. 3. art. 1.

§. 51. Sed contra arbitrii humani libertatem multa objiciuntur.

(1) *Omnia fiunt secundum infallibilem & immutabilem* DEI *præscientiam atque providentiam; ita quidem, ut non possint non fieri eo modo, quo eventura* DEUS *prævidit, & ut evenirent, decrevit. Ergo nulla est hominis libertas.*

Antecedens in confesso est: *Quia omnes creaturæ à* DEO *independente dependent in fieri in esse & operari.* Ratio consequentiæ *Quia de ratione eorum, quæ libere & contingenter fiunt est posse fieri & non fieri.*

Resp. Negatur *conseq. Ratio* est inconsequens: Est enim ab infallibili & immutabili decreto atque præscientia divina, ut res aliæ fiant à causis proximis necessariis, aliæ à contingentibus & liberis; quas ipse DEUS tales fecit, tales conservat & talibus utitur: quæ nempe vel non possunt non agere, vel possunt agere & non agere: quamvis interim tam per has quam per illas infallibiliter DEUS efficiat & consequatur, quicquid vult: Quæcunque igitur vult libere evenire, & ita eventura ab æterno prævidit, ea non possunt non liberè evenire, uti non possint non necessario

evenire,

evenire, quæ ut necessario eveniant ab æterno decrevit & sic eventura prævidit. Adeoque tam infallibiliter eveniunt, quę libere & contingenter, quam quæ nececessario, eveniunt. Determinat igitur se causa libera ad alterum oppositorum, quando agit, quod antequam ageret, potuit non agere: ita tamen ut à DEO quoque determinetur, salva ipsius libertate: quando nempe hoc potius agit causa libera, quam illud, etiamsi tam illud, quam hoc potuit. Pertinent huc illa *Proverb. 16. v. 9.*

Animus hominis excogitat viam suam, sed Iehova statuit gressum ejus: & cap. 20. vers. 24. *à Iehova sunt gressus viri*, & cap. 21. vers. 1. *ut rivi aquarum, sic animus regis, est in manu Iehovæ, quocunque vult inclinat eum.*

At, inquis, *si aliud hominis voluntas posset agere, quam agit, & quam acturam eam* DEVS *prævidit, adeoque agere voluit, sequeretur, prævisionem* DEI *posse falli & voluntatem mutari atque impediri: quod absurdum.*

Resp. Negatur *conseq.* Ratio est, quia DEVS utrumque infallibiliter præscit, & aliter posse voluntatem in se consideratam agere, quam agit, & hoc potius, quam aliud acturam: Sic etiam æterno suo & immutabili decreto voluit liberam esse voluntatem, ita ut possit velle & non velle, sive hoc, sive illud: tamen hoc potius, quam illud, agere; uti & ipsa, per se indifferens ad utrumque oppositum, se libere ad alterum determinat, quamvis non sine DEO.

§. 53. (2) *Insolubilis est causarum secundarum catena & connexio; per quam non potest non agere proxima, quando remotiores in actu sunt constituta:* Unde *Aristot*: lib. 8. phys. text. 8. 9. *In omni agente id verum est, quod non moveat, nisi certo & definito quodam modo se habuerit, ut se habere debet causa proxima, & dum ita se habuerit, statim movet,: Quod si verum est*, inquit Philosophus, *nudabitur penitus homo libertate, omnesque eventus, præcurrentibus causis, necessario respondebunt. Quod Stoicorum vult fatum.*

Resp. Hypothesis *Stoicorum* falsa & absurda est: sunt inter se & cum effectis connexæ causæ secundæ: sed talis est connexio, quales sunt causæ: ut igitur aliæ sunt contingentes & liberæ, aliæ necessariæ, ita & connexio est contingens vel necessaria, adeoque & effectus alii necessarii alii contingentes: universalium causarum influxus aliter atque aliter excipiunt causæ inferiores & proximæ. Contingentiæ radicem *& fundamentum referunt ad rationem* & materiam. Absurditatem *fati Stoici*

ti Stoici graviter convincit *Isidorus Pelusiota*, Lib. 3. Epist. 191.

Si DEUS *est, fatum non est. Si autem fatum, non dicam quod cum eo pugnat. Vertatur enim hac blasphemia in eorum capita; qui, ut hoc dicatur, procurant. Quod si nemo est, qui hoc dicere ausit, sine controversia penes Ecclesiam est victoria. Ita sufficiebat quidem, ut opinor, hac palma, etiamsi sola esset; Nunc autem aliis permultis innitimur. Si fatum est, lex non est: Si autem lex, fatum non est. Si fatum est, non est precatio: Si autem precatio, fatum non est. Si fatum est, meditationes non sunt: Si autem meditationes, fatum non est. Si fatum est, Philosophia non est: Si autem Philosophia, fatum non est. Si fatum est, medicina non est: Si autem medicina est, fatum non est. Si fatum est, agricultura non est: Si autem agricultura est, fatum non est. Si igitur unius rei cum una certamen esset, dubia fortasse victoria foret? Cum autem una res adversus varias & multas dimicet, extra controversiam, ut opinor, est victoria. Quamvis enim unum vicisse videatur, ab aliis tamen non vincetur.*

§. 54. (3) *Si voluntas hominis est libera, aut necessario, aut contingenter est liberata: quia neutrum horum concedi potest: ergo libera non erit.*

Assumtio prob: *Si necessario esset libera, utique necessario quoque libere ageret: At hoc falsum: quia nihil simul necessario & libere agit, sed vel necessario, vel libere & contingenter.*

Si contingenter esset libera; utique posset quoque esse non libera: adeoque libertas voluntati necessario non competeret: quod & ipsum esse falsum volunt.

Resp. *Syllogismi principalis* negatur *assumtio*: voluntas necessario est libera: quia cogi simpliciter repugnat ipsi. *Prosyllogysmi assumtio* negatur: probatio est inconsequens: aliud enim est necessario libere agere, aliud necessario & libere agere. Illud enim libertatẽ à voluntate inseparabilem esse notat; hoc est libertatem & necessitatem agendi tribuit voluntati: quæ invicem non consistunt: Liberas enim hoc loco definitur per *indifferentiam* ad utrumque oppositum: quam necessitas non admittit.

§. 55. (4) *Quicquid ab externo principio determinatur ad actionem, id libere non agit: Atqui hominis voluntas ab externo principio determinatur ad actionem: Ergo libere non agit.*

Propositio prob: *Quia determinatio causæ facta ab externo principio repugnat libertati ejus: Causa enim libere se ipsam pro arbitrio*

arbitrio determinat. Assumtio prob: ex *Proverb.* 21. ver. 1. *ut rivi aquarum.* &c.

Resp. *Propositio* est distinguenda: Quicquid determinatur ab externo principio sine propriâ determinatione, & contra propriam inclinationem, id libere non agit.

Sic vero voluntas hominis non determinatur. Nam & se ipsam determinat. Sic igitur divina sapientia potentia per voluntatem hominis liberam infallibiliter suum peragit opus, etiam tum, cum aliud homo agere potest. Etiamsi enim aliud agere potest, tamen aliud non agit.

§. 56. (5) *Infidelis non potest non peccare: Ergo libertas in eo est nulla.*

Antecedens constat ex Paulo Rom. 14. v. 23. *Quicquid non fit ex fide, peccatum est. Atqui infidelis nihil agit ex fide.* Ratio consequentiæ: *quia libertas est indifferentia ad utrumque oppositum: Atqui in infideli nec ad bonum, nec ad malum est libertas; quia non potest non peccare:*

Resp. Negatur *conseq. Probatio* partim inconsequens, partim universaliter vera non est. Quæ enim in infideli est necessitas peccandi, ea non evertit libertatem ad bonum & malum morale. Sunt enim infidelium quoque actiones bonæ & malæ: bonæ, inquam per se, & malæ cum per se, tum per accidens. Interim quæ per se bonæ sunt per accidens malæ, & peccata ab Apostolo appellantur: quia ex fide non fluunt: quamvis, quo ad alia, legi conformes sint. Neque omnis libertas indifferens est ad utrumque oppositum, uti nec omnis cum necessitate pugnat: ut deinceps videbimus. Etsi libertas hoc loco ea intelligitur, qua pro arbitrio in finem tendimus, ita, ut ἐφ' ἡμῖν, h. e. *in nobis*, sit agere vel non agere.

§. 57. (6) *Apostolus ad Rom:* 7. v. 15. 20. & seqq. *ait se agere, quod non vult. Ergo agendi libertatem etiam fideli detrahit. Quis autem Apostolo se præferat?*

Resp. Negatur *conseq*: Non enim simpliciter se agere, quod non vult, & nullo modo agere, quod vult, ait Apostolus: Non enim loquitur de bono *naturali*, nec de *morali*: de quo loco hoc nobis sermo: sed de *spirituali*, ad quod nulli irregenito est libertas: regenito autem aliqua, sed non plena. Quo sensu queritur Apostolus, *se agere, quod non vult*, hoc est, adhuc peccare & subinde in legem impingere per imbecillitatem carnis, quam plene subigere spiritus non possit, utcunque velit: Hinc fieri ut secundum carnem peccet, etiam voluntate & spiritu repugnante. Interim omni modo sibi libertatem ad bonum

ſpirituale non adimit, ne dum ad morale: quæ etiam irregenitis competit.

Hactenus præcipuæ difficultates circa hominis libertatem expeditæ: de iiſdem & aliis nonnullis minoribus vide *Heiderum* quoque, part. 2. pag. 307. &c.

§. 58. Quæritur (11) *An de ratione libertatis ſit indifferentia ad utrumque oppoſitum?*

Reſp. Oppoſita diſtinguuntur in *contraria* & *contradictoria*: *Contraria* hoc loco intelliguntur, bene agere & male agere: *Contradictoria*, bene vel male agere & non agere.

Hac præmiſſa diſtinctione, reſpondet *Velſtenius* per geminam aſſertionem: cent. 1. dec. 4. q. 6.

(1) *De ratione libertatis non eſt indifferentia ad utrumque contrarium, bonum & malum:*

Rationem reddit: Quia libertas, quæ virtus voluntatis eſt, non poteſt adſtringi malo, ſub ratione mali: cujus electio ex vitio non tam libera, quam coacta eſt. Quod enim contra naturam facultatis vel actionis eſt, non liberum, ſed violentum eſt.

(2) *De ratione libertatis eſt indifferentia ad utrumque contradictorium.*

Ratio: Quia aliquando bonum particulare poteſt eligi, & non eligi, ſi viſum ita fuerit.

§ 59. Nos ad primam aſſertionem hæc monemus:

(1) *Nulla moralis electio facta ex vitio, tendit in malum, ſub ratione mali:* ut oſtendimus ſuo loco.

(2) *Electio mali, quæ fit ex vitio, non coacta, ſed libera eſt.* Eſt enim coactionis principium externum: vitium vero homini internum eſt.

(3) *Libertati ſimpliciter & neceſſario non competit indifferentia ad utrumque contrarium, nempe bonum & malum.* Teſtem habemus experientiam, Theologiam & Philoſophiam. Sunt enim hominum aliqui indifferentes ad bonum & malum: ut conſtat de *ſtatu innocentiæ* primorum hominum, de *ſtatu corruptionis* & *renovationis.*

Alii determinati ad bonum, ut beati: alii ad malum, ut damnati.

§. 60. Ad ſecundam hæc monemus.

Libertati neceſſario & ſimpliciter non competit indifferentia ad utrumque contradictorium: Quia beati non poſſunt non DEO adhærere: damnati non poſſunt non DEUM averſari: utrique tamen libere adhærent, vel adverſantur.

Sed de hiſce conſulendi ſunt Theologi.

§. 61. Quæ-

§. 61. Quæritur (2) *An voluntas quoad omnes suos actus sit libera?*

Resp. In actibus voluntatis duo attenduntur & distinguuntur, *exercitium* & *specificatio*: *Exercitium* actuum appellatur; quando voluntas agit, volendo & cogitando aliquid: ubi *libertas actus* in eo consistit, quod voluntas de re aliqua etiam non cogitare possit, sive plane nihil cogitet aut actu velit, sive aliud cogitet aut velit. Sic actu cogitamus de DEO, eumque sincere veneramur. Interim de DEO etiam quandoque non cogitare, eum actu & directe non venerari possumus: quando actu vel de nulla re vel de alia cogitamus, quæ ita nos occupat, ut simul ad hoc vel illud cogitatio actualis non extendatur. *Specificatio* actuum appellatur, quando voluntas in objectum actu fertur appetendo vel fugiendo. Ubi *libertas actus* in eo consistit, quod voluntas ejus, quod vult, contrarium velle potest.

Veluti quando aliquem amamus, quem etiam odisse possumus; quando honoramus, quem etiam ignominia afficere possumus &c. In *exercitio actus* est libertas contradictionis: in *specificatione actus*, libertas contrarietatis.

Hac præmissa explicatione & distinctione, ad quæstionem respondemus gemina assertione:

§. 62. (1) *Omnes voluntatis actus, circa finem* [illegible] *media, quoad exercitium, sunt liberi.*

Ratio est: quia in nostra est [illegible] ...ac cogitationem de re aliqua suspendere quo... [illegible] ...udimus: quod quilibet in se deprehendit. ...mus enim aliquandiu vel nihil cogitare & velle vel ab eo, quod cogitavimus & voluimus, diversum quiddam cogitare & velle possumus, ita ut de priori non cogitemus. Ita duobus objectis simul propositis, voluntas liberrime in alterutrum potest inclinare, ita ut actu simul in alterum non inclinet, quamvis possit inclinare, & postmodum etiam inclinet, suspensa cogitatione de eo, in quod prius inclinaverat.

Ubi tamen observandum: Hanc actus, quoad *exercitium*, libertatem in hac tantum mortali vita scholasticis plerisque videri locum habere & universalem esse: In altera vero & beata visione non item: quando nempe ita ad se & suum amorem efficaciter Deus inclinabit beatorum voluntates & cogitationes, ut ab amoris actu nunquam sint cessaturæ. Et hæc ratio & quasi natura erit beatæ vitæ atque visionis.

Interim in hac quoque vita voluntatem hominis virtute divina ad exercitium necessitari, ut loquuntur, posse, nemo facile negaverit. Nos vero hoc loco agimus de voluntate in se considerata, extra imperium divinæ voluntatis.

§. 63. (2) *Non omnes voluntatis actus quoad specificationem sunt liberi, sed & necessarius datur, circa appetitum boni universalis; quamvis non circa appetitum cujusque boni particularis.* In universale bonum necessario fertur voluntas, ita ut id, sub ratione boni, vel quatenus est bonum & tale judicatur, odisse non possit. Ita felicitatem quoque in communi necessario vult voluntas, quam aversari & odisse non potest: Uti & nemo unquam odit: Unde Augustinus lib. 10. confess. cap. 20. *Si omnes homines*, ait, *una voce interrogari possent, utrum beati esse vellent, sine ulla hæsitatione velle responderent:* quod repetit lib. 113. de Trinit. cap. 4. & lib. 1. de lib. arbit. cap. 14.

Alia est ratio *boni particularis*: quod sæpe refutari & odio haberi ab hominibus experientia testatur: quando vel defectum, vel incommodum aliquod aut difficultatem in eo deprehendit ratio. Unde scientiam multi aversantur famamque negligunt; cujus studium obstare sibi opinantur, quo minus alia consequi possint bona, quæ magis arrident. Quin & DEI amor, quoad actus specificationem, liber esse potest: quatenus non vult universale, sed ut particulare bonum apprehenditur, sub aliqua ratione mali pœnæ. Vide *Suaret.* disp. metaph. 29. Sect. 8. n. 16.

§. 64. Quæritur (13) *An voluntas sit libera eo etiam instanti quo agit?*

Resp. *Affirmat*[illegible] amplectimur cum *Scoto*, *Crapneolo*, *Hervæo*, *Gregor. Arimin.* [illegible] *Tavello*, *Suaret. Conimbr. Molina.* &c.

Rationes sunt (1) Si voluntas eo ipso instanti, quo agit, non est libera, sequitur nunquam eam agere libere: At falsum *consequens*: Ergo & *antecedens.*

Connexum probatur: Quia dici non potest agere libere, nisi eo ipso tempore, quo agit, & quo est libera.

(2) Si voluntas eo ipso instanti, quo actum elicit, non est libera, neque agit libere, nunquam erit libera, nunquam aget vel non aget libere: At falsum *consequens* ex sententia eorum quoque, qui heic nobis adversantur: Ergo & *antecedens.*

Connexi ratio est, quia quando actum non elicuit, necessario non elicuit: & quando in potentia est ad eum demum eliciendum, necessario in potentia est. Par enim est ratio, vel libertatis vel necessitatis, quando actus nondum est elicitus, quando elicitur, & quando elicietur: ut igitur eo ipso, quo elicitur, non potest non elici, sic eo ipso quoque, quo fuit elicitus, non potuit non esse elicitus: & quo demum elicietur, non poterit non demum elici: quia propter manifestam contradictionem invicem non possunt

sunt consistere *simul elici & non elici, simul elicitum esse, & non elicitum esse, simul eliciendum & non eliciendum esse.*

Quod si vero hæc necessitas non obstat libertati, per eam utique libertas male oppugnabitur. Vocant necessitatem hanc *ex suppositione*, per quam voluntas, dum agit, non potest non agere, ita dum libere eadem agit, non potest non libere agere.

Libertas actionis non consistit in eo, ut dum est actio, possit simul non esse: sed in eo, ut potuerit non esse, antequam cœpit esse. Sic & voluntas eo ipso instanti, quo vult, est libera, non quod simul non velle possit, sed quod ante quam vellet, non velle potuerit, & ita velit, uti etiam velle possit desinere.

(3) Si nemo, cum aliquid agit, potest idem non agere, sequitur actualiter neminem peccare, quando quid agit, sed ante quam agit: Atqui absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Connexi ratio est: qui tunc demum vitare poterat, quando nondum egit: ex sententia adversariorum.

§. 65. Contra vero *negativam* quæstionis amplectitur *Occam* cum aliis *Nominalibus*; argumentum eorum præcipuum hoc est. *Si unumquodque eo ipso instanti quo est, necessario est, voluntas eo tempore, quo aliquid vult, non potest velle. Atqui verum prius: Ergo & posterius. Et per consequens voluntas libera non est eo instanti, quo aliquid vult.*

Connexum prob. *Quia simul velle aliquid & nolle idem nemo potest: propter manifestam contradictionem.* Unde ajunt: *cum libere dicimur velle, id non accipiendum esse de instanti, quo alterum horum agimus, sed de eo, quod illud proxime antecessit, quo non voluimus.*

Resp. *Conclusio Syllogismi* simpliciter nobis contradicit: *Syllogismus* totus loquitur de necessitate, quæ est ex *suppositione* non de necessitate *absolute* & *simpliciter* sic dicta: Atqui *necessitas suppositionis* libertatem & contingentiam, qua ab interna est rei natura: non tollit: Itaque *consequens*, quod ex *conclusione* elicitur, est inconsequens. Eo instanti, quo voluntas vult aliquid, nihilominus libera est, etsi eodem momento non potest velle vel non velle simul, libera, inquam, per naturam: quia ita cæpit hoc vel illud velle, ut etiam potuerit non velle & aliud velle: & dum vult, potest etiam desinere velle: quando ad volitionem continuandam nihil cogit aut potest cogere: Itaque libere agit voluntas, quando agit, non quando non agit, sive ante, sive post actionem: Agere enim libere, quod non agit, sine absurditate, & contradictione dici non potest. De quæstione hac videatur *Suarez*. Metaph. disp. 19. sect. 9.

§. 66. Quæritur (14) *An liberum arbitrium sit in intellectu vel in voluntate?*

Resp. Liberum arbitrium esse potentiam, & quidem activam, naturæ rationalis, inter doctos fere in confesso est. Liberum autem hoc loco intelligitur, non à *servitute*, vel *coactione*, sed à *necessitate* liberum; quod ad utramque contradictionis partem indifferenter se habet, seu quod tale est, ut, posito objecto, & omnibus aliis requisitis, iisque nihil mutatis, possit velle & non velle, agere & non agere: quo sensu à *Suaretio* libertas hæc definitur *potentia activa ex se & sua interna facultate habens vim ad exercendam & suspendendam actionem suam, etiam omnibus ad agendum positis requisitis.* In nostris scholis definitur, *potentia volendi, nolendi, eligendi, repudiandi objectum ab intellectu monstratum, sine coactione, spontaneo & deliberato motu & aptitudine voluntatis ad volendum aut nolendum oppositum;* quod *absolute liberum arbitrium* dicitur. Dubium tamen, *utrum sit intellectus an voluntatis?* ubi tres distinctæ occurrunt sententiæ. *Nonnulli* enim solius intellectus esse liberum arbitrium volunt: *alii* solius voluntatis: *alii* partim intellectus partim voluntatis.

§. 67. Nos iis assentimur, qui solius esse voluntatis arbitrium liberum, quatenus est liberum, affirmant. Rationes sententiam nostram confirmantes sunt.

(1) In sola voluntate libertas est formaliter, non in intellectu: Ergo liberum arbitrium, formaliter solius est voluntatis.

Ratio *conseq.* quia liberum arbitrium ejus tantum facultatis est, quæ formaliter est libera.

Antecedens prob. de intellectu, quod formaliter non sit liber: quia nec quoad *specificationem actus* sui, nec quoad *exercitium* est liber: *probatur prius;* quia intellectus natura sua determinatus est ad assentiendum vero, & dissentiendum à falso. Ubi neutra rationum harum in objecto est, aut intellectus eam non percipit, neutrum elicere actum potest: quia sine objecto operari non potest. *Probatur posterius*: illa tantum potentia formaliter est libera quoad *exercitium*, cui actus est intrinsece voluntarius: Atqui actus intellectus, quatenus est intellectus, non est intrinsece voluntarius. Ergo intellectus, non est potentia formaliter libera. *Propositio* prob. quia actus exercitium, seu determinatio potentiæ ad operandum, aut est naturalis, à solo naturæ impetu aut voluntaria ex operantis inclinatione elicita: Atqui potentia libera, quoad *exercitium*, ex solo naturæ impetu non determinatur ad opus: voluntarie igitur est determinanda: non utique extrinsece,

trinſece, per voluntarium ab aliqua potentia elicitum; ſic enim non *formaliter*, ſed *imperative* tantum eſſet potentia libera: ſed per voluntarium intrinſecum. *Aſſumtio* prob. quia actus intrinſece voluntarius eſt potentiæ appetentis, qualis non eſt intellectus.

(2) ***Intellectus per ſe non eſt*** liber, ſed à voluntate determinatur ad exercitium: Ergo ſola voluntas eſt libera; adeoque arbitrium liberum ſolius eſt voluntatis.

Antecedens prob: quia ex communi modo ſentiendi & loquendi, ſi interrogemur, cur hujus potius, quam illius rei conſideratione occupemur, cur contemplando nos exerceamus & fatigemus: reſpondemus, ideo nos hoc facere, quia volumus: uti & facere id deſinimus ſimulatque volumus: quod evidenti eſt documento, intellectum nunquam determinari vel ad exercitium, vel ad ſpecificationem actus, niſi per voluntatem: adeoque ipſum per ſe non eſſe liberum formaliter.

(3) Intellectus ex neceſſitate naturæ non agens ad exercitium actus, non determinatur ſine electione. Ergo non à ſe, ſed à voluntate determinatur; & per *conſequens*, intellectus per ſe & formaliter non eſt liber: adeoque ejus non eſt arbitrium liberum.

Ratio *conſeq*. quia electio ſolius eſt voluntatis: *Antecedens* prob. quia abſque naturæ neceſſitate quando unum præfertur alteri rationabiliter, ſine electione unius præ alio id fieri non poteſt.

(4) Nemo libere dicitur intelligere, niſi id, quod vult intelligat: Ergo libertas intellectui formaliter non competit, ſed ſoli voluntati, per quam intellectus libere agere dicitur: uti & per locomotivam libere movemur de loco in locum, voluntate motum imperante.

§. 68. Qui arbitrii libertatem in ſola ratione, non in voluntate, contendunt eſſe, ſequentibus utuntur argumentis, apud *Piccolom*. Grad. 2. cap. 41.

(1) ***Facultas libera debet cognoſcere: voluntas non cognoſcit, qua voluntas: Ergo voluntas non eſt facultas libera.***

Propoſitio prob: *Quia propterea oppoſita poſſe dicitur, quia utrumque cognoſcit:* Unde *Ariſtot*. 8. Phyſ. text. 8. & 10. Metaph. text. 3. ait. *facultatem cum ratione agentem eſſe oppoſitorum*. Aſſumtio in confeſſo eſt: ***Voluntatis enim eſt velle, intellectus cognoſcere.***

Reſp. Si cognoſcere ſit principium eſſe cognitionis (facultas enim rectius dicitur principium eſſe cognitionis, quam cogno-

cognoſcere, quod hominis potius quam facultatis eſt) *Propoſitio* negatur de facultate formaliter libera, cujus effectus formalis non eſt cognoſcere, ſed velle. *Probatio propoſitionis* ſimpliciter vera non eſt: Facultas formaliter libera oppoſita poſſe dicitur, quia, præeunte cognitione, quæ facultatis eſt formaliter non liberæ, utrumque velle poteſt. Voluntas quoque cum ratione agere dici poteſt, quia præeunte ratione egit.

§. 69. (2) Libertas ei competit, cujus officium eſt imperare, regnare, præeſſe & dominari. Atqui hoc facultati competit judicanti, ratiocinanti, non appetenti, cujus officium eſt exequi & imperata facere: Ergo non appetens, ſed judicans facultas eſt libera.

Reſp. *Propoſitio* diſtinguenda eſt: Libertas formaliter ei competit facultati, cujus officium eſt volendo imperare, regnare, dominari &c. cum hac limitatione negatur *aſſumtio.* Intellectus enim, ſeu facultas judicans non imperat volendo, quod proprie eſt imperare: Sed objectum voluntati offerendo, judicando, ſuadendo, eique liberam electionem & exemtionem permittendo; quæ pro arbitrio facultatibus inferioribus executionem imperat: quod intellectus non facit; cujus ſententia non obſtante, voluntas agit & exequitur, quicquid libet: & ſæpe rationi obnititur, ſecundum illud; *Video meliora proboque, deteriora ſequor.* Imo ipſi etiam intellectui voluntas imperat quando ad judicandum hoc potius, quam illud applicat.

§. 70. (3) Facultas libera movet & efficit, non movetur & patitur. Atqui voluntas non movet & efficit, ſed movetur & patitur ab intellectu ejusque judicio: Ergo voluntas non eſt facultas libera: ſed intellectus.

Propoſitio prob. *Quia, quod ab alio movetur, dirigitur, contrahitur, determinatur, tantum abeſt ut libertate fruatur, ut potius maxime ſerviat & moventibus ſuccumbat.*

Reſp. 1. *Propoſitio* non eſt ſimpliciter vera, neque *probatio* ejus: Facultas libera aliquo modo pati quoque & moveri poteſt: præſertim eo modo, quo ab objecto moveri facultas poteſt & ſolet: maxime vero ſi ita moveatur & patiatur, ut ad agendum non cogatur, vel, ut loquuntur, neceſſitetur. 2. *Aſſumtio* falſa eſt. Non movetur tantum voluntas ab objectis, ſed vel maxime movet & efficit, cum intellectum ad objecta applicando, tum intellecta & judicata libere eligendo & executioni dando.

§. 71. (4) Voluntas, eſt facultas patiens & indifferens, quæ ſeipſam determinare ad alterum oppoſitum non poteſt: Ergo non eſt libera, &, per conſequens, libertas ſolius eſt intellectus.

Ante-

Antecedens prob. *ex definitione voluntatis, quæ est* desiderium boni cum ratione. *Determinatur igitur voluntas à ratione bonum offerente, quod voluntas velle non potest.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: voluntas ante electionem indifferens se ipsam ad alterum oppositorum determinat, quamvis non sine ratione objectum offerente & monstrante.

Probatio partim *inconsequens*, partim *falsa* est. Etiamsi enim voluntas non eligit sine ratione, nihilque nisi notum velle potest: tamen à ratione ita non determinatur, ut necessario eligat, quicquid eligit, & non possit non exequi, quod à ratione offertur & quasi dictatur. Itaque *voluntatem non posse nolle bonum à ratione oblatum*, plane falsum est & experientiæ contrarium: neque hoc modo locus esset electioni liberæ è pluribus objectis bonis unum eligenti & alia repudianti.

§. 72. (5) *Intellectus est nobilior voluntate: Ergo libertas ei potius quam voluntati competit.*

Ratio conseq. *Quia libertas competit facultati nobiliori.*

Resp. *Consequentia* negatur. Ratio de libertate formaliter accepta non datur: mutuas sibi præstant operas intellectus & voluntas: ille judicando, hæc judicatum libere eligendo vel repudiando. Et quamvis formaliter liber intellectus non sit: tamen libertas voluntatis in intellectu radicari dicitur: non enim voluntas est, nisi ubi intellectus est: neque velle voluntas potest, nisi quod ab intellectu est cognitum: Vide *Suarez*. disp. metaph. 19. sect. 5. n. 21. Unde libertas dicitur esse in voluntate *formaliter*, in intellectu *radicaliter*. *Scaliger* Exercit. 30. sect. 26. voluntatem intellectu nobiliorem esse contendit.

§. 73 (6) *Libertas maxime fulget in ordinatis ad finem, non in fine: Ergo non est in voluntate, sed in intellectu:* Ratio consequentiæ. *Quia voluntas est finis.*

Resp. *Conseq.* negatur: Ratio exclusive vera non est, voluntas & finis & mediorum est: ut supra ostendimus. Unde *media velle dicitur, qui finem vult:* Voluntas conspicua est in electione mediorum à ratione monstratorum. Quæstionem hanc prolixe tractatam vide apud *Reynaud.* philosoph. moral. dist. 2. q. 2. art. 4.

§. 74. Quæritur (15) *A quibus & quomodo moveatur voluntas?*

Resp. Moveri voluntas dicitur ad *exercitium* vel *specificationem*.

Ad *exercitium*, quando ex non volente fit volens: ad *specifica-*

cificationem, quando hoc vel illud vult: Unde ad quæstionem respondetur gemina assertione.

Una: ***Voluntas ad exercitium movetur à se sola, & à nulla alia causa.***

Ratio est: Quia inter omnes animæ facultates voluntas est primum movens, quoad actuum exercitium. Est enim primarius in homine appetitus; cujus solius est proprium, ad agendum movere.

Objicitur: ***Voluntas non potest elicere suum actum, nisi pravia aliqua cognitione: Ergo à cognitione movetur ad actus exercitium.***

Resp. Negatur *conseq*. Cognitio enim illa non est principium seu causa motus, sed tantum conditio prærequisita: quam causam *sine qua non* appellant.

Altera: ***Voluntas ad specificationem actus movetur ab intellectu voluntati objectum monstrante, judicante, suadente vel dissuadente.***

Ratio est: Quia voluntas est facultas quasi cæca, quæ illustrari & dirigi ab alia facultate necesse habet. Interim motio hæc voluntatem non determinat ad unum, hoc est, persecutionem & fugam, ut suo loco ostendimus. Hanc voluntatis motionem adjuvat quoque sensitivus appetitus, cujus passiones quandoque rationem excæcant & judicium pervertunt, quo deinde voluntas quandoque movetur & irritatur.

§. 76. Quæritur (16) *Quibus hominis facultatibus & actibus voluntas imperet?*

Resp. Esse aliquod voluntatis in alias facultates & actiones hominis imperium, extra controversiam est & testatur experientia: quando ad voluntatis placitum agunt vel non agunt, observatis temporum locorumque circumstantiis. *Quibus vero facultatibus imperet voluntas, & quæ obsequi illi sint nata*, porro quæritur. Nos paucis respondemus.

(1) *Voluntas imperat intellectui.*

Observandum, actus intellectus considerari quoad *exercitium* vel *specificationem*. Ratione *exercitii* omnes videntur esse voluntarii, hoc est, voluntati subjacere: ut enim rem consideres, quæcunque tandem illa fuerit, tuæ est voluntatis; secundum receptam sententiam, quam *Scaliger* quoque amplectitur, Exercit. 307. sect. 25. etsi aliquam ea exceptionem videtur admittere: Sæpe enim etiam non volentibus occurrunt cogitationes, quas avertere in nostra non fuit potestate: quibus id facimus, etiam cogitando, quod volumus: ut Apostolus de se quæritur, Rom.

Rom. 17. 19. 20. Interim actus, ratione *exercitii*, plerosque voluntatis subjici imperio facile damus.

Ratione *specificationis*, assensus vel dissensus rationis quoque voluntarius esse dicitur, quando causæ non sunt necessariæ, quæ intellectum convincant: tum enim per intellectum tam assentiri, quam dissentire penes voluntatem est: ubi vero necessariæ assensus sunt causæ, quibus convictus est intellectus, ibi imperium voluntatis circa dissensum non admittit: quia non potest non assentiri vero, de quo convictus est.

§. 77. (2) *Voluntas imperat sensibus externis & internis: Etsi non singulis ipsorum actibus.*

Imperare voluntatem sensibus externis & internis, testatur experientia: videmus enim, audimus, gustamus, olfacimus & tactu tactilia percipimus, applicato ad objecta sensu, quando, ubi, & quamdiu volumus: veluti & non videre, non audire &c. in nostra est potestate & libertate, qua sensus eorumque organa ab objectis, quando & ubi libet, avertere possumus. Sic etiam imaginari vel non imaginari, memoriæ mandare & non mandare quæ volumus, possumus. Interim sunt quoque sensuum cum externorum, tum internorum actus, qui, ut intellectus judicium sic & voluntatis actum antevertunt; veluti cum aliud agentibus, cogitantibus objecta sensibus externis offeruntur & percipiuntur, quæ nollemus objecta & percepta, Sic & phantasiæ actus atque impetus quandoque voluntatis imperium prævertunt.

§. 78. (3) *Voluntas imperat loco motivæ & animæ sensitivæ instrumentis, etsi non semper.*

Imperium voluntatis in locomotivam & animæ sensitivæ instrumenta manifestum est: progredimur enim de loco in locum, quando volumus: quiescimus, quando progredi nolumus: pedem manum attollimus vel demittimus pro arbitrio; instrumenta sensuum objectis applicamus, vel ab iis retrahimus, ubi, quando, quam diu libet: quamvis haud raro quoque absque voluntatis imperio locomotiva se exerat per sua instrumenta, voluntate in aliis objectis occupata.

§. 79. (4) *Voluntas imperat appetitui sensitivo: quamvis imperio suo coërcere eum semper haud possit.*

Utrumque testatur experientia. Ut enim rectæ rationi quandoque obtemperat voluntas, & eidem quoque haud raro refragatur: sic voluntatis imperio quoque appetitus sensitivus modo se submittit, modo obnititur. Dissidium hoc voluntatis & appetitus sensitivi & hujus de illa triumphantem rebellionem in se deplo-

ſe deplorat *Apoſtolus* loco ſupra allegato, Rom. 7. v. 19. 20. 21. 22. 23. Pertinet huc inſignis illa *Auguſtini* ſententia lib. 8. confeſſ. cap. 9. *unde hoc monſtrum, inquit, & quare iſtud? Imperat animus corpori, & paretur ſtatim: imperat animus ſibi, & reſiſtitur. Imperat animus ut moveatur manus, & tanta eſt facultas, ut vix à ſervitio diſcernatur imperium: & animus eſt, manus autem corpus eſt. Imperat animus, ut velit animus, nec alter eſt, nec facit tamen. Unde hoc monſtrum & quare iſtud? imperat, inquam ut velit, qui non imperaret, niſi vellet, & non fit, quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat. Nam in tantum imperat, in quantum vult: & in tantum non fit: quod imperat, in quantum non vult &c. Non igitur monſtrum partim velle partim nolle, ſed ægritudo animi eſt: quia non totus aſſurgit veritate ſublevatus, conſuetudine prægravatus.*

§. 80. (5) *Voluntas non imperat facultatibus animæ vegetativæ, quoad actiones ipſarum proprias:*

Hæ enim mere naturales ſunt, & ab inſtrumentis pendent, mere naturalibus, quæ à natura applicantur, ſine ullo rationis dictamine aut voluntatis imperio: quod non audiunt, vel *facultates inſtrumentales*, attractrix, retentrix, expultrix: vel *principales* χυλοποιητικὴ αἱματοποιητικὴ &c. uti nec facultatum harum organa corporea. Plura vide apud *Raynaud.* Philoſoph. moral. Diſt. 2. q. 2. art. 6.

§. 81. Quæritur (17) *An circa actus morales ſive virtuoſos ſive vitioſos voluntas neceſſario pendeat & determinetur à rationis practico judicio ultimo?*

Reſp. Si *determinatio* intelligatur ea, quæ tollit libertatem per *coactionem*, quæſtionem ſimpliciter negamus: Quia cogi plane repugnat voluntati, propter manifeſtam contradictionem: Eſt enim de intrinſeca voluntatis ratione libertas, ſub cujus oppoſito non poteſt concipi voluntas: evertit autem libertatem coactio, cogi voluntatem eſt adigi ad volendum, quod non vult: unde per coactionem idem ſimul eſt voluntas & non voluntas, ſeu noluntas.

§. 82. Quod ſi vero *determinatio* intelligatur, quæ *ſine coactione* & everſione libertatis eſt, & tamen neceſſitatem adfert: (non enim omnis neceſſitas pugnat cum libertate:) quæſtionem ſimpliciter *affirmari* non poſſe judicamus; ut enim maxime daremus, aliquando voluntatem determinari ab ultimo judicio practico, tamen ſemper id fieri, tuto affirmari non poterit; quia teſtatur experientia, ſæpe voluntatem rationi non obtemperare:

perare: ut fit in incontinentibus, quo ſpectat illa *Medeæ* querela.

- - Video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Ratio igitur, ſeu judicium practicum, judicat aliquid faciendum, quod tamen voluntas non facit, vel imperat, ſed contrarium potius: quando appetitum inordinatum ſequitur, non rationem recte ſuadentem: tum enim ſecundum *Poetam*:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Et hinc oriuntur peccata contra *conſcientiam*, quæ perpetrantur à ſcientibus & volentibus, non obſtante rationis contradictione: imo & peccata ex imbecillitate perpetrata; ubi acriter contradicit ratio & voluntas, tandem, quamvis ægre, in obſequium concupiſcentiæ carnalis trahitur.

Et quid mirum in moralibus facere quandoque hominem, quæ non facienda judicat ratio; cum haud raro faciat contra rationis præſcriptum & voluntatis inclinationem: de quo graviſſime Paulus conqueritur Rom. 7. 15. & ſeqq. *Quod odi, hoc facio. non facio bonum, quod volo, ſed malum, quod nolo, hoc ago.*

§. 83. Sed à *judicio practico* voluntas nunquam determinari videtur: quia, non obſtante judicio practico, retinet libertatem *contrarietatis* & *contradictionis*. Igitur ipſa ſe determinat, quamvis non ſine judicio practico præeunte, ſive id ſequatur, ſive non ſequatur: adeoque ſufficiens argumentum voluntatis per judicium practicum determinatæ non eſt, quod ſine antecedente judicio practico voluntas nihil velit. Hinc *Bernhardus*: *voluntas, [illegible]cunque ſe volverit, ſemper comitem rationem habet, non quod ſem[illegible] ratione, ſed quod nunquam abſque ratione agat.* Obſervandum illud [illegible]. Exerc. 307. ſect. 25. *ſine ullo extimo objecto, per voluntatem [illegible] poſſum intellectum ad intelligendum, & contra avertere ab intellectio[illegible] ut penes illam totius hominis ſtatus vel præſentis, vel futuri imperium ſit.* Hinc etiam voluntatem intellectu nobiliorem eſſe docet, ſect. 26.

§. 84. Objiciunt *Thomiſtæ* (1) *Voluntas ipſa per ſe nihil cognoſcit, ſed in rei appetitione dirigitur ab intellectu: Ergo neceſſario pendet ab ultimo rationis practico judicio.*

Reſp. Negatur *conſeq*. Requiritur enim ad liberos voluntatis actus judicium, intellectus ultimum, non quod neceſſitatem faciendi & eligendi imponat voluntati, ſed quod ſtatuat, medium hoc, conſideratis omnibus circumſtantiis, aptum eſſe ut eligatur vel adhibeatur; ubi ſua voluntati libertas relinquitur.

Si vo-

§. 85. (2) *Si voluntas necessario non determinaretur ab ultimo voluntatis judicio, nulla reddi posset ratio, quare quis hoc potius, quam illud velit: At falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Resp. *Consequentia* negatur: Sequi enim voluntas rationis judicium potest, indeque reddi ratio, cur hoc potius, quam illud velimus: etiamsi necessario non determinatur à judicio, sed libere se ipsam determinat, secundum rationis judicium.

§. 86. Quæritur (18) *An voluntas cogi possit?*

Resp. Ad quæstionem prius quam respondeatur, distinctio adhibenda gemina, scholasticis & aliis doctoribus usitata: una *actuum voluntatis*, altera *coactionis*. *Actus voluntatis* est *elicitus* & *imperatus*: *ille* est ipsa *volitio* aut *nolitio* voluntatis interna immediata, *hic* executio rei volitæ per facultates alias inferiores, quibus executionem imperat voluntas: quando nempe volentes loqui aut currere &c. Per loquendi aut movendi facultatem exequimur, quod volumus. Unde loquela & cursus appellantur actus voluntatis imperati: Sic & omnium aliarum potentiarum actus imperio voluntatis subjecti sunt voluntatis actus imperati: quia pro voluntatis arbitrio eos exercemus.

Coactio est vel *compulsiva*, vel *impulsiva*: Per *compulsivam* cogi dicitur, quod contra naturam & inclinationem suam movetur, vel impeditur, quo minus secundum inclinationem suam moveatur: veluti cum lapis contra naturam & inclinationem suam movetur sursum, aut quo minus deorsum moveatur, impeditur.

Per *impulsionem* cogi dicitur, qui ex alterius imp[illegible] agit, quod absque eo non fuisset acturus: qu[illegible] proprie dicitur coactio.

Alii *violentiam* distinguunt in *positivam* & *privativam*: Illa non differt a *coactione compulsiva*, qua contra naturam & inclinationem suam res movetur: hæc est, quando per negationem influxus necessarii res agere prohibetur.

§. 87. His distinctionibus præmissis, ad quæstionem respondetur per sequentes assertiones.

(1) *Voluntas cogi potest quoad actus imperatos*: Hæc apud omnes recepta est: quam hoc argumento confirmat *Durandus* in 4. sent. distinct. 29. q. 1.

Omnis potentia, cujus actus est in materia contrarietati subjecta, potest impediri vel impelli in contrarium, per potentiam fortioris virtutis. Atqui aliqui actus à voluntate imperati sunt in materia contrarietati subjecta, ut currere, percutere &c. Ergo

Ergo aliqui actus voluntatis possunt impediri, & contrarium fieri per prædominium majoris virtutis. Ut si quis aliquo ire volens impediatur ne eat, vel in oppositum trahatur: quæ coactio est proprie dicta.

§. 88. Sed per actus hosce imperatos minus proprie cogi voluntas videtur. Sunt enim non tam actus voluntatis, quam facultatum inferiorum imperio voluntatis subjectarum, quibus coactio accidit ab imperio alterius fortiore, adeoque non tam voluntas cogitur, quam facultates inferiores ab obsequio voluntatis abstrahuntur: cogi enim voluntas non potest, ut in actus inferiorum facultatum per vim potentiorem imperatis consentiat, & velit, quod vis major vult; quamvis inferiores facultates ei non obsequantur: & ipsa, quod vult, exequi nequeat.

Tum enim impediri rectius dicitur, quo minus exequatur, quod vult, quam cogi facere, quod non vult: quod si vero tandem, quamvis ægre consentiat in imperium fortioris potentiæ, & sic ipsa quoque facultatibus inferioribus imperet, multo minus simpliciter cogi potest dici: quamvis hoc sensu vulgo dicatur; *coacta voluntas est etiam voluntas:* quia tam non est libera voluntas, quam esset, si omnis periculi aut majoris potentiæ metus abesset. Vide *Reynaudum*, dist. 2. q. 1. art. 2. n. 50. 51. 52. &c.

Digna est observatu sententia *Simplicii* in cap. 1. Enchirid. Epict. *Dicat aliquis*, inquit, *nonne sæpe à tyrannis, aut nostris affectibus, amore atque odio, coacti alia atque alia suscipimus, aut admittimus non volentes? Quo pacto ergo tum potestas nostra & libertas cernetur?* Respondet, *tum etiam delectum sui juris esse. Quamvis enim principaliter id optabile non sit, ad quod necessitate ferimur: tamen deteriori collatum optabile videtur: Itaque id amplectimur. Neque fieri potest, quicquam ut agas nisi prius assensus te facturum esse. Nam qui non consulto aliquid facere videtur, ut qui nolens in foveam incidit impulsus ab alio, is inanimæ rei instar id facit, ac pati, quam agere, verius dicitur. Quare licet inviti agamus, tamen sic agere volumus.*

Proinde, eadem necessitate proposita, alii majoris mali metu id suscipiunt, quod imperatur, alii non suscipiunt, quod majus malum existimant id facere, quod jubetur, quam pœnas contumacibus propositas subire. Sic in iis etiam, qui inviti aliquid agere videntur, potestas & libertas nostra manet.

§. 89. (2) *Voluntas cogi potest coactione impulsiva.*

Nullà

Nulla heic attenditur distinctio actuum *elicitorum* & *imperatorum*. Siquidem impulsioni obnoxia est voluntas, quoad actus *elicitos* & *imperatos*: ut testatur experientia. Rationibus enim inducimur & impellimur, ut aliquid velimus, quod absque iis non voluissemus: impellimur quoque ad actus imperatos, qui absque iis non fuissent imperati. Sed coactio hæc admodum improprie & abusive dicitur: quia libere non coacte volumus, ad quod volendum rationibus inducimur: neque periculi metus nos velle cogit, quod nullo modo volumus: quia volentes eligimus per metum, quod, absque metu esset, non eligeremus, ut ante ostendimus.

§. 90. (3) *Voluntas cogi potest violentia privativa:*

Ratio manifesta est: Quia negari potest voluntati humanæ influxus divinus, qui ad volitionem non minus est necessarius, quam ad existentiam facultatis. Ut igitur, negato influxu, per quem existit, amplius existere voluntas nequit: ita negato quoque influxu, per quem vult, velle amplius non potest. Sed nec hæc coactio est proprie dicta. Cogi enim voluntas dici non potest, nisi coacta velit, quod non vult. Atqui, negato influxu divino, nihil vult aut velle potest.

§. 91. (4) *Voluntas non potest cogi, quoad actus elicitos, coactione compulsiva & positiva.*

Assertio hæc apud omnes est in confesso: cujus hæc adferri solet ratio: quia manifesta est contradictio in adjecto; *coacte aut per vim aliquid velle*; quia cogi id tantum dicitur, quod à principio extrinseco & non naturali movetur. Atqui velle omne est naturaliter ad aliquid inclinari & intrinseco principio ad id ferri. Nemo proprie dici potest velle aliquid coacte, nisi qui vult, quod non vult: Atqui hoc est impossibile, ut aliquis eo ipso, quo aliquid vult, idem non velit, quia velle & non velle sunt contradictoria.

Durandi, loco supra allegato, hæc est ratio; *quod est tale per essentiam, non potest participare conditionem oppositam. Atqui omne velle est voluntarium per essentiam: Ergo nullum velle potest aliquo modo esse violentum, quod est conditio opposita voluntario.* Propositio probatur: *quia oppositorum unum nunquam potest esse alterum: etiamsi subjectum, quod nunc est sub uno oppositorum, potest esse sub alio; quando neutrum ei convenit per essentiam: veluti albedo nunquam potest esse nigredo, etiamsi subjectum idem modo album, modo nigrum esse potest: quia de essentia ejus nec albedo nec nigredo est.* Assumtio prob. *Illud est tale per essentiam quod primo tale est & ratione cujus omnia alia dicuntur*

dicuntur talia per participationem. Atqui velle est voluntarium primo, nec est aliquid voluntarium prius ipso: omnia etiam alia quæ voluntaria dicuntur, eo ipso voluntaria dicuntur, quod actus volendi cadat super ipsa.

§. 92. Objicitur: *Intellectus per demonstrationem cogi potest ad assentiendum alicui conclusioni: Ergo & voluntas cogi potest ad consentiendum.*

Ratio conseq. *Quia intellectus est nobilior voluntate.*

Resp. *Consequentia* non est evidens, uti nec ratio ejus: certant enim de prærogativa voluntas & intellectus. Interim pendente lite (vide *Scalig.* Exerc. 307. sect. 26.) *Antecedens* negamus. Intellectus enim per inclinationem naturalem assentitur vero, sine *coactione*, quamvis non semper sine *necessitatione*, ut loquuntur barbari: neque ullum intelligere est contra inclinationem intellectus: cui naturale est intelligere.

§. 93. Quæritur (19) *An voluntas etiam malum sub ratione mali, seu quatenus est malum, possit velle seu appetere: & contra bonum, sub ratione boni, quatenus est bonum, sive verum sive apparens, aversari & fugere?*

Resp. *Negativam* cum plerisque theologis & philosophis amplectimur: quam adeo certam judicavit *Aristoteles*, ut bonum à veteribus recte per *appetibilitatem* descriptum affirmaverit, lib. 1. Eth. cap. 1.

Idem lib. 3. Eth. cap. 4. ait, *voluntatem ea tantum velle, quæ vel revera sunt bona vel saltem boni speciem habent: Clemens Alexand.* lib. 1. Stromat. *Nemo malum eligit, quatenus malum, sed obductus ab ea, quæ in ipso est, voluptate.* Videatur & *Augustinus*, lib. 2. confess. cap. 5. & lib. 1. de lib. arbit. cap. 14.

Rationem reddit *Thomas* prima secundæ q. 8. art. 1. *Voluntas est appetitus rationalis: appetitus autem non est nisi boni: quia appetitus aliud nihil est, nisi appetentis inclinatio in aliquid: At nihil inclinatur nisi in aliquid simile & conveniens. Cum igitur, quicquid est ens & substantia, sit bonum quoddam: sequitur omnem inclinationem esse in bonum.* Bonum vero hoc loco intelligitur non tantum vere bonum, sed & apparenter bonum: quod tale per errorem videtur, etsi revera non est.

§. 94. Pro *affirmativa* tamen qui pugnent, non desunt, & inter eos quidem doctissimi viri *Scotus* & *Occam*: Argumenta videamus.

(1) *Voluntas quandoque odit* Deum: *Ergo vult aliquid in quo nihil esse boni scit; sed quod simpliciter est malum: quale est* Dei *odium.*

Resp. Negatur *consequentia*: Etiamsi enim in odio DEI per se nihil est boni: tamen cum eo aliquid boni impiis videtur conjungi, propter quod DEUM oderunt, cui adversatur amor DEI: Itaque fugiunt DEUM & oderunt: quia impunitatem & cupiditatibus suis indulgendi licentiam amant, quam à Deo sibi polliceri non possunt.

(2) §. 95. *Si non potest appeti malum, sub ratione mali, sequitur nullum dari peccatum ex malitiâ, sed omnia esse ab aliquo affectu vel imbecillitate & errore aliquo: At falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Connexi ratio est: *Quia peccare ex malitiâ nihil aliud est, quam si quis prudens, sciens, nullâ ignorantiâ occæcatus, nullo affectu inbutus, solâ voluntatis perversitate in malum feratur: quod in peccatis contra conscientiam contingit.*

Resp. *Connexum* negatur: *Probatio* inconsequens est: qui enim solâ voluntatis perversitate scientes in malum feruntur, nihilominus boni alicujus obtinendi spe & intentione id faciunt, & per id quod malum esse sciunt, bonum aliquod apparens intendunt. Veluti latro sciens & volens viatorem obtruncat, ut hoc modo medioque suæ consulat vel avaritiæ vel indigentiæ &c.

(3) §. 96. *Si quis aversari bonum, etiam ut apparet tale, non posset, sequeretur nec in eo peccare posse: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Resp. *Assumtio* negatur. *Probatio* inconsequens est: Etiamsi enim bonum, ut bonum, aversari in se peccatum est: seu peccaret, qui bonum, ut bonum, aversaretur: tamen non sequitur aliquem aversari bonum, ut bonum & peccare bonum hoc modo aversando: A veritate connexi, seu axiomatis hypothetici, ad veritatem partium nulla est consequentia: Siquidem verum esse potest hypotheticum axioma, cujus pars utraque seorsim falsa est: *Exempli* gratia: *Si providentia non est*, DEUS *non est:* verissimum axioma est: cujus pars utraque *Providentia non est:* DEUS *non est:* falsa est: simul hoc: *Si quis bonum, quà bonum, aversatur, peccat hoc modo bonum aversando:* quod verissimum: etiamsi falsum est, aliquem aversari bonum ut bonum; &, aliquem peccare bonum hoc modo aversando. Quisquis igitur bonum aversatur, is non, quatenus bonum, aversatur, sed quatenus conjunctum est cum aliquo modo saltem apparente; quod aversatur: ideoque non ut bonum, sed ut impedimentum alterius boni, aversatur.

§. 97. (4) *Potentia est oppositorum: voluntas est potentia: Ergo est oppositorum: & per consequens, non bonum tantum, sed*

sed & malum, quia tale vult, quod oppositum est bono.

Propositio prob. *exemplo potentiæ visivæ, quæ & album & nigum apprehendit: & potentiæ tangentis, quæ & calidum & frigidum apprehendit.*

Resp. *Totum* conceditur: sed quod ex *conclusione* elicitur, consequens est inconsequens. Voluntas est boni & mali, hoc est, versatur circa bonum & malum, tanquam opposita sua objecta: sed non eodem modo: Siquidem bonum appetit, malum aversatur. Unde alia potentiæ visivæ & tangentis, circa sua objecta, alia voluntatis est ratio; illæ enim ad objecta sua opposita eodem modo apprehendenda, sunt indifferentes: hæc non item.

§. 98. (5) *Voluntas est etiam non entium: Ergo non tantum boni, quod cum ente convertitur, sed & mali est, quod non entis rationem habet.*

Antecedens patet: *Quia volumus interdum non ambulare, non loqui: volumus etiam futura, quæ non sunt entia in actu.*

Resp. *Consequens* concedi potest. Si voluntas dicatur esse mali, quatenus etiam circa malum versatur. Voluntas enim non tantum circa bonum, sed & circa malum versatur: quamvis non eodem modo: nempe circa bonum, volendo & appetendo: circa malum, nolendo & aversando. Quod si vero voluntas etiam circa non-entia volendo & appetendo versari dicatur, distinguenda sunt non entia, quorum alia sunt negativa, alia privativa: Illa quandoque volumus, ut non loqui non ambulare; sub ratione alicujus boni: quia non loqui, non-ambulare quandoque bonum judicamus, quatenus malum per id declinamus. Ista itidem velle possumus, sive naturalis, sive moralis boni privativa, sed non nisi ratione alicujus boni, quod conjungi cum iis videtur; ut si quis cæcitatem, vel innocentis cædem velit,

§. 99. Quæritur (10) *An sit de ratione actionis honestæ ut sit spontanea?*

Resp. Aliquoties abusum particulæ *sponte* in *Cardano* castigat *Scaliger*: Quando nempe & inanimata & plantæ sponte agere *Cardano* dicuntur: præter latinitatis usum, ut loquitur *Scaliger*. Quamvis non sine exemplo peccet *Cardanus*. Et quidem *Piccolomineus* notat, *sponte agere*, esse cum appetitu agere. Appetitus autem cum triplex sit, *unus* sine cognitione, *alter* cum cognitione absque ratione, *tertius* cum cognitione, & ratione: *primusque* tribuatur etiam inanimatis, *secundus* bestiis, *tertius* hominibus: Consequens erit, & inanimata, & bruta, & homines sponte operari; quomodo gravia dicuntur *sponte* descendere: & *sponte* sua, nemine impellente aut instignante, equus cur-

rere; Et *Aristoteles* quidem lib. 3. Moral. cap. 1. absurdum judicat putare, feras & pueros *sponte* non operari: Quo tamen *Aristotelis* pronunciato non obstante, *Plotinus*, Enn. 6. lib. 8. cap. 2. negat pueros & feras *sponte* operari. Apparet igitur *sponte* operari non uno dici modo: adeoque sine distinctione ad quæstionem commode responderi non posse: quando *sponte* operantium tres sunt gradus, ut ante vidimus: quorum *primus* & *secundus* non sunt de ratione actionis honestæ & moralis, quæ nullo modo in inanimata & bruta cadit. Cum autem ex usu latine loquentium, & philosophorum potissimum primaria & potiore sua significatione spontanea operatio eorum sit, quæ principium actionis in se ipsis habent, & particulares actionum circumstantias cognoscunt, ut *Aristoteles* docet, lib. 3. Eth. cap. 1. vel, ut alii, cum libertate, prælectione & vera scientia agunt: patet utique, hoc sensu quæstionis *affirmationem* esse eligendam: quia honesta actio non est, nisi à *sciente*, *volente*, & cum *ratione recta* agente profecta.

§. 100. Τῷ *sponte agere* opponitur *invite agere*, quod fit vel per *vim*, quando principium actionis est externum & agens cogitur; vel per *ignorantiam* circumstantiarum; quorum neutrum meretur nomen formaliter honestæ & moralis alicujus actionis; quæ scientis & volentis est.

§. 101. Observanda tamen hoc loco distinctio inter *agere per inscitiam*, seu ignorantiam, & *agere inscientem*.

Per inscitiam agere dicitur, cui inscitia est princeps causa, ut aliquid agat, quod, si absque inscitia fuisset, acturus nunquam fuisset; ut si quis contra legem aliquam positivam delinquat, quæ nunquam ipsi innotuit: quod utique facturus non fuisset, si legem illam cognitam habuisset.

Insciens agere dicitur, qui ex ira, ebrietate aut aliqua vehementiore perturbatione deliberandi spatium haud permittente, aciemque mentis pervertente, aliquid agit, quod alias non agendum esse novit, & non egisset, nisi perturbata mens sui quasi oblita & de suo statu dejecta fuisset.

§. 102. *Observandum* porro non per quamvis ignorantiam reddi invite factum, quod ἀκούσιον Græci appellant: est enim *triplex ignorantia*: 1. *Medii*, quod ad finem obtinendum conducit. 2. Ipsius *universalis*. 3. *circumstantiarum* actionis. Sola tertia ἀκούσιον constituit. Unde *invite agere* dicitur, qui vel cogitur, vel actionis ignorat circumstantias: quod pluribus explicantem vide *Piccolomin.* Grad. 2. cap. 12. Ubi & hoc monet: inter *agere sponte* & *invite*, dari medium, *non sponte*: ut si quis agat

agat *per inscitiam singulorum*, &, sublata inscitia, non ferat ægre sed id egisse.

§. 103. Denique *observandum* dari actiones quasdam *medias* inter *spontaneas* & *invitas*, quas *mistas* appellant: quando exempli gratia, ad evitandum, quod instat, majus malum, agimus quod acturi alias, tanquam damnosum, non fuissemus. Ut si quis, imminente naufragii periculo, merces suas in mare abjiciat, ut ipse salvus evadat, declinato naufragio: vel, si quis, latronibus in via occurrentibus, vitæ suæ redimendæ causa, pecuniæ summam, non sine damno suo, det vel promittat.

Hæ & similes actiones *simpliciter spontaneæ* vel *invitæ* non sunt: Non *simpliciter spontaneæ*: quia ad damnum faciendum ægre nos accingimus: neque nos accingeremus, nisi vis major urgeret, majorisque damni periculum instaret, ut hoc loco, periculum mortis, vel jactura vitæ, quæ minori damno, nempe jactura facultatum, redimitur. Neque *simpliciter invitæ*; quia conjunctæ sunt cum notitia omnium circumstantiarum, & intermitti quoque potuissent, si majus subire periculum libuisset, vel ejus declinandi spes affulsisset. Sunt igitur partim spontaneæ, partim invitæ, adeoque mixtæ: magis tamen *spontaneæ* quam *invitæ*. (1) Ratione *finis*, qui est eminentius illud bonum, quod optamus: (2) Ratione *principii*, quod est consultatio recta & prælectio ei consentanea. (3) Ratione *instrumentorum*, quæ libera in nobis supponuntur. (4) Ratione *cognitionis circumstantiarum & voluntatis*, quæ cogi non potest.

§. 104. Quæritur (21) *An in hominis non renati sit arbitrio virtuti operam dare & vitium fugere?*

Resp. De virtute *morali*, non *mere theologica*, (quam cum Christianis Ethnici veteres, quoad actus legi conformes, communem habuerunt, & etiamnum dubio procul multi habent) studioque ejus amplectimur *affirmativam*: etsi à mediis acquirendi eam non excludimus divinam gratiam; de qua, quod mireris, *Velstenii*, Philosophi *Lutherani*, assertio est: *Quod in actionibus ad civilem hanc vitam pertinentibus quicquid valemus præstare, id totum divinæ gratiæ & benignitati acceptum sit ferendum:* colleg. Eth. disp. 4. q. 8. quod à nostris affirmari de origine virtutum in gentilibus excellentium ægre nonnulli ferunt: quibus naturæ irregenitæ non satis videmur tribuere, quando ad gratiam DEI gentilium quoque virtutes referimus. *Jacobum* secuti cap. 1. v. 17. Sic igitur quæstionis partem *affirmantem* amplectimur cum plerisque Ethicis: Rationes sunt.

(1) Quia principia actionum civiliter atque moraliter bonarum & liberarum in se homo, etiam post lapsum habet, eaque exercet etiam sine gratia regenerante, ut exempla docent gentilium: sunt autem illa principia, *Lex naturæ, συντήρησις, conscientia* & remotiora, nempe facultates, ratio atque voluntas libera, principia consultationis & electionis.

(2) Quia gentiles legem cordibus inscriptam habentes natura fecerunt, quæ legis sunt, idque libere Rom: 2. v. 14. 15. Fuit igitur in eorum arbitrio studere virtutibus & honestati.

(3) Quia gentiles de studio virtutum præcepta tradiderunt & ad earum cultum auditores suos rationibus & exemplis excitarunt & cominatione pœnarum à vitiis absterruerunt, non sine fructu & successu, ut exempla testantur. Atqui frustra & sine ratione præcepissent, nisi obsequi in hominis esse potestate sibi persuasissent: Neque institutionis fructus & successus fuisset ullus, nisi obsequi in eorum fuisset potestate: Imo & pœnæ infligi à magistratibus jure non potuissent inhonesta patrantibus, si non nisi inhonesta patrare subditi potuissent.

Sed graves moveri solent scrupuli contra hominis libertatem:

§. 105. (1) *Expresse eam videtur scriptura evertere, quæ expresse docet in* DEI *potestate & manu esse hominis* sermonem. *Proverb.* 16. v. 1. Gressus. *Psal.* 37. v. 23. & *proverb.* 20. v. 24. totumque animum, *ita ut inclinet eum, quocunque vult:* Proverb. 21. v. 1. *Et ita quidem, ut penes hominem non sit* via ipsius, *neque penes ipsum dirigere* gressum suum. *Jerem.* 10. v. 23.

Resp. Aliud nihil docent hæc scripturæ testimonia, quam liberam hominis voluntatem ejusque actus divinæ subjectos esse providentiæ & regi pro arbitrio ejus: vel non ita absolutam esse hominis libertatem, quin divinæ providentiæ regatur freno. Admirandum hoc est divinæ sapientiæ & potentiæ circa hominis libertatem temperamentum: quod hominis cum internos, tum externos actus infallibiliter regit, dirigitque quo vult, & tamen liberos eos & penes hominem quoque esse sinit. Plane nullum esse hominis in civilibus & moralibus, saltem quoad externos actus, libertatem repugnat hominis naturæ, sacræ scripturæ, evidenti experientiæ & universali hominum confessioni, probatoque deliberandi & consultandi instituto. Stultum enim est deliberare, an faciendum vel intermittendum aliquid sit, si facere aut intermittere in potestate deliberantium non sit.

§. 106. *At enim*, inquias, *sit aliqua hominis circa actus indifferentes, quales loquela, cogitatio, ambulatio, manducatio, emtio, venditio, libertas: At circa bonos, morales & honestos nulla*

nulla est. Diserta enim sunt scripturæ verba: Genes. 6. v. 5. *Vidit* Devs *augescere malitiam hominis in terra, & omne figmentum ac cogitationes cordis ejus tantummodo malum esse omni tempore*: & *Jerem*. 13. v. 23. *An mutare potest Æthiops cutem suam, & Pardus liventes maculas suas? Etiam vos possetis bene facere edocti male facere*. Rom. 7. v. 15. 19. *Non quod volo hoc ago, sed quod odi, hoc facio.*

Resp. Accipienda hæc secundum fidei analogiam, ut ne repugnent aliis scripturæ locis & manifestæ experientiæ. Si nullam plane hominis libertatem ad actus morales & honestos admitterent hæc scripturæ dicta, falsum esset quod de gentibus ait Apostolus, *ipsos, quæ legis sunt, natura fecisse, secutos ductum legis inscripta*: omnesque gentilium virtutes, institutione, more atque assuetudine comparatas, per se fuisse peccata & vitia divinæ legi contraria: quod falsum & absurdum: vel certe, quæ fecerunt gentiles legis opera, actus fuisse per se indifferentes, qui sine ulla intermitti potuerint culpa: quod iterum falsum & absurdum.

Igitur priora duo ex *Mose* & *Jeremia* producta testimonia quod attinet, observandum, loqui utrumque Prophetam de homine per gratiam regenerantem nondum renovato, vel de homine in statu peccati considerato: & huic quidem simpliciter adimere, non omne bonum morale & civile, legi conforme (Sic enim Paulo contradicerent) sed theologicum tantum ita bonum, ut vere appellari peccatum non possit aut debeat.

Ad illud igitur bonum, de quo hoc loco agimus, etiam corrupti & nondum instaurati hominis salvificæ expertes fidei, per arbitrii sui libertatem, quamvis non sine omni auxilio divinæ gratiæ, ferri possunt: ad hoc non possunt, quia sine fide esse non potest. Sunt igitur omnes cogitationes & actiones non renatorum semper & tantum malæ *theologice*: quia peccatum est, quicquid ex fide non est. Rom. 14. v. 23. non vero *civiliter* & *moraliter*: quia etiam non renati legis faciunt opera, quæ per se & per formam internam peccata non sunt, quia lege Dei præcepta sunt: quamvis peccata appellentur per accidens, propter defectum fidei. Quo sensu *Augustinus* quoque scribit, *arbitrium liberum sine gratia aut Spiritu S. ad nihil valere, quam ad peccandum*. Ita *Lutherus* quoque ad *Mosis* locum monet, *distinguendam esse Politiam à Theologia*: & *de libero arbitrio in scholis Theologicis quando disputatur, quæri, quid theologice valeat, non quid in civilibus & ratione subjectis rebus.*

Tertium testimonium de homine renato loquitur: *Paulus* enim de se ipso loquitur; Unde, secundum fidei analogiam, hic

quoque locus est accipiendus: ne etiam regenitis adimatur libertas ad bonum morale & theologicum. Igitur libertatem ad bonum theologicum, nedum morale & civile, sibi non plane derogat Apostolus, sed carnis tantum, hoc est naturæ corruptæ reliquias in corpore tumultuantes, & spiritus, hoc est, naturæ, quatenus per gratiam ex parte est instaurata, se opponentes, ad peccata ipsum solicitantes & invitum quoque pertrahentes deplorat: Unde ait, *se agere*, nempe per carnis impotentiam, *quod nolit & quod improbet per legem mentis & spiritum: & facere, quod oderit*, per eadem principia contraria, nempe carnem corruptam & spiritum renovatum. Libertatem igitur sibi non plane adimit: etiamsi plenam non arrogat: Unde queritur, *se reddi captivum* (nempe aliquo modo) legi peccati, quæ est in membris: & nihilominus gaudet, *quod mente serviat legi Dei, v.* 25. Plura vide apud *Martyrem* & *Paræum* in commentariis. Hactenus primus & principalis scrupulus.

§. 107. (2) *Per præscientiam divinam æternam & infallibilem, quæ ad omnes & singulos actus humanos se extendit, omnes & singuli actus sunt necessarii. Ergo in homine nulla est ad eos libertas.*

Antecedens prob. *Quia quæ præscribit Deus futura, non possunt non fieri: nam si possent non fieri, falli posset divina præscientia: quæ vero non possunt non fieri, non libere & contingenter, sed necessario fiunt.* Ratio conseq. *Quia pugnat, libere & contingenter actum aliquem exercere & necessario exercere.*

Resp. Nec *antecedens* simpliciter est verum, de quavis necessitate: nec *consequentia* solida. Actus humani à DEO præsciti sunt necessarii, *necessitate infallibilitatis*, quatenus infallibiliter ita eveniunt, uti à DEO sunt præsciti: non tamen sunt necessarii *necessitate caussarum proximarum* à quibus ita sunt, ut etiam non esse potuerint, infallibilitate præscientiæ divinæ nec obstante, nec sublatâ: Quæ enim à caussis contingentibus liberè & contingenter fiunt, ea infallibiliter DEUS prævidit liberè & contingenter futura: nam si aliter evenirent, quam prævidit DEUS, & aliter prævidisset DEUS eventura, quam eveniunt, infallibilis divina præscientia non esset. *Antecedentis probatio* partim *falsa*, partim *inconsequens* est. Quæ præscivit DEUS libere & contingenter futura, illa possunt non evenire; ut tamen divina præscientia non fallatur: Præscivit enim DEUS illa quidem infallibiliter eventura, sed & præscivit sic eventura, ut etiam non evenire possint, hoc est, præscivit contingenter eventura. Aliud est infallibiliter evenire, aliud posse non evenire: aliud actus, aliud potentia: utrumque infallibili objicitur præscientiæ, quæ tamen neutrius naturam mutat.

Unde

Unde patet, etiam cum libertate & contingentiâ non omnem pugnare necessitatem, minimè verò *necessitatem infallibilitatis*: adeoque nullam quoque esse *consequentiam*.

§. 108. Quæritur (22) *An rectæ rationis aliquod sit imperium in reliquas animæ facultates?*

Resp. Ante, quam ad quæstionem respondeamus, paucis explicandum, quid *recta* sit *ratio*, quid *imperium*. *Recta ratio* non est hominis intellectus: Non enim errat *recta ratio*: Intellectus verò sæpe & graviter errat: Sed rectum est intellectus judicium de re sive naturaliter & per se nota, sive ex principiis naturaliter notis legitime deducta. Estque vel *theoretica*, quando judicat de rebus theoreticis, & verum falsumque aliquid pronunciat, vel *practica*, quando de practicis judicat, & aliquid appetendum vel fugiendum, faciendum vel omittendum statuit, hæc recta ratio practica ostendit opus legis in corde scriptum. Rom. 2. v. 15.

Imperium non uno modo dicitur ex observatione *Fonseca* lib. 9. Metaph. cap. 2. q. 7. Sect. 1. Accipitur enim vel pro *imperandi potestate*: vel pro *imperandi seu præcipiendi actu*, eoque vel *externo*, qui voce vel scripto exercetur, ab homine in hominem, aut magistratu in subditum, vel *interno*, quo in eodem homine facultas una imperare alteri dicitur.

Imperium hoc modo consideratum ex ejusdem *Fonsecæ* sententia est facultatis seu potentiæ. (1) *Superioris in inferiores & subjectos*: imperio enim debetur obedientia, quæ est in subjecto. (2) *Libere moventis & obligantis*: quia quæ naturaliter operantur, non dicuntur dominari & pro arbitrio agere: neque quæ libere operantur absque obligatione dicuntur imperare: quia imperium proprie dictum non est sine obligatione: Unde consilium qui tantum dat, non imperat, quia ad obsequium non obligat. (3) *Intimantis*: quia imperium est lex, aut præceptum intimans quid faciendum vel omittendum sit.

§. 109. His præmissis, ad quæstionem nos convertimus de qua tres distinctæ sunt Philosophorum sententiæ: duæ extremæ, una media.

Rectæ rationi imperium in reliquas facultates denegant, qui soli id voluntati vendicant, sequentibus ducti argumentis.

(1) Per solam voluntatem dicimur domini nostrarum actionum: Ergo soli ei competit actus imperandi.

Antecedens patet: quia agere & non agere possumus pro libitu & pro voluntate.

(2) Omnes actus aliarum potentiarum, quæ aliter atque aliter operari possunt, imperantur à voluntate. Unde actus

appellantur imperati. Soli igitur actus voluntatis sunt imperia.

(3) Tres tantum sunt intellectus operationes, simplicium apprehensio, compositio ac divisio & discursus, quorum nulla est imperium: non enim affirmare, vel negare, vel ratiocinari est imperare.

(4) Imperium est actus animæ præstantissimus: Ergo potentiæ est præstantissimæ, quæ voluntas, non intellectus est. Soli enim voluntati meritum tribuitur, sola sedes est reginæ virtutum, hoc est, charitatis: quæ omnibus aliis virtutibus imperare dicitur.

(5) Sola voluntas est primum movens ad operis exercitium: sola igitur imperat.

(6) Solius voluntatis esse imperium, patet 1. Ex *conditione imperantis:* Quia voluntas, non intellectus, dominium obtinet in regno animæ: omnia enim voluntas movet & ipsum etiam intellectum. 2. Ex *natura ejus cui imperatur:* quod tale esse debet, ut necessario pareat & exequatur, quod præscribitur: hoc vero alienum est à voluntate, quæ liberrima est facultas, & nullius agnoscit imperium. 3. Ex *natura rerum quæ imperantur:* Actus enim imperatus est executio. Atqui voluntas ipsa nihil exequitur, sed aliæ potentiæ per voluntatis imperium. Hoc *Henrici Gandavensis* est argumentum.

Contra vero soli *rationi rectæ* & per hanc *intellectui* in alias facultates imperium vendicant alii sequentibus argumentis.

(1) Quia imperare est præcipuus actus prudentiæ, qui sequitur deliberationem & judicium: Atqui prudentiæ intellectus est, ad quem pertinent omnes prudentiæ actus.

(2) Quia imperium aliud nihil est, quam significatio seu declaratio ejus, qui imperat, de re agenda vel non agenda, cum intimatione quadam. At nullus voluntatis actus aut se ipsum, aut alium declarare potest, omnis enim actus voluntatis ex se occultus est: vis autem declarandi solius est intellectus.

(3) Quia imperii proprium est agendorum ordinem præscribere: quod leges faciunt & præcepta, quibus imperia continentur. Atqui ordinem præscribere solius est intellectus, seu potentia cognoscibilis, qualis non est voluntas.

(4) Quia de essentia legis, præcepti, omnisque imperii est intimatio superioris per modum obligantis. Atqui omnis intimatio est intellectus, cujus est declarare.

(5) Quia imperare & obsecrare ejusdem potentiæ operationes sunt, quarum illa est superiorum, hæc inferiorum: Atqui obsecrare operatio est intellectus: Ergo & imperare.

(6) Quia

(6) Quia conscientia unicuique imperans & quemque obligans ad intellectum pertinet.

(7) Quia intellectus est facultas præstantissima. Atqui imperium pertinet ad facultatem præstantissimam.

(8) Quia imperare est regere: At regere est sapientiæ, adeoque intellectus, in quo solo hospitatur sapientia. Hactenus altera sententia & ejus argumenta.

§. 111. *Imperium* si propriè accipias, nec *voluntati* nec *intellectui* id competere alii statuunt; quorum hæc sunt argumenta.

(1) Justitia & jus inter plures homines propriè est: inter diversas animæ partes, seu facultates, in eodem homine tantùm secundum similitudinem: Ergo imperium quoque rationis, vel voluntatis in alias ejusdem animæ facultates, tantum est secundum similitudinem.

Ratio *consequentiæ:* Quia, si jus proprie non est inter diversas animæ partes, nec imperium & obedientia inter eas proprie erit: Siquidem imperare est jus in alterum exercere; uti parere est alteri jure obstringi.

(2) Imperare proprie est alteri ostendere, quid facere eum velit, cum vi quadam cogendi, nî pareat, quæ & legis est natura, Hoc vero toti competit homini intellectu & voluntate prædito, non seorsim vel intellectui, vel voluntati. Quia intellectus ostendere non potest quid velit: cum ipse nihil velit: neque voluntas potest: quia nihil ostendit. Unde imperium hoc inter intellectum & voluntatem partiuntur, & intellectui quidem competere *formaliter*, voluntati vero *radicaliter* contendant.

(3) Imperium non tantum denunciatione, sed & motione definitur: Ergo nec intellectus, nec voluntatis solius est, sed totius hominis per intellectum denunciantem & voluntatem moventem.

§. 112. Neque necessarium esse intellectus in voluntatem imperium proprie dictum probanr.

(1) Quia nec quoad *exercitium*, nec quoad *specificationem* actus est necessarium: Non quoad *exercitium:* quia primum movens est voluntas, non intellectus: nec quoad *specificationem:* quia hæc objecti propositione & directione continetur, & consultatione perficitur, sine ullo imperio.

(2) Quia nec ante, nec post electionem est necessarium: non ante, quia liberæ voluntatis hic est actus, ad quem nullo adigitur imperio: non post quia ubi electio rei semel est facta plene & absolute, & homo jam serio appetitaque in electione persistit, frustra imperatur executio.

(3) Quia

(3) Quia voluntas ab intellectu practico ita non determinatur, ut ab ejus determinatione nequeat discedere.

§. 113. Interim inpropriè dictum imperium aliquo modo & intellectui seu rationi in voluntatem, & voluntati in intellectum competere concedunt. Intellectui quidem, ratione judicii & denuntiationis: quo nomine Rector & Magister vitæ & reliquarum virtutum appellatur: voluntati vero ratione motionis, ut deinceps videbimus. Imperium intellectus practicum, quo quis sibi ipsi, vel suæ voluntati imperare dicitur, de sententia *Suarez.* non est aliud à judicio perfecte practico cum omnibus circumstantiis definito. Quamvis judicare aliquid faciendum proprie non sit præcipere vel imperare. Unde magistratus sæpe aliquid esse bonum judicat, quod tamen non imperat: uti & subditi tenentur vivere ad præscriptum potius, quam judicium Magistratus. Ita multi quoque hoc vel illud faciendum judicant, quod tamen nec sibi, nec aliis imperant.

Rationes pro *voluntatis* & *intellectus* imperio adductæ, neutri potentiæ imperium proprie dictum & completum evidenter & necessario vendicant: quamvis imperio simile quiddam utriq; competere evincant: non tamen eodem sensu & modo: aliter enim *intellectus* per rationem rectam, aliter *voluntas* imperat: ut vidimus, proprie vero & complete homo per rationem & voluntatem imperat.

§. 114. Tandem quæritur, utra facultas plus sibi de imperio vendicet, intellectus an voluntas?

Pro intellectu *Hornejus* deponit: quia denunciare, præscribere & ostendere quid facto sit opus, regimen magis repræsentat, quam incitare & ad agendum impellere.

Mihi vero de imperii ratione voluntas plus sibi vendicare, quam intellectus videtur. Intellectus materiale, voluntas formale subministrat: Ostendit & docet intellectus judicando quid sit faciendum vel non faciendum; quod materiale legis & imperii est: voluntas jubet id fieri vel non fieri adeoque jubendo obligat: quod formale imperii est: illo posito, imperium necessario non ponitur: hoc posito, ponitur. Et quid est imperare, nisi velle ut aliquid fiat vel non fiat? Judicat faciendum aliquid etiam servus, qui imperare non potest.

§. 115. Quæritur (23) *Utrum homo per naturam sit proclivior ad virtutem, an ad vitium?*

Resp. Ad vitium esse procliviorem, sequentibus probatur argumentis.

(1) Quia testatur experientia, longe plures vitiis esse deformes, quam virtutibus excultos: quod certissimo est documento, magis

magis ad vitium, quam ad virtutem inclinare naturam hominis post lapsum.

(2) Quia in nobis longe plura ad vitium sunt invitamenta, quam ad virtutem. Invitaut enim nos ad vitia singuli sensus quorum vitam primum vivimus, qui voluptatem vitiorum escam sectantur & ea se oblectant, rationem, post lapsum, infirmam perpetuo tentantes & in assensum allicientes.

(3) Quia via ad virtutem est ardua & aspera: ad vitia vero descensus est proclivis & facilis: Atqui naturæ propensione potius ad facilia, quam ad difficilia, ferimur. Hinc *Plato* 2. de Republ. poëtam laudat cauentem:

Mortales vitium penitus labuntur in omne
Præcipites: quoniam facilis via ducit ad ipsum,
Hoc quia vel nobis jam tum nascentibus hæret, &c.

Assentitur *Juvenalis* Satyr. 13.

Rari quippe boni, vix sunt numero totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

(4) Omnium illustrissima est decisio ipsius Dei Genes. 6. v. 5. *vidit Jehova augescere malitiam hominis in terra & omne figmentum ac cogitationes cordis ejus tantummodo malum esse omni tempore* & cap. 8. v. 21. *Figmentum cordis hominis malum à pueritia ipsius.* De maxima ad peccatum proclivitate videatur Apostoli querela, Rom. 7.

§. 116. Pro majore ad virtutem proclivitate, sequentia adduci possunt argumenta.

(1) *Quicquid à bono, ut à parente pendet, imaginemq; boni servat, id proclivius est ad virtutes & bona, quam ad vitia & mala: Atqui homo à bono, ut à parente pendet, imaginemq; boni servat: Ergo proclivior est ad virtutes & bona, quam ad vitia & mala.*

Resp. *Propositio* distinguenda: Quicquid à bono, ut à parente pendet & boni servat imaginem, nempe integram, illæsam & incorruptam &c. Cum hac limitatione accepta *Assumtio* falsa est. Miserrime enim in homine corrupta est imago conditoris. Prima hominum conditio etsi ignota gentilium Philosophis fuit, eamq; secuta naturæ corruptio: tamen à Dei tanquam causæ primæ & boni summi, bonitate plurimum ipsos deflectere & ad vitia nimis esse proclives non ignoratur. Hinc de homine ad virtutem informando & à vitiis retrahendo tantopere laborarunt.

§. 117. (2) *Natura, ut optima mater & Dei ministra, in finem dirigit congruentem omnia, iisque instruit virtutibus, quibus finem & perfectionem suam assequantur, &, per consequens, ad virtutem, quam ad vitia, procliviorem facit.*

Antece-

Antecedens patet: *Quia gravia natura interna commotione feruntur ad medium, levia à medio sursum, jumenta & feræ, natura instinctu, feruntur ad salutem & perfectionem suam.*

Resp. Cum natura non sit nisi Dei ministra, utique nil, quatenus est ministra, efficiet, nisi quod facere per eam Deo libet; sive universalis, sive particularis intelligatur. Instruit autem omnia viribus, quibus finem & perfectionem suam naturalem assequantur, quatenus non impeditur. Atqui in homine ingens impedimentum objicitur, nempe facultatum corruptio, qua redditur natura hominis ad vitia proclivior, qnam ad virtutes: adeoque à finis sui assecutione abstrahitur: ad quam per alia subsidia cum humana, tum divina est reducenda.

§. 118. (3) *Si materia à Deo longissime distans expetit divinum bonum*, 1. Phys. t. 80. *utique homo mortalium omnium præstantissimus Deoque proximus ad optimum maxime omnium erit facilis: Atqui verum prius: Ergo & posterius.*

Resp. *Connexum* non admittitur, nisi cum exceptione impedimenti objecti, neque ab appetitu optimi ad facilitatem & facultatem id consequendi valet consequentia.

§. 119. (4) *Homo proclivior est ad appetendum bonum, quam malum: Ergo proclivior est ad virtutem, quam ad vitia.* Antecedens prob. *quia malum non est appetibile.*

Ratio conseq. *Quia virtus est bonum, vitium malum.*

Resp. Bonum est verum vel apparens, & mentis vel sensuum. Proclivior per naturam est homo ad bonum sensuum, quod proximum est & omnibus obvium: estque sæpe non verum, sed apparens. Unde à majori proclivitate ad bonum indefinite acceptum, ad proclivitatem majorem ad virtutem, *consequentia* non valet: quia virtus est bonum non indefinite acceptum, sed bonum verum & bonum mentis: à quo sæpe nos avertit bonum sensuum & apparens. Malum, qua malum, per se non est appetibile: Attamen appetitur sæpissime tanquam bonum apparens, vel sub specie boni.

§. 120. (5) *Ut se habet homo ad scientiam & inscitiam: ita quoq; ad virtutes morales & ad vitia. Atqui ad scientiam proclivior est, quam ad inscitiam: Ergo ad virtutes quoque morales est proclivior, quam ad vitia.*

Resp. 1. *Propositio* simpliciter vera non est; alia est ratio virtutum intellectualium, alia moralium: virtutes morales in natura corrupta habent plura impedimenta, quam intellectuales. Sensuum bonum & objecta ad scientiam potius invitant, quam ad virtutem moralem.

2. *Assum-*

2. *Assumtio* quoque simpliciter vera non est. Si ad scientiam magis propenderet homo per naturam, quam ad ignorantiam, plures utique essent scientes, quam ignorantes & in iguorantia rerum sublimium & subtilium tranquille nemo vel pauci consenescerent. Atqui contrarium testatur experientia. Scire quidem natura homines expetunt, sed non omnia, neque propter difficultatem acquirendi scientiam excutere jugum ignorantiæ laborant.

§. 121. (6) Homo Bono, tanquam parenti, est valde similis: Optime per naturam est constitutus; solus inter mortalia est summi boni capax, omnibus præstat mortalibus, exactissime à DEO curatur, solus consultatione & ratione utitur: ergo longe proclivior est ad virtutes, quam ad vitia.

Ratio *conseq.* Quia omnia illa potius ad virtutem, quam ad vitia, inclinant.

Resp. Quia comparatio inter hominem & alias creaturas corporeas instituitur, ex *antecedente* hoc potius *consequens* erat inferendum: *Ergo homo ad virtutem est proclivior, quam ulla creatura corporea.* Quod facile admitteremus. Interim negamus *consequentiam: Ratio* partim falsa, partim inconsequens est: quatenus vel absolute, vel comparate attributa in antecedente enunciantur de homine. Summo bono similior est homo, quam ulla alia creatura corporea: attamen similitudo illa per lapsum misere luxata est, & facultatibus inducta propensio ad omne malum morale. Optime per naturam homo primum fuit constitutus, sed pessime postmodum per lapsum est affectus. Solus summi boni per rationem est capax; attamen ab eo per naturæ corruptionem longe abducitur. Omnibus quidem præstat mortalibus, attamen magnam perfectionis & excellentiæ suæ fecit jacturam per quam ad mala moralia admodum proclivis est. Exactissime à Deo curatur, respectu aliarum creaturarum: interim corruptioni naturæ & peccato quoque permittitur. Solus ratione utitur: Attamen sæpissime ea abutitur, & in obsequium ab affectibus pravis trahitur. Verum calamitatis hujus humanæ fontem ignorarunt gentiles. Unde *Platonici* culpam unice in corpus contulerunt, quos & *Stoici* sunt secuti: Vide *Plotinum*, Ennead. 4. lib. 8. cap. 1. & *Epictet.* apud *Arrianum*, lib. 1. cap. 9.

§. 122 Quæritur (24) *An ad virtutis habitum comparandum aliquid quoque conferat ingenium, & quæ ei sint maxime affinia?*

Resp. *Ingenium* lato significatu accipitur pro *natura indole & conditione* cuique rei ingenita: quo sensu jumentis quoque & bestiis

bestiis aliis tribuitur. Quæ hoc loco significatio non attenditur: Sed *ingenium* intelligitur, quod hominis est proprium, adeoque proprie non concernit sensus internos; phantasiam & memoriam, sed facultates hominis proprias, quatenus est homo. Unde solus homo dicitur *ingenio valere* vel *non valere*.

§. 123. Sunt autem *ingenio* affines aliæ nonnullæ hominis affectiones & facultates quæ confundi, etiam à doctis, cum *ingenio* solent. Unde accuratiore opus distinctione: Sunt ex quinque potissimum ἐυβουλία, σύνεσις, δεινότης, ἀγχίνοια, ἐυφυΐα.

Ε᾽υβουλία, latinis *bona consultatio*, seu *bene consultandi facultas*; cum *ingenio* conjuncta, sed tamen ab eo distincta est. ἐυβουλία enim prudentiæ comes in agibilibus, seu practicis, proprie versatur. *Ingenium* autem in theoreticis maxime refulget.

§. 124. Σύνεσις ingenio conjunctissima nonnullis redditur *perspicuitas*, aliis *sagacitas*, vel *intelligentia*, distincta tamen ab habitu principiorum. Unde ad prudentiam peculiariter ordinatur lib. 6. *Nicomach.* cap. 10. Philosophus ait σύνεσιν non esse earum rerum quæ semper sunt & nunquam moventur, sed earum de quibus dubitari & consultari potest; adeoque in iisdem rebus versari cum prudentia: attamen à prudentia differre, quia in solo judicio est σύνεσις. Interim ab ἐυβουλίᾳ *sententia* & *prudentia* distingui *Piccolomineo* videtur: Quia in iis, quæ prudentiam concernunt, ἐυβουλία comparat media & dirigit, σύνεσις perspicit & judicat, γνώμη, seu sententia discernit, *prudentia* imperat: Quę omnia cum *ingenio* ejusque actibus secundis connexa sunt. In specie vero σύνεσις ab *ingenio* differt; quia σύνεσις magis est practica, *ingenium* theoricum. 2. Quia *ingenium* eiam pravum & tardum est, σύνεσις non nisi bona. 3. Quia *ingenium* ad plura extenditur, quam σύνεσις.

§. 125. Δεινότης vertitur nonnullis *ingenium*, aliis *calliditas solertia*: per hanc vero in specie, quæ ad scopum propositum pertinent, agimus & consequimur. Si honestus & laudabilis sit scopus, nomen retinet, & proprie δεινότης dicitur: Sin malus & turpis, non δεινότης sed πανουργία, hoc est, *versutia* appellatur. Unde & hæc ab *ingenio* est distincta, quia δεινότης maxime effulget in praxi, *ingenium* in theoria.

§. 126. Αγχίνοια, Latinis *solertia*, potissimum elucet in promta medii, seu causæ, inventione: qua cum *ingenio* convenit: in eo autem differt; quod pars tantum sit *ingenii*, & alias abjungi quoque possit ab ingenio. Sæpe enim in inventione medii sunt promti, qui postmodum in judicio deficiunt: quod tamen ab *ingenio* nunquam divellitur.

§. 127. Ex

§. 127. Ex omnium horum concursu & perfectione *ingenium* *κατ' ἐξοχὴν* ita dictum, nempe bonum & præclarum, oritur: quod tria potissimum, *memoria*, *acumen* & *judicium* constituunt: è quibus *Memoria* materiam, *judicium* formam, *acumen* veluti spiritus *ingenio* confert: ad quæ cætera rediguntur omnia, quibus & *docilitas* jungitur, hoc est, recta ad disciplinas apprehendendas constitutio. Unde *ingenium* definitur in genere, *constitutio naturalis earum animi facultatum, ad quas inventio & disciplina proxime pertinet.* Ingenium vero absolute bonum, *recta constitutio naturalis earum animi facultatum, quarum munus est apprehendere & invenire:* quamvis in inventione magis fulgeat *ingenium*, quam in apprehensione: quia difficilior inventio, quam apprehensio.

§. 128. Patet hinc ad priorem *quæstionis* partem responsio: nempe ad virtutis comparandum habitum conferre plurimum *ingenium*, non tamen quocunque modo acceptum, sed in specie bonum & præclarum, quod cum eximiis animi dotibus, de quibus paulo ante, conjunctum, &c. quia sine recta ratione, quæ virtutis est anima, diffusa per εὐβουλίαν, σύνεσιν, δεινότητα, ἀγχίνοιαν, εὐφυΐαν nunquam est, vel se exerit. *Omnibus natura fundamentum dedit*, inquit Seneca, *semenque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus: cum irritator accessit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur.*

§. 129. Quæritur (25) *Utrum conscientia pertineat ad intellectum, an ad voluntatem?*

Resp. Cum inter principia virtutum conscientia quoque numeretur, non immerito quæritur, quid sit *conscientia*, & ad quam animæ rationalis partem pertineat.

Conscientia dicta est à consciendo. Hinc tritum illud: *nil conscire sibi, nulla pallescere culpa &c.* Unde patet, *conscientiam* esse quiddam homini intimum & conjunctissimum, quo in se ipsum descendit, & remotis etiam aliis arbitris atque testibus hominibus, se ipsum examinat ruminando acta, pro se vel contra se testatur, & tandem sententiam pro se vel contra se fert.

Unde fungitur *conscientia*, & per eam homo conscius, officio *rei*, *actoris*, *testis*, & *judicis* adeoque in homine per conscientiam judicium est partibus suis integrantibus perfectum.

Putant tamen *Grammatici conscientiam* dici quasi cum alio scientiam. Est enim *conscientia* ordinatio scientiæ ad aliquem actum, qui revocatur ad legem judicii Dei, qui aliquod in cordibus nostris tribunal erexit. Primum igitur Deus scit, quid

præscripserit & probaverit, nec ne: deinde nos, ex testimonio cordis nostri, conscimus.

Accedunt tamen & alii testes conscii. Sancti Angeli, Diaboli, Cœlum & Terra. Adstant enim ubique hominibus cum probis tum improbis sancti malique Angeli, dictorum factorumque nostrorum conscii testes, ut videre est ex *Matt.* 18. v. 10. *Heb.* 1. v. 14. 1. *Petr.* 5. v. 8. *Apocal.* 12. v. 9. n. 17. Sub cœlo & in terra cum ab hominibus fiant omnia, hi quoque adversus homines produci testes solent. *Deut.* 3. v. 9. *&* 4. v. 26. *Jesaia* 1. v. 2. *Jerem.* 2. v. 12. *Jacob.* 20. v. 27.

§. 130. Definitur ergo *conscientia* ab *Amesio* nostro, *Judicium hominis de semet ipso, pro ut subjicitur judicio Dei. A Perkinso, pars intellectus humani de particularibus hominum actionibus, in alterutram partem statuens pro ipsis vel contra ipsos.* Ab aliis, *Actus mentis & memoriæ consistens in indubitata notitia & recordatione, serioque examine & judicio cogitatorum, dictorum & factorum propriorum.*

§. 131. Patet hic *conscientiam* proprie non ad voluntatem, sed ad intellectum pertinere: quod vel ipsa appellatio *scientiæ*, vel *συνειδήσεως* evincit: cujus enim est scientia, ejus quoque est conscientia: Atqui intellectus est scientia.

§. 132 Ita *judicium* quoque non est voluntatis, sed intellectus nostri actus. Et omnes actiones, quæ *conscientiæ* hominis solent tribui, ad *intellectum* pertinent. Quin & tota vis atque natura *conscientiæ* syllogismo continetur practico: cujus *propositio* est lex inscripta, quam *συντήρησις* dictat: *Assumtio* est testis: *conclusio* judex. Agit *propositio* de jure; *Assumtio* de facto, vel statu: *Conclusio* de relatione exurgente ex facto, ratione juris, hoc est sententia. Atqui discursus est intellectus, non voluntatis.

§. 133. Cum autem geminus sit *intellectus*, theoreticus & practicus: quorum ille verum & falsum simpliciter cernit: hic cognitionem applicat ad id, quod ipsi bonum vel malum; ut sit interna regula voluntatem dirigens. Porro jam quæritur, *utrum ad theoreticum, an ad practicum intellectum, pertineat conscientia?*

Ad *practicum* omnes referunt: quia conscientia in cognitione non acquiescit, sed ad praxin eam dirigit, absolvendo vel damnando hominem: dum judicat de actionum bonitate vel malitia.

§. 134. Quæritur (26) *Utrum conscientia sit actus, an pars intellectus practici?*

Resp. *Actum* esse, recepta est sententia, quæ probatur.

(1) Scien-

(1) Scientia est actus intellectus scientis: Ergo & conscientia est actus conscientis: Unde & *judicium* appellatur, quod est actus facultatis judicantis, vel judicando se exerentis. *Conscientia*, inquit Hugo, *est cordis scientia: cor enim & se novit sua scientia & multa alia: quando novit se, appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia.*

(2) Intellectus est facultas simplex, nullis constans partibus integrantibus: neq; *theoreticus* & *practicus* intellectus sunt distinctæ facultates, vel partes unius facultatis, sed una facultas diversorum actuum circa diversa objecta: veluti & *noeticus* atque *dianoeticus* intellectus diversæ facultates non sunt, sed unius distincti actus circa distincta objecta.

(3) Entia sine necessitate non sunt multiplicanda: cum igitur intellectus immediate actum conscientiæ possit exercere, sine distincta sui parte vel facultate, uti quemvis alium actum theoreticum: justa multiplificandi facultates vel partes causa non erit. Vide *Cælium Rhodig.* lib. 2. cap. 26.

Objicitur in contrarium à *Perkinso*:

§. 135. *Conscientiæ diversi sunt actus, accusatio, excusatio, perterrefactio, consolatio &c. Ergo ipsa non est actus, sed facultas, unde actus prodeunt diversi, veluti à facultate intellectus quoque.*

Antecedens patet *è sacris & profanis autoribus:* Ratio conseq. *quia actus unus non est principium diversorum actuum, sed facultas una, ut constat de intellectu & voluntate.*

Resp. *Consequentia* negatur: *Probatio* est inconsequens: conscientia est actus non unus & simplex, sed conplicatio diversorum actuum, tanquam partium integrantium: ita tribus quoque exeritur actibus, in *syllogismo practico*, nempe *proponendo*, *assumendo* & *concludendo:* quando *legem* explicat, *factum* applicat, & *sententiam* pronunciat.

§. 136. Quæritur (27) *Quæ propriæ sint actiones, seu officia conscientiæ?*

Resp. Propriæ & principales conscientiæ actiones sunt duæ, secundum *Perkinsum*, *testificatio* & *judicium:* vel ut ipse loquitur testimonium perhibere & exercere judicium.

Testimonium perhibet, quando aliquid factum vel non factum statuit. Rom. 2. v. 15. 2. Cor. 1. v. 12.

Judicium exercet, quando statuit, utrum bene an secus aliquid à nobis sit cogitatum, dictum, factum.

Testificatio est de cogitationibus nostris, de animi affectibus & externis actionibus.

§. 137. *Modus* quo in testificatione utitur est geminus. *Primo* enim observat & notat, quæcunque agimus: *deinde* secreto nos in pectoribus omnium admonet. *Duratio* etiam vitæ hujus excedit limites; quia animam etiam à corpore solutam comitatur conscientia, tandemque ad Dei usque tribunal comitabitur. In inferno quoque æternum affliget damnatos.

§. 138. *Judicii* exercendi causa est id, quod conscientiam obligat, seu, quod potestatem eam ordinandi & regendi habet.

Est autem *obligare conscientiam*, eam in quavis actione urgere, adigere, ut vel ob peccatum accuset, vel ob recte facta excuset, vel ut, quid fieri possit, aut non possit, indicet.

Quod *obligat conscientiam*, vel *per se & proprie obligat*, vel *improprie & propter aliud.*

Per se & proprie obligat, quod ex se absolutissimam & summam conscientiæ obligandi potestatem habet, nempe Deus in verbo suo loquens & imperans: qui solus est dominus conscientiæ, & potestatem habet servandi & perdendi animas.

Propter aliud & improprie obligat, quod ex se ipso vim & potestatem conscientiam obligandi nullam habet, sed alterius tantum, nempe verbi divini, virtutę & autoritate: cujusmodi sunt *leges humanæ*, *jusjurandum*, *promissio*.

§. 139. Quæritur (28) *An mores animi sequantur temperamentum corporis?*

Affirmativam amplectitur *Galenus*, quem discipuli & plerique alii *Physici* sequuntur. Unde tritum illud: *Mores animi sequuntur temperamentum corporis?* Cui recte explicato non refragamur. Etenim affectus in homine, quales *tristitia*, *lætitia*, *spes*, *metus*, *ira*, *amor*, *odium*, *&c.* plerunque sequuntur naturam spirituum, per quos concitantur. Spiritus autem oriuntur ex humoribus, adeoquè plerunque boni sunt, si humorum crasis sit moderata, seu ad excessum nimis non inclinet: vel vitiosi, si excessus humoris minus benigni, (qualis *bilis* flava, *bilis* atra & *pituita*) crasin vitiet. Sic igitur *sanguinei* plerunque sunt læti, amabiles & moderati: *Cholerici* iracundi & violenti: *Melancholici* tristes & morosi: *Phlegmatici* & *pituitosi* timidi. Hi affectus natura insiti hominibus ad virtutes & vitia haud parum conferunt.

Interim, quod in illis est mali, per institutionem & assuefactionem potest emendari. Non enim necessitat, ut vulgo loquuntur, etsi inclinat temperamentum. Unde cum *Socratem* moribus castigatissimum ad omnia proclivem vitia ex lineamentis corporis non nemo conjectaret; & ab aliis ille rideretur: non errasse ipsum

se ipsum *Socrates* respondebat: talem enim se fore, nisi naturæ vitium emendasset institutio. Ita non necessario moraliter bonus vel malus est, qui hoc vel isto temperamento est: quia proclivitate, quæ à temperamento est, efficacior est institutio & assuefactio.

§. 140. Si necessario animi mores temperamentum sequerentur, tanquam causam proximam & adæquatam: non voluntarii sed naturales essent; neque in nostra essent potestate: adeoque frustraneæ essent *leges*, *institutio*, *assuefactio*; iniquæ pœnæ: quæ absurda & falsa sunt. Summa huc redit: magna est vis *naturæ*, magna *institutionis* & *assuefactionis*: etsi major hujus, quam illius est. Vim *institutionis* evincit exemplum *Socratis*, de quo paulo ante: Vim *naturæ*, exemplum *Themistoclis*, de quo *Thucyd.* lib. 1. *Ille*, inquit *erat Themistocles, qui quam maxime indicaret, quantum natura valeat, dignus ipse, quem quodammodo supra modum, ob naturæ præstantiam, magis atque alium quemvis miremur. Etenim sua propriaque intelligentia, ut qui nihil adjumenti ad eam initio didicerit, neque deinceps sibi compararit, minima deliberatione habita, de casibus repentinis consultor esset certissimus, & futurorum maximam partem, quod eventurum esset, conjector optimus. Quæ item in manibus haberet, etiam ea explicare posset: quorum vero usum non haberet, non demitteret ante, quam de iis recte existimaret. Insuper quid melius, quid pejus maxime providebat. Ut universum dicam, naturæ facultate & usus brevitatate hic vir plurimum valebat, ut ex tempore gereret, quæ gerenda essent.*

§. 141. Interim nunquam satis prædicari potest *institutionis* vis. Ex *Phædone Cinædo* Philosophum optimum *Socrates* fecit. *Polemonem*, impudicum & ebriosum adolescentem, cum ebrius & coronatus in scholam *Xenocratis* irrupisset, unicà oratione, virum continentissimum, sibique successorem reddidit *Xenocrates*. De hac quæstione plura vide apud *Hornejum* Eth. lib. 3. cap. 1. n. 4. 5. 6. 7.

§. 142. Quæritur (29) *Quis modus sit acquirendi virtutes morales?*

Resp. Quæstio hæc jam ante satis expedita est: quando causæ virtutis sunt explicatæ, hoc ipso cap. 4. *Principales* 9. 2. *Minus principales* seu *administra interna* 9. 4. 5. 6. *Externa* 9. 7. *Administra causa* ad tria reduci solent capita: φύσιν, seu *naturalem inclinationem*: μάθησιν, *institutionem*: ἄσκησιν *exercitationem* & *assuefactionem*. Alii ita rem declarant: Gignitur in

 nobis

nobis virtus moralis (1) Remote per *inclinationem naturalem* (2) Propinque per *institutionem* (3) Per *morem & assuefactionem.* (4) consequenter per *connexionem & consecutionem*, ex actione propria alterius virtutis ei junctæ: quia virtutes morales inter se sunt complicatæ & propria unius actionis ad aliam disponunt. (5) Eminenter per *principia priora Philosophiæ contemplatricis*, quæ mentem in veri deducunt notitiam, qua ad boni appetitionem dirigimus. Præstantium Philosophorum assertio est: *Philosophiam contemplativam mores bonos gignere, vel ad eos gignendos conducere*, cujus variæ assignari possunt rationes:

(1) Quia contemplationis actus animum à corpore & sensibus avocat & puriorem reddit.

(2) Quia Philosophia practica à contemplatrice sua habet principia.

(3) Quia per contemplativam Philosophiam leges providentiæ & naturæ intuemur, quibus qui obtemperant, probi redduntur.

(4) Quia in DEI & naturæ operibus virtutum vestigia & exempla intuemur; ad quorum imitationem dum nos conformamus, probi & virtuosi reddimur.

(5) Quia naturam & conditiones rerum cognoscentes, quanti unumquodque debeamus facere, discimus, adeoque congruenter afficimur.

(6) Quia naturæ humanæ præstantiam cognoscimus, & ad eam virtutibus magis magisque exornandam excitamur.

(7) Quia à DEO cuncta nos habere discimus, indeque omnia nostra ei retribuere æquum judicamus.

§. 143. Neque negligenda hæc tria ad virtutem comparandam documenta, quæ ex *Aristotele* adducit *Javellus:*

(1) Cum *fieri virtuosum* sit medium attingere & declinare ab utroque extremo vitioso, opera danda, ut ab illo maxime recedas extremo, quod magis adversatur virtuti & turpius atque inhonestius est.

(2) Probe excutienda cuique sua natura: ad quodnam magis inclinet extremum & vitium: non enim omnes ad unum inclinant, sed diversi ad diversa: ut tanto majori conatu ab extremo se retrahat sibi familiari & delectabili.

(3) Fugiendæ sunt voluptates corporales, quæ à recto tramite ad vitiorum avia transversam mentem abripiunt.

§. 144. Quæritur (30) *An per quemlibet actum moralem bonum, etiam remissum, gigni possit habitus virtutis moralis?*

Resp. *Affirmativam* cum *Scholasticis* nonnullis amplectuntur

Conim-

Conimbricenses : hac tamen addita limitatione & exceptione, Nisi ex parte subjecti, aliquid interveniat impedimenti.

Ratio hæc est : quando causæ ejusdem sunt rationis & speciei, si intensior potest aliquem effectum producere, etiam remissior poterit, etsi minus intensum, modo resistentia patientis non exuperet activitatem agentis. Atqui per actum virtutis intensum & vehementem unum potest produci habitus virtutis moralis. Ergo etiam per remissum habitus remissus.

Assumtio probatur : quia impedimentis, ex parte subjecti patientis, remotis, sufficiens nulla reddi potest ratio, cur non producantur habitus actione unica. Quoties enim non producitur, ex parte subjecti recipientis & patientis occurrunt impedimenta.

Nam si contrarium vitium potentiæ inhęreat, & activitas virtuosæ actionis non superet vitii resistentiam, habitus virtutis non producetur. Si vero superet, nil obstat, quo minus habitus inducatur virtuosus, excluso vel expulso vitioso.

Tandem addunt : quamvis per unum actum gigni possit habitus virtutis : plerunque tamen non gigni perfectæ virtutis habitum, nisi per multos actus : quod probant exemplo habitus temperantiæ : cujus objecta sunt varia ciborum & potuum genera, quę ratione loci, temporis, magnitudinis, & aliarum circumstantiarum, varie mutari possunt. Unde perfectum temperantiæ habitum nemo assequetur, nisi circa materias & circumstantias istas plures actus exercuerit.

§. 145. Cum vero exemplum vix occurrat habitus moralis unica actione morali unquam ordinarie comparati, & impedimenta, non tantum ex parte subjecti, sed ex parte quoque objectorum variorum aliarumque circumstantiarum, occurrant semper : *assumtioni* fidem facere indubitatam magnæ molis erit : quando hypothesis, *de remotione omnium impedimentorum*, sumitur, quæ vix unquam ordinarie data est vel dabitur. Unde tritum illud natum : *Actio una non facit habitum.*

§. 146. Quæritur (31) *Utrum habitus virtutis pluribus actionibus comparandus, per omnes ex æquo introducatur, an per ultimam tantum ?*

Resp. Dissentiunt heic *Scholastici*. *Thomas* partis posterioris *affirmativam* amplectitur. 2. 2. q. 24. art. 6. ad 2. *In generatione virtutis acquisitæ*, inquit, *non quilibet actus complet generationem virtutis : sed quilibet operatur ad eam, ut disponens : & ultimus, qui est perfectior, agens in virtute omnium præcedentium, educit eam in actum, sicut etiam est in multis guttis cavantibus lapidem.*

 Contra

Contra *Gabriel Biel.* 2. Sent. dist. 23. q. 2. 3. dub. 4. *Cùm habitus*, inquit, *& virtus generatur ex actibus, quilibet actus gignit aliquam partem habitus, quam vocamus gradum: partem dico certæ intensionis, majorem vel minorem, secundum quod ipse actus est perfectior vel minus perfectus: puta secundum quod est diuturnior aut etiam majori conatu potentiæ elicitur.* Item: *Per actus singulos aliquis gradus gignitur, quibus unitis & intensis virtus nominatur.* Et iterum: *Sic etiam videre, est de guttis lapidem cavantibus: nam qualibet gutta aliquid operatur in lapide cavando, licet sensu inperceptibile, donec frequenter cadentibus guttis, appareat lapidis cavatio.* Hæc probabilior nobis, quam *Thomæ* videtur sententia.

§. 147. Objicitur (1) *Habitus non introducitur nisi per sufficiens exercitium: Ergo per solum ultimum actum elicitur.* Ratio conseq. *Quià tum demum sufficiens est exercitium, cum ultimus actus elicitur.*

Resp. *Antecedente*, de perfecto habitu, concesso negatur *consequentia*: non nisi hoc elici consequens potest: *Ergo per solum ultimum actum perficitur:* quod damus. Ultima perfectio non potest esse, nisi ubi actus est ultimus & gradus summus.

§. 148. (2) *Si singuli actus producunt aliquid habitus alicujus, tales habitus per unum actum quoque produci poterunt: Atqui falsum consequens. Ergo*

Resp. Negatur *connexi consequentia:* Qui enim per unum possit actum produci naturaliter, cujus partes singulæ non nisi per actus singulos produci possunt?

§. 149. Quæritur (32) *An consuetudo, seu assuetudo, quoque rectè referatur inter principia virtutis?*

Resp. Qui virtutem per naturam inesse credunt, à consuetudine esse negant: contra quos suo loco disputatum: etsi componi aliquo modo possunt sententiæ: ita ut ad virtutis habitum aliquid *natura*, & aliquid etiam *consuetudo* conferat. Et hæc quidem ad habitus moralis acquisitionem planè necessaria est. Siquidem comparatur habitus per crebras actiones rectæ rationi & legi conformes: Hæc vero actionum frequentia aliud nihil est, nisi consuetudo, & in specie quidem bona atque laudabilis, quam exercitationem appellamus. Unde *Seneca*, epist. 114. *Pars virtutis disciplina constat: pars exercitatione: & discas oportet, & quod didicisti, agendo confirmes.*

Consuetudo Græcis vocatur ἔθος, *mos* ἦθος. Unde virtus ἐθικὴ & ἠθικὴ rectè appellatur: nempe à *consuetudine* & *more*: quia consuetudine paratur moralis virtus: ἐθισμὸν enim est consuetudine

partum,

partum, ἠθικὸν morale. ἦθος igitur qualitas est, ἔθος motus, seu motuum frequentata repetitio, ad qualitatem: quamvis consuetudo quoque mos appellari vulgo soleat.

§. 150. *Consuetudo* in *naturam* verti vulgo dicitur quatuor de causis.

(1) Quia habitum firmat æque constantem, atque est natura.

(2) Quia per habitum non minus prompte & facile, quam per naturam, operamur.

(3) Quia plerunque conjungitur cum aliqua temperamenti mutatione.

(4) Quia per consuetudinem imitamur naturam, & suæ eam integritati restituimus. Ut non immerito altera videatur natura, per quam agimus, quod per naturam integram ageremus.

§. 151. Quæritur (32) *Utrum ad virtutem plus valeat educatio, an doctrina?*

Resp. *Doctrina* hoc loco intelligitur institutio moralis per præcepta methodice disposita, qua virtutis natura per *definitiones* & *distributiones* potissimum declaratur, actiones explicantur, præcepta exercitium & praxin dirigentia traduntur, & rationes ad praxin incitantes adferuntur: Breviter: docetur *quid, quando quomodo, ubi, cur* ex natura, virtutis sit agendum.

Educatio est assuefactio ad praxin moralem, seu exercitium virtutis, sive sit privata, sive publica: quæ in specie appellatur *educatio civilis*, à qua distinguitur *naturalis*, quæ est diligens conservatio infantis cum in totius corporis sanitate, tum in singularum partium concinnitate.

§. 152. Hac declaratione præmissa, educationi primas tribuimus.

(1) *Propter dignitatem subjecti*: quia educationi voluntas, doctrinæ intellectus subjicitur. Atqui voluntas proximius est principium actionis moralis, quam intellectus. Virtutem qui in *intellectu* habet, vir esse malus potest: qualis est Ethicus tantum theoreticus: In *voluntate* qui habet, semper vir bonus est: quia non scit tantum faciendo, sed & facit, adeoq; Ethicus est practicus.

(2) *Propter excellentiam objecti*: quia proxime bonum respicit educatio, verum doctrina: est autem esse bonum præstantius, quam nosse verum.

(3) *Propter nobilitatem finis proximi*: Educatio proxime in id incumbit, ut bene beateque vivamus. Doctrina, ut bene beateque vivendi rationem & modum sciamus.

§. 153. Objicitur in contrarium.

(1) *Sola doctrina mores dirigit: Ergo plus facit & valet ad virtutem, quam educatio.*

Antecedens prob. *Quia directio principaliter est ab intellectu; intellectus vero agit & dirigit per cognitionem, quam habet à doctrina.* Ratio consequentiæ: *quia educatio sine directione morum nihil valet.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* est inconsequens: etiamsi enim sola doctrina principium esset directionis, non tamen sequeretur, plus ad virtutem valere doctrinam, quam educationem. Quia doctrina tantum est instrumentum directionis, quod non applicatur nisi per educationem, tanquam principale agens & dirigens.

Alii dicunt, directionem morum contingere bifariam, vel per *doctrinam*, de qua supra, vel per *disciplinam*, quæ præceptorum observationem & virtutis actionem urget: quarum illa est causa remota, hæc propinqua. Interim educatio ad virtutem assuefacit etiam sine doctrina in specie sic dicta: quamvis non sine cognitione omni. Educantem enim nosse oportet id, ad quod assuefacit alium: eum qui assuefit & educatur, nosse quoque oportet id, ad quod voluntas & appetitus se applicare debet.

§. 154. (2) *Morum Philosophia, seu doctrina ethica, est medicina animi & expultrix vitiorum. Ergo ad comparandum virtutis habitum plus confert, quam educatio.*

Resp. Negatur *conseq.* Eadem laus & educationi probæ debetur: nam & hæc est medicina animi atque expultrix vitiorum: vel si mavis, medicus est animi & hostis vitiorum: applicat educatio medicinam, adeoque causæ principalis vim habet. Æger restitutus, plus medico debet, quam medicinæ.

§. 155. (3) *Doctrina vel scientia est certior educatione: Ergo plus ad virtutem valet, quam educatio.*

Antecedens prob. *Quia doctrina semper manet eadem: educatio varie mutatur.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. Scientia quidem est certior, quoad demonstrationem rerum; educatio vero certior quoad conformationem morum. Educationem probam semper sequuntur boni mores: doctrinam non semper sequuntur. Unde patet, partim falsum esse *antecedens*, partim nullam esse *consequentiam.*

§. 156. Maxima in utramque partem *educationis* est vis: neque magis ad virtutes ea ducit, si proba sit, quam ad vitia ducit, si improba. Damna mollis & improbæ educationis graviter perstringit *Quintilianus*, lib. 1. Instit. Orat. cap. 2. *Mollis illa educatio,*

ducatio, inquit, *quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Ante palatum eorum, quam mores, instituimus. In lecticis crescunt, si terram attigerint, & manibus utrinque sustinentium pendent. Gaudemus, si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu & osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audiverunt, nostras amicas, nostras concubinas vident. Omne convivium obscenis canticis strepit, pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri ante, quam sciant vitia esse. Inde soluti ac fluentes non accipiunt è scholis mala ista, sed in scholas adferunt.*

§. 157. Quæritur (34) *An aliquis bona agendo possit fieri moraliter bonus?*

Resp. Cur fieri hoc non posse videatur, ratio est: *Quia* is, qui bona agit: jam est bonus: siquidem malus agere bona non potest: bonitas effectus arguit bonitatem causæ. Igitur bona agendo nemo fit bonus: sed quia est bonus, agit bona: qui temperans est, in cibo potuque sibi temperat.

§. 158. Contrarium vero suadet omnium habituum acquisitorum ortus. Siquidem oritur habitus, adeoque est virtus ex actionibus crebris. Oportet igitur actionem moralem, tanquam causam, priorem esse habitu virtutis: adeoque moraliter bona agennos fieri moraliter bonos & virtuosos.

Ad dissidium hoc conciliandum observanda distinctio inter *bonum agere* & *bene agere*: Bona agit, qui agit, quod boni agunt: Bene agit, qui agit, ut boni agunt, hoc est, eo modo & animo, quo boni. Igitur *bonum agere* antecedere potest bonitatis moralis, seu virtutis, habitum, per institutionem & actus προαιρέσεως: *Bene agere* sequitur habitum: quia *bene agimus* ex proposito constanti secundum rectam rationem, seu legem vivendi agendique, idque ex amore honestatis.

Hoc vero propositum constans comparari non potest, nisi crebro bonarum & honestarum actionum usu.

§. 159. *Sed unde fluit*, inquis, *ante habitum moralem actio moraliter bona.*

Resp. Ex mente recte informata, & voluntate per *legem naturæ*, συντήρησιν atque *conscientiam* excitata: Hæ enim ut habituum sunt causæ internæ, sic & actionum, quarum crebritate acquiruntur & perficiuntur habitus: non enim immediate principia ista producunt habitus, sed per actiones.

§. 160. *At-*

§. 160. *Atqui ante acquisitum virtutis moralis habitum*, inquis, *natura est mala atque vitio inquinata: Ergo agere bonum non potest.*

Resp. Ita est mala & vitiosa, ut aliquid adhuc in se habeat bonitatis, qualis est ipsa propensio ad actionem bonam per principia interna, bona, nempe *legem naturæ*, *συντήρησιν* & *conscientiam*, quibus institutio subvenit. Unde gentiles, quæ legis sunt per naturam facientes dicuntur ostendisse opus legis inscriptum cordibus. Rom. 2. v. 14. 15. Omnem acquirendum habitum antecedit quædam dispositio, à qua primæ sunt actiones, per quos habitus postmodum introducitur, tanquam forma & causa proxima actionis moralis perfectæ.

§. 161. Quæritur (35) *An actiones habitum virtutis antecedentes & consequentes sint ejusdem speciei?*

Resp. *Negativam* amplectimur. Rationes sunt.

(1) Habitus & dispositio non differunt specie: Ergo nec actiones morales virtutem antecedentes & consequentes.

Antecedens probant *Boetius*, *Albertus Magnus*, *Scotus*, *Ægidius Roman.* & alii, quorum argumenta recenset *Fonseca*, lib. 5. Metaph. cap. 14. q. 2. quibus etsi interdum contradicit *Thomas*, præsert. 1. 2. q. 94. art. 2. tamen alibi expresse iis assentitur. q. 7. de malo art. 2. resp. ad 4. ubi, *difficile mobile*, inquit, *non est differentia constitutiva habitus: neque enim dispositio & habitus sunt diversæ species. Differunt habitus & dispositio, ut perfectum & imperfectum:* Sic & Aristoteles expresse ait, cap. de qualitate, *habitum & dispositionem esse unam speciem qualitatis: differre tantum ut magis mobile & minus mobile:* additque, *dispositionem temporis diuturnitate posse vocari habitum.*

Ratio *consequentiæ* est: Quia antecedentes actiones sunt à dispositione, consequentes ab habitu.

(2) Actiones morales habitum, exempli gratia, sobrietatem antecedentes & consequentes, sunt ab eadem causa principali, versantur circa idem objectum, servant eandem mediocritatem, & tendunt in eundem finem: Ergo specie non differunt.

Antecedens prob. quia utræque sunt à voluntate rationis rectæ judicium exequente; utræque versantur circa cibum & potum specie eundem: utræque inter extremos actus vitiosos sunt mediæ: utræque ad conformationem tendunt & honestatem cum lege: adeoque conveniunt efficiente principali, materia, forma & fine.

§. 162.

§. 162. Excipitur contra efficientem; *Actiones consequentes sunt ab habitu virtutis: antecedentes non sunt ab habitu, siquidem tendunt ad habitum.*

Resp. Actionum moralium causa principalis non est habitus, sed voluntas, quamvis effecta habitu, per quem ad actionem moraliter bonam inclinatur, etsi & ante habitum, & sine habitu, earundem esse causa potest, quamvis minus promta & expedita. Unde *specifica differentia* inferri nulla potest, si vel maxime demus, habitum efficienter influere in essentiam actus, tanquam instrumentum potentiæ: quæ *Suaretii* & aliorum est sententia, disp. 44. Sect. 5. n. 6. quibus tamen contradicunt *Aureolus*, *Scotus*, *Durandus*, *Palud.* & *Vasq.* quos pro se allegat *Petrus Hurtadus de Mendoza* disp. 16. de anima: Sect. 7. §. 48. *Suaretius* ait, *potentiam esse causam adæquatam actuum, quoad substantiam: habitum autem concurrere, quoad facilitatem:* Atqui major minorque facilitas agendi non arguit actionum specificam differentiam.

Contradicit heic nobis *Piccolomineus*, Grad. 2. cap. 10. qui specificam actionum harum adserit differentiam, sequentibus argumentis.

(1) *Actus primi, quibus operatur homo, quando agit cum habitu & sine habitu, sunt specie distincti: Ergo & actus secundi: quales sunt actiones antecedentes & consequentes.*

Resp. De actibus primis principalibus, unde actus fluunt secundi, quos morales appellamus, negatur *antecedens*: Vna est causa principalis utrarumque actionum, ut ante ostendimus. De instrumentalibus (si demus illam hypothesin, quod habitus sint instrumenta facultatum) negatur *consequentia*. Quid ni effecta specie possint eadem ab eadem causa principali per instrumenta non eadem produci? Qui vero habitus etiam instrumenta potentiarum esse negant, facilius se heic expediunt.

§. 164. (2) *Actiones consequentes & antecedentes differunt definitione: Ergo & specie differunt:*

Antecedens probatur: *Quia definitionem secundi actus ingreditur primus.*

Resp. 1. *Antecedens* negatur de definitione essentiam rei exprimente. Nec obstat, quod in definitione actionum habitus sequentium mentio fit habitus, quem vulgo actum appellant primum. Non enim, quia habitus aliquid confert ad actiones sequentes, nihil autem ad antecedentes, ideo specie differunt actiones istæ morales: quas & cum habitu & sine habitu causa principalis producit: vide *Hurtadum* loco ante allegato.

(2) *Con-*

(2) *Consequentia* quoque nulla est: differunt definitionibus, etiam quæ essentialiter non differunt. Sic alia est hominis, alia regis definitio; nec tamen rex ab homine & essentia & specie differt.

§. 165. (3) *Actio habitum consequens forma differt ab actione antecedente: Ergo specie ab ea differt.*

Antecedens prob. *quia actiones consequentis forma est modus, quo fit qui specie distinctus est à modo actionis antecedentis:* quod prob: *quia actio præcedens habitum justitiæ dicitur actio justa, sed non juste facta: quia non includit conditiones, quæ requiruntur, ut juste fiat: sequens vero & justa est, & juste facta.*

Resp. *Antecedens* negatur de forma proprie dicta essentiali. *Probatio* partim falsa, partim inconsequens est. Utriusque actionis forma essentialis non est *modus*, quo actio alia dicitur justa, sed non juste facta; alia est justa, & juste facta: sed *conformitas cum lege.* Atqui utraque est legi conformis, & ea, quæ tantum est justa, & quæ justa & juste facta simul est. Accedit quod nec modus plane sit alius & specie diversus. Nam & actiones habitum antecedentes proficiscuntur à sciente, consulto, & ex virtutis comparandæ amore: etsi plane nondum confirmatum est propositum, nec voluptas plena. Nam & sine virtutis habitu mens recti justique sibi conscia delectatur, quando per gradus ad virtutis culmen ascendit.

Virtutes præcurrentes, inquit Piccolomineus, *dicuntur imperfectæ, quia eis deest ultima differentia, ad modum & circumstantias pertinens: ultima autem differentia dicitur ab Aristotele tota essentia.*

Resp. Ultima differentia, quæ supervenit actionibus consequentibus, non est essentialis, sed accidentalis, & in gradu consistit, adeoque speciem non mutat.

§. 166. (4) *Actiones antecedentes non sunt morales, consequentes sunt morales. Ergo specie differunt.*

Antecedens prob. *Quia actio moralis tantum ea est, quæ pendet ex habitu morali, more & assuetudine comparato: quo carent præcedentes, adeoque non nisi æquivoce morales appellabuntur.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* ejus est falsa: Actio moralis principaliter dicitur, quæ legi est conformis, etsi more & assuetudine principium ejus principale non est comparatum. Quæ habitum more comparatum sequitur etsi κατ' ἐξοχὴν moralis appelletur, tamen antecedens tantum æquivoce moralis dici non debet. Utriusque causa principalis est eadem, objectum idem, forma

ma interna eadem, finis idem: ut ratione nostra secunda ostendimus.

§. 167. (5) *Actiones præcurrentes sunt absque constantia & cum interna pugna perturbationum: sequentes cum constantia & moderatione perturbationum: Ergo forma proxima & specie distinguuntur.*

Resp. *Consequentia* negatur: actiones fidei robustæ confirmatæque & infirmæ non differunt specie: etiamsi illæ cum majori firmitudine & pleniore carnis subjugatione sunt conjunctæ, quam hæ. Sic fides quoque robusta & infirma non specie, sed gradu tantum, differunt.

§. 168. Quæritur (39) *An & quomodo quis suos in virtute paranda progressus sentire possit?*

Resp. Tractat quæstionem hanc *Plutarchus* in Moralib.

Et primum quidem sentiri progressus in paranda virtute posse probat.

(1) Quia si virtutis deprehendi accessio non posset, æquali semper pondere vitium hæreret appensum: quod falsum esse testatur experientia.

(2) Quia profecisse nos in *Grammatica*, *Musica*, *Medicina*, deprehendimus: Ergo & in virtute. Quod si nullam partem ignorationis istarum rerum deponeremus & deposuisse nos sentiremus, utique semper in eadem perseverare inscitia nobis videremur, & semper in iisdem voluntari vitiis.

(3) Quia ad virtutis perfectionem non pervenitur in momento, sed per gradus paulatim ascenditur, longo temporis cursu paulatim addendis aliis, aliis detrahendis progressus fiunt: quod fieri sine sensu non potest: uti & suos in via progressus ignorare non possunt, qui continuo progrediuntur & ab uno termino longius recedunt, ad alterum propius accedunt.

(4) Si vel tanta esset celeritas & magnitudo mutationis, ut, qui mane fuerat deterrimus, vesperi redderetur optimus, aut sic alicui accideret, ut, cum obdormivisset vitiosus, expergisceretur sapiens & virtuosus: non tamen ignoraret tanto se a se ipso discrimine mutatum; propter actiones virtutum & vitiorum maxime contrarias; modo recordari præterita posset.

Multo igitur minus latere progressus poterunt tardiores, ubi paulatim aboletur vitium, & in ejus locum succedit virtus, ubi gratum esse incipit & quotidie gratius redditur, quod exosum ante erat, aut exosum redditur, quod gratum ante erat.

(5) Potest homo scire se contra vitia depugnare, animique affectus, quibus aliquando transversus agebatur, jam refrænare & subjugare

subjugare. Ergo suos in virtute progressus non potest ignorare.

§. 169. Sed difficultas in hac quæstione nulla est: difficilior est altera de *indiciis progressuum in virtute*, quæ à *Plutarcho* colliguntur sequentia.

(1) Si in assidua actionum virtuosarum continuatione verseris. Quod enim vulgo dicitur: *adde parum parvo, magnum cumulabis acervum*: non de pecunia tantum augenda verum est, sed ad omnia pertinet, & maxime ad virtutis incrementum: quando ad doctrinam assidua & efficax adjungitur assuefactio.

(2) Si, quasi fatigatus virtutum exercitio, facta aliqua intercapedine, majori alacritate & constantia ad idem redeas: quod non leve præbet indicium ignaviam labore & exercitatione elisam esse.

(3) Si ægre feras præcidi tibi occasionem virtutis exercendæ, omnique conatu impedimenta amoliri studeas.

(4) Si non amplius ardua nimisque acclivis, sed facilis, plana & expedita ad virtutem via videatur, exercitando jam lævigata.

(5) Si amplius non mireris, aut moreris quæ vulgo in admiratione sunt, & æquo careas animo magnis divitiis, voluptatibus, honoribus &c. quibus à virtutum studio multi abducuntur, & abducere alios laborant. Quas enim res vulgus plurimi facit, eas contemnere, nisi vera constantique animi magnitudine præditus, potest nemo.

(6) Si vulgi invidiam, contemtum & obtrectiones, quibus virtutem & honestas actiones impetit, contemnas.

(7) Si ad conscientiæ potius tranquillitatem, quam ad gloriam, actiones tuas referas & dirigas.

(8) Si a compositis ad ostentationem & artifico nimio elaboratis orationibus ad orationem animi motus placidos gravesque attingentem transiveris, & pholosophorum scripta legendo, vel orationes audiendo, ad res potius, quam verba attendas majorique impetu feraris ad ea, quibus medulla rerum & utilitas inest, quam ad ea, in quibus subtilitas aliqua & curiosa est compositio.

(9) Sic è spectaculis quoque & rebus quibuscunque noris utilitatem capere, & id colligere, quod ipsorum instituto commodet. Sic *Brasidas* murem inter aridas ficus deprehensum cum morsus ab eo dimisisset; *Hercules*, inquit, *quam nihil est ita parvum & infirmum, ut non possit vitam tueri, si audeat se defendere.*

(10) Si arrepta, ex Philosophorum scriptis aut colloquiis, documenta, non circulatorum more in forum, aut adolescentum scholam, aut magnatum colloquia, cum ostentatione adferas,

sed iis

ſed iis ita ſeorſim utaris, ut tibi ſint uſui, vel docendis aliis inſerviant.

(11) Si colloquia neque certandi ſtudio incipias, neque cum ira finias: neque vel in refutando contumeliam adhibeas, vel te refelli iniquius feras.

(12) Si, multis præter exſpectationem tuam convenientibus, præ metu non tergiverſeris, neque ægre feras, ſi apud paucos agendum ſit, neque, ſi ad populum aut coram Magiſtratu verba ſint facienda, propter penuriam apparatus verborum agendi occaſionem dimittas.

(13) Si apud te tacitus animo non efferaris, neque laudatores auditoreſque ullos requiras. Unde illud ſapientis: *Satis multi, ſatis unus, ſatis nullus.*

(14) Si pulchrum aliquod ſcitumque facinus tuum paſſim non narres atque circumferas.

(15) Si commiſſa culpa te reprehendentibus offeras, vitium exponas, malum detegas, neque latendo gaudeas, ſed confitearis, opemque correctoris requiras. Quivis enim vitioſus quanto magis inficiatur vitium ſuum, tanto magis in ipſum penetrat & ſeſe includit in morbum. Veluti *Diogenes* ad quendam adoleſcentem, qui viſus in caupona intro in eam fugiebat; *quanto*, dicebat, *magis intro fugies, tanto magis in caupona eris.*

(16) Si neque in inſomniis turpi aliqua re tibi videaris delectari, neque inhoneſtum aut injuſtum vel agere quicquam, vel approbare. Eſt enim probabile partem animi, quæ affectibus eſt obnoxia, exercitatione ita ſubigi, ut ejus motus & imaginationes etiam ad inſomnia uſque quaſi lævigentur, & rectæ rationi conformes redigantur.

(17) Si animadvertas cupiditatibus iræ metuſque te remiſſius nunc, quam olim, tentari, earumque incendium & excandeſcentiam ratione celeriter reſtingui.

(18) Si, quæ laudas, imitari coneris, promtuſque ſis agere ea, quæ admiraris; nolis autem admittere, quæ vituperas: virtutis oportet eſſe non laudatorem tantum & admiratorem, ſed & æmulum atque imitatorem.

(19) Si virtutem etiam cum exilio *Ariſtidis*, cum carcere *Anaxagoræ*, cum paupertate *Socratis*, cum damnatione *Phocionis* amore dignam judicemus & appetamus.

(20) Si, cum rem aliquam aggrederis, ante oculos tibi proponas exempla bonorum virorum, & cogites, quid facturus fuerit hoc loco conſtitutus *Plato*, quid dicturus *Epaminondas*, qualem ſe geſturus *Lycurgus* aut *Ageſilaus*: adeoque veluti in ſpecu-

lum intuearis, & te ornes atque componas ita, ut vel vocem aliquam degenerem corrigas tuam, vel animi motum aliquem reprimas exemplo hujus vel illius boni viri.

(21) Si non jam, ut ante, vehementer perturberis, aut rubore perfundaris, aut occultes vel transformes aliquid tuorum, viro illustri gloria & virtute subito interveniente; sed constanti animo ei obviam eas.

(22) Si nullius rei major intercesserit amor, quam te spectandum præbendi bonis honestisque viris, & male te habeat ante è vivis decessisse patrem, aut præceptorem, quam ut videre te isto in statu potuisset, nihilque à DEO tantopere votis expetas, quam ut ii vitæ redditi morum & actionum tuarum fierent spectatores.

(23) Si nullum jam peccatum exiguum putes, sed omnia studiose vites atque observes.

§. 170. Quæritur (37) *Quo quis indicio scire possit, se virtutis alicujus habitum adeptum vel nondum adeptum esse.*

Resp. *Aristoteles* 2. *Nicomach.* cap. 3. docet, signum hoc & indicium haberi posse ex individuis actionum humanarum & honestarum comitibus, nempe *voluptate* & *dolore*. Quisquis igitur actionem moralem & honestam edendo cum voluptate agit, nullamque in agendo molestiam sentit, de habitu perfecte acquisito certus esse potest & debet. Quisquis vero in agendo molestiam doloremque sentit, indicio minime dubio statuere debet, ab habitu ejusque perfectione se adhuc abesse. Neque obscuræ sunt rationes.

(1) Quia voluntas & dolor generalia sunt virtutum objecta: Atqui ex objectis de potentiarum & habituum perfectione judicari potest optime. Veluti sentiendi facultas integra & perfecta censetur, quando de objecto sensibili recte per eam judicari potest: contra vero læsa & imperfecta æstimatur, quando minus recte judicari per eam potest.

(2) Quia habitus nos reddit expeditos & hilares ad operandum: Unde signum contracti habitus merito æstimatur hilaritas facilitas & constantia in obeundâ muneris functione. *Piccolom.* Grad. 2. cap. 7.

(3) Quia voluptas & lætitia de actu virtutis arguit insignem amorem erga virtutem: Insigniter autem virtutem non amat, nisi, qui possidet.

§. 171. Quæritur (38) *Quæ idonea ad virtutem comparandam sint media:*

Resp. Varia sunt: in quibus præcipua sequentia.

(1) *Oratio*

(1) *Oratio ad* DEVM *fusa.*

Etiam *Ethnici* agnoverunt virtutem à DEO esse & precibus ab eo impetrandam; in iis vero præ aliis *Pythagorici* & *Platonici* Crebræ sunt *Socratis* virtutem à DEO efflagitantis voces: Unde illam *Socratis* in *Phædro* precationem laudat *Clemens Alex.* 5. Strom. cap 6. ô *Pan & Dii alii, date mihi ut intus pulcher sim & honestus.* Eadem & *Stoicorum* fuit sententia: quamvis ipsorum superbiam subinde perstringat *Augustinus.* Memorabilia sunt *Senecæ* verba, epist. 41. *Prope est à te* DEVS, *tecum est, intus est, ita dico, Lucili, sacer intra nos Spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator & custos Hic ut à nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine* DEO *non est. An potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adjutus exurgere? Ille dat consilia magnifica & recta. In unoquoque bonorum virorum (Quis* DEVS, *incertum est) habitat* DEVS. Infert hinc: *magnam viro probo & virtutis studioso ex inhabitante* DEO *venerationem deberi.*

§. 172. (2) *Exemplar in viro probo ante oculos positum.*

Præceptum de viro bono ante oculos ponendo & pro vitæ exemplari habendo inculcat Lucilio suo *Seneca* ex *Epicuro* epist 11.

Aliquis, inquit, *vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic, tanquam illo spectante, vivamus, & omnia, tanquam illo vidente faciamus. Hoc mi, Lucili, Epicurus præcepit, custodem nobis & pædagogum dedit: nec immerito: Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquam habeat animus, quem vereatur, cujus autoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat! ô felicem, qui sic aliquem vereri potest ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus* &c. Videatur & epist. 25. 94. 108. Pertinet huc illud *Ciceronis*, off. lib. 1. *Quorum Patres aut Majores aliqua gloria præstiterunt eorum plerique in eo genere laudis student excellere: ut Q. Decius Publ. filius, in jure civili: Pauli filius, Africanus, in re militari.*

§. 173. (3) *Familiaris cum hujusmodi exemplari conversatio.*

De hac *Seneca*, epist 6. *Mittam ipsos tibi libros: & ne multum opera impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, ut ad ea ipsa protinus, quæ probo, accedas. Plus tamen tibi viva vox & convictus, quam oratio, proderit. In rem præsentem venias, oportet. Primum quia homines amplius oculis, quam auribus, credunt: Deinde quia longum est iter per præcepta, breve &*

efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset. Vita ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret. Plato & Aristoteles, & omnis in diversum itura sapientium turba, plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit, Metrodorum & Hermachum & Polianum, magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit.

§. 174. (4) *Fidus ad virtutem adjutor, monitor, hortator.*

De usu monitoris & hortatoris *Seneca* differit epist. 94. Ubi quærenti, *quid prosit aperta monstrare*, respondet. *Plurimum: Interdum enim scimus nec attendimus. Non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi. Pleraq; ante oculos posita transimus. Admonere genus adhortandi est, sæpe animus etiam aperta dissimulat. Ingerenda itaque est illi notitia rerum notissimarum &c. Subinde reducendus es ad memoriam. Non enim reposita illa esse oportet, sed in promtu. Quæcunque salutaria sunt, sæpe agitari debent, sæpe versari, ut non tantum nota sint nobis, sed etiam parata. Adjice nunc quod aperta quoque apertiora fieri solent.*

§. 175. (5.) *Lectio bonorum autorum, qui muti sunt doctores & hortatores.*

Unde *Diodorus Siculus* in procem. Biblioth. *Magnas merito gratias rerum scriptoribus homines debent, qui suo labore plurimum vitæ mortalium profuere. Ostendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis sit appetendum, quidve fugiendum: Nam qui multa experimenta rerum variis cum laboribus periculisque procul ipsi ab omni discrimine positi gesta legimus, nos admonent* maxime, quid *conferat ad degendam vitam* &c. Memorat *Themistius* orat. 4. Axiotheam, philosophiæ magistram, cum aliquem de *Platonis* libris, quas de Republ. scripsit, legisset, subinde ex *Arcadia Athenas* esse profectam, ibique diu pro fœmina non agnitam *Platoni* dedisse operam: Sic & agricola quidam *Corinthius* cum forte in *Platonis Gorgiam* incidisset, illico, agris vitibusque desertis, *Platoni* se excolendum tradidit.

§. 176. (6) *Fuga consuetudinis pravorum & secessio à turba.*

De consuetudine pravorum ita *Chrysost.* homil. 60. in Matth. *Nihil ita perniciosum ac pestiferum, ut consuetudo pravorum hominum, & conversatio.* Ita *Seneca* Epist. 94. *Magna pars sanitatis est, hortatores insaniæ reliquisse, & ex isto cœtu invicem noxio procul abiisse. Hoc ut esse verum scias aspice, quanto aliter unusquisque populo vivat, aliter sibi &c.* Item *Nemo errat sibi uni,*

bi uni, sed dementiam spargit in proximos accipitque invicem: & ideo in singulis vitia populorum sunt, quia illa populus dedit; dum facit quisque pejorem, factus est. Didicit deteriora, deinde docuit, effectaque est ingens illa nequitia, congesto in unum, quodcunque pessimum scitur.

De secessione a turba sic *Seneca* lib. 4. naturali quæst. *Turbam rerum hominumque desiderent, qui se pati nesciunt. Tibi tecum optime convenit*, &c. *Necesse est assidua sit in tam magno vitiorum contubernio rixa. Fac ergo, mi Lucili, quod facere consuesti. A turba, quantum potes, te separa.* Pythagoræ vox est, *malus judex omnis honesti populus.* Ita *Socratem* gloriari solitum scribit *Petronius*: *Quod nunquam neque in tabernam conspexerat, neque ullius turbæ frequentioris concilio oculos suos crediderat.*

§. 177. (7) *Vitatio cunctationis circa virtutis studium.*

De hac *Epictetus* apud *Arrianum* lib. 2. cap. 75. *Quousque tandem differes præstantissima quæque tibi vendicare & nullatenus distinctionem rationis violare? Accepisti præcepta, quæ tibi amplectenda fuerunt, eaque amplexus es. Qualem igitur adhuc doctorem expectas, cujus in adventum tui correctionem differs? &c.* Et lib. 4. cap. 12. *Quando dixeris, in crastinum adhibeto diligentiam: id abs te dici scito, quod nimirum velis hodie imprudens, importunus, abjectus esse.* Item, *in potestate erit alterius, ut me hodie afficiat ægritudine animi, hodie excandescam, invidebo. Considera, quæ mala in te admittas. Sed cras, ais melius habebo. Quanto melius, si hodie, quam si cras ceperis. Plus conducet, si hodie incipias, ut id in crastinum quoque præstare possis*, ac *non in tertium quoque rejicias diem.* Pertinet huc illud: *Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Ignaviæ prætextus mora est, & tantum abest ut per segnitatem & procrastinationem retundatur difficultas, ut potius sensim augescendo tandem ineluctabilis fiat; vide quoque *Philon.* de Sacrif. Abel & Cain: in verba illa; *Et factum est, post aliquot dies obtulit Cain.*

§. 178. (8) *Cogitatio fluxæ & caducæ vitæ.*

Mors imminet, inquit Antoninus, lib. 4. n. 12. *Ergo dum vivis & licet, bonus ut sis cura.* Pulcherrime *Seneca* de brevitate vitæ cap. 4. *Tanquam semper victuri vivitis: nunquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non observatis, quantum temporis transierit, velut ex pleno & abundanti perditis, cum interim fortasse ille ipse qui alicui vel homini vel rei donatur, ultimus dies sit. Omnia tanquam mortales, timetis, omnia tanquam immortales*

mortales concupiscitis. Audies plerosque dicentes : A quinquagesimo in otium secedam : Sexagesimus annus ab officiis me dimittet. *Et quem tandem longioris vitæ prædam accipis ? Quis ista, sicut disponis, ire patietur ? Non pudet te reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit ? quam serum est, tum vivere incipere, cum discedendum est ? Quæ tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum & sexagesimum annum differre sua consilia, & inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt.* Et epist. 108. *Fugit irreparabile tempus, vigilandum est, nisi properamus, relinquimur. Agit nos, agiturque velox dies. Inscii rapimur. Omnia in futurum disponimus, & inter præcipitia lenti sumus, &c.* Sic & *Augustinus*, Serm. 102. de temp. *O homo quare differs de die in diem, forte habiturus hodie ultimum diem ?* Et serm. 164. *Liceat mihi loqui & dicere. Corrigant se, qui tales sunt, dum vivunt, ne postea velint & non possint : Quia subito venit mors, & non est qui corrigatur, sed ut in ignem mittatur. Nam quando veniet illa novissima hora nescitur, & dicitur : corrigo : quando corrigis quando mutaris ? cras, inquis. Ecce quoties dicis,* cras cras. *Factus es corvus. Ecce dico tibi cum facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina.*

§. 179. (9) *Inchoatio à minimis.*

Præcipit hoc *Epictetus* cap. 17. Enchirid. *Moderata & accommodata viribus exercitatio, ut tuta ita etiam efficax est. Finge aliquem in parvis non exercitatum imitari Cratetem & suam rem universam subito abjicere ; fieri ne potest, quin eum facti pœniteat, neve priorem opulentiam perpetuo requirat ? Etsi enim Crates, Diogenes, Zeno, aut quivis alius, subito summam frugalitatem arripuit, vitamque naturæ consentaneam : rarum tamen hoc est, & non tutum cum eo, quod raro fit, aliquem, qui non est ipse rarus quispiam, sed unus homo de multis fuerit, comparare.*

Eandem in sententiam eleganter *Ambrosius* lib. 1. off. cap. 10. *Qui disciplinam bellicam vult assequi, quotidie exercetur armis, &, tanquam in procinctu positus, præludit prælium, & veluti coram posito prætendit hoste, atque ad peritiam viresque jaculandi vel suos explorat lacertos, vel adversariorum declinat ictus & vigilanti exit obtutu. Qui navem in mari regere gubernaculis studet & remis ducere, prius in fluvio præludit. Qui canendi suavitatem & vocis affectant præstantiam, prius sensim canendo vocem excitant :* Et, *qui viribus corporis legitimoq; luctandi certamine coronam petunt, quotidiano usu palestra durantes membra,*

bra, nutrientes patientiam, laborem assuescunt. Nec non ipsa natura nos in parvulis docet, quod prius sonos meditantur loquendi, ut loqui discant: Vide & *Hilarium* lib. 1. Trinit. & in argumento lib. 11.

§. 180. (10) *Exclusio aliarum curarum & negotiorum.*

Præceptum hoc est *Antonini* lib. 6. n. 18. *Pauca age, si tibi tranquillitas animi curæ est.* Item: *ex his, quæ plurima & agimus & loquimur, si quis ea, quæ non sunt necessaria, tollat, is & majori otio utetur & pauciores perturbationes experietur. Itaque singulis in rebus circumspiciendum, ne quid non necessarium agamus: ac non modo actiones, sed & cogitationes, inutiles sunt vitandæ: Ita enim fiet, ut ne actiones quidem supervacaneæ consequantur.*

Præivit *Seneca* Epist. 54. *Non est quod precario philosopheris. Si æger esses, curam intermisisses res familiaris, & forensia tibi negotia excidissent, nec quenquam tanti putares, cui advocatus in causam descenderes. Toto animo id ageres, ut quamprimum morbo liberareris. Quid ergo? non & nunc idem facies? Omnia impedimenta dimitte & vaca bonæ menti. Nemo ad illam pervenit occupatus. Exercet philosophia regnum suum: Dat tempus, non accipit. Non est res subseciva, ordinaria est, domina est, adest & jubet.* Et Epist. 72. *Non, cum vacaveris, philosophandum est, omnia alia negligenda, ut huic, assideamus, cui nullum tempus satis magnum est, etiamsi à pueritia usque ad longissimos humani ævi terminos vita protenditur.* Et in fine. *Non debemus occupationibus indulgere: excludendæ sunt: si semel intraverint, in locum suum alias substituunt. Principiis illarum obstemus melius non incipient, quam desinent.* Vide & *Synesium* epist. 99.

§. 181. (11) *Consideratio indolis & inclinationis naturalis.*

Qua enim parte major est infirmitas & plus damni imminet, ex ea major adhibenda cautio. Inculcat hoc præceptum *Aristoteles* 2. Eth. cap. ult. *Spectandum* est ad *quæ nos procliviores simus: quippe cum alii ad alia natura propensi sint: id quod ex voluptate & dolore, qui nobis evenit, facile perspiciemus; atque in contrarium nos ipsi abstrahemus. Nam si procul à peccato nos ipsos removerimus, ad medium deveniemus: id quod, qui ligna distorta dirigunt, facere consueverunt.* Videatur & *Philo* in lib. de temulentia.

§. 182. (12) *Perseverantia in bono proposito.*

Nusquam enim pes figendus, nunquam recedendum. Ita vult. *Seneca* epist. 71. *Imperfecta necesse est labent & modo pro-*

deant, modo sublabantur, aut succidant. Sublabentur autem nisi ire & niti perseveraverint: Si quidquam ex studio & fideli intentione laxaverint, retro eundum est. Nemo profectum ibi invenit, ubi reliquerat. Instemus itaque & perseveremus, plus, quam profligavimus, restat: sed magna pars est profectus velle proficere. Hujus rei conscius mihi sum: volo & tota mente volo. Te quoque instructum esse, & magno ad pulcherrima properare impetu, video. Properemus. Ita demum vita beneficium erit: alioqui mora est, & quidem turpis, inter fœda versantibus. Id agamus, ut nostrum omne tempus sit. Non erit autem, nisi prius nos nostri esse cœperimus. Idem Epist. 20. *Preme*, inquit, *quod cœpisti & fortasse perduces aut ad summum, aut eo, quod summum esse nondum solus intelligas.* Vide & *Dionem Chrysost.* orat. 20.

§. 183. Quæritur (39) *Quæ sint virtutis invitamenta.*

Resp. Ad virtutis studium nos invitant gravissimæ rationes à philosophis passim adductæ: in quibus præcipuæ sunt.

(1) Quia virtus est verum propriumque hominis bonum.

Hinc *Seneca* epist. 76. *Pecunia veniet ultro, honor offeretur, gratia & dignitas fortasse ingerentur tibi, virtus in te non incidet, ne levi quidem opera aut parvo labore: Sed est tanti laborare omnia bona semel occupaturo: Unum est enim bonum, quod honestum. In illis nihil invenies veri, nihil certi, quæcunque famæ placent. Quare hoc unum sit bonum, quod honestum.* Ibidem, comparatione inter bruta & hominem instituta, ostendit homini omnia cum brutis esse communia, sola virtute & ratione recta excepta. Tandem *in homine*, inquit, *nihil ad rem pertinet, quantum fœneret, à quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam pellucido poculo bibat, sed quam bonus sit. Bonus autem est, si ratio explicita & recta est, & ad naturæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc est honestum & unum hominis bonum.*

§. 184. (2) Quia decorum est omnium hominum movens approbationem.

Sic enim *Tullius*: *ut pulchritudo corporis, quæ compositione membrorum movet oculos & delectat, hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt: Sic hoc decus, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur.* Et pulchre *Chrysostomus*. *Recte viventes non à notis solum, sed & ab ignotis, sed & ab ipsis inimicis laudantur & admirationi sunt. Qui autem corrupti & improbi, etiam ab amicis affliguntur. Et hoc divinæ providentiæ opus est, quod tantam nobis virtutis*

tutis familiaritatem & cognitionem, & tantam vitiorum abominationem, indidit. *Ita illa quidem* (de virtute loquor) *omnium calculo probatur etiam absentium: hæc* (malitia) *commendatur etiam ab his, qui virtutem non curant & aversantur ac prosequuntur.*

§. 185. (3) Quia per eam ad Deum proxime accedit homo, & Dei fit Filius

Hinc *Plato*: Deus *se in medio exemplar omnium hominum cum proposuisset, humanam virtutem qua homo similis* Deo *aliquo saltem modo redditur, parandam concessit his, qui* Deum *sequi possunt* &c. *Non est major alius fructus, quem ex* Deo *possit capere homo, quam quod imitatione pulchrorum & bonorum, quæ divinæ naturæ insunt, virtute potitur.* Et *Seneca* epist. 92. *Diis immortalibus solis & virtus & beata vita contingit: nobis umbra quædam bonorum illorum & similitudo: accedimus ad ea, non pervenimus* &c. Apud *Dionem* orat. 4. de regno ad *Alexandrum Diogenes. Si fueris*, inquit; *modestus & fortis, & Jovis regiam artem didiceris, nihil prohibet te Jovis esse filium* &c. *Apud Thebanos illis, qui appellantur Sparti, signum quoddam dicitur esse* generis, *lancea, opinor, quædam in corpore, & quisquis id signum non habet, non videtur ex Spartis esse.* *Jovis autem filiis tu nullum putas esse signum in anima, & ex quo manifesti fiant iis, qui queant cognoscere, utrum ex illo nati sint, an non?*

§. 186. (4) Quia sola ea est hominis pulchritudo.

Pulchre hoc ostendit *Epictetus* apud *Arrianum* lib. 3. cap. 1. *Quid est, quod faciat hominem pulchrum. Nonne idipsum genere idem est, quo canis itemque equus pulcher efficitur? Quid ergo canem ornat? virtus ipsius qua nimirum est præditus: Quid equum? virtus equi, Quid hominem? Nonne virtus humana ei si insit? Ergo tu, adolescens, in eo labora, siquidem pulcher videri vis, nempe, excole te virtute hominis* &c. sub finem hæc addit. *Quandoquidem nec es caro, nec pili, sed voluntas, hanc si habueris honestam, pulcher certe eris.* Sic *Cicer.* lib. 9. ad famil. ep. 14. *Nihil formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius virtute.* Et *Plato* in Protagora, ἡ ἀρετὴ κάλλιστον.

§. 187. (5) Quia splendor ejus est summus.

De hoc splendore egregie *Seneca* epist. 115. *Si nobis animum boni liceret suscipere, ô quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus? Hinc justitia illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus. Præter has, frugalitas & continentia, & tolerantia, & libertas comitasque, &, quis credat, in homine rerum huma-*

nitas bonum, splendorem illi suum affunderent &c. Si quis viderit homo faciem altiorem fulgentioremque, quam cerni inter humana consuevit, nonne veluti numinis occursu stupefactus resistat, &, ut fas sit vidisse, tacitus precetur &c.

§. 188. (6) Quia summa ejus est dignitas, libertas, sanitas, robur.

Seneca epist. 75. *Quam grande premium nos exspectat, si occupationes nostras, & mala tenacissima, abrumpimus. Non cupiditas nos, non timor pellet: inagitati terroribus, incorrupti voluptatibus, nec mortem horrebimus, nec deos: sciemus mortem malum non esse. Tam imbecillum est, quod nocet, quam cui nocetur: optima & noxa carentia exspectant nos, si ex hac aliquando face in illud evadimus sublime & excelsum: tranquillitas animi, & expulsis erroribus, absoluta libertas &c. Inaestimabile bonum est, suum fieri!* Ita *Peripatetici* apud *Stobæum* in Eclog. Eth. cap. 4. *Si corporis sanitas per se est expetenda, multo magis animi temperantia, quæ perturbationum furore nos liberat: & si corporis robur inter bona recensetur, multo magis animi: fortitudo videlicet quæ robustos reddit animos. Et si corporis pulchritudo propter te expectatur, multo magis animi justitia*, Pertinent huc illa *Plauti* in Amphit. Act. 2. sc. 2.

Virtus premium est optimum, virtus omnibus
Rebus anteit profecto: libertas, salus, vita,
Res, parentes, patria & prognati tutantur, servantur:
Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona, quem penes est virtus.

§. 189. (7) Quia labor ubique necessarius & inanibus qnoque impensus in studio virtutis optime collocatur.

Pulchre hoc declarantem & illustrantem vide *Epictetum* apud *Arrianum* lib. 4. cap. 10. & *Philonem*, in libro de sacrificio *Abelis* & *Caini*: & *Senecam* lib. 2. de ira cap. 14. *quid magnificum*, inquit, *consequitur ille, qui meditatus est per intensos funes ire? qui sarcinæ ingenti cervices supponere? Qui somno non submittere oculos? qui penetrare in imum mare? & tamen ad finem operis non magno auctoramento labor pervenit. Nos non advocabimus patientiam, quos tantum premium expectat, felicis animi immota tranquillitas.*

§. 190. (8) Quia labor in virtutis studio positus opinione minor est. De quo pulchre *Seneca*, de constantia, cap. 1.

At ardua, inquit, *per quæ vocamur, & confragosa sunt. Quod enim plano aditur excelsum? sed ne tam abrupta quidem sunt, quam quidam putant. Prima tantum pars saxa rupesq; habet,*

bet, & invii speciem: sicut pleraque ex longinquo speculatoribus abscissa & connexa videri solent, cum aciem longinquitas fallat. Deinde propius adeuntibus eadem illa, quæ in unum congesserat error oculorum, paulatim adaperiuntur, tum illis, quæ præcipitia ex intervallo apparebant, redit lene fastigium.

§. 191. (9) Quia minus requirit laboris & molestiarum quam vitium.

Pulcherrime hoc probantem vide *Isidorum Pelusiotam*, lib. 2. epist. 240. *cedo* inquit, *utrum ex his duobus difficilius est, sexcentosne thesauros perscrutari, an præsentibus facultatibus contentum esse? Diu noctuque turpes quæstus ac serviles numerare; an frugalitatem complecti atque amare? Omnes lædere, an læsis opitulari? Cum legitima uxore congredi, quam alienas nuptias perfodere & violare? Incurabili avaritiæ morbo laborare, an ab hujusmodi furore liberum esse. Dolos nectere, an citra fraudem commercia cum aliis habere? Tribunalibus molestiam exhibere, an quietem agere? Bona ad se nihil attinentia rapere, an etiam sua largiri? In negotiorum & criminum cœno volutari, an à negotiis & timoribus immunem?* vide quoque insignem *Musonii* sententiam, apud Stobæ: Serm. 29.

§. 192. (10) Quia virtutis exercitium cum jugi gaudio verisque deliciis est conjunctum.

De quo egregie *Seneca* Epist. 59. *Sapiens*, inquit, *ille est, qui pleno gaudio hilaris & placidus inconcussus cum Diis ex pari vivit* &c. vide *Autorem*: cui adsentitur *Philo* lib. 1. Allegor. *Paradisus*, inquit *figurate dicitur virtus: locus autem proprius Paradiso, Eden, id est deliciæ, virtuti autem convenit pax, voluptas, gaudium, in quibus sunt veræ deliciæ. Quin & ad orientem est hujus Paradisi plantatio: nam nec occidit, nec extinguitur, sed perpetuo suapte natura lux ejus oritur* &c.

§. 193. (11) Quia est utilissima.

Probat hoc *Philo* in lib. de Sacrif. *Abelis* & *Caini*. *Est infinitus thesaurus hominibus. Alia omnia*, inquit Basilius, in orat. de legend. cum fructu: lib. gentil. *non magis possidentium, quam quorum libet, sunt, veluti in talorum ludo huc illuc transposita.* Virtus autem sola possessio immortalis atque immobilis & viventi & morienti permanens. Videatur quoque *Ambros*. epist. 10. Quo respexisse quoque *Stoici* videntur, qui virtutem dixerunt esse ipsam utilitatem, apud *Sext Empir. lib.* 10.

§. 194. (12) Quia viaticum est non tantum senectutis, sed etiam æternitatis.

Dixerat *Bias*, *virtutem esse viaticum senectutis.* Expostulat cum

cum eo *Basilius* quod justo angustius utilitatem virtutis circumscripserit: Siquidem nulla est vel longissimæ senectutis, quam *Methusalem* est consecutus, ad æternitatem proportio. Ad hanc vero comparandam virtutis quoque opus est viatico.

CAPUT V.

De

PRUDENTIA.

I.

*F*ORMA *virtutis in vita legi congrua consistere cum dicitur, lex naturæ intelligenda, & quæ ex hac extruuntur.*

II.

Lex naturæ est notitia discriminis honesti & turpis nobiscum nata.

III.

Consideratio hujus legis est simplex, vel comparata.

IV.

Simplex consideratio est, per quam cognoscimus, qualis nos lex esse velit erga DEUM, *erga proximum, erga nos ipsos: erga* DEUM *pios, erga proximum justos, erga nos ipsos temperantes.*

V.

Comparata est, per quam scimus, quæ collatio legum sit instituenda, & collatione facta, quarum potissimum habenda sit in delectu ratio.

VI.

Conferuntur autem leges vel pares vel impares.

VII.

Imparium aliæ sunt superiores, aliæ inferiores.

VIII.

Superiores sunt quæ circa nobiliora objecta versantur: Inferiores, quæ circa ignobiliora.

Ἐκθεσις.

Ἔκθεσις.

SIc lex, quæ de Deo præcipit, superior est ea, quæ de Parentibus agit: hæc ea superior, quæ de amicis: hæc altera, quæ de ignotis agit.

In legum harum collatione & electione superiores semper fere inferioribus sunt præferendi: estque electio his gubernanda regulis.

(1) *Lex humana cedit divinæ.*

(2) *Communia minus communibus, & publica privatis anteferenda.*

(3) *Leges, quæ simpliciter honesta præcipiunt, utilitati publicæ sunt præferendæ.*

X.

Contingit tamen quandoque, ut, quando tempore non libero facienda electio, superioribus inferiores præferendæ sint leges, cum scilicet graviore aliquo premimur malo, quod depellere discupimus.

Ἔκθεσις.

VERBI *gratia:* Si accidat, ut eodem momento aut Dei verbum sit audiendum, aut præsenti mortis periculo pater vel amicus sit eripiendus: sine Dei offensione posterius hoc priori licebit præferre: suadente id ipsum *Christo*, qui asinum ex puteo in Sabbatho, illæsa pietate, extrahi posse affirmat.

XI.

Cavendum tamen, ne licentia hac ubivis utamur: Sunt enim quædam, ad quæ nemo vir bonus cogi se patitur, quæque citra numinis offensionem, etsi evidens aliqua magni boni obtinendi spes effulgeat, fieri nequeunt.

Ἔκθεσις.

SIc *verbi gratia*: Si optio detur, ut aut Deum abnegemus, aut hominem occidamus, si salvi esse velimus; eligenda potius mors propria: quam vel Dei abnegatio, vel iniquæ cædis patratio.

XII. Legum

XII.

Legum hæc intelligentia & electio Prudentia *nominatur: quæ est recte agendorum cognitio.*

Ἔκθεσις.

ITA prudentiam describit *Alcinous*, in doctrina *Platonis* cap. 28. φρόνησις ἐστὶν ἐπιστήμη ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων: *bonorum malorumque, & quæ media inter utrumq; sunt scientia.* Plenius in definitionibus *Plato.* Δύναμις ποιητικὴ καθ' αὐτὴν τῆς ἀνθρώπου εὐδαιμονίας ἐπιστήμη ἀγαθῶν καὶ κακῶν. διάθεσις, καθ' ἣν κρίνομεν, τὶ πρακτέον, καὶ τὶ οὐ πρακτέον.

§. 2. Digna certe est *prudentia*, quæ ad virtutum sedeat gubernacula: quippe quæ præscribit *Pietati*, quid DEO? *Probitati*, quid homini tribuere debeat? legumque collationem instituit, electionem gubernat. Unde magnifici & splendidi ejus tituli apud Philosophos occurrunt, à quibus appellatur.

(1) *Saluberrima:* quia finem sibi statuit suum bonum, & ad salutem nos dirigit.

(2) *Tutissima:* quia viam regiam & mediam eligit in rebus arduis, per quam tutus est incessus, secundum illud.

- - *medio tutissimus ibis.*

(3) *Virtutum optima princeps & moderatrix:* quia reliquis omnibus est comitata virtutibus, omnesque complexu suo, velut arctissimo vinculo continet, unde *Macrob.* in somn. Scip. *Prudentiæ insunt ratio, intellectus, circumspectio, providentia, docilitas, cautio.* De *Platonis* sententia, reliquæ omnes scientiæ, si absit *scientia optimi*, (quæ prudentia est) obsunt potius, quam prosunt, eas habenti: Imo omnium rerum usum hæc una docet: *Quæ neque aurum est neque argentum, neque gloria, neque valetudo, neque divitiæ, neque robur, neque pulchritudo: Sed id quod recte uti his omnibus potest, ac singula horum utilia facit, jucunda, laudabilia: cum sine hac inutilia, sterilia, damnosaque sint, & dedecus possidenti adferant. Plutarch.* de Fortun.

(4) *Potentissima:* Quia vitia animi, monstra perniciosissima, prosternit, tumultuosas animi perturbationes moderatur, & res humanas, ne dilabantur vel corruant, sustinet.

(5) *Regina:* Quia universum orbem felicissime regit, & in fines congruentes omnia dirigit.

(6) *Mensura rerum:* Quia per eam unumquodque tanti facimus, quanti debet fieri: caduca parvipendimus, divina maximi faci-

facimus. Unde *Macrobius* in fomn. Scip. *Prudentia est Mundum istum, & omnia, quæ in mundo sunt, divinorum contemplatione despicere, omnemq; animæ cogitationem in sola divina dirigere.*

(7) *Auriga humanæ vitæ* à *Platone*: quia hac destituti ab affectibus & perturbationibus, tanquam effrænatis equis, præcipites trahimur. *Prudentia*, inquit, Plutarchus, *in animi affectionibus munus exercet suum, quas non aliter, quam familias mater, ex rationis dirigit præscripto.*

(8) *Dux omnium nostrarum actionum, consiliorum & operum*: quia fine ejus ductu in actionibus & consiliis ubique impingimus: unde *Seneca*: *Sapiens sine prudentia nihil destinat, nihil aggreditur.*

(9) *Ars vivendi à Cicerone*, veluti medicina valetudinis, navigationis gubernatio. Non potest non infelicissima esse vita, quæ fine prudentia vivitur.

Memorabilis est prudentiæ commendatio à *Basilio Imperatore* ad filium instituta. *Summo quidem in honore & pretio, apud omnes est prudentia, & ab omnibus vehementer expetitur: Omnes enim eam laudant, ut bonum, sed non omnes laborant, ut eam adipiscantur: quo fit, ut raro, qui ea præditus sit, inveniri possit. Tu vero da operam, non solum ut eam contubernalem habeas, sed etiam, si quis est, qui illam teneat, ut cum tibi adjungas, in pretio habeas, & cum illo frequens nocte dieque verseris. Ille enim solus juvare animum tuum plurimum poterit, & quæ tibi plerunque in angustiis rebus inexplicabilia videbuntur, ea per illum, Deo juvante, expedite perficies. Aut enim te prudentem esse oportet, aut uti consiliis prudentum: in quibus, quasi in solio suo, Deus quiescit.*

§. 3. Prudentia distinguitur in *Oeconomicam*, *Civilem & Ethicam.*

Oeconomica, quæ & *domestica* appellatur, est per quam homo recte disponit ea quæ ad suam pertinent utilitatem, sibi ipsi recte consulendo, eventus ponderando, damna vel commoda emergentia pensitando, &, ad illa declinanda, ad hæc verò honestè obtinenda, actiones suas dirigendo, Breviter: *ubique caute & circumspecte agendo.*

Civilis est, quæ curas & cogitationes suas convertit ad publica patriæ, civitatis & Reipubl commoda.

Estque *Neomethetica* seu legis latrix, vel *Practica* in specie sic dicta, seu *Executrix.*

Neomethetica prudentia est, per quam justæ conduntur leges, constituuntur Magistratus, εὐταξία publica procuratur: præmia denique & pœnæ decernuntur.

Practica

§. 5. *Practica* in specie sic dicta est, quæ proxime circa singulas hominum actiones versatur, & negotia ad Rempublicam pertinentia, quasi manibus suis, tractat: estque *consultrix* vel *judicatrix*.

Consultrix prudentia est, quæ in consultationibus & deliberationibus publicis occupatur & duo potissimum summa definit capita:

(1) *An faciendum sit aliquid?*

(2) *Quomodo sit faciendum?*

§. 6. In priori de *fine*, in posteriori de *mediis* deliberatur: potius tamen de *mediis*, quam de *fine* instituitur deliberatio: Finis enim tanquam fundamentum substerni debet deliberationi.

In deliberationibus ad sequentia axiomata attendendum est.

(1) *Non est deliberandum nisi de re possibili.*

(2) *Non est deliberandum nisi de re dubia.*

(3) *Nulla res ardua sine prævia deliberatione suscipienda, modo deliberandi spatium detur.*

(4) *Quæ recte & mature sunt deliberata, mediis præsentibus, tempestive mandanda executioni, secundum* illud Sallustii: *Antequam incipias consulto, & ubi consulueris, mature facto opus est.*

§. 7. *Judicatrix* Prudentia est, per quam de actionum cum legibus conformitate vel pugna, nec non de præmiis & pœnis, fertur sententia.

§. 8. *Hactenus prudentia civilis, seu politica*: sequitur *ethica*: quam *monasticam* vel *privatam* nonnulli appellant, quæ privatas singulorum actiones dirigit, & in iis ad leges & circumstantias necessarias couformandis est occupata. Unde conspicuus est usus ejus & evidens utilitas, imo necessitas, ad singulos virtutum moralium actus, quorum formale consistit in conformitate cum legibus, & necessariis circumstantiis.

Igitur hujus prudentiæ officia tria sunt insignia.

(1) *Nosse leges tam naturæ, quam alias inde extructas, secundum quas vivendum.* Ad leges referuntur locorum, in quibus degimus, instituta & consuetudines: nam secundum has quoque vivendum, juxta tritum illud:

Si fueris Romæ, Romano vivito more:
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

Proximæ legibus & consuetudinibus sunt *Circumstantiæ* in virtutum actibus concurrentes, quas nosse quoque debet prudentia.

(2) *Conferre leges, cum ancipiti sententia districti tenemur.*

(3) *Col-*

(3) *Collatione facta, delectum instituere, ut, quæ cui sit præferenda, constet.* Quem delectum tribus hisce regulis dirigit Prudentia.

§. 9. Prima: *Humana cedunt divinis.*

Deferendi igitur potius parentes: profundenda vita: aspernanda amici gratia: Magistratus extrema quæque nobis denuncians prætereundus, quam in Deum pietas violanda, suffragante Apostolo: Deo *potius, quam hominibus obediendum.*

Insigne exemplum hujus regulæ suppeditat Princeps *Condæus Gallus*, cui cum à Carolo IX. Galliarum Rege optio data fuisset, ut aut *Missam*, aut mortem, aut perpetuum carcerem eligeret: prudenter ille respondit: *se, Deo juvante, primum nunquam electurum, duo reliqua regis arbitrio relinquere: Deum tamen sua hac omnia providentia gubernaturum.*

Ex antiquitate & historia sacra admodum memorabile est exemplum *Danielis* & sociorum, qui *Nebucadnezari* idololatriam præcipienti, & immorigeris ignem minitanti in hæc verba responderunt: *sive futurum est, ut Deus noster, quem nos colimus, qui potens est ad eripiendum nos, à fornace ignis accensa & à manu tua, ô Rex, eripiat nos, sive non: notum sit tibi*, Rex, *Deos tuos nos non esse culturos &c.* Daniel. 3. v. 17. 18.

Pertinent huc quoque exempla *fratrum septem*, quibus divinæ legis violationem præcepit *Antiochus*. 2. Maccab. 7. ubi septimus & natu minimus tyranno respondet v. 30. *Non sum obediturus præcepto regis: sed præcepta legis audio, quæ majoribus nostris per Mosen data est.*

In historia profana veteri laudatur *Pericles Atheniensis*, qui amico injustum quid petenti respondit: *Oportet me amicis opitulari, sed usque ad Deos.*

§. 10. Secunda: *Communia minus communibus & publica privatis anteferenda.*

Ex hujus regulæ præscripto plus civibus, quam exteris, plus cognatis, quam civibus, plus parentibus quam cognatis; & denique plus Magistratui ac patriæ, quam parentibus tribuendum. *Cognatis* vero ideo plus tribuendum, quam exteris: quia hisce uno tantum, nempe humanitatis, jure sumus devincti: illis vero duplici, communi humanitatis, & proprio cognationis.

Magistratus & *patria* omnibus præferenda: quia triplici iis jure obligamur: (1) *Humanitatis:* est enim patria cum Magistratu ordinata hominum societas.

(2) *Cognationis:* quia cognatorum nostrorum salutem continent. (3) *Peculiaris fœderis*, quo ipsis sumus obstricti.

§. 11. Tertia: *Simpliciter honesta nunquam sunt postponenda utilibus.*

Non igitur facienda sunt mala, ut eveniant bona. Data latronibus fides non est violanda, ut pecuniam promissam serves. Nec juramentum hosti præstitum negligendum, ut vitam liberes, vel pœnam effugias. Insigne exemplum habetur in *Regulo*, de quo *Cicero* in officiis, Actiones per se malæ non excusantur bono fine. Utrumque ut tyrannus è medio tollatur, cum uxore tyranni non licet rem habere, &c. Sic & inter *mala culpæ* non datur electio; quamvis detur inter *mala pœnæ*, ut constat exemplo *Davidis* pestem præ bello & fame eligentis. 2. Samuel. 24.

§. 12. Quæritur (1) *An prudentia sit distincta à reliquis virtutibus moralibus?*

Resp. Pro *Affirmativa* pugnant sequentia argumenta.

(1) Prudentia est directrix virtutum moralium: Ergo distincta est à virtutibus moralibus, quas dirigit.

(2) Prudentia non est moderatrix affectuum: Virtutes morales sunt moderatrices affectuum: Ergo non sunt idem cum prudentia.

(3) A virtute morali denominamur boni: A prudentia, virtute intellectuali, non denominamur boni. Ergo prudentia non est idem cum virtutibus moralibus.

(4) Prudentia ordinat & eligit media ad finem: virtutes morales non eligunt & ordinant media ad finem *Aristot.* 6. Moral. Nicomach. Ergo.

(5) Virtutes morales inter se specie sunt distinctæ: ut suo loco ostendimus: Ergo non sunt una virtus, nempe prudentia: adeoque ab iis distincta est prudentia.

§. 13. Pro *negativa*, quam *Stoici* sunt amplexi, objicitur.

Prudentia est communis forma omnium virtutum moralium: Ergo omnes virtutes morales sunt una prudentia.

Antecedens probatur: *Quia omnes virtutes morales sunt recta agendi ratio: Atqui prudentia est recta agendi ratio, omnes virtutes morales in medio sunt positæ à prudentia circumscripto.* Hinc *Plato* collegit: *omnes virtutes esse unam, non autem plures forma distinctas.*

Resp. *Antecedens* negatur: *probatio* est inconsequens: rectam agendi rationem communem cum virtutibus moralibus habere prudentia potest; & tamen ab iisdem distincta esse potest: Quia eodem modo prudentia non est recta agendi ratio, quo virtutes particulares morales. Prudentia directrix est ratio: virtus particu-

particularis subscribit & obtemperat. Præter prudentiam nulla alia virtus hanc vim & proprietatem habet, ut actum alterius virtutis eliciat, ut ordinem præscribat, ut medium eligat, ut progressum actionis dirigat. *Casus* Moral. lib. 6. cap. 13. *Keckerm.* cursus Philosoph. disp. 22. q. 13.

§. 14. Quæritur (2) *An prudentia sit prior reliquis virtutibus particularibus?*

Resp. Præcedit eas, quatenus modum circumstantiarum præscribit, & actiones habitum præcedentes dirigit, & dum imperfecta est, media qualiacunque ordinat. Interim cum illis perficitur, & cum crebris suis, tum virtutum particularium, actionibus confirmatur. Est & perpetua earum comes, quatenus determinat, eligit, dirigit media secundum varias circumstantias in singularum virtutum particularium actionibus. Unde patet, prudentiam perfectam simpliciter non præcedere actiones virtuosas omnes: quia in iis & cum iis crescit & adolescit: etsi, ut imperfecta, primis actionibus virtuosis prior est.

§. 15. Quæritur (3) *An omnes virtutes in prudentia sint connexæ?*

Resp. Pulchre ait *Casus*, *prudentiam veluti centrum in circulo hujus vitæ poni, ut omnes lineæ virtutum à circumferentia flexæ in se desinant, & quasi revolvantur.*

Connecti vero omnes cum prudentia, nihil aliud est, quam agere omnes secundum rectæ rationis præscriptum, secundum electionem & multiplicem circumstantiarum ordinem & decorem. Atqui solius prudentiæ hæc est vis & proprietas, ut actum alterius virtutis eliciat, ut ordinem præscribat, ut medium eligat & progressum actionis dirigat. Unde sequitur, ne unica quidem virtute præditum esse, qui prudens non est: & qui perfecte prudens est, omnibus esse præditum. Vide *Keckerm.* curs. Philosoph. disp. 22. q. 16.

§. 16. Quæritur (4) *Cur prudentia omnium virtutum sit difficillima?*

Resp. Quia objecta ejus ab intelligibilibus sunt remotissima: versatur enim prudentia circa res singularissimas, easque infinitas, hoc est, certo numero non definitas: quia singulis pene momentis possunt aliæ atque aliæ occurrere circumstantiæ, quæ certis comprehendi præceptis non possunt & judicium requirunt exactum. Quam in sententiam egregie *Theophrastus*, apud Gell. lib. 1. cap. 3. *Has & parvitates rerum & magnitudines, atque has omnes officiorum æstimationes alia nonnunquam momenta extrinsecus, atque alia quasi appendices personarum &*

 causarum

causarum & circumstantiæ ipsius necessitates, quas includere in præcepta difficile est, moderantur & regunt, & quasi gubernant, & nunc ratas efficiunt, nunc irritas.

§. 17. Quæritur (5) *Utrum prudentia sapientiæ sit præferenda, an sapientia prudentiæ?*

Resp. *Prudentiam* supra definivimus, *recte agendorum agnitionem:* quæ virtus, sive habitus est practicus circa bonum occupatus. *Sapientia* est habitus, per quem causas rerum ad summa & communia usque principia indagamus & novimus: Quæ virtus, seu habitus est theoreticus, circa verum occupatus. Jam si quæras, *utri habitui prima sint deferenda*, cum distinctione respondet *Piccolomineus.*

In comparatione Sapientiæ & prudentiæ attendi solet *necessitas* & *utilitas:* vel *dignitas* & *sublimitas.*

Ratione *utilitatis* & *necessitatis* Prudentia & praxis ejus præferenda sapientiæ in hac mortali vita æternitatem meditante.

Rationes sunt.

(1) Quia prudentia, quæ reliquis est comitata virtutibus moralibus, virum reddit absolute probum & bonum: Sapientia vero etiam improbis & malis potest esse communis.

(2) Quia oppositum prudentiæ est longe pejus, quam oppositum sapientiæ: Est igitur prudentia præferenda Sapientiæ. *Ratio* conseq. quia cujus oppositum est deterius, id censeri debet præstantius. *Antecedens* prob. quia Prudentiæ opposita imprudentia, vitiorum comitata choro, hominem reddit improbum, infamem & pœna dignum. Sapientiæ vero opposita ignorantia æstimationi viri boni non officit, neque à dignitatibus eum arcet: quæ causa est, quod & scriptura nos potius ad praxin, quam ad contemplationem vocet.

(3) Quia vitæ humanæ societas conservari, Respublicæ administrari, leges condi & inter homines coli justitia potest sine sapientia in specie & κατ' ἐξοχὴν sic dicta, minime vero absque prudentia.

(4) Quia Sapientia sine Prudentia est instar acuti gladii, quo tam in suam abuti homo perniciem potest, quam ad salutem uti. Prudentiæ abusus hujusmodi nullus datur: semper ea humanæ societati & vitæ utilis est. *Concludimus* igitur majorem esse in hac vita Prudentiæ *necessitatem* & *utilitatem*, quam Sapientiæ.

§. 18. Ratione *dignitatis* seu *sublimitatis* Sapientia præfertur Prudentiæ, & contemplatio praxi, si hominis naturam absolute consideres, quatenus intellectu ea prædita, ejusque ratio ad divinæ

divinæ naturæ excellitatem aſſurgit, per inveſtigationem & conplationem primorum principiorum. Rationes ſententiæ hujus ſunt.

(1) Quia per Sapientiam, ſeu contemplationem & inveſtigationem cauſarum, homo maxime avocatur à corpore & ad animæ centrum quaſi revocatur, ad ſimilitudinem DEI & Spirituum. Unde *Ariſtoteles* in proœmio Metaphyſicæ ait, *Sapientia poſſeſſionem divinam eſſe.* Et *Plato: Nomen ſapientis magnum eſſe & ſoli* DEO *competere.*

(2) Quia Sapientia eſt fundamentum Prudentiæ, cui cauſas ſuggerit & rectarum notionum principia monſtrat. Unde exquiſite prudens nemo eſt, quin idem ſapiens ſit: quam in ſententiam Plato ait. *Prudentiam ex Sapientia manere & ſine ſapientia levem & fugacem eſſe.* Nunquam tamen crediderim à *Platone* intelligi ſapientiam, quæ ex præceptis hauritur *metaphyſicis, Phyſicis Mathematicis:* cujus cum prudentia civili nexus adeo neceſſarius non eſt.

(3) Quia Sapientia occupatur circa res perpetuas & immutabiles, Prudentia circa caducas & mutabiles; quales ſunt humanæ actiones morales, quas regit Prudentia.

(4) Quia Sapientiæ ſtudium magis eſt liberum, minus obnoxium perturbationibus, pauciora requirit naturæ & fortunæ inſtrumenta, quam Prudentia.

§. 19. Huic *quæſtioni* plane affinis eſt, quæ inter veteres quoque agitata eſt: *An vita activa preferenda ſit contemplativa?* De qua in utramque partem eleganter diſſerentem vide *Maximum Tyrium*, diſſert. 5. & 6. Eodem tendit quæſtio: *An ſcientiæ ſpeculativæ ſint præſtantiores practicis?* Quam ex profeſſo tractabimus in appendice de virtutibus intellectualibus, Theſ. 6. ἐκθ. 12. q. 11. Prolixe tractatam quæſtionem vide apud *Piccolom.*, Grad. 5. cap. 44. 45. 46. 47. 48. 49.

§. 20. Quæritur (6) *An, præter Prudentiam, alia detur univerſalis virtus moralium directrix?*

Reſp. Prudentiæ adjungunt nonnulli Ethici *Juſtitiam univerſalem*, quæ definitur, *Virtus dirigens voluntatem & appetitum hominis ad obedientiam omnium legum pertinentium ad humanæ ſocietatis conſervationem, adeoque virtutum omnium habitus & actiones gubernans ſecundum præſcriptum illarum legum, ut homo agnoſcat, ſe obligatum eſſe ad ſervandas illas leges & ſuum ſibi aliiſque tribuendum.* Brevius *Ariſtoteles* definit: *Juſtitia, eſt virtus per quam præſtamus obedientiam legibus.*

Præter Prudentiam neceſſaria creditur eſſe hæc virtus ad omnium

mnium & singularum moralium actus, seu exercitium: Quia minimè sufficit nosse bonorum delectum, & posse actiones suas ad loci, temporis, & personarum circumstantias accommodare, nisi ad virtutum munia præstanda te obligatum esse noveris, & firmum omnibus obediendi legibus propositum habueris: atqui omnis actio virtuosa est obedientia, vel pars obedientiæ. Est igitur virtus specialis executrix omnium, quæ deligenda judicat prudentia, & ad quæ præstanda nos obligat justitia. Unde, ut eximiis ornatur titulis *prudentia* de quibus supra ad *§. 12. lit. 2.* Ita & *justitia*: quam Aristot. appellat 5. Eth. cap. 1. *ἀρίστην τῶν ἀρετῶν, optimam virtutum*, & ex ore Platonis, *Lucifero admirabiliorem* Cic. lib. 3. off. *excellentissimam, & splendidissimam, omnium virtutum reginam & dominam.*

§. 21. *Universalis* hæc *justitia* omnes complecti virtutes particulares dicitur, non quod ipsa sit virtus omnis, sed quod directrix sit omnium, & singulis earum præsit actibus, veluti gubernaculum, aut qui ad gubernaculum sedet, navi. Vocatur ergo *universalis*. 1. Quia omnium virtutum particularium est gubernatrix & directrix. 2. Quia justitia quædam, in specie sic dicta, particularis datur, cujus duæ sunt species, justitia *commutativa* & *distributiva*: quamvis justitia hæc universalis non sit genus *commutativæ* & *distributivæ*: harum enim genus est justitia particularis. Unde justitia distinguitur in *universalem* & *particuralem* hæc in *commutativam* & *distributivam*, ut suo loco videbimus.

§. 22. Partes *justitiæ universalis* duæ constituuntur. 1. Agnoscere te obligatum esse ad leges observandas, & velle eas observare. (2) Scire, quid & quantum cuique sit tribuendum. Hæc secundum receptam dicta sunto sententiam. Nostram pluribus suo deinceps loco explicabimus. *Universali* quadam *justitiâ*, quæ distincta sit à virtute in genere & omnibus aliis speciebus, non adeo opus videtur esse. Siquidem virtus in genere est propositum vivendi secundum legem: cujus actus est obedientia legibus præstita. Unde patet, universalem justitiam aliud nihil esse, nisi virtutem in genere sic dictam.

§. 23. Quæritur (7) *An, præter virtutem universalem directricem, etiam detur affectus aliquis omnium particularium director?*

Resp. Virtutes universales præsupponere & implicatum habere amorem, Ethicorum nonnullorum est sententia non contemnenda: quia sine honesti amore virtus particularis esse non potest: odium & fuga honesti omnium vitiorum moralium est mater.

ter. Distinguitur autem *amor* ex *objectis:* (1) in amorem DEI (2) In amorem sui seu φιλαυτίας (3) In amorem aliorum hominum & totius humanæ societatis: Uti & virtus moralis tendit vel in DEUM, vel in nos ipsos, vel in homines alios.

Amor DEI ad omnium virtutum nos excitat studium. Qui enim amat DEUM, is ejus se legi conformat. Unde *Christus* Johan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* & v. 21. *Qui tenet præcepta mea & servat ea, is ille est, qui diligit me.* Qui vero legi se conformat, is virtuti studet: quæ propositum est vivendi secundum legem.

Amor sui, seu φιλαυτία, ad honesti studium quoque nos inflammat, adeoque ad virtutes morales, & inprimis quidem eas, quæ ad nos ipsos pertinent. Qui enim se ipsum amat, sibi bene vult & facit: qui sibi bene vult & facit, is optimam & præstantissimam sui partem veris bonis, hoc est, virtutibus moralibus, excolere & ornare studet; ut, propter recte factorum conscientiam, animo esse tranquillo possit, securus pœnarum, quæ malefacta comitantur. Unde patet, malum virum non amare seipsum, neque sibi bene velle aut facere: quia optimam sui partem negligit & vitiis inquinat: imo, præter animum, ipsum quoque corpus affligit per intemperantiam, & alia vitia. Sed *observandum* probe, duplicem esse φιλαυτίαν, nempe bonam & malam: quarum illa ex amore DEI derivatur & studio conformandi se legibus: hæc à DEI aberrat lege & amore, neglectaque anima, corpori & affectibus inordinatis nihil non indulget: quam φιλαυτίαν cæcam, seu amorem sui cæcum, appellant: cujus nomen *Græcis* proprium est αὐθάδεια: quæ ad honestatem & vera animi atque corporis bona clausos habet oculos, ex errore mentis, seu rationis, & nimia sui admiratione; per quam omnia sua probat, aliena improbat &c. De hac *Plato* de LL. ἡ φιλαυτία καὶ αὐθάδεια πάντων ἁμαρτημάτων αἴτιον ἐστι: *omnium peccatorum causa est.* Verissime: non enim agnoscit αὐθάδης indigentiam suam: &, quia non agnoscit, de ea mutanda non laborat. Αὐθάδεια est falsa persuasio, quæ pestis est, & omnem in literis & moribus progressum impedit.

§. 26. *Amor aliorum hominum*, qui ex amore DEI & nostri ipsius derivatur, ad actus virtutum, præsertim quarum fructus ad alios pertingit, qualis fortitudo in specie dicta, liberalitas, justitia, comitas, taciturnitas &c. maxime incitat. Qui enim amat alios, is bene ipsis cupit & facit, omnique pietatis & humanitatis officio demereri studet.

De *universali temperantia* & *fortitudine*, præter alios, differentem vide *Piccolomineum*. Grad. 4. cap. 27.

§. 27. Quæritur (8) *An per prudentiam inter duo vel plura mala unum quandoque debeat eligi.*

Resp. Malum per se non est appetibile: unde malum qua malum, nemo eligit: cum autem quandoque eligitur, quod est malum, non fit id sub ratione mali, sed minoris mali, quod respectu majoris, rationem boni aliquo modo habet. Eligitur etiam malum per errorem, quod boni speciem præ se fert.

Distinguendum autem hoc loco malum, quod est *culpa*, vel *pœna*: illud anomia est turpis, nullo respectu honesta, cujus nulla nobis permissa est electio, si maxime inter plura detur optio: Hoc afflictio est molesta, vel passio naturæ adversa: cujus permissa est electio, si detur optio: hac tamen conditione: *si nocens & pœnam aliquam promeritus sis.* Innocens enim pœnam eligeret contra justitiam, & se ipsum suspicione oneraret: Interim probe attendendum & cavendum, si ejusmodi eligatur pœna, quæ culpæ quoque & *ἀνομίας* rationem habeat. Ut, si pœnæ loco tibi injungatur, ut idololatriam exerceas, vel nomen Dei blasphemes: ut alienam uxorem violes, vel tuam alteri violandam tradas: ut, quod verum esse ignoras, juramento confirmes, vel Magistratui tuo maledicas &c. Nulla in hisce talibus permissa est electio: quia contra Dei legem delinquere nunquam permissum est.

Conditionem de *nocente* & *reo* addit *Keckermannus*: Interim altioris videtur res indaginis: si innocenti à tyranno permittatur electio inter duas pœnas, quarum una sit gravior & intolerabilior altera: & si plane persuasus sit, alterutram se passurum, & forsan etiam atrociorem, si non eligeret mitiorem. Etiamsi enim innocens ad pœnam se offerre non debet: quippe quæ iniqua est: tamen si pœnæ malum sibi decretum, & citra omne dubium esse subeundum, per vim tyranni, noverit: non sine causa quæri arbitramur: *An non optione data, etiam innocens, ex amore sui & obligatione naturali, teneatur mitiorem pœnam eligere, & vindictam justo judici permittere?* Hoc enim nisi faceret, sciens volensque (cogi enim voluntas non potest) atrocioribus se ipsum cruciatibus objiceret, quam à tyranno objiciendus fuisset, adeoque crudelior in se ipsum foret, quam tyrannus forte futurus erat.

§. 28. Quæritur (9) *Si honesti detur optio, ut tibi vel patriæ possis eligere, utrum tibi potius, an patriæ debeas eligere?*

Resp. Tibi potius: quia te ipsum primo & maxime teneris diligere,

ligere, alios autem propter te ipsum. In *utili* secus res se habet: Ratio discriminis: quia per *honestum* nos perficimus: per *utile* non item: id vero, quo perfectiores & meliores reddimur, ante omnia eligere nobis tenemur.

§. 29. Quæritur (10) *Si plures periclitentur de vita, eosque vitæ tuæ jactura vivos conservare possis, utrum tuæ potius, quam plurium aliorum, vitæ habenda sit ratio?*

Resp. Plurium aliorum vitæ potius, quam tuæ, habenda ratio. Si plures illi sint magistratus, aut viri boni, ex quorum salute magis pendeat salus patriæ, quam ex tua.

Unde tritum illud: *Præclarum & honestum est pro Patria mori.*

Neque repugnat hoc τῇ φιλαυτίᾳ & amori sui ipsius: Quia φιλαυτία honestum non negligit. Honestum autem est, ut unius hominis salus postponatur multorum bonorum saluti, præsertim Patriæ. Honestum utili præferendum. Imo cum illa honesti electioni concurrit quoque ratio utilitatis: Quia, qui vitæ suæ jactura plurium bonorum, præsertim patriæ, salutem redimit, sibi ipsi plurimum prodest: quando famam & suos servat, etjam tum, cum vitam profundit: jactura vitæ caducæ compensatur nominis & famæ immortalitate. Si vero plures illi sint mali, qui minus prosint Patriæ, quam tu, propriæ vitæ habenda tibi ratio: iniquum enim salutem malorum præferre saluti patriæ.

§. 30. Quæritur (11) *Qualia officia sint tribuenda cognatis, qualia amicis, qualia viris bonis?*

Resp. Officia sunt vel *virtuti*, vel *naturæ* debita: officia *naturæ* debita, quæ alimoniam & vitæ subsidia concernunt, primum cognatis, deinde amicis, tandem viris bonis ignotis sunt præstanda.

Officia *virtuti* debita, ut honores, præstanda iis, quorum major & eminentior est virtus, etiamsi natura & sanguine nobis juncti non sint. Quod enim *virtuti* debetur, id neglecta virtute, *sanguini* & *naturæ* dandum non est: suum enim cuique tribuendum. Quod si vero par ubique sit virtus, cognati præferendi reliquis, amici ignotis.

§. 31. Quæritur (12) *Si pater & filius in eodem sint periculo, & unus tantum liberari possit, quid prudentia suadeat?*

Resp. Nisi publici boni interveniat consideratio, patri potius succurrendum, quam filio. (1) Propter *sanguinem*: (2) Propter *reverentiam* & gratitudinem Patri debitam. (3) Propter *disparem restitutionis rationem.* Pater semel amissus restitui non potest:

reſt: Filius amiſſus reſtitui quandoque poteſt per ſucceſſionem alterius filii.

§. 32. Quæritur (13) *Si multi & ignoti, & unus, quem noris, bonus in periculo ſint: multis ne potius, an uni ſuccurrendum?*

Reſp. Multis potius: quia de ignotis bene potius, quam male præſumendum: charitas enim malum non præſumit & præjudicat, niſi evidentibus inducta cauſis. Atqui, citra controverſiam, multis bonis potius ſuccurrendum, quam uni.

§. 33. Quæritur (14) *Si in eodem videas conſtitutum periculo infantulum & adultum, utri potius ſuccurrendum?*

Reſp. Pro infantulo deponit *Keckermannus:* (1) Quia prudentia dictat infirmo potius ſuccurrendum: quam qui aliena ope tantopere non eget. (2) Quia de infante præſumi poteſt æque bonum fore, aut etiam meliorem. (3) Quia Reſpublica plus emolumenti exſpectare poteſt ab infante, quem ſpes eſt diu victurum, quam ab adulto, qui magnam vitæ partem tranſivit.

Quod ſi vero ſpes evadendi in neutro appareat, & ſi uterque æque ſit ignotus, vel etiam de adulti conſtet probis moribus: adulto potius, quam infantulo, ſuccurrendum nobis videtur.

(1) Quia certior ex adulto, quam ex infantulo, emolumenti ad patriam redituri ſpes eſt.

(2) Quia majora ſunt adulti, quam infantuli, merita: & virtus in adulto honoranda potius, quam in infantulo ſpes virtutis incerta.

(3) Quia damna per occaſum adulti emergentia ſunt evidentiora, quam per occaſum infantuli: cujus tenella ætas pluribus obnoxia eſt periculis, quam adulti.

§. 35. (4) Quia in adulto metus mortis eſt horribilior, quam in infantulo rationis uſu deſtituto.

Quæritur (15) *Utrum benefactori, an amico, ſi æque ſint boni, in vitæ periculo ſit ſuccurrendum?*

Reſp. Amico, cui majori & fortiori obſtrictus es vinculo, propter plura beneficia: quam non amico in ſpecie ſic dicto, qui uno forſan beneficio te ſibi obſtrinxerit, præſertim ſi tantum id non fuit, ut pro eo reddi vita debeat.

§. 36. Quæritur (16) *Utrum benefactori potius ſit referenda gratia, an propinquo aliquid largiendum?*

Reſp. Niſi propinquus vehementer egeat, benefactori potius referenda gratia: quia creditori debitor potius reddere debitum tenetur, quam alteri aliquid largiri. Eſt autem benefactor quaſi creditor, qui beneficium accepit, debitor.

§. 37. Quæ-

§. 37. Quæritur (17) *Si eodem tempore, ex duobus æque amicis, vel propinquis, unus ad nuptiarum celebrationem alter ad funeris deductionem te invitet, utri gratificari debeas?*

Resp. Ei, qui ad funus te invitat deducendum.

(1) Quia de sententia *Ecclesiastæ*, cap. 7. præstat ire in domum luctus, quam in domum convivii.

(2) Quia deductio funeris est actus pietatis, celebratio nuptiarum, lætitiæ.

(3) Quia, qui ad funus te invitat, magis tuo eget auxilio & solatium requirit; ad nuptias qui invitat, tantum gaudii socium quærit: quo carere potest facilius, quam consolatore, qui in luctu est.

(4) Quia virtus & amicitia in rebus adversis magis elucet, quam in prosperis.

(5) Quia amici offensionem magis metuit prudens, si luctui se subducat, quam si lætis rebus se non misceat.

CAPUT VI.

De DISTRIBUTIONE VIRTUTIS.

THESIS I.

Species virtutis duæ sunt: Pietas *&* Probitas*; illa erga* DEUM*, hæc erga nos & alios exercetur.*

Ἔκθεσις.

§. 1. SUFFICIENTISSIMA sunt hæc duo virtutis capita ad rectam vitam, quæ, scriptura teste, perficitur DEI cultu, quem *pietas* præscribit; & dilectione nostri proximique, quam *Probitas* moderatur.

Nituntur hæc gentilium quoque *preceptis & exemplis.* Præceptum *Platonis*: *Nempe hic tibi propositus debet esse finis, ut* DEI *cultu & vitæ puritate optatum tandem exitum consequare.* Exemplum *Socratis*; hic à Xenophonte sic laudatur: *Erat adeo religiosus, ut sine Dei consilio nihil ageret: adeo justus, ut nemini, ne exigua quidem in re, noceret, prodesset autem iis maxime, qui ipso uterentur: adeo continens, ut nunquam id, quod jucundius esset, meliori anteponeret.*

§. 2. Quæ-

§. 2. Quæritur (1) *An virtutes morales inter se specie sint distinctæ?*

Resp. *Affirmativa* defenditur sequentibus argumentis.

(1) Quia diversos recipiunt appetitus, aliæ appetitum irascibilem, aliæ concupiscibilem: quæ subjecta virtutum moralium in scholis Peripateticis creduntur.

(2) Quia distinctas perturbationes temperant & ad mediocritatem revocant: quæ quasi materiæ sunt distinctæ, & formas arguunt distinctas.

(3) Quia diversarum actionum sunt principia: quæ & ipsa oportet esse distincta.

(4) Quia objecta habent plane diversa specie distincta, cujusmodi sunt *divitiæ, honores, terribiles res, contractus, cibus & potus, amor* &c.

(5) Quia alii ad aliam magis minusve inclinant, per corporis temperamentum.

(6) Quia à se invicem sunt separabiles: Unde non omnes sunt fortes, qui sunt temperantes, & liberales, qui sunt taciturni: neque omnes magnanimi, qui justi &c.

(7) Quia non iisdem actibus acquiruntur omnes; aliis enim actibus fortitudo, aliis temperantia, aliis liberalitas, aliis patientia &c. acquiritur.

§. 3. In *contrariam sententiam* inclinarunt olim teste *Plutarcho, Menedemus, Aristochius, Zeno.* Quibus virtus, dum considerat quid agendum sit, vel non agendum, prudentiæ nomen gerit, dum moderatur cupiditatibus, temperantiæ, dum commercia contractusque temperat, justitiæ &c. Igitur pro hac sententia objicitur.

(1) *Virtuti morali unum duntaxat est contrarium: Ergo una quoque tantum est virtus.*

Antecedens prob. quia una insania toti adversatur virtuti, quamvis nominibus exprimatur diversis: quæ *Platonis* est sententia.

Resp. Negatur *conseq.* Ut enim unitas generis non tollit diversitatem specierum, ita nec unitas contrarii generalis. Virtuti morali in genere adversatur morale vitium: speciebus vero virtutum singulis vitia quoque distincta. Insania non tam virtuti in genere, quam sapientiæ vel prudentiæ in specie opponitur.

§. 4. (2) *Si Sanctitas à justitia differret specie, utiq; non posset de justitia prædicari: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Connexi ratio est: quia species disparata una non prædicatur de al-

de altera. *Assumtio* prob: quia vere dicimus, sanctitatem esse rem justam, & justitiam esse rem sanctam.

Resp. *Conclusio* assertioni nostræ non contradicit: neque enim si sanctitas à justitia non differt specie, illico virtutes morales particulares à se specie non differunt. Quia sanctitas in genere sic dicta non est moralis virtus particularis, sed communis omnium affectio: unde in concreto recte de omnibus prædicari potest. Eadem & justitiæ universalis est ratio: omnis enim virtus particularis est res justa. Quod dici vere de justitia particulari non potest: neque enim omnis virtus particularis, exempli gratia, liberalitas, patientia, taciturnitas, est *justitia commutativa* vel *distributiva*: uti nec fortitudo est liberalitas &c.

(3) *Moralium virtutum sublata una, omnes tolluntur: Ergo specie inter se non differunt.*

Antecedens probatur: *Quia omnes inter se vinculo indissolubili sunt connexæ: secundum receptam Ethicorum sententiam.* Ratio conseq. *Quia specierum disparatarum una potest esse sine altera: ut, homo sine leone, leo sine urso* &c.

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est: ut suo loco videbimus. 2. *Consequentiam* negant, qui *antecedens* admittunt. *Ratio* universaliter vera non est: quia disparatarum specierum omnium ratio eadem non est: sunt enim aliæ magis, aliæ minus connexæ: substantia & accidens sunt disparatæ species, & tamen accidens esse sine substantia non potest: neque substantia sine accidente proprio. Mutua sunt virtutum vincula, quæ ita dicuntur se invicem respicere sibique inplicata, ut soluto aut sublato uno solvantur omnia, secumque ad interitum trahant virtutes.

§. 6. (4) *Si virtutes distinguuntur specie, inter se contrariæ erunt: atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Connexum probatur: *quia species ejusdem generis per oppositas differentias constituuntur: quæ differentiarum oppositio ad contrariam oppositionem redigitur ab Aristotele* 4. & 7. Metaph. Assumtio prob. *Quia in eodem subjecto simul sunt & amice inter se conspirant.*

Resp. *Connexum* negatur: *Probatio* inconsequens est: Differentiarum oppositio ad oppositionem contrariam in specie sic dictam necessario non refertur: sed sæpissime ad oppositionem disparatorum: cujusmodi inter virtutes quoque est oppositio, quæ latissimo significatu contraria appellatur.

§. 7. Quæritur (2) *An ita inter se connexæ sint virtutes, ut unam qui habet, omnes habeat, & unam qui non habet, nullam habeat?*

Resp.

Resp. Variæ sunt Philosophorum sententiæ. *Scotus* cum aliis nonnullis scholasticis *negativam* amplectitur sequentibus argumentis.

(1) Quia frequentissime contingit, ut aliquis magis in unius, quam in alterius virtutis actionibus versetur, magisque ad unum, quam ad alterum genus actionum inclinet, & magis abundet instrumentis atque opportunitatibus ad unius, quam ad alterius virtutis actionem necessariis.

(2) Quia homo actionibus temperantiæ non evadit fortis, neque actionibus virtutis temperans, &c. Ergo unam potest acquirere virtutem, nempe cui dat operam, ut alteram non acquirat.

(3) Quia connexio illa non est de ratione virtutum iisque intrinseca: unde non accipitur in definitione virtutis neque eam necessario consequitur; sed extrinsecus & ex eventu tantum competit, & potest non competere.

(4) Quia una virtus alteri non est ratio, ut sit virtus; temperantia non habet à fortitudine ut sit virtus, neque fortitudo à temperantia, &c. alias sequeretur, virtutem aliquam esse virtutem ante, quam esset virtus: & nullam esse primam virtutem, imo plane virtutem non esse: quod ex *Scoti* sententia probantem vide *Piccol* Grad. 4. cap. 40.

(5) Quia perfectiones particulares ita se habent, ut una possit esse absque altera: sanitas & pulchritudo oculi potest esse sine sanitate & pulchritudine aurium &c. Atqui virtutes morales sunt perfectiones particulares.

(6) Quia experientia testatur, esse liberales, qui fortes non sunt, & fortes, qui liberales non sunt; esse taciturnos, qui magnifici non sunt, & in contractibus justos qui temperantes non sunt &c.

(7) Quia virtus non comparatur nisi crebris actionibus: atqui plurimi sunt temperantes, qui quarundam aliarum virtutum, exempli gratia, magnanimitatis, gravitatis, fortitudinis &c. actus vel nullos, vel paucissimos exercuerunt: adeoque virtutes istas non compararunt.

§. 8. Contrà vero *affirmativam* defendit cum scholasticis nonnullis aliis *Thomas*: in quam sententiam & *Patres* nonnulli trahuntur, ut videre est apud *Conimbric.* disp. Eth. 7. q. 4. art. 2. Rationes præcipuæ sunt duæ.

(1) Perfecta liberalitas cohibet appetitum pecuniæ in omni eventu; alioquin non esset perfecta: Atqui præstare hoc non potest absque præsidio aliarum virtutum: Ergo liberalitas perfecta aliarum virtutum requirit conjunctionem.

Assumtio

Assumtio prob. quia si cui verbi gratia, ex una parte mors, ex alia proponatur pecunia ad inferendam injuriam patriæ: nisi virtute fortitudinis munitus sit, ad contemnendam mortem, & justitiæ, ad non inferendam injuriam, facile succumbet pecuniæ cupiditati. Non potest igitur esse perfecta liberalitas absque fortitudine & justitia, neque absque aliis virtutibus.

(2) Perfecta virtus moralis perfectam requirit prudentiam: Atqui perfecta prudentia non potest esse absque aliis virtutibus. Ergo omnes quasi virtutes communi vinculo prudentiæ inter se sunt copulatæ.

Propositio prob: ex definitione virtutis, quæ in mediocritate secundum regulas prudentiæ præscripta dicitur consistere. Non autem ad unam aliquam perfectam virtutem sufficere prudentiam circa unam materiam, sed perfectam & integram circa omnes requiri, inde prob. Quia, ut temperans sit, non satis est, ut recte judicet in difficultatibus, quæ ad temperantiæ spectant materiam: sed oportet, ut in quavis re, quæ se obtulerit, recte sentiat: ne forte ex affectu avaritiæ aut timiditatis judicet intemperanter agendum esse.

Assumtio prob. Quia nisi prudens omnium virtutum ornamentis sit excultus, perfectum sanumque judicium de rebus gerendis ferre non poterit: nec decernere quid fugiendum, aut amplectendum: Siquidem passionum impetus, nisi virtute adhibeantur, rationem excæcant, & rerum æstimationem pervertunt.

§. 9. Ad idem comprobandum *Piccolomineus* octo enumerat vincula, quibus omnes inter se connecti virtutes, ita ut una esse sine aliis haud possit, videntur. Grad. 4. cap. 39. Sunt ea.

(1) *Prudentia*; quæ, tanquam Spiritus, omnes permeat virtutes particulares. Unde *Zeno* & *Apollophanes* omnem virtutem putarunt esse unam, eamque prudentiam esse.

(2) *Finis omnium communis*, qui honestum est: ad hunc enim omnes conspirant: Cum igitur virtute præditus sit probus, suaque probitate & virtute honestum expetat, quatenus est honestum: utique omne honestum appetet: quod fieri sine omnibus virtutibus non potest.

(3) *Amor*: qui omnes devincit virtutes; quatenus honestum constanter amatur & optatur, *objecta* etiam sensuum, ut decet, diliguntur: ipsæque virtutes se invicem complectuntur & amant; & una alteri expetit uniri.

(4) *Virtutum principalium & cardinalium mutua coextensio & amplexus*: Justitia enim, fortitudo & temperantia, universæ virtutes, meant per omnes & singulæ in singulis reperiuntur. Siquidem

quidem per omnem virtutem obtemperamus legibus, vincimus nos ipsos, vitia ut monstra, domamus, & perturbationes congruenter temperamus.

(5) *Actio singularum virtutum perfecta, concursum requirens aliarum actionum.* Perfectam enim temperantiæ actionem non posset edere, qui partem tantum virtutis haberet, exempli gratia, temperantiam, & interim vitio avaritiæ esset inquinatus: per hoc enim ad actum temperantiæ contrarium induci posset, ut & per vitium timiditatis oppositum fortitudinis.

(6) *Denominatio hominis virtuosi facta à probitate:* omnis enim virtuosus absolute vir probus denominatur. Exempli gratiâ, vir fortis, quia est fortis, absolute dicitur probus; liberalis, quia liberalis, absolute probus. Atqui absolute probus nemo diceretur, nisi absolute omni virtute præditus esset.

(7) *Praelectio*, quæ in functione munerum virtutis principem tenet locum. Atqui prælectionem rectam antecedit recta consultatio, quæ, ut ducem, requirit rectam finis expetitionem. Cui vero recta prælectio, consultatio & appetitio finis competit, ei omnes virtutes necesse est competere.

(8) *Integritas & perfectio virtutis;* quæ consistere non potest cum defectu alicujus partis, seu virtutis particularis. Integrum enim id demum est, cui pars nulla deest.

¶ 10. Inter extrema hæc duo medium nonnulli eligunt & triplicem virtutum moralium gradum constituunt & distinguunt. *Gradus primi* virtus est conjuncta cum passionibus vehementibus, quibus resistitur, vocaturque gradus continentiæ: *Secundi gradus* virtus passiones non adeo vehementes conjunctas habet, & vocatur gradus temperantiæ: *Tertii gradus* virtus plane refrænatas habet passiones, vocaturque gradus heroicus: *Primus* est incipientium: *Secundus* proficientium: *Tertius* perfectorum. Jam porro sententiam suam ita explicant.

(1) *Virtutes in gradu heroico perfectorum, seu perfectissimæ ita inter se sunt connexæ, ut una absque aliarum societate haud possit esse. Rationem* reddunt: quia omnes mutuum sibi præstant auxilium, & aliæ aliis perfectionem adjungunt. Unde omnem sortiuntur excellentiam.

(2) *Virtutes in gradu continentiæ incipientium, inter se ita connexæ non sunt, ut una esse sine altera non possit.*

Probant hoc rationes pro *Scoti* sententia adductæ.

(3) *Virtutes in gradu temperantiæ, profitiscentium inter se connexæ sunt.* Probant hoc rationes pro *Thomæ* sententia allatæ. quamvis pro heroico gradu potius militare videantur.

Valde

§. 11. Valde prolixus & anxius in distinctionibus est *Piccolomineus*, Grad. 4. cap. 41. 42. quæ quasi fundamenta jacet, ad *Scoti* rationes dissolvendas: notat igitur

(1) Virtutem duobus modis nobis posse competere: vel in summa sua & ultima perfectione: vel in imperfectione aliqua: Addit: de genere alicujus rei quando loquimur, semper optimum, absolutum & perfectum illius generis intelligi.

(2) Tribus modis in nobis gigni posse virtutes morales. 1. per eminentiores habitus: quomodo contemplationem dicuntur sequi & hauriri ex fontibus naturæ ac divinæ prudentiæ. 2. per consecutionem & mutuam connexionem: quia per cujuslibet virtutis actiones paramur ad communem finem, nec perfecte exercemur ad unam, quin ad alias quoque exerceamur. 3. Per se & primo per actiones virtutis hujus vel illius proprias.

(3) Firmitatem & constantiam in habitu virtutis requiri non tantum eam, ut à contrario non superemur: sed & eam, ut à nullo penitus revocemur à mediocritate. Sic temperantiæ in eo consistit firmitas, ut non tantum à voluptate nimia transversi non rapiamur, sed nec à timore vel avaritia aut ullo alio medio virtuti alteri opposito.

(4) Nonnulla esse de interna ratione & essentia virtutum, alia extrinsecus saltem cum ea colligari: prioris generis sunt constantia, scientia, prælectio, honesti desiderium, posterioris, per naturam magis esse facilem ad unum actionis, quam ad aliud: vel magis abundare instrumentis unius, quam alterius.

(5) Virtutes, ut imperfectas, neque per interna, neque per externa necessario complicatas esse: perfectas vero per communia connexionis capita & per ea, quæ sunt de ratione earum, necessario connexas esse. De imperfectis recte sensisse *Scotum*, de perfectis *Thomam*.

§. 12. *Hactenus de virtutum moralium connexione doctorum sententia.* Equidem non negaverim, eam posse concipi virtutis ideam, ut ultima ejus perfectio in omnibus difficultatibus possibilibus exerere se perfectis actionibus haud possit, sine aliarum adminiculis & concursu. Siquidem difficultates circa unius virtutis materiam possunt occurrere, quæ superari nequeunt absque aliis virtutibus, quæ pro objecto suo habere eas possunt. Ut si à *Castitatis* proposito avocare aliquem moliatur improbus, vel per amplas divitias, vel per magnos honores, vel per tormenta & mortem, vel per ebrietatem, vel per sermones impudicos, aut scurriles, vel per invitationem ad levitatem in moribus, vel per extenuationem beneficiorum acceptorum &c. ad perseverandum in

castitatis proposito opus erit *liberalitate*, *magnanimitate*, *fortitudine*, *sobrietate*, *civilitate*, *gravitate*, *gratitudine*, &c. ut elidat omnia irritamenta.

§. 13. Cum autem virtus ita absolute perfecta facilius cogitari possit, quam in subjecto inveniri, non magis reprehendendi videntur ii, qui negant, omnes necessario inter se connexas, quam qui affirmant: præsertim cum quæstio sit de virtutibus, non quales sunt in idea & imaginatione, sed quales sunt in hominibus, qui virtutibus exculti dicuntur: in quibus hominum judicio, quandoque in una & altera virtute excellunt, qui actus aliarum virtutum proprios nunquam attigerunt, exempli gratia, actus fortitudinis bellicæ, actus magnificentiæ &c. vel certe qui habitibus omnium virtutum instructi non possunt dici: quia crebris ad eos comparandos necessariis actionibus non sunt operati, adeoque ad actus virtutum omnium non assuefacti: quos omnium virtutum expertes dicere, quia omnium habitibus instructi non sunt, admodum videretur iniquum & dubium. Cumque ita comparatæ in adultis sint virtutes, ut, qui caret iis, earum extremis sit obnoxius (qui enim liberalis non est, is prodigus vel avarus est: qui fortis non est, is timidus vel audax est: qui temperans non est, ἀναίσθητος vel intemperans est: qui justus non est, injustus est &c.) sequeretur unica qui caret virtute, omnibus obnoxium esse vitiis; quia omnibus aliis carebit virtutibus. Quod cum absurdissimum & iniquissimum sit, in speciem durissima est assertio: ***unam qui habet virtutem, omnes habere : & unam qui non habet, nullam habere.*** Neque qui virtutem habet universalem per omnes aut plerasque particulares se diffundentem (quales vulgo nominantur *prudentia*, *temperantia*, *fortitudo*, *Justitia*) illico omnes & singulas particulares habet: quia universalium actiones se ipsas non restringunt, sed à particularibus restringuntur: alias particularibus non esset opus, aut una tantum numero in homine virtus esset.

§. 14. Quod de tribus modis, quibus gigni in nobis potest moralis virtus, philosophatur *Piccolomineus*, scrupulo non caret: non enim verisimile est virtutis moralis habitum gigni posse per solum habitum eminentiorem, vel connexionem mutuam, absque actionibus ejus propriis. Mera hæc est petitio principii.

§. 15. Quæritur (3) *An, quæ vulgo appellantur quatuor virtutes cardinales*, Justitia, prudentia, fortitudo, temperantia, *sint quatuor virtutum distincta genera, ad quæ omnes aliæ virtutes referri debeant?*

Resp.

Resp. *Negativam* amplectitur *Amesius*, Theolog. lib. 2. cap. 2. Ubi non *virtutes universales*, sed tantum *conditiones* esse contendit, quæ necessario requiruntur in omni illa dispositione, quæ virtutis nomen meretur. Quia non nisi admodum violenter ad ista capita omnes aliæ virtutes trahuntur: contra, omnes illæ conditiones in singulis virtutibus in specie sic dictis manifeste deprehenduntur. Quod facile admittimus.

Prima igitur conditio in sensu generali dicta *Justitia*, notat inclinationem ad recte agendum, qua quisque sibi & aliis suum tribuit: quæ virtutis appellari potest rectitudo.

Secunda est *Prudentia*, qua ad id, quod rectum est, inveniendum & media ejus obtinendi recte dirigenda, omnes rationis vires adhibentur: continetque in se *intellectus*, *scientiæ* & *sapientiæ* vim, ad voluntatem in bene agendo dirigendum, necessariam.

Tertia, *fortitudo*, quæ firma est in recte agendo persistentia omnes tolerans & superans difficultates, quæ ex diuturnitate actus, qui requiritur, vel ex impedimentis quibuscunque oriri possunt.

Quarta, *temperantia*, qua eliduntur omnes cupiditates quæ transversum rapere hominem, & à recte agendo possunt divertere. Unde incontaminata servatur virtus.

Harum conditionum *prima* virtutem ordinat & constituit, *secunda* dirigit & ab errore præservat: *tertia* adversus incommoda confirmat: *quarta* purum reddit & adversus omnia malorum irritamenta munit.

Omnes hasce virtutis conditiones totidem pene verbis expressisse *Petrus* videtur, epist. 2. cap. 1. v. 5. 6. *Adjiciet fidei vestræ* (quæ virtutum omnium est directrix) *virtutem:* (hoc est Justitiam seu rectitudinem universalem) *virtuti cognitionem* (hoc est prudentiam) *Prudentiæ temperantiam : temperantiæ vero tolerantiam* (hoc est fortitudinem) quæ omnia vincit obstacula.

§. 16. Objicitur: *Justitia*, *prudentia*, *fortitudo*, *temperantia sunt species virtutum moralium, non minus quam liberalitas, veracitas, taciturnitas* &c. *Ergo non sunt conditiones & affectiones omnium virtutum moralium.*

Antecedens *patet ex catalogo virtutum Ethicarum.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia diverso respectu sensuque sunt *conditiones* & *species*. *Conditiones* & *affectiones* sunt; quia in singulis virtutibus apparent, ut modo ostendimus: *specialium* vero *virtutum* nomina & definitiones sortiuntur: quia, per conditiones istas omnibus aliis virtutibus quodammodo, & nonnullis quoque ἀναλόγως, competunt, in aliquibus peculiari & insi-

gniori ratione, magisque proprie insunt, & hoc modo diversas species constituunt. Sic quia accurata rectitudo maxime conspicua est in numero, pondere, mensura, & eorum, quæ mutuo ab hominibus accipiuntur & redduntur, valore, singulari ratione in iis collocari solet justitia. Et quia virtuti obstacula maxime terribilia in bello potissimum & similibus periculis ponuntur, ad talia in specie restringi solet fortitudinis nomen: veluti ad temperantiam in specie sic dictam referuntur sensuum voluptates: quia maxime irritant appetitum. In specie quoque ad prudentiam refertur legum intelligentia, electio, consultatio de alienis & nostris commodis, vel incommodis.

§. 17. Quæritur (4) *An recte distribuatur virtus moralis in pietatem & probitatem?*

Resp. Varie à philosophis virtutes morales distribuuntur. Gradus virtutum quatuor constituunt *Platonici* & *Academici*: quibus virtutum aliæ sunt *civiles*, aliæ *purgatrices*, aliæ *animi purgati*, aliæ *exemplares*; *Primæ* dicuntur competere homini, quatenus in civili vivit societate; *secundæ* eidem, quatenus ad cælestem tendit beatitatem: *Tertiæ* eidem, quatenus cælestem jam possidet beatitatem: *Quartæ* solius Dei propriæ dicuntur esse. Adversus hanc virtutis distributionem & quasdam ei annexas hypotheses disputantem vide *Piccolomineum*, Grad. 4. cap. 20. Nos hoc loco de solarum *moralium* & *civilium* distributione agimus. *Cicero* ex quadruplici *subjecto* virtutum moralium species constituit quatuor, quas *cardinales* vulgo appellant. *Prima* est prudentia, in mente: *Secunda* Justitia, in voluntate: Tertia *fortitudo*, in potentia irascibili: *Quarta* temperantia, in potentia concupiscibili.

§. 18. Nos etsi numerum virtutum *cardinalium* suo loco relinquimus, tamen distributionem hanc ex *subjectis* petitam, non probamus. Quia omnis virtus principaliter est in anima rationali, nulla in appetitu bruto seu sensitivo. Neque prudentia virtus est moralis, sed intellectualis, ut vulgo nominant: etsi directrix est moralium. Deinde præter *justitiam, fortitudinem* & *temperantiam*, in specie sic dictas, plures aliæ dantur virtutes morales, quæ ad hæc genera referri commode non possunt, nisi significatu nimis lato, ut fieri amat, accipiantur: quomodo referri omnes possent ad unam vel justitiam, vel fortitudinem vel temperantiam, vel prudentiam quoque.

Contra distributionem hanc jam pridem disputarunt *Burleus Buridanus* & alii interpretes. Interim virtutum principes has esse species, facile damus. Est enim *fortitudo* quasi *columna civitatis:*

tatis : temperantia quasi *habena morum : prudentia* quasi *regula rationis : Justitia* quasi *trutina æquitatis.*

§. 19. Existimat *Amesius* Theolog. lib. 2. cap. 2. ℈. 25. quas vulgo *cardinales* appellant virtutes, non esse virtutum capita, ad quæ referri virtutes singulares possint & debeant. Sed conditiones tantum, quæ necessario requiruntur in illa dispositione quæ nomen virtutis meretur. Igitur *Justitiam* interpretatur, inclinationem ad recte agendum, ut suum cuique tribuatur. *Prudentiam*, animi contentionem ad id, quod rectum est, inveniendum, & omnia ejus media recte dirigenda. *Fortitudinem*, firmam in recte agendo persistentiam, qua difficultates omnes feruntur & superantur, quibus impediri virtutis actus possit. *Temperantiam*, cohibitionem cupiditatum omnium, quæ à recte agendo divertere homines possunt. Ita præstiterit communes quasdam omnium virtutum particularium conditiones constituere, quam universales virtutes, & ad eas coacte alias, tanquam species, referre.

§. 20. Alii, substrata hypothesi, quod virtus moralis omnis sit in appetitu sensitivo duplici, concupiscibili & irascibili, virtutes morales ita distribuunt, ut aliæ sint in *concupiscibili*, aliæ in *irascibili* facultate. In *concupiscibili* quæ sunt, versantur circa *voluptatem ipsam*, vel *instrumenta voluptatum*, divitias & honores; Circa *moderationem voluptatum corporis* versatur temperantia: circa *divitias mediocres* liberalitas: circa *magnas* magnificentia: circa *utrasque acquirendas*, Justitia, suum cuique tribuens. Circa *honores mediocres*, modestia: circa *magnos*, magnanimitas.

In *facultate irascibili* quæ sunt, versantur circa *jocosa* vel *seria*: Circa *jocosa* urbanitas: circa *seria*, *molesta* vel *jucunda*: circa *molesta*, fortitudo & mansuetudo: circa *jucunda* peragenda, humanitas & amicitia: referenda huc veritas.

§. 21. Distributio hæc, si ex *objectis*, petatur, non contemnenda: sin ex *subjectis*, à nobis non admittitur: Siquidem virtutum moralium subjectum non est appetitus irrationalis.

Pulchram exhibet virtutum moralium distributionem *Casus* lib. 2. cap. 7. quæ & ipsa ex *objectis* petitur.

§. 22. Omnis virtus moralis respicit *gubernationem corporis* aut *mentis*. *Corporis gubernatio* vires concernit, vel sensus: vires exercentur in periculis mediocribus, unde *fortitudo*; vel in magnis & plenis acerbitate: unde *animi magnitudo*. Sensus vel omnes, unde *continentia*: vel duos tantum, gustum & tactum, unde *temperantia*.

Mentis gubernatio conspicua est in moderatione appetitus, vel directione rationis. Appetitus moderatio cernitur in pecuniis: unde

unde *liberalitas* & *magnificentia:* vel honoribus; unde *modestia* & *magnanimitas:* vel affectibus, unde *mansuetudo*.

Directio rationis est vel in sermone, unde *affabilitas*, vel in factis unde *comitas*: vel in *negotiis*, unde æquitas: vel in dictis factisque, unde *veritas*.

Admodum concinna est Autoris nostri distributio, quæ ante ipsum *Lipsio* quoque arrisit: qua omnis moralis virtus ad duo quasi summa refertur capita, *pietatem* & *probitatem*.

§. 23. *Ratio* distributionis est quia virtus duo habet *objecta*, circa quæ immediate versatur, DEUM & hominem: illum respicit *pietas*, hunc *probitas:* ita ut omnis virtus immediate DEUM attingens sit *Pietas*. Hominem, *probitas*. Et huc tendit quoque *Decalogi* seu legis moralis, quod divinum est Ethicæ compendium, distinctio in *duas tabulas:* quarum prior præcipit de officiis *Pietatis* Deo: posterior de officio *Probitatis* homini debitis. Hæ duæ sunt *virtutes cardinales*, sub quibus omnes aliæ continentur: quæ sub hisce capitibus eleganti methodo connectuntur ab *Autore* nostro.

§. 24. Quæritur (5) *Quæ sint virtutum, secundum Platonicos, & alios genera?*

Resp. Quatuor secundum *Platonicos*; Sunt enim iis, quod ante quoque attingimus, virtutum aliæ *politicæ*, aliæ *purgatoriæ*, aliæ *animi jam purgati*, aliæ denique *exemplares*.

Politicas ajunt esse hominis quatenus sociabile est animal, quarum ope boni viri Reipubl. consulunt, urbes tuentur, parentes venerantur, liberos amant, proximum diligunt, civium salutem gubernant, socios circumspecta providentia protegunt, justa liberalitate devinciunt. Et in specie quidem, per *prudentiam*, quæ cogitant & agunt, ad rationis normam universa dirigunt, nihilque præter rectum volunt & faciunt, humanis actibus provident prudenter, circumspecte, caute.

Per *fortitudinem* animum supra periculi metum agunt, nihilque nisi turpia timent, adversa & prospera fortiter tolerant, magnanimi, fidentes, securi, magnifici, constantes, tolerantes. Per *temperantiam* nihil appetunt pœnitendum, in nullo moderationis legem excedunt, sub jugum rationis cupiditatem domant, modesti, verecundi, parci, sobrii, pudici. Per *Justitiam* cuique suum tribuunt, innocentes, amici, concordes, religiosi, humani. Hujusmodi virtutibus vir bonus primum sui, deinde Reipubl. rector efficitur.

§. 25. *Purgatorias* appellant, quæ hominibus divinorum capacibus competunt solumque animum expediunt, quia corporis contagio-

contagione se purgare & quadam humanorum fuga solis se divinis inferre decreverunt, adeoque à rerum publ. actibus se sequestrant: quales soli Philosophi *Platonicis* ita dicti: quos solos olim beatos prædicarunt, iisque solis inesse veras virtutes crediderunt; quas *sapientiæ* complexi sunt nomine, & *sapientes* appellarunt, qui suprema mentis acie requirunt, & sagaci diligentia quærentes comprehendunt, quantumque possunt, imitantur. In quibus solis esse virtutum exercitia affirmarunt, & *prudentiæ* esse dixerunt, mundum hunc, & quæcunque in eo sunt, divinorum contemplatione despicere, omnemque animæ cogitationem in sola divina dirigere. *Temperantiæ*, omnia relinquere, quæ corporis usus requirit quatenus natura patitur. *Fortitudinis*, non terreri animam, à corpore quodammodo philosophiæ ductu recedentem, nec altitudinem perfectæ ad superna ascensionis horrere. *Justitiæ*, ad unam sibi hujus propositi consentire viam unius cujusque virtutis obsequium.

§. 26. *Purgati* jam defæcatique animi & ab omni mundi hujus aspergine presse pureque detersi virtutes iisdem quidem appellant nominibus, sed aliter earum actus & exercitia definiunt. Illic igitur *prudentiæ* est, divina non quasi in electione præferre, sed sola nosse, & hæc, tanquam nihil sit aliud, intueri. *Temperantiæ* terrenas cupiditates, non reprimere, sed penitus oblivisci. *Fortitudinis* passiones ignorare, non vincere, ut nesciat irasci, cupiat nihil. *Justitiæ*, ita cum divina & suprema mente sociari, ut servet perpetuum cum ea fœdus imitando.

§. 27. *Exemplares* nominant, quæ in ipsa divina mente consistunt, à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem defluunt, tanquam ab *ideis* divinis. Illic igitur *Prudentia* est mens ipsa divina.

Temperantia, quod in se perpetua intentione conversa est.

Fortitudo, quod semper idem est, nec aliquando mutatur.

Justitia, quod perenni lege à sempiterna operis sui continuatione non flectitur.

§. 28. Ergà affectus & passiones ita se dicuntur habere hæc quatuor virtutum genera: ut *primi generis* quæ sunt, passiones molliant; *Secundi* auferant: *Tertii* obliviscantur: *Quarti* ne nominari quidem eas patiantur. Hæc *Plotinus* in lib. de virtutib. & ex *Plotino Macrobius*, in somn. Scip. lib. 1. cap. 8.

Ostendunt hæc virtutum genera varietatem earum & distinctionem ex *objectis*, *subjectis*, *effectis* & *ratione formali*: quibus diversi hominum in hac vita & post eam status, pro captu gentilium, satis accurate distinguuntur.

§. 29. Variæ apud alios occurrunt, virtutum distributiones,

quas breviter saltem attingemus. Distinguunt igitur virtutes

(1) In *acquisitas* & *infusas*: quarum illæ ordinarie nostris parantur actionibus cum quadam successione & mora: quibus præcepta inserviunt ethica. Hæ extra ordinem & uno quasi momento hominibus infunduntur, quoad habitus, quamvis successive quoque iidem perficiantur, ut patet ex regeneratione & sanctificatione.

(2) In *heroicas* & *communes*: quarum illæ, κατ' ἐξοχὴν sic dictæ, appellantur quoque *divinæ* & *extraordinariæ*; quia sunt à peculiari & raro influxu divino. Unde Heroes κατ' ἐξοχὴν ita dicti vix singulis seculis existunt singuli: istæ, *humanæ* & *ordinariæ*, quas vulgo morales vocamus.

(3) In *simpliciter omnibus necessarias & non omnibus necessarias*. Illius generis sunt pietas & omnes ejus species: & pleræque probitatis species, ut temperantia, tolerantia, veracitas, castitas, beneficentia, modestia, mansuetudo, justitia &c. Hujus fortitudo bellica, magnificentia, gravitas, urbanitas, &c.

(4) In *pietatem* & *probitatem*: quarum illa virtutes primæ, hæc secundæ tabulæ complectitur: Hæc Autori nostro arrisit distributio.

(5) In *prudentiam, justitiam, fortitudinem* & *temperantiam*: harum *prima* dicitur versari in veri perspicientia. *Secunda* in tuenda hominum societate: *tertia* in animi excelsi & invicti magnitudine: *quarta* in omnium, quæ fiant & dicuntur, ordine & modo.

(6) In *perfectas & imperfectas*: quarum illæ omnes animi motus, qui obluctari poterant virtuti, ita reprimunt, ut contra rationem amplius non insurgant: hæ cum lucta quadam motuum vitiosorum consistunt. Hæc non tam generis est in suas species distributio, quam subjecti in sua adjuncta & gradus.

(7) In *simplices* & *compositas*: illæ sunt fortitudo, liberalitas, modestia, mansuetudo, comitas, veracitas, urbanitas: hæ justitia, pietas, gratitudo, dilectio. Aliis aliæ quoque arrident distributiones.

CAPUT VII.

DE

PIETATE.

THESIS I.

Pietas est virtus qua DEUM legitimo honore veneramur.

Ἔκθεσις.

§. 1. IN Ethicarum virtutum numero jure primo loco reponitur *Pietas*: quia, *Platone* teste summa apud homines virtus est. Et alibi: *μεῖζον ἀρετῆς μηδεὶς ἡμᾶς πότε πείθῃ τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θνητῷ γένει*: *Majorem pietate virtutem nullam in humano genere inveniri quisquam sibi persuadeat*: Consonum illud *Philonis*: Ἀρχὴ ἀρίστη πάντων τῶν ὄντων Θεὸς, ἀρετῶν δ' εὐσέβεια: h. e. *Principium rerum omnium optimum Deus est, sicut virtutum Pietas.* Item: *εὐσέβεια κτημάτων τὸ κάλλιστον*: *Pietas possessionum omnium præstantissima.* Item: *πᾶσαι μὲν οὖν αἱ ἀρεταὶ παρθένοι καλλιστεύει δ' ὡς ἐν χορῷ παραλαβοῦσα τὴν ἡγεμονίαν ἡ εὐσέβεια καὶ δικαιοσύνη.* Et *Iulianus*, in Epist. ad *Bostrenos*, *μέγιστον τῶν καλῶν ὡς ἀληθῶς ἡ θεοσέβεια καὶ τοὐναντίον τῶν κακῶν ἡ δυσασέβεια.* Et, secundum *Ciceronem* lib. 1. de offic. *prima Diis immortalibus officia debentur.* Unde & *Seneca*: *Necesse esse*, ait, *virum bonum summæ erga Deum esse pietatis.*

§. 2. Rationes *Pietatem* nobis commendantes, partim à DEO, partim à nobis deducuntur.

DEUS, cum *naturæ* suæ, tum *operum* suorum nomine, à nobis religiosè colendus est.

Naturæ nomine, propter præstantiam & eximiam Majestatem. Unde *Cic.* lib. 1. de Natur. Deor. *Adeo præstans est* DEI *natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam elicere sapientem. Et Seneca,* DEUS *colitur propter Majestatem eximiam, singularemq́ue naturam.*

Operum

Operum nomine (1) Quia omnia ad humanos usus sunt comparata *Cicer.* lib. 2. de nat. Deorum: *Cælum homini præbet spectaculum: terra fata frugibus eidem fundit nutrimentum: bestiæ ipsæ hominum causa sunt generatæ.*

(2) Quia præsentiam Dei conditoris sui, ut idem testatur *Cic.* declarant. *Non immerito igitur Dei cultus & sanctitates existunt indies majores & meliores.* Præcones quoque sunt & testes divinæ *potentiæ, sapientiæ* & *bonitatis:*

Ipsa tibi ingentis speciosa volumina cœli
Narrabunt Domini facta stupenda sui.
Maxima stellantis dicet tibi fabrica mundi,
Talia quæ fecit, quanta sit ista manus?

Eobanus Hessus ex Psal. 19.

Id quod de Deo cognosci potest, inquit Apostolus, Rom. 1. v. 19. 20. *manifestum est in ipsis* (gentibus) *Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim invisibilia, dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur; æterna ejus tum potentia, tum divinitas.*

§. 3. A nobis petitæ rationes, quæ pietatem suadent, sunt.

(1) *Notitiæ naturales, nobiscum natæ:* quæ, *Aristotele* teste, clamant, *naturam nobis insevisse, ut sacrificemus.* Unde *Averroes: Natura nos obligari ait, ad magni faciendum Deum orationibus.*

(2) *Finis*, ad quem sumus conditi: is est, teste *Jamblicho*, *omnium optimum & preciosissimum,* Pietas, *quæ Dei est cultus.*

(3) *Utilitas:* quia 1. *Jamblicho* autore, *nulla alia est via, qua ad felicitatem eatur, quam Pietas.* Et, secundum *Psellum, qui mentem igneam ad Pietatem direxerit, fluxum etiam istud corpus salvum facit.* 2. Quia piis ex voto omnia fluunt, cum contra nihil, quantumlibet necessarium, curare possit, qui in Dei cultu segnis & languidus est, teste *Simplicio.* 3. Quia, ut *Xenophon* scribit, *ubi homines religiose Deos venerantur, istic consentaneum est optima spe cuncta plena esse.*

Hinc *Dionys. Halicarnas. Quibus ignota fuit hactenus Romanorum pietas, cujus adeo sunt studiosi, mirari desinant, semper eis felices contigisse bellorum exitus.* Et dictator *A. Postumius* apud eundem: *Dii nobis adsunt, milites, & pollicentur civitati nostræ libertatem felicemque victoriam, benigne nos pro perpetua erga ipsos pietate & assiduo justitiæ studio remunerantes.* Notum illud *Pietatis ad omnia utilis* &c.

Insignia duo *pietatis Ethnicæ* sunt exempla *Epictetus* & *Seneca* quorum ille, lib. 4. cap. 10. *Si versantem*, inquit, *talibus*

but in actionibus variarum virtutum mors me arripiat, satis mihi erit, si, porrectis ad Deum manibus, sic loqui valeam: Quas à te accepi facultates, quibus percipere possem tuam administrationem, eique me obsequentem exhibere, ejus sane studii ego cultum non neglexi. Quantum in me fuit, ignominia te non affeci. En aspice ut fuerim usus sensibus meis, ut anticipatis notionibus. Num adversus te fui aliquando impatiens? Num agre tuli quicquam, quod mihi accidisset, aut, secus ut fieret, optavi? Num quos respectus officiorum sum transgressus, ad quos tu me genuisti? Pro his, qua dedisti mihi, gratias habeo: satis mihi est quod his usus sum. Restituo hac tibi, quocunque visum fuerit loco repones: tua enim fuerunt omnia ista, quum abs te dante acceperim. Seneca, Epist. 26. hæc sunt verb. *Ego certe, velut appropinquet experimentum, tum & illam laturus sententiam de omnibus annis meis dies venerit ita me observo & alloquor. Nisi est, inquam, adhuc, quod rebus aut verbis exhibuimus. Levia sunt ista & fallacia pignora animi, multisque involuta lenociniis: Quid profecerim, morti crediturus sum. Non timide itaque componor ad illum diem, quo, remotis strophis ac fucis, de me judicaturus sum, utrum loquar fortia, an sentiam: numquid simulatio fuerit, & mimus, quicquid contra fortunam jactavi verborum contumacium. Remove existimationes hominum: dubia semper est, & in partem utramque dividitur. Remove studia totam vitam tractata; mors de te pronunciatura est. Ita dico, disputationem & literata colloquia, & ex praceptis sequentium verba collecta, & eruditus sermo, non ostendunt verum robur animi. Est enim oratio etiam timidissimis audax. Quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages. Accipio conditionem, non reformido judicium.* Idem epist. 12. *Sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen & consummet atque expleat vitam. Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, cum vino & illis funereis epulis se sepelisset, quasi sibi parentaret, sic in cubiculum ferebatur à cena, ut inter plausus exoletorum, hoc ad Symphoniam caneretur, βεβίωκε, βεβίωκε. Nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus, & in somnum ituri lati hilaresque dicamus. Vixi & quem dederat cursum fortuna peregi. Crastinum si adjecerit Deus, lati recipiamus. Ille beatissimus & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dicit, vixi, quotidie ad lucrum surgit.* Quis credat hominem ethnicum tanta pietatis & probitatis fiducia adversus mortis & judicii metum se potuisse armare & animare!

§. 5. Quæritur (1) *An inter Ethicas virtutes numeranda quoq; sit pietas?* Resp.

Resp. *Affirmativam* amplectimur ob sequentes rationes.

(1) Quia ad felicitatem civilem non minus necessarium medium est *Pietas*, quam *Probitas*. Est enim fundamentum Probitatis pietas. Ad officia proximo & nobis præstanda nos obligat lex divina humanis insculpta mentibus, Rom. 2. v. 14.

Agnoscit igitur, se esse obligatum ad Dei venerationem, qui ad proximi dilectionem à Deo se obligari agnoscit. Proximum qui negligit, Deum quoque negligit: & Deum qui contemnit, de diligendo & juvando proximo non laborat. Hinc scriptura ex dilectione Dei deducit dilectionem proximi: & vicissim ex dilectione proximi dilectionem Dei: uti causa arguit effectum, & effectus causam. Quis quæso civiliter felicem dixerit eum, qui odio Dei & proximi ardet? Diligendum & colendum esse Deum, etiam absque singulari patefactione, ipsa dictat ratio, ex qua *Anshelmus*, in monolog. cap. 65. & 66. ita disserit: *Omnino cogitari non potest, rationali creaturæ naturaliter esse datum aliquid tam præcipuum, tamque simile summæ sapientiæ, quam hoc, quia potest reminisci & intelligere & amare id quod optimum & maximum est omnium. Nihil igitur aliud est inditum alicui creaturæ, quod sic preferat imaginem creatoris. Consequi itaque videtur, quod rationalis creatura nihil tantum debet studere, quam hanc imaginem sibi per naturalem potentiam ingressam per voluntarium effectum exprimere. Etenim præter hoc, quod creanti se debet, hoc ipsum, quod est, huic quoque: quia nihil tam præcipuum posse, quam reminisci, & intelligere, & amare summum bonum, cognoscitur, nimirum nihil tam præcipue debere velle convincitur. Quis enim neget, quæcunque meliora sunt in potestate, ea magis esse debere in voluntate. Denique rationali creaturæ non est aliud esse rationalem, quam posse discernere justum à non justo, verum à non vero, bonum à non bono, majus bonum à minus bono. Hoc autem posse omnino inutile est illi & supervacuum, nisi quod discernit, amet vel reprobet, secundum vera directionis judicium. Hinc itaque satis patenter videtur, omne rationale ad hoc existere, ut, sicut ratione discretionis aliquid majus vel minus bonum, sive non bonum judicat, ita magis aut minus id amet, aut respuat. Nihil enim aptius, quam rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut summam essentiam amet super omnia bona, sicut ipsa est summum: imo ut nihil amet nisi illam, aut propter illam, quia illa est bona per se & nihil aliud est bonum, nisi per illam. Amare autem illam nequit, nisi ejus reminisci & eam studuerit intelligere. Clarum est ergo, rationalem creaturam totum simul velle & posse, ad memorandum,*

dum & intelligendum & amandum summum bonum, impendere debere, ad quod ipsum esse suum se cognoscit habere.

(2) Quia ab Ethnicis prædicatæ virtutes moralibus merito accensentur. Atqui non tantum *Probitas*, sed & *Pietas* ab iis est prædicata: etsi de ea in Ethicis suis nihil præcepit *Aristoteles*. Unde egregiæ de *Pietate* sententiæ in scriptis, *Platonis*, *Ciceronis*, *Senecæ* & aliorum: de quibus supra ἐκθ. 1. 2.

(3) Quia Ethnicorum theologia practica fuit Ethica: Atqui ad theologiam practicam pertinet præceptio de *Pietate*.

§. 6. Pro *negativa* objicitur.

(1) *Ethica acquiescit in felicitate civili: Ergo inter virtutes Ethicas non numeranda est Pietas.*

Antecedens *recepta nititur Philosophorum sententia:* Ratio consequentiæ. *Quia pietas supra felicitatem civilem assurgit & ad beatitatem tendit futuram.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est: Etiamsi enim Ethica *Aristotelis* non assurgit supra felicitatem civilem: tamen altius assurgit Ethica aliorum Philosophorum gentilium, ut *Platonis*, *Ciceronis*, *Senecæ* &c. de quibus supra. Videatur insignis liber *Mutii Pansæ*, *Pinnensis*, de osculo Ethnicæ & Christianæ Theologiæ. *Augustinus* de civit. Dei lib. 8. cap. 9. 10. 11. affirmat, *Christianæ Pietati proximam esse doctrinam Platonicam:* verba ejus cap. 10. hæc sunt. *Hac causa est, cur istos*, (Platonicos) *cæteris præferamus: Quia cum alii Philosophi ingenia sua, studiave contriverint in requirendis rerum causis, & quinam modus esset dicendi atque vivendi: isti, Deo cognito, repererunt, ubi essent & causa constitutæ universitatis, & lux percipienda veritatis, & fons bibendæ felicitatis.*

(2) *Consequentia* quoque negatur: *Probatio* inconsequens est: Etsi enim pietas supra felicitatem civilem assurgit quoque ad beatitudinem futuram, tamen sine ea nec felicitas civilis consistit, ut ante ostendimus.

§. 7. (2) *Pietas est virtus Theologica & divina: Ergo non est Ethica & humana.*

Antecedens probat *Piccolmineus* Grad. 4. cap. 36. *ex ratione principii infundentis, finis & naturæ propriæ & conditionis ejus: Infunditur enim à* DEO, *elevatque ad finem supernaturalem, tanquam medium supernaturale.*

Resp. 1. Si *Pietas* in genere accipiatur, uti à nobis est definita, & virtus *theologica* intelligatur, quæ theologiæ christianæ est propria: & *divina* dicatur, quæ extra ordinariè à Deo est infusa. *Antecedens* negamus. *Probatio* partim falsa, partim inconsequens est.

Datur

Datur enim theologia *Ethnica* & *Christiana*: quarum illa non extra ordinaria & infusa: etiamsi divina quoque recte dici potest: quia proxime Deum attingit, & sine Deo non contingit. Neque ideo ad finem supernaturalem suo modo non elevat; quia Christiana & extraordinarie divina non est. Cum & gentilium *Pietas* spem ultra vitæ hujus terminos protulerit: etsi ad æternæ felicitatis portum non pervenit.

2. *Consequentia* negatur: quia etiam *Ethica* felicitas suo modo est *theologica* & *humana* suo modo divina: ut è dictis palam est.

§. 8. (3) ***Nulla fuit Ethnicorum Pietas: ergo inter virtutes morales non fuit, neque jam est:*** Antecedens prob: *Quia extranei fuerunt à pactis promissionis, spem non habentes & DEI expertes in mundo*, Ephes. 2. v. 12.

Resp. *Antecedens* non datur, nisi de pietate κατ' ἐξοχὴν sic dicta; quam in specie theologicam & Christianam appellamus. Interim *Ethnicorum pietatem*, etiam quæ eximia videri potuit, *Christianæ* umbram tantum fuisse, ultro largimur: quia ex defectu revelationis extraordinariæ & gratiæ specialis, nec cognitio nec cultus talis erat, qualis esse debuerat: quamvis aliqua fuerit cognitio & cultus aliquis apud eos, qui Deum proprie dictum non nisi unicum, eumque omnis boni autorem crediderunt: quæ sapientissimorum gentilium de Deo fuit sententia: ut ostendit *Mutius Pansa* de osculo Ethnicæ & Christianæ Theologiæ, cap. 3. 29. 30. 31. 39. 41. 42. 43. Hanc Dei cognitionem gentilibus quoque tribuit Paulus Rom. 1. v. 19. 20. 21.

§. 9. *At enim* inquias, *spem non habuisse & Dei in mundo expertes fuisse dicuntur.*

Resp. Negatur gentilibus *spes* non simpliciter omnis, sed ea, quæ non confundit, quam κατ' ἐξοχὴν, appellamus, *spem fidelem*, & est certissima æternæ beatitudinis exspectatio, per & propter Christi servatoris meritum. Spem hanc gentiles non habuerunt: quia Dei Filium, Mundi redemptorem, ignorarunt. Interim uti post hanc vitam animarum statum multi crediderunt fore tranquilliorem & beatiorem: ita eundem quoque spectarunt. Unde memorabilis est sententia *Socratis*, apud *Platonem*, in Phæd. quam *Clemens Alexandrinus* allegat. 6. Stromat. *Bonas animas hinc cum bona spe excedere:* Similia *Cicero* & *Seneca* habent: vide inter alios *Alstedium*, Theolog. natural. part. 1. cap. 19. Dei *in mundo expertes* fuisse dicuntur: non quod Deum plane nullum agnoverint, vel plane fictitios Deos veri numinis loco coluerint: contrarium enim testatur experientia & ipsa scriptura: sed quod verum

rum illum Deum, quem agnoverunt, omnis boni autorem & universi moderatorem atque conservatorem, non ita prorsus agnoverint, uti agnosci se in verbo suo vult, nempe in personis trinum; Patrem, Filium & Spiritum S. &c. unde *Christus*, Johan. 8. v. 54. 55. negat *Judæos* nosse Deum, quia patrem suum esse ignorant. Ita hodie etiamnum ignorant Deum *Judæi* & *Turcæ*: etiamsi eximiam illi habent ex veteri testamento notitiam divinæ essentiæ, divinarum proprietatum & operum.

§. 10. Quæritur (2) *An virtutes morales fidelium in scripturis prædicatæ, ut* sobrietas, castitas, justitia, veracitas &c. *formaliter differant à virtutibus Ethnicorum ab Aristotele definitis.*

Resp. *Negativam* amplectimur his argumentis.

(1) Quæ definitionem non tantum generalem, sed & speciales easdem admittunt, formaliter non differunt: Atqui virtutes morales fidelium in scripturis prædicatæ eandem admittunt definitionem generalem & easdem speciales, quas virrutes *Ethnicorum* ab *Aristotele* definitæ. Ergo formaliter à se non differunt.

Propositionis veritas manifesta est: Quia definitio formam rei quatenus pervestigari ea potest, exprimit: & unius rei non est nisi una forma specifica.

Assumtionem comprobat inductio & applicatio definitionum virtutis moralis. Definitio generalis est, *constans animi propositum vivendi secundum legem* vel, *habitus, quo voluntas inclinatur ad bene agendum:* Quæ theologis quoque arrident definitiones: vel *habitus electivus in mediocritate secundum rectam prudentiæ rationem definita positus:* quæ *Aristotelis* est definitio supra explicata. Generales hasce definitiones admittunt omnes moralium species à scripturis & à Philosophis laudatæ.

In specie à Philosophis definitur, exempli gratia, Mansuetudo, *virtus quæ moderatur* iram: Benevolentia virtus, *qua volumus aliis omnia læta:* Castitas, *virtus, qua puritas personæ conservatur, quoad illa, quæ spectant generationem.* Justitia commutativa, *virtus, qua suum cuique in commodis externis tribuitur.* Veracitas virtus, *qua inclinamur ad veritatem observandam in testimonio dicendo.* Humilitas, *virtus, qua ita quis moderatur existimationem sui de semet ipso, ut non velit ullo in genere sibi, quicquam tribui supra id, quod ipsi congruit.* Gratitudo, virtus, *qua studemus compensare beneficia accepta.* Gravitas, *virtus, qua puritatis decorum observatur.* Contentatio, *virtus, qua animus acquiescit in sorte à Deo concessa* &c. Quæ singulæ sunt *Amesii* (qui in Philosophos quandoque durior videtur) definitiones Theolog. lib. 12. neque aliter alii, sive *Lutherani*,

Lutherani, sive *Pontificii* Theologi. Non discrepat ab hisce definitionibus, quas ex gentilium Philosophorum scriptis concinnant Ethici.

(2) Non renatorum & renatorum virtutes morales conveniunt in conformitate cum lege: Ergo formaliter & intrinsece non differunt.

Antecedens comprobat Apostolus Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis sunt faciunt &c.* Ratio conseq. Quia conformitas cum lege est forma virtutis moralis. Ut enim ἀνομία, tanquam forma, constituit morale vitium, ἐννομία virtutem moralem.

In hanc sententiam concedit *Keckermannus*, præcog. Eth. 9. 13. qua affirmat, virtutes Ethicas & Theologicas distingui gradibus, ita, ut quod deest virtutibus Ethicis, id per disciplinam Theologicam compleatur & addatur. Conveniunt in eo virtus *moralis* & *Theologica*; quod per se utraque sit bonum quiddam & imago Dei: differunt in eo, quod *moralis* sit imperfectior, *Theologica* perfectior & consummatio atque complementum moralis. Unde *moralem* comparat tempori & luci matutinæ, *Theologicam* fervori & luci meridianæ. Ut igitur specie non differunt tepor & fervor, lux matutina & meridiana: ita nec virtus Theologica & moralis. Magis & minus non mutant speciem.

§. 11. Contra sententiam hanc objicitur.

(1) *Ethnicorum virtutes morales ad Dei gloriam non fuerunt relatæ, & sine Christo fuerunt: Ergo veræ virtutes non fuerunt, adeoq; formaliter distinctæ à virtutibus Christianorum fuerunt.*

Ratio conseq. *Quia, secundum Augustinum; virtutes nisi ad Deum referantur, non sunt virtutes*, lib. 15. de civit. D. *& secundum Hieronymum; sine Christo omnis virtus vitium est.*

Resp. Negatur *consequentia*. *Probatio* inconsequens est. Sunt enim limitandæ & rectè explicandæ Patrum sententiæ, virtutes ad Deum non relatæ non sunt virtutes κατ' ἐξοχὴν ita dictæ, & perfectionem consecutæ, adeoque ab omni vitio purgatæ: Interim sunt virtutes, quatenus aliquo modo legi sunt conformes, & à lege præceptæ: quo respectu gentiles natura dicuntur facere, quæ legis sunt. Rom. 2. v. 14. sine Christo virtus vitium est, non per se, sed per accidens. Opera enim lege Dei præcepta non sunt vitia per se.

§. 12. (2) *Gentilium virtutes morales perfectæ ex fide non sunt: Ergo non fuerunt veræ virtutes, sed peccata & vitia moralia.*

Ante-

Antecedens in confesso est. Ratio conseq. *Quia, quicquid non fit ex fide, peccatum est.* Rom. 14. v. 23.

Resp. Negatur *consequentia*: *Probatio* inconsequens est: peccatum aliquid est vel *per se*, vel *per accidens*. *Per accidens*, quod peccatum est, id virtus esse per se potest. Quicquid igitur ex fide non fit, id peccatum est, vel *per se*, & formaliter: ut vitia moralia Ethnicorum & Christianorum, vel *per accidens*, ut virtutes infidelium: sive Christiani sint, quoad professionem, sive Ethnici.

§. 13. (3) *Distincta virtutum species sunt Theologicæ, morales & intellectuales. Ergo Ethicæ, seu morales, à Theologicis formaliter sunt distinctæ: uti & intellectuales ab iis distinguuntur.*

Antecedens prob: *Quia recepta scholasticorum illa est distinctio, quam inter alios passim inculcat Thomas, præsertim vero prima secundæ:* quæst. 62. Act. 1. 2. 3. ubi art. 2. conclusio hæc est. *Habitus specie distinguuntur secundum formalem differentiam objectorum. Atqui virtutum Theologicarum objectum est ipse Deus, ut nostræ rationis cognitionem excedit, objectum autem virtutum moralium & intellectualium est aliquid, quod humana ratione comprehendi potest.*

Resp. *Antecedens* ambiguum est: quia non eodem modo accipiuntur virtutes Theologicæ: vel enim communiter *Theologicæ* dicuntur, quæ in Theologia quoque considerantur & definiuntur: ut in explicatione decalogi; & alias quoque Spiritus fructibus accensentur, Gal. 5. 22. vel *in specie* & *κατ' ἐξοχὴν* Theologicæ; quæ pro objecto *habent* Deum, quatenus rationis nostræ cognitionem excedit; cujus tres numerantur species, *Fides Spes & Charitas:* Ratio numeri hæc redditur: oportuit *intellectui* & *voluntati* hominis aliquid addi supernaturale, ad ordinandum ipsum in finem supernaturalem: nempe *intellectui*, principia quædam supernaturalia, quæ divino lumine capiuntur & credibilia sunt, de quibus est fides: *Voluntati* ordinatæ in illum finem, motum intentionis tendentem in finem supernaturalem; qui exercitur per spem: Et præter hunc modum, medium quoddam unionis Spiritualis, per quam in finem illum quodammodo transformamur: cujusmodi est charitas, seu dilectio Dei. Disparantur igitur non *primi*, sed *secundi generis* virtutes Theologicæ & morales. *Primi generis* inter morales quoque numerantur à Theologis. *Fides, Spes, & Charitas*, uti à Theologis in specie definiuntur, ignotæ fuerunt Ethnicis: etsi aliqua apud ipsos in genere sic dictæ pietatis fuit umbra: ut supra vidimus. Appellantur autem principia illa tria, per quæ ad beatitudinem supernaturalem ordinamur,

virtutes κατ' ἐξοχὴν *Theologicæ*. 1. Quia Deum habent pro objecto, quatenus per eas in Deum recte ordinamur. 2. Quia à solo Deo nobis infunduntur. 3. Quia sola divina revelatione in sacra scriptura traduntur.

§ 14. (4) *Virtutes fidelium à Deo infunduntur: morales vero Ethnicorum assuetudine acquiruntur: Ergo specie differunt.*

Antecedens prob. *Quia regeneratio prima, cujus partes sunt habitus virtutum, fit per infusionem.* Ratio conseq. *Quia infusum & acquisitum differentiæ sunt specificæ*: quod probat Thomas prima secundæ, quæst. 63. art. 4. hac ratione. *Qualibet differentia in definitione posita mutata diversificat speciem. Atqui in definitione virtutis infusæ ponitur:* quam Deus in nobis sine nobis operatur: *Ergo virtus acquisita, cui hoc non convenit, non est ejusdem speciei cum infusa.* Vnde subjicit: *temperantiam infusam ab acquisita differre specie.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est. Etiamsi enim plerisque fidelibus infunduntur in ipsa regeneratione habitus virtutum: tamen aliquas etiam antecedere regenerationem adultorum & in regeneratis manere numero easdem, nemo facile negaverit; nisi qui tantum vitiis moralibus omnibus inquinatos regenerari dixerit: nullum vero temperantem, nullum liberalem, nullum veracem, justum &c. quod falsum & experientiæ contrarium: vel per regenerationem non perfici, sed aboleri, quicquid antecessit bonitatis moralis: quod absurdum: vel regenerationem in homine nihil boni moralis antecedere, sed omnes irregenitorum actiones morales formaliter & per se esse malas atque vitiosas: quod nemo Theologus facile dixerit.

Probationem antecedentis quod attinet; per regenerationem infundi habitus virtutum, quas κατ' ἐξοχὴν Theologicas appellant, ultro largimur: neque de aliis moralibus, ut castitate, temperantia, humilitate, patientia &c. id simpliciter negamus: Quia ex intemperantibus, libidinosis, superbis &c. per regenerationem fiunt temperantes, casti, humiles &c. Institutione tamen & assuefactione qua gentilium paratæ sunt virtutes, non exclusa, ut patet ex 2. Timoth. 3. v. 16. 17. Interim habitus earum, quæ antecedunt in adultis nonnullis regenerationem, infundi de novo necesse non est, nisi per regenerationem penitus aboleri, iisque novas substitui, vel diversas infundi & cum prioribus conjungi species dicamus: quorum utrumque à vero alienum. Bonum enim non abolet, sed perficit regeneratio: neque circa idem objectum diversas temperantiæ moralis, vel castitatis &c. species in nobis deprehendimus: quæ non sunt necessariæ: quia eadem

eadem specie temperantia ad diversos adhiberi usus potest. Accedit, quod morales gentium & non renatorum virtutes ad Deum quoque, tanquam autorem, referri debeant: quod ipsi quoque gentiles agnoverunt: ut suo loco ostendimus. Hactenus *Antecedens.*

2. *Consequentia* quoque negatur: *Probatio* falsa nobis videtur. *Infusum* & *acquisitum* non sunt differentiæ ex formis, sed ex caussis efficientibus vel modis efficiendi petitæ: qui formarum diversitatem necessario non inferunt. *Prosyllogismi propositionem* negamus. Distributio virtutis in infusam & acquisitam non est generis in species disparatas, sed effecti per suas causas efficientes. Atqui diversitas causarum efficientium non necessario infert differentiam specificam effectorum. *Adamus* fuit creatus, Adami filius, Abel generatus, neque tamen specifica inter ipsos fuit differentia.

§. 14 Putat *Thomas* temperantiam acquisitam specie differre ab infusa: Quia acquisita per rationem humanam dirigitur ad sanitatem corporis atque mentis: Infusa vero per legem divinam, ad castigationem corporis & redactionem ejus in servitutem. Sed *inconsequens* hæc est ratio: & infusæ & acquisitæ regula est lex divina, sive per promulgationem, sive per inscriptionem. *Nota.* Diversitas finium, ut ante diximus, non arguit diversitatem formarum.

§. 16. In specie vero à *Lutheranis* nonnullis, inter quos *Meisnerus* sobr. philoph. part. 1. pag. 471. flagellatur *Keckerm.* concedit *Meisnerus*, virtutes Ethicas, quales in Ethnicis fuerunt & definiri in Ethicis solent, per se & vere virtutes esse: Negat vero specie formaliter convenire cum virtutibus Christianorum regeneratorum: quamvis interim concedat, iis nec Deum, nec proximum esse læsum à gentilibus: divinæ legi fuisse & etiamnum in non regeneratis esse consonas: habuisse Deum autorem, qui efficaciter ad illas concurrerit: per se placuisse Deo, pag. 474. 475. 476. etsi in faciem sibi postmodum contradicit, pag. 483. 484. quando ait, *virtutes gentilium nullo modo placebunt Deo.*

Argumentum, pro hac sententia, quod petitur à causarum efficientium, subjectorum & finium diversitate, jam ante excussimus, & tanquam inconsequentem repudiavimus illationem, à diversitate efficientium, finium & subjectorum, ad diversitatem formarum.

Sic igitur porro *Meisnerus.*

Christianorum regenitorum virtutes forma differunt à virtutibus gentilium & omnium non regenitorum: Ergo specie differunt.

Antecedens prob. *Quia theologicarum virtutum, hoc est earum, quæ insunt fidelibus & regenitis, forma & anima est fides. Ethicarum vero, quæ Ethnicis & infidelibus non regenitis insunt, forma est convenientia cum recta ratione, seu lege inscripta.*

Resp. *Antecedens* negamus: *probatio*, quoad formam virtutum, quæ fidelibus & regenitis insunt, falsa est: non minus Theologicarum, quam Ethicarum virtutum forma est conformitas cum lege. *Fidem* pro virtutum quæ fidelibus insunt, forma proprie & vere sic dicta non habemus vel agnoscimus: quamvis earum directricem esse non inficiemur. Unde diffidens sibi *Meisnerus* pag. 479. in margine ait, *fidem esse formam virtutum theologicarum magis assistentem, quam intrinsece informantem.* Atqui *formarum assistentium* diversitas specificam rerum differentiam non infert: de assistentia rei non est *assistens forma.*

§. 17. Idem sic quoque arguit. *Virtutes Theologicæ fidelium placent Deo, virtutes morales infidelium non placent Deo. Ergo theologicæ à moralibus specie differunt.* Ex hoc fundamento affirmat *Meisnerus*, *liberalitatem hominis Christiani fidelis à liberalitate Ethnici specie differre.* pag. 484.

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est. Nam & gentilium virtutes per se & in se consideratas, tanquam opera Dei divinæ legi conformia, placuisse Deo, ipse fatetur *Meisnerus*, ut supra vidimus. 2. *Consequentia* quoque nulla est: quæ per intrinsecam suam cum lege divina convenientiam placent Deo, formaliter differunt ab iis, quæ per intrinsecam cum lege divina pugnam displicent Deo: non vero illico ab iis formaliter & specifice differunt, quæ propter externi alicujus requisiti defectum Deo displicent: ut virtutes gentilium & infidelium morales. Ut enim essentiam rei non constituit externi adiacentis præsentia: ita eandem quoque non destituit ejusdem absentia.

§. 18. Instat *Meisnerus* pag. 481. *virtutem considerari νομικῶς quatenus est opus rectum: & ἐυαγγελικῶς, quatenus est opus Deo gratum & acceptum. Quod igitur facit, ut virtus sit opus rectum, id dici formam virtutis primo modo sumtæ: Quod facit ut sit opus Deo acceptum, id dici formam virtutis secundo modo sumtæ: illam ait esse convenientiam cum lege: hanc, concursum fidei & actionis ad gloriam Dei directionem.*

Resp. Τὸ Ἐυαγγελικὸν non est de essentia virtutis, quatenus est virtus: sed aliquid extrinsecus superaddit essentiæ, per quod appellatur à *Meisnero* Theologica virtus: quod cum intrinsece essentiam virtutis non afficiat (intrinseca enim & formalis ratio virtutis non est nisi convenientia cum lege) nec speciem, nec essentiam

tiam ejus mutat. Unde, exempli gratia, liberalitatem ethnici & Christiani specie & formaliter differre constanter negamus: etiamsi ultro concedimus cum liberalitate Christiani conjungi, quod cum liberalitate Ethnici non conjungitur. Ita nec Physica peripatetica ab erroribus purgata per fidelitatem & infidelitatem subjectorum formaliter & specifice distinguitur.

§. 19. Concedit *Meisnerus*, *virtutes Theologicas & Ethicas specie non differre, sed forma convenire, quatenus sunt recta & bona opera: & sic gradualem differentiam posse locum habere: quoniam Christiani actio legi magis est consona, quam Ethnici*. pag. 81.

Resp. Est hoc, quod vult *Keckermannus* & cum eo *Timplerus* aliique orthodoxi, adeoque hoc nomine minime exagitandi. Quod de Euangelico respectu & consideratione, qua Deo specialiter placent, subjungit, differentiam specificam & formalem non evincit, sed aliquid tantum supra virtutis essentiam additum veluti eruditio superaddita hominis formæ specifice non distinguit hominem absolute dictum ab homine erudito: vel hominem eruditum ab inerudito. Unde distinctio hominis in eruditum & ineruditum, non est generis in suas species: sed subjecti per sua adjuncta.

Instat: *Quod nullo modo Deo placet, cum virtute theologica non congruit & ab ea non gradu, sed forma & essentia differt. Atqui virtutes gentilium nullo modo placebant Deo: Ergo* pag. 483.

Resp. *Assumtionem* ipse *Meisnerus* arguit falsitatis, pag. 476. lin. 22. ubi distinguit inter *complacentiam generalem* & *specialem*: Quod nullo modo placet Deo, nec *generaliter* nec *specialiter* placet. Specialis complacentia non constituit differentiam essentialem, sed accidentalem.

II.

Pietati adversatur Impietas, quæ DEI est neglectus & contemtus.

Ἔκθεσις.

DEtestabilis est impietas, quam fugere magnis rationibus docet *Mercur. Trismeg.* lib. 4. *Quæ major pœna humanæ animæ? Impietas. Qualisnam ignis tantam habet flammam, quantam impietas? Et qualisnam mordens fera ita lædit corpus, quantum*

tum ipsam animam impietas? vel non cernis, quanta mala patitur anima impia!

CAPUT VIII.

DE DEI COGNITIONE.

THESIS I.

VEneratio sive cultus Dei duplex est: Internus tantum, vel internus & externus simul.

II.

Internus tantum cultus Dei est, qui tantum in animo consistit: estque Dei cognitio vel timor.

III.

Cognitio Dei vera est internus Dei cultus, cum ita Deum agnoscimus, sicut se in naturæ operibus patefecit.

Ἔκθεσις.

§. 1. RATIONES ad cognitionem Dei nos excitantes sunt.

(1) *Necessitas:* Nam, ut *Jamblichus* inquit, *sola Dei* cognitio *non ulla alia, hominem huic corpori obnoxium & fati necessitate alligatum potest solvere. Quæstio*, inquit *Cicero*, *de natura Deorum, ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria.*

(2) *Utilitas*, eaque duplex: (1) Quia *cognitio Dei similem Angelis reddit:* Jamblichus, 2. Quia, *si quis omnem divinitatem, Deumque & sapientiam perspexerit, idem hac ratione se ipsum maxime noverit.* Plato. Neque coli Deus sine cognitione potest. Unde *Seneca* Epist. 95. *Deum colit, qui novit.*

(3) *Jucunditas mentis:* Quia *plurimum sinceræ voluptatis capiunt, quibus verus de Deo sensus, nempe; Deum omnis boni esse auctorem & principem, omnium, quæ præclara usquam sunt, parentem cui fas non sit mali quicquam perpetrare, ut ne perpeti quidem.* Plutarchus.

§. 2. Quæritur (1) *An, extra revelationem divinam, detur*

tur aliqua veri Dei cognitio, quæ Ethicis accenseri possit virtutibus?

Resp. *Affirmativam* defendimus argumentis sequentibus:

(1) Disertum heic est scripturæ testimonium: Rom. 1. v. 19. 20. *Id, quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis: Deus enim eis manifestum fecit. Ipsius enim invisibilia dum ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur, æterna ejus cum potentia, tum divinitas.*

(2) Locuples quoque testis est experientia.

Egregia enim cognitionis DEI specimina exhibent veterum gentilium, Poëtarum & Philosophorum, scripta, è quibus luculenter constat, agnovisse ipsos Deum essentia unicum, proprietatibus simplicissimum, immutabilem, immensum, æternum, omniscium, veracissimum, optimum, omnipotentem, beatissimum, justissimum, &c. creatorem, gubernatorem & judicem omnium, uti prolixe probat *Alstedius*, Theolog. Natur. part. 1. per capita 20. Ante quem idem argumentum egregie tractavit *Mornæus* in lib. de veritate Relig. Christianæ per cap. 20. priora. *Mutius Pansa*, de osculo Theolog. Ethnicæ & Christianæ.

(3) Testantur idem evidentissimæ rationes, quibus, extra scripturam, infideles & pagani contradicentes convincuntur, unicum esse Deum, omnibus illis insignitum proprietatibus, quas ante recensuimus. Persequuntur eas *Mornæus*, *Alstedius*, libris allegatis, &, dudum ante hos, *Patres*, & post hos *Thomas* contra Gentiles, part. 1. summæ quæst. 2. Ar. 3. &c.

§. 3. Naturalem Dei cognitionem jam pridem nonnulli oppugnarunt & inter recentiores hæreticos etiamnum oppugnant *Sociniani*. Ex argumentis præcipuis sequentia sunt.

(1) *Deum esse non est demonstrabile: Ergo naturalis cognitio Dei nulla datur.*

Antecedens prob. 1. *Quia, Deum esse, est articulus fidei. Atqui articuli fidei non sunt demonstrabiles, vel per naturam noti: 2. Quia nec à priori, nec à posteriori, per effectus, est demonstrabile. Non à priori: Quia Deo nihil est prius: Non à posteriori, seu per effectus: quia effectus ei non proportionati: sunt enim omnes finiti, Deus autem est infinitus.*

Resp. *Antecedens* negatur: Ad *Probationem* 1. respond. *Deum esse*, inquit Thomas, *non est articulus fidei, sed preambulum ad articulos fidei.* Fides enim præsupponit cognitionem naturalem, ut gratia naturam, ut perfectio perfectibile. Ad 2. Deum esse, à *posteriori* est demonstrabile: effectus enim causam arguit: *Ratio* quæ in contrarium adfertur, inconsequens est: Quia & effectus non

non proportionatus causam arguit. Neque infinitas Dei impedit; quo minus aliqua inter Deum & effectus ejus finitos, sit similitudo: quæ etsi in infinitate non est: tamen in aliis affectionibus creaturarum & proprietatibus creatis esse potest. Quo sensu ad imaginem Dei formatus homo dicitur, propter similitudinem justitiæ & sanctitatis &c. Videatur Paulus Rom. 1. v. 20. Infinitatem creatoris etiam ipsi gentiles agnoverunt: quamvis infinitam creaturam nullam agnoverint.

§. 4. (2) *Si cognitio* Dei *esset naturalis: utique omnes homines Deum esse cognoscerent, eumque bonum, sapientem, justum, potentem &c. Atqui falsum consequens*: *Ergo & antecedens.*

Connexi ratio est: *Quia quod naturale est homini, id omni inest homini.* Assumtio prob. *Quia Philosophi nonnulli Deum esse negarunt: unde ἄθεοι sunt dicti: inter quos famosus est Diagoras.*

Resp. 1. *Connexum* negatur, si consequens de actuali cognitione loquatur: ut cognitio Dei possit dici naturalis, sufficit, si *Deum esse*, omnes aliquo modo absque singulari vel extraordinaria revelatione divina possint cognoscere: nempe, si ratione sana utantur, Deumque in natura se patefacientem & loquentem videant atque audiant: Siquidem *præsentem loquitur qualibet herba Deum.* Unde *Avicenna: Quicunque Deum non cognoscit, non tantum ratione, sed & sensu caret.* Et *Seneca*: *Nemo adeo ferus adeoque extra leges & mores projectus est, quem non Dei cognitio imbuerit.*

Ratio *connexi* non admittitur alio sensu: quam quo ipsum *connexum*. *Assumtionis* probatio non est liquida: Siquidem *Diagoras Melius*, *Theodorus Cyreneus*, *Euhemerus Tegeates*, & pauci alii, quos *Atheos* antiquitas nominavit, gentilium potius Deos riserunt, quam Deum negarunt: vide *Mornaum* de relig. Christ. lib. cap. 1. & seq. quibus docet, quatenus cognosci per naturam Deus possit: cap. 2. 3. 4.

I V.

Cognitioni DEI *adversatur* ignorantia DEI, *qua de* DEO DEIq; *operibus aut plane non, aut prave, mens hominis est edocta: Pertinet huc* superstitio *quam* δεισιδαιμονίαν *Græci appellant.*

Ἔκθεσις.

§. 1. IGnorantia, qua nihil de Deo scitur, appellatur *ignorantia pura negationis*: qua vero falsæ de Deo opiniones foventur,

ventur, appellatur *pravæ dispositionis*: quam δεισιδαιμονία, seu superstitio, ambitu suo includit. Definitur à *Plutarcho* περὶ δεισιδαιμονίας, superstitio *opinio de Diis turbulenta, qua timor incutitur homini existimanti quidem Deos esse, sed acerbos damnososque*, Itaque qui nullum esse Deum putant, mentione numinis nihil moventur: Superstitiosus vero movetur quidem, sed perverse. Nihil magis est, quod æque hominem affligat, atque superstitio, ut libello allegato docet *Plutarchus*. *Superstitioso nullus est communis mundus: nam neque vigilans ratione recta utitur; neque ab eo, quod ipsum perturbat somno liberatur: sed dormit ratio, semper vigilat metus, fuga mali aut requies nulla datur. Qui Deorum imperium, tanquam tyrannidem, metuit tetricam & inexorabilem, quo concedat, quo fugiat, quam terram Dei expertem, quod mare inveniat? Inquam mundi partem penetrabis ibique te abscondens effugisse te Deum putabis miser?* Egregia sententia, de immensitate & omni præsentia Dei, similis illi psal. 139. v. 7. 8. 9. 10. *Quo irem à Spiritu tuo* &c. Ostendit ibidem, impietate Deum prorsus ignorante deteriorem esse superstitionem: nullumque animi morbum tam multis erroribus & perturbationibus scatere, tamque inter se dissidentibus & pugnantibus opinionibus refertum esse, atque superstitionem.

CAPUT IX.

De

TIMORE DEI.

THESIS I.

FUIT cognitio *Dei: Sequitur* Timor *Dei, qui est cultus Dei internus, quo Majestatem Dei reveremur, peccatumque fugimus.*

Ἔκθεσις.

AD timorem Dei nos excitant rationes & exempla.

Rationes sunt,

§. 1. *Necessitas* & *Utilitas*: quia sine Dei timore de ejus benevolentia nihil nobis polliceri possumus. Hinc *Plutarchus*: Nisi *talis animi motus notitia de Diis antecepta insederit, qui nos partim ut vereamur, partim*

 ut me-

ut metuamus Deos, impellat, quid tandem relinquetur, quod benevolentia Deorum freti speremus, quo in prosperis rebus nitamur, quo in adversis ope Numinis confugiamus? Hoc reverentiæ & metus Dei fræno subtracto, lata impiorum sceleribus fenestra aperitur, quando, ut *Plutarchus* inquit; *malitia metu erga Deum retinetur, ut qui humanis actionibus & passionibus non tardus & cunctator judex incumbat.* Idem alibi præclare: *Qui Deum timent ut principem, bonis benignum, malis infestum, uno illo metu liberati à studio peccandi, neque multis opus habentes, liberatoribus, cum malitia apud ipsos paulatim quasi contabescat, minus animo conturbantur, quam qui indulgent vitiis, audentque scelera* &c.

(1) *Majestas Dei omnipotentis, omniscii & justissimi*: de qua Cicero: *Quis non timeat omnia providentem & cogitantem, & animadvertentem & omnia ad se pertinere putantem, curiosum & plenum negotii Deum?* Idem lib. 2. de LL. *Sit persuasum civibus, Deos, qualis quisque sit, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri, piorum & impiorum habere rationem.* Et 3. de nat. Deor. *obscurum nihil Deo potest esse.* Ita scientiam præteritorum præsentium & futurorum Deo tribuit, *Orpheus.* Hymn. 24. Similia plurima in Gentilium scriptis passim occurrunt.

Breviter: ad timorem Dei nos excitare potest & debet consideratio *omnipotentiæ divinæ: judiciorum Dei particularium adversus peccata: Judicii divini universalis & ultimi: Comminationum divinarum: pœnarum incumbentium peccatoribus: beneficiorum* Dei: *& promissionum iis, qui Deum timent, factarum*: de quibus è scriptura prolixe disserunt Theologi.

§. 2. Exempla sunt.

(1) *Socratis*: qui *Platone* teste, *plus quam humana semper erga Deorum nomina fuit reverentia, adeo ut maximum quemque timorem illa superaret.*

(2) *Cyri Persarum regis*, Xenophontis historia nobilitati. Hic moriturus filios suos sic colloquitur: *Pertimescite Deos, o filii, ut nihil impii, nihil nefarii vel committatis vel deliberetis.* Nobilissima hæc virtutis est gemma, quam testamento filiis suis reliquit pater sapiens.

§. 3. Quæritur, *An omnis Timor Dei sit virtus, & quæ laudabilis atque genuini timoris sint signa?*

Resp. Non omnis timor Dei est virtuosus & laudabilis: est vitiosus quoque & culpabilis. Unde quidam expresse damnatur: quando Apocal. 21, v. 8. *timidi* accensentur *incredulis,* execrabi-

execrabilibus *homicidis*, *scortatoribus*, *veneficis*, *idololatris*, & *mendacibus*: quibus omnibus pars dicitur assignata in stagno ardenti igne & sulpure. *Quis vero*, inquis, *tam noxius est Dei timor?* Resp. *Qui* homines à Deo absterret: qualis fuit timor primorum hominum à conspectu Dei fugientium & se occultantium, Genes. 3. v. 10. qui alias appellatur *servilis timor* ab amore alienus, malorum proprius: inprimis autem ille, qui peccati actum sequitur & per pœnitentiam ad Deum redire non patitur, cum desperatione conjunctus. Qui peccati actum antecedit eumque impedit, simpliciter & per se malus non est: etiamsi eo vere Deus non colitur: quippe qui non ex θεοφιλίᾳ sed ex αὐτοφιλίᾳ seu φιλαυτίᾳ proficiscitur. Interim ad θεοφιλίαν tandem quasi manu ducit: Unde timorem illum, qui prædicatur *initium sapientiæ*, proverb. 1. v. 7. nonnulli ex patribus quoque interpretantur *timorem servilem*: vide Zanch. in expl. decal. pag. 254. sunt autem signa genuini & laudabilis timoris Dei sequentia. (1) Si serio fugiamus ea, quæ in Dei oculis sunt mala. (2) Si à peccatis etiam ocultis & hominum censuras effugientibus ex reverentia erga Deum abstineamus. (3) Si odio peccata prosequamur ideo, quia Deus ea detestatur. (4) Si id maxime demus operam, ut à Deo non recedamus. (5) Si divinæ legi actiones nostras conformemus. (6) Si nullius hominis aut creaturæ metu nos ab officio absterreri patiamur. (7) Si Dei nomen & attributa cum reverentia usurpemus.

Timori Dei adversatur *Cyclopica immanitas* & securitas, quæ omnem Dei excludit reverentiam & timorem.

Ἔκθεσις.

Hinc *Cyclopis* apud *Euripidem* leguntur verba:

Non ulla numina expavesco cœlitum:
Sed victimas uni Deorum maximo
Ventri offero, Deos ignoro cæteros.

Apud *Homerum* hæc *Cyclopum* occurrunt:

οὐ γὰρ κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτεροί εἰμεν.

CAPUT

CAPUT X.

De

PRECATIONE.

THESIS I.

SIc de Dei cultu interno tantum: *Internus & externus simul est, qui in affectu & externis gestibus, actionibusque consistit: estque precatio, vel gratiarum actio.*

II.

Precatio est cultus DEI internus & externus simul, quo necessaria ab eo petimus.

Ἔκθεσις.

§. 1. PIETAS in animo non tantum delitescit, sed foras quoque erumpit & linguam ipsam ad Dei cultum excitat & extollit.

Sunt autem tria hic tenenda: (1) *Rationes*, cur precandum? (2) *Res*, quas à Deo precari fas est. (3) *Modus* quo precandum.

Rationes ad precationem nos impellentes sunt.

(1) *Indigentia nostra*: Cum enim nos & omnia nobis necessaria à Dei ita pendeant nutu,& in potestate ejus sint constituta,ut sine voluntate ejus nunquam nobis contingant,utiq; precum nostrarum humilitate & devotione ipse fuerit accedendus & exorandus.

(2) *Gratus precum piarum in Dei conspectu odor.* Unde *Ammonis* oraculum legato *Athenensium* sciscitanti: *quid esset, cur Dii ad illud usque tempus Lacedæmoniis potius, quam sibi victoriam largirentur?* respondit: *Lacedemoniorum εὐφημίαν* (hoc est, *Socrate*, interprete, *precationem*) *sibi jucundiorem esse, quam omnia Græcorum sacrificia.*

(3) *Promtissima Dei voluntas largiendi id, quod petimus.* De hac *Cicero*: *Pietate & religione & justis precibus Deorum mentes placantur: Et Epictetus: Si Deum rite invocaveris, futurum est, ut per Angelos ipsius de rebus præcipuis, eo jubente, admonearis.*

§. 2. A precationis assiduitate commendatur *Socrates*, cujus tota vita nihil aliud, quam preces perpetuæ. *Maximus Tyr.* dissert 30.

differt 30. Gestus externos publice precantium & rem sacram facientium describit *Seneca*, lib. 7. nat. q.

Intramus templum compositi ad sacrificium accessuri, vultum submittimus, togam adducimus, & in omne argumentum modestiæ fingimur.

§. 3. Res, quas à Deo precari fas est, præscribit *Xenophon*: *Primum precandum est à Diis, ut illud tibi largiantur, ea ut sentias, loquaris & agas, quæ gratissima ipsis sunt, tibi autem, amicis & Reipubl. minime molesta, summeque gloriosa & utilia aggrediaris.* Pertinet huc illud veteris Poetæ.

Optima da nobis, vel si, Pater illa rogamus,
Vel non. At damnum cæco si errore petamus
Tu damnum à nobis præsens avertito Iova.

Precatio colloquium cum Diis est: Maxim. Tyr. diss. 30. Hinc monet *Macrobius*, lib. 1. Saturnal. secundum sanctum Philosophiæ præceptum: *Sic loquendum esse cum hominibus, tanquam Dii audiant: Sic loquendum esse cum Diis, tanquam homines audiant.* Et hanc posteriorem partem sancire ait: *Ne quid à Diis petamus, quod velle nos indecorum sit hominibus confiteri.* Simile monitum est *Senecæ*. Epist. 10. *à Deo non nisi justas supplicum preces audiri*, apud *Tacit. C. Cestius.*

Exoratur autem Deus non otiosa, sed laboriosa precatione: unde tritum illud, *ora & labora*: quo commendantur preces sub opere effusæ: Suspiria Deus exaudit, non otiosorum, sed negotiosorum. Hinc *Suid.* cent. 3. Α'υτὸς τὶ νῦν δρῶν εἶτα τοὺς Θεοὺς κάλει: *Nunc ipse aliquid agito: dein Deos voca.* Item Σὺν Α'θηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει: *cum Minerva & manum move.* Item: τὴν χεῖρα προσφέρων τὸν θεὸν κάλει. *manum admovens Deum invoca.* Ut preces exaudiantur precantium quoque requiritur pietas & probitas: unde Clem. Alexand. τοῖς μοχθηροῖς τῶν ἀνθρώπων ἡ ευχὴ οὐ μόνον εἰς τοὺς ἄλλους, ἀλλὰ καὶ εἰς σφᾶς αὐτοὺς βλαβερωτάτη. h. e. *Sceleratis oratio non solum in alios, sed & in se ipsos est perniciosissima.* Rationem reddit: *Etiamsi enim, quæ fausta & prospera dicunt postquam petierint, acceperunt: ipsa hæc ludunt eos, qui acceperunt: ut qui sunt usus eorum nescii.*

§. 4. Modus quoque tenendus, quo precandum: quem illa indigitant definitionis verba, quæ precationem definiunt cultum Dei *internum* & *externũ* simul. Fungimur igitur precandi officio *interne* per animi conceptus cogitationes & cordis gemitus: unde nasci dicitur precatio non in ore, sed in corde & animo. *Externe* per linguam, quando cogitatione præconceptas preces eloquimur. Hi ita sunt comparati modi, ut esse prior possit sine posteriori: posterior

sterior autem non sine priori, si grata & accepta esse Dei precatio divinique cultus digna nomine debeat. Quæ enim in ore tantum nascitur precatio, non est Dei cultus, sed illusio potius hypocritica: quam *Pharisæis* Christus exprobrat Matth. 15. v. 7. 8. *Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Esaias, dicens, appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat: cor autem eorum procul abest à me.*

De hujusmodi precatione *Bernhardus* de meditat. devot: cap. 8. *Oro quidem*, inquit, *ore, sed mente foris vagante: Orationis fructu privor. Corpore sum interius, sed corde exterius, & ideo perdo, quod dico: parum enim prodest sola voce cantare sine cordis intentione. Propterea magna perversitas, imo magna insania est, quando cum Domino majestatis loqui in oratione præsumimus, & insensati aurem avertimus, & nescio ad quas ineptias avertimus cor.* Item: *magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, ut mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo.* Igitur *mente opus est magis*, inquit *Chrysost.* de fide *Annæ*, homil. 4. *quam voce, animi contentione magis, quam manuum extensione: nec tam refert, quo corporis habitu id facias, quam quo animæ effectu.* Oratio sine mente clamor est, non oratio: Mente vero concepta, quamvis tacita, tamen coram Deo clamor est: ut scribit *Hilarius* in Psal. 140. Idem in psal. 118. *Nullam Mosi vocem ad Deum fuisse scriptura testatur. Stabat mœstus, stabat tacens, sed secreto cordis sui personans & orationis suæ fide clamans: vox enim istud divina testatur, dicens:* Dixit autem Dominus ad Mosem, quid proclamas ad me. *Silebat vir ille, sed oratio fidei ejus clamor ad Deum &c.* Interim *Pythagorici* olim cum voce preces fieri voluerunt: non quod æstimarent exaudiri à Deo non posse eos, qui tacite loquuntur: sed quod justas esse vellent preces, quas etiam multis scientibus, non vereretur quis fundere: ut *Clemens Alexand.* lib. 4. Strom. auguratur. Internos gemitus quando non amplius capit cordis angustia, per linguam eos effundit & se quasi exonerat: quibus & ipsa sanctificatur, & alii exemplo bono ad eundem invitantur cultum. *Nobis verba necessaria sunt, quibus commoneamur, & inspiciamus, quid petamus, non quibus Dominum seu docendum, seu flectendum esse credamus:* inquit Augustin. de Orand. Deo. cap. 11.

III.

Precationi adversatur securitas bestialis & imprecatio.

Ἔνθεσις

Ἔκθεσις.

§. 1. SEcuritati huic bestiali præsidium nonnulli quærunt ex necessitate *Fati* & immutabilitate decretorum cælestis curiæ, idque hoc dilemmate.

Aut futurum est, quod precaris, aut non: Si futurum est, etiamsi non susceperis vota, fiet: Si non est futurum, etiamsi susceperis vota, non fiet.

Ita dilemma format *Seneca*: qui in persona adversarii & hoc addit: *Si necessitatem rerum actionumque sacrificiis & capite niveæ agnæ exorari judicas; divina non nosti. Sapientis quoque viri sententiam negatis posse mutari: Quanto magis Dei.*

Respondet ad Dilemma *Seneca*: *Falsa est ista interrogatio: quia illam mediam inter ista exceptionem præteris: futurum*, inquam, *hoc est: Sed si vota suscepta fuerint.* Addit: *Existimamus vota proficere, salva ut & potestate fatorum. Quædam enim à Diis immortalibus ita suspensa relicta sunt ut in bonum vertant, si admotæ Diis preces fuerint, si vota suscepta. Ita non est hoc contra fatum, sed ipsum quoque in fato est.*

§. 2. Imprecatio precationi adversatur, quatenus necessaria non nobis tantum, sed & aliis precamur & tenemur precari. Cui adversa imprecatio, qua mala & nocitura aliis precamur & optamus: quæ proh dolor, inter homines tam est frequens, quam ipsa precatio. Cum *Cirrhæi* olim *Apollinis* expilassent templum, jussi sunt ab oraculo *Athenienses* bello ipsos pertinaci prosequi, agros ipsorum populari, Diis Deabusque consecrare, & ad perpetuam vastitatem damnare. Itaque ad id se obstrinxerunt *Athenienses* non tantum jurejurando, sed & sibi omnibusque aliis si aliter facerent, pestem & exitium imprecati sunt. Continebat imprecationis formula etiam hæc: *ut terra fructum ipsis non ferat: ut uxores ipsorum non liberos parentibus similes: sed monstra & portenta pariant: ut nec pecorum partus sint naturales: ut è bello, è judiciis & foro victi discedant: ut denique funditus pereant & deleantur & ipsi & eorum domus & genus.* Æschines in Cesiph.

Laconum execratio hæc fuit: *Ædificiorum fabricatio te occupet, & procrastinatio, & equus, quem alas, & uxor tua adulterum habeat: Suidas.*

§. 3. Ab imprecatione absterrere nos debet cogitatio ingentium damnorum, quæ insequi imprecationem solent, sive quis sibi, sive aliis mala imprecetur.

(1) Æternæ

(1) Æternæ mortis pœnam dictat Deus imprecatoribus & maledicis, 1. Cor. 6. v. 10. & cap. 5. v. 11.

(2) Imprecatio sæpe in caput autoris recidit, justissima Dei vindicta: sæpe quoque præter spem & intentionem judicia Dei adversus eos, in quos effunduntur, concitant magno cum imprecantium dolore & malo.

Multis hoc exemplis probantem vide *Drexelium*, in Phaëth. orb. cap. 26. 27. olim Romani arcanas & vetustas devotiones ea pollere vi ajebant, ut nemo adversus quem conceptæ sint, evitare illas possent, nec bene cedunt iis, à quibus sunt conceptæ: *Plutarch.* in *Crasso* & in quæst. Græc. 51.

(3) Cum charitate, quam proximo & nobis debemus, è diametro pugnant imprecationes. Charitatis enim est bene precari. Atqui male precatur, qui imprecatur.

Quin & iis, quibus charitatem non debemus, nempe Diabolis, male precari nefas est, de sententia Siracidæ, cap. 21. v. 30. *Cum execratur impius Satanam, u suam ipsius animam execratur.*

Apud *Athenienses* sacerdos jussa *Alcibiadem* damnatum execrari, abnuit. Causam rogata, *precibus*, inquit *non imprecationibus constituta sum sacerdos.* Utinam tam religiosi essent omnes Christiani sacerdotes! olim apud Romanos Flamini diali jurare non licuit: quia cum juramento plerunque conjuncta est execratio. Bileam olim jussus maledicere Israëli, *quid execrarer*, inquit? *Non execratur Deus illum: aut quid detestarer? Non detestatur Jehova.* Num. 23. v. 12.

§. 4. Sed opportune heic quæritur. *An omnis imprecatio sit illicita?*

Resp. *Affirmativam* videntur stabilire rationes modo allatæ. Cum vero in sacris literis exempla imprecationum sanctis usitatarum sint plurima, res scrupulo carere non videtur. *Davidis* exstant vehementissimæ & gravissimæ imprecationes 2. Samuel. 1. 21. 2. Samuel. 3. v. 29. Psalm. 59. v. 6. 12. 14. 16. & 69. v. 23. &c. & 83. v. 10. &c. Psalmus 109. ex meris constat imprecationibus. Et 137. v. 8. 9. & 140. v. 11. 12. & 143. v. 12, Sic & *Jeremias* dira imprecatur Judæis cap. 17. v. 18. & Lament. cap. 3. v. 64. videatur & Hoseæ, cap. 9. v. 14. Sic & *Noha* execratus est *Chanaan. Maledictus Chanaan, sit servus fratrum suorum*: Genes. 9. v. 25. *Simonem Magum* execratur Petrus Act. 8. v. 18.

§. 5. His tamen haud obstantibus in affirmativa persistit *Augustinus* lib. 1. de serm. Dom. in monte: ubi ait, eas quæ in pro-

phetis

phetis leguntur, imprecationes tantum pertinere ad vaticinia: ita ut sub illa orationis forma tantum prædixerint, quæ eventura viderint: neque mirum esse quod modo optativo sint usi pro indicativo: hoc enim familiare Hebræis esse. Alias divina est lex, *Benedicite iis, qui execrantur vos.* Matt. 5. v. 44. Luc. 6. v. 28. *Benedicite iis qui nos insectantur, benedicite, inquam, & ne imprecamini.* Rom. 12. v. 14.

Monent heic alii, si quem incessat voluntas alios execrandi, prophetasque & Apostolos imitandi, ei videndum prius, *an Spiritum illorum habeat.*

§. 6. Igitur imprecationes à Spiritu prophetico profectæ in illicitis non sunt numerandæ:

Neque simpliciter omnes aliæ divina lege prohiberi videntur: sed eæ tantum, quæ ex vindictæ propriæ & privatæ cupiditate proficiscuntur, quæ temerariæ sunt à consuetudine prava vel præcipiti ira dictatæ, & eorum, quos attingunt, bonum nullo modo attingunt; neque divinæ gloriæ illustrationem intendunt. Vide *Martyrem*, LL. Com. tom. 1. pag. 477. &c. & Rivet. in Explicat. Decal. pag. 272. *Zanchium* in explic. Decal. ad præcept. 3. cap. 18. pag. 53. &c. Ita nec improbandæ imprecationes, quæ fieri solent in jura mentis rite & religiose factis, quæ non categoricæ, sed conditionatæ sunt conjunctæ cum invocatione divini nominis, qua tanquam testis veritatis & vindex mendacii Deus imploratur. Hinc existimant nonnulli etiam prophetarum & Apostolorum imprecationes adversus hostes esse conditionatas, uti & comminationes divinæ sunt: etiamsi expressam conditionem non habent, subintelligi vero conditiones, si ita Deo placeat, si spes pœnitentiæ sit nulla, & servari nolint, qui devoventur: si interitus hostium divinæ serviat gloriæ & liberationi Ecclesiæ, &c.

CAPUT XI.

DE
GRATIARUM ACTIONE.

THESIS I.

Gratiarum actio est cultus Dei internus & externus simul, quo Deo pro nobis datis debitam laudem reddimus.

Ἔκθεσις.

§. 1. AD gratiarum actionem nos hortantur *rationes* & *exempla*.

Rationes sunt: (1) *Mandatum Dei:* de quo *Galenus: A nobis Deus hunc maxime cultum exigit; non ut hecatombas taurorum ipsi sacrificemus, sed ut omnibus notum faciamus, quanta ejus potentia, sapientia, bonitas.* (2) *Beneficia Dei:* de his *Epictetus: Si quid mente valemus, quid nobis agendum, nisi ut Deum assiduo celebremus, gratiarum actiones canamus, dum terram fodimus aut vertimus, seu laboramus, seu requiescimus! Quas autem! Magnus Deus, qui hæc instrumenta dedit: Magnus, qui manus ipsas largitus est nobis: Magnus vero, qui dat, ut nec cogitantes crescamus & dormientes respiremus.* Pertinet huc illud *Plaut.* pœn. Act. 5. 4.

Diis est æquum gratias nos agere sempiternas,
Cum nostram pietatem approbant decorantque Di immortales.

Pulchra est illa *Ambrosii* sententia, de fratre *Satyro* in orat. fun. *Nullum referendæ gratiæ majus est officium. Quod si homini non referre, simile homicidio judicatum est: quantum crimen est non referre Deo!*

Exempla sunt *brutorum* vel *hominum*:

Inter *bruta* aviculæ in aëre volitantes, quæ in Dei celebratione sunt assiduæ. Hinc *Epictetus: Si luscinia essem, facerem, quod luscinia: cum autem homo rationalis sim, quid faciam? laudabo Deum, nec cessabo unquam.*

Inter *homines* laudantur:

Agesilaus, qui, quoties fortuna utebatur prospera, non homines

mines præ se contemnebat, sed Diis gratias habebat: teste *Xenophonte*. *Socrates*, qui pro frugibus quoque sacrificandum Deo censuit. *Populus Romanus*, qui supplicationes Diis decrevit, quoties vel insigni aliqua calamitate liberatus vel victoria insigni potitus.

II.

Gratiarum actioni adversatur ingrata beneficiorum Dei oblivio.

CAPUT XII.

De FORTITUDINE.

THESIS I.

HACTENUS de prima virtutis specie, Pietate: *sequitur altera* Probitas, *quæ virtus est, per quam nos in humanis recte gerimus.*

II.

Hæc vel ad nos ipsos refertur, vel ad alios.

III.

Probitas ad nos ipsos relata est fortitudo vel temperantia.

IV.

Fortitudo est Probitas, per quam excelsum & invictum in rebus arduis animum tenemus.

V.

Adversatur fortitudini mollitudo.

Ἔκθεσις.

OBIECTUM fortitudinis sunt res omnes arduæ, magno & invicto animo excipiendæ & sustinendæ, sive prosperæ sive adversæ. Non igitur fortes ii, qui in contrariis rebus parum sibi constant: ut qui voluptatem quidem severissime contemnunt, at in dolore sunt molliores: qui gloriam negligunt, & infamia etiam, cujus culpam non sustinent, franguntur; sed fortes ii, qui voluptatem & dolorem contemnunt, qui in ignominia, qua præter meritum sunt notati, eundem servant vultum &c.

CAPUT XIII.

De MAGNANIMITATE.

THESIS I.

SPecies fortitudinis duæ sunt: Magnanimitas & Patientia.

II.

Magnanimitas est fortitudo, per quam magno & invicto animo tum arduas & periculi plenas res aggredimur, tum externa omnia despicimus.

Ἔκθεσις.

§. 1. ALII *Ethicæ* scriptores distinguunt fortitudinem à magnanimitate, tanquam speciem virtutis unam ab altera: unde & diversa utriusque *objecta* & *officia* constituunt. Ex usu latinæ linguæ alia non admittitur distinctio, quam quæ generis est à specie. *Fortitudinem* enim genus, *magnanimitatem* vero speciem fortitudinis constituimus.

§. 2. In virtutum moralium explicatione ad *quatuor* potissimum est attendendum: nempe ad cujusque virtutis (1) *Objectum* (2) *Officia* seu *effecta* (3) Caussas impulsivas (4) Quæstiones controversas. *Objectum* magnanimitatis sunt:

§. 3. (1) *Res arduæ & periculi plenæ*, quas τῶν φοβερῶν, hoc est formidabilium, quæ animum hominis percellere & perturbare possunt, & θαρραλέων, quæ singularem animi confidentiam requirunt, nominibus exprimit *Aristoteles*. φοβερὰ autem hoc loco non quævis magnanimo fortique viro contemnenda veniunt: sed ea tantum, quæ (1) cum infamia & scelere scelerisque pœna non sunt conjuncta. Infamiam enim justam & scelus timere forti viro semper licet (2) quæ ὑπὲρ ἄνθρωπον, seu *supra hominem* non sunt, hoc est, quæ majora non sunt, quam ut ab humano contemni possint animo; qualia sunt *prodigia extraordinaria* Dei iram denunciantia, fulmina, terræ motus, exundationes, &c. Circa reliqua φοβερὰ qualia sunt pericula ab hominibus intentata, invidia, inimicitia, paupertas, orbitas, exilium, exquisiti dolores,

lores, vulnera, morbi & denique mors ipsa (quæ φοβερῶν φοβερώτατον à Philosopho appellatur) si gloriæ divinæ illustrandæ, si patriæ, nobis aut nostris defendendis, vel denique infamiæ propulsandæ inserviant, quid magnanimum deceat, ex sequentibus patebit. Referunt quoque huc nonnulli *spectra*, quæ viro forti & magnanimo non debere formidabilia esse, contendunt exemplo *Democriti*, *Marci Bruti* & *Athenodori Philosophi*. Et quidem *Democritus* perdius & pernox sæpe extra portam in monumentis vixit, ibique scriptionibus & commentationibus vacavit: quem cum aliquando perterrefacere adolescentes aliquot voluissent, nigraque veste in modum cadaveris amicti & larvis cranium humanum repræsentantibus induti ipsum circumsiliissent, nihil ille commotus nec inter scribendum respiciens hoc tantum dixisse fertur, *ineptire desinerent*, teste *Luciano*, in Philopseute. *Marcus Brutus* horrendum & terribile spectrum de nocte sibi oblatum non tantum intrepido animo vidit, sed ultro etiam compellavit, rogavitque quis esset, & qua de causa venisset? cum respondisset spectrum: *Malus tuus Genius sum, Brute, in Philippis me videbis:* subjecit *Brutus, videbo:* teste *Plutarcho* in *Bruto*.

Athenodorus non tantum ædes propter spectra infames ultro habitatum immigravit: sed & cum spectrum concubia nocte apparens ei innueret, ut se in aream ædium subsequeretur, sublato lumine, ad quod scribebat, secutus est, & locum, ubi evanesceret, notavit: teste *Plinio*, lib. 7. ep. 27.

Rara tamen hæc sunt exempla: & *spectra* contemnere fortitudinis potius videtur esse theologicæ, quam civilis aut militaris. Sunt enim *spectra* aliud nihil, nisi malignorum spirituum lusus: Contemnere autem malignos spiritus nemo potest securius quam theologus, sive professione, sive vita. *Fides mundum & Diabolum vincit.*

Θαρραλέων nomine intelliguntur molestiæ & labores ardui, in rei alicujus magnæ molitione exantlandi, qui invictum animi robur desiderant.

§. 4. (2) *Fortuna bona*, qualia divitiæ & honores magni, quos solos alii magnanimitatis *objectum* constituunt; quia magnanimitatem volunt esse virtutis speciem fortitudini disparate oppositam.

§. 5. *Hactenus objectum magnanimitatis:* sequuntur *officia*.

Respectus *primi objecti* officium magnanimitatis est *intrepide aggredi & sustinere res arduas & periculi plenas*. Occurrunt autem res arduæ & periculosæ vel in *bello*, vel in *foro*, vel in *curia* vel in aliis etiam subitaneis *occasionibus*.

 In

In *bello*, magnanimus pro patria quævis vitæ pericula prudenter contemnit ob *rationes* & *exempla*. *Rationes* sunt.

(1) *Quia pericula belli ut omnium maxima, ita omnium sunt pulcherrima: Aristoteles.*

(2) Quia secundum illud *Hieroclis*: ἡ πατρὶς ὡσανεὶ δεύτερος τὶς Θεὸς: Pro patria igitur mori est quasi pro Deo mori: quod longe pulcherrimum & gloriosissimum.

(3) Quia *pleno ore laudantur, quæ magno animo fortiterque sunt gesta*: Cicero.

(4) *Quia ignavia extremum est malum ipsi morti æquiparandum*: Plato.

(5) Quia *nobilissima & gloriosissima mors est, quæ pro patria oppetitur*. Unde illud: *Dulce & decorum pro patria mori. O fortunata mors*, exclamat Cicero, *quæ, naturæ debita, pro patria potissimum est reddita!* Sic & *Athenienses* olim Turcarum Imperatori responderunt: *Quid pulchrius, aut in humanis jucundius esse potest, quam egregios cives & domesticos pro salute omnium intrepidos se morti exponere?*

§. 6. Mortem autem ipsam, etsi τῶν φοβερῶν φοβερώτατον esse dicitur, contemnit vir fortis hisce rationibus.

(1) Quia *fata Deum novit rata & fixa esse, atque magna & æterna necessitate duci*: Seneca.

(2) Quia intelligit, *nulli contingere vitam posse securam, qui de producenda nimis cogitat*: Seneca.

(3) Quia videt, *nec infantes, nec pueros nec mente lapsos timere mortem: turpissimum igitur futurum judicat, si eam securitatem sibi ratio non præstet, ad quam stultitia perducat*: Seneca.

(4) Quia *perpendit humanæ vitæ miserias, quod quamdiu hac luce utimur, vivere quidem videamur, sed verius assidue moriamur.* Cicero.

(5) Quia *sperat ad Deum Dominum optimum se venturum*: Plato.

(6) Quia *credit mortem non interitum esse omnia tollentem* atque *delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitæ, quæ claris viris Dux in cælum esse soleat*. Cicero.

(7) Quia persuasum habet, *mensuram vitæ esse honestatem, non temporis diuturnitatem*. Plutarchus: μέτρον τοῦ βίου τὸ καλὸν, οὐ τὸ τοῦ χρόνου μῆκος.

§. 7. *Nota*. Quanquam magnanimus morti tergum temere non obvertit; moriendi tamen libidinem vitat. Statuit enim cum *Seneca*: *virum fortem & sapientem non fugere debere ex hac vita*, sed exire: *Officia* viri fortis circa hostem & mortem numerari sex

ri sex solent (1) *cunctando rem peragere* (2) *expectare hostem*, (3) *Aggredi periculum* (4) *sustinere aciem* (5) *Adversarium figere* (6) *mortem, cum opus est, fugere*: de quo suo loco vid *Cas.* Spe. Moral. l. 3. c. 11. Vere fortes, ex sententia *Aristotelis*, in pugna sunt acres, extra pugnam mansueti; lib. 3. Eth. cap. 7. Hinc moderate ferunt successus prosperos, & adversos, exemplo *Philippi*, qui *Graciæ* potitus imperio puerum aluit ter singulis diebus mane surgenti acclamantem, *Philippe, memento te hominem esse*. *Epaminondæ*: qui die pugnam Leuctricam secuto submissus & squalidus processit: causam sciscitantibus respondit: *Heri sensi me plus æquo mihi tribuisse*, *Plutarch. Valer. Max.* lib. 5. cap. 1. Et *Agesilai*, qui, victis *Atheniensibus* & *Corinthiis*, cum hostium ingens cæsus esset numerus, graviter ingemuit & *Graciæ* vicem deploravit: *Heu*, inquiens, *Græciam*, *quæ tot viros intestino bello perdis*, *quot satis esse poterant universis barbaris debellandis*! Plutarch. Quis vero tandem ingemiscet & *Germaniæ* nostræ vicem verbis hisce deplorabit *Epaminondas*? *Heu Germaniam*, *quæ intestino bello tot viros perdis*, *quot universo Orienti debellando & recuperando satis esse poterant*!

§. 8. *Exempla* virorum fortium plurima suppeditant historiæ Græcæ & Latinæ. Apud Romanos celebrantur *Cocles*, *Scipiones*, *Pompeius*: qui in delubro *Minervæ* scripsit, à se fusa, fugata, occisa, in deditionem accepta vicies semel centena octuaginta tria hominum millia: depressas & captas naves octingentas quadraginta sex: oppida & castella mille quingenta triginta octo occupata. *Plin.* lib. 7. cap. 20.

Cæsar, præter civilium victoriarum strages, quinquagies undecies centena & nonaginta duo hominum millia trucidavit: *Marcellus* quadragies manus cum hoste conseruit. *Lucii Sicinii Dentati* prodigiosa fortitudo celebratur à *Plinio* l. 7. cap. 27. *Valer. Max.* Lib. 3, cap. 20. *Gellio*, lib. 2. c. 11. Dictus ille *Achilles Romanus*: pugnavit in hostem 120. prœliis, cicatricem aversam nullam, adversas 45. tulit. Coronis est donatus aureis 8. obsidionali 1. muralibus 3. civicis 14 torquibus 83. armillis plus 160. hastis 18. Phaleris donatus est vicies quinquies: Triumphavit cum Imperatoribus suis triumphos novem.

Apud *Græcos*. *Miltiades*, *Thrasibulus*, *Leonidas*, *Epaminondas*, *Alcibiades*, *Themistocles*, *Pericles*, *Achilles* & alii plures, quorum vitas conscripsit *Plutarchus* in suis Parallelis. Omnibus præferendus *Alexander Magnus*, *Philippi* magnanimi Filius: qui cum nullo unquam hoste congressus est, quem

non vicerit, nullam obsedit urbem, quam non expugnarit, nullam adiit gentem, quam non conculcarit, *Plutarch.* in Alexand. *Diod. Sicul.* l. 17. *Curtius*, *Arrianus.* Inter *Germanos*, præter alios, fortissimi Heroës fuerunt *Carolus* M. & *Henricus* IV. qui sexagies & bis acie cum hoste dimicavit. Mortis & tormentorum fortissime toleratorum atque contemtorum exempla habemus in *Zenone Eleate*, *Anaxarcho*, *Mutio Scævola.* *Zeno* in ipsis etiam cruciatibus *Agrigentinos* in *Phalaridem* armare non destitit, teste *Valerio Max.* *Anaxarchus* inter multa tormenta *Nicocreontem*, Cypriorum Tyrannum, fortiter contemsit, illudque ingeminavit: *Tunde, tunde vasculum Anaxarchi, Anaxarchum etiam ipsum non teris*: Et linguam dentibus præcisam in faciem tyranni exspuit; teste *Diog. Laert.* *Mutius Scævola* ut *Porsenæ* terrorem incuteret, ultro dextram accenso ad sacrificium foculo injecit & combussit, teste *Floro.* C. *Marius* cum varicem in crure secandam Medico præberet, incredibiles cruciatus sine gemitu, & ne contractis quidem superciliis, toleravit. *Agesilaus*, frater *Themistoclis*, cum explorator in castris *Xerxis* *Mardonium* occidisset & ad *Xerxen* sacrificantem perductus fuisset, nullo aut vultu aut voce dolorem perferentis edito signo, ignibus, quibus in ara sacrificabatur, dextram injecit, totamque combussit. Cum tanta patientia *Xerxes* obstupuisset, *Agesilaus* ei dixit: *tales Atheniensium animos esse, & hujus rei ut fidem faceret majorem, paratum se esse, alteram quoque manum ignibus injicere.* Laudant quoque historiæ recentiores *Cerciam*, *Comezium*, *Carillum*, nobilem strenuumque virum: qui cum *Xericium*, *Hispaniæ Beticæ* oppidum, *Alfonsi* Regis nomine præsidio teneret, & à *Mauris* obsessus famem & mediam diu tolerasset, tandem, cæsis & mortuis omnibus militibus, in hostium copias solus irruit deditionis turpidinem morte sua declinaturus: Magna igitur hostium strage facta, tandem vivus est captus & ad barbarum Regem adductus, à quo dimissus & ad Regem suum remissus est.

Admodum memorabile & mirabile est, quod de *Calano*, Gymnosophista Indo, narrant *Ælianus* & *Plutarchus.* Anno ætatis 73. cum vitæ finem sibi instare credidisset, levi fluore alvi tentatus *Alexandrum M.* rogavit, ut pyram construi juberet; &, cum eam inscendisset, per apparitores ignem subjici. Cum à proposito hominem dimovere Rex non posset, composita tandem est pyra: cui, postquam Regi & adstantibus valedixisset, & lætum illum ut transigerent diem, rogasset, impositus

impositus decubuit & pallio se operuit neque appropinquante igne se loco movit, sed, quo se habitu composuerat conservavit, donec in cineres redactus esset. Quod cum admirabundus *Alexander* vidisset, *Calanum* dixit potentiores hostes debellasse, quam se: eo quod ipse cum *Poro*, *Taxila* & *Dario* bellum gessisset, *Calanus* vero cum labore & morte. Neque *Calano* inferior videtur *Decius*, Romanorum imperator, qui extructo in medio exercituum rogo; ex voto sese pro patriæ principatu *Saturno* devovit.

Olim *Thraces* & *Indi* sapientes ætate confecti, incensis rogis, mortem appetebant, & sine ullo funerum apparatu lætos se in flammam injiciebant, mortem nec fugientes nec formidantes. *Alexand.* ab *Alex.* lib. 3. cap. 2. unde quod, præsente & inspiciente *Alexandro* M. fecit *Calanus*, sub *Augusto* Cæsare quoque fecit *Zamarcus*, *Indus*, Sophista, teste *Xiphil.* in *Augusto.*

Ad fortitudinem Christianam in morte contemnenda proxime accessit *Cicero*, de quo *Plutarchus* & *Livius* memorant, quod in omni vita nullam rem adversam æquiore animo tulerit, quam mortem. Unde in lib. de senect. ex *Platone* non animose minus quam religiose, exclamat. *O præclarum diem, cum in illud animorum concilium cœtumque proficiscar, & cum ex hac turba & colluvione excedam!* Sic & *Socrates* apud *Platonem* in *Phædone*, cicutam de manu carnificis hausturus lætatur, quod ex hac vita discedat ad *Musæum*, *Hesiodum*, *Homerum*, *Palamedem* & alios, qui in hac vita virtutis & sapientiæ laude claruerunt; ubi omnes sint justi, neque sententiæ ibi dicantur iniquæ & injustæ contra aliud meritos, quemadmodum ipse nunc iniquorum judicum sententia inique condemnetur.

Quid de tot millibus *Martyrum* dicemus? *Dulcia* illis, inquit *Macul.* lib. 5. cap. 1. *tormenta erant, per quæ ad Christum ascendere, cum illo jungi properabant. Nihil illis formidini, nihil timori esse poterat, quoniam perfecta charitas foras mittit timorem, vehementiores pœnas expetierunt, ut majoris amoris testimonium redderent.*

§. 9. Proprium & principale *objectum* fortitudinis *mors bellica* censetur: *Aristot.* lib. 3. Eth. cap. 6. quia & *difficillima* propter certamen: *pulcherrima*, propter decorum: *honestissima* propter causam: *celiberrima* propter famam. Interim *Martyrum* mors *difficultate*, *pulchritudine*, *honestate & celebritate* longe superat bellicam.

§. 10. In *foro* vir fortis adversus injustas accusationes famam suam & existimationem animo defendit intrepido, etiamsi in magno se periculo versari animadvertit, potentesque adversarios habet. Insignia tria fortitudinis hujus exempla nobis suppeditat historia *Latina* & *Græca*: unum in *Catone*, qui quater & quadragies in foro causam dixit adversus iniquas criminationes & semper absolutus est.

Alterum in *Aristophonte*, qui quinquagies Athenis accusatus & absolutus est. Tertium in *Scipione majore*, qui cum à *Petiliis* & *Nevio*, tribunis plebis, repetundarum postularetur, ipsum librum rationum, quo tutari se poterat, in conspectu populi scidit, *hac die*, inquiens, *Carthaginem vici*; *Bonum factum! In Capitolium eamus & Diis supplicemus. Sex. Aurel.* vict. in *Scipione*.

§. 11. In *curia* quoque se exerit fortitudo, quando neglectis periculis, quæ sentit, libere dicit, sæpe verbis consiliisque majores res, quam armis, gerit. Sic *Nasica Gracchum* interemit: sic *Cicero Catilinam* ejecit: sic denique *Demosthenes* consiliis & orationibus suis longe plura & majora in Repub. *Atheniensi* gessit, quam armis. Quod de *Cynea* suo *Pyrrhus* gloriari solitus. Sunt & occasiones nonnunquam subitaneæ, quæ spacium deliberandi non permittunt (quando maximum in mora periculum est) & viri fortis præsentiam requirunt: ubi præsentibus periculis, non tamen sine prudentia, se objicit vir fortis, ut vel pietatis, vel probitatis alteri, aut sibi, officium exhibeat.

§. 12. Denique respectu *secundi objecti* hoc est, *bonorum fortunæ*, *divitiarum* & *honorum*, viri magnanimi officium est, non inhiare magnis divitiis & honoribus, multo minus iis insolescere, quamvis interim se dignum iis judicet, iisque digna præstare totis viribus nitatur; de quo plura in quæstionibus. *Divitias* inquit Seneca, *magnanimus circumfusas multum diuque miratus, quod ad se venerint, ridet, suasque audit magis esse, quam sentit*. Unde, cum alii in divitiis efferantur, magnanimus in iis pauper est. *Seneca*.

Nec fascibus ullis
Erigitur, plausuque cupit clarescere vulgi. Claudianus.

Exempla hic insignia sunt; *Catonis*, *Publii Africani*, *Quintii*, *Virginii* & *Fabii*, qui cum magnos honores possent vel assequi, vel retinere, contemserunt.

§. 13. *Hactenus officia magnanimitatis circa objecta sua propria*. Observanda hic distinctio magnanimitatis seu fortitudinis ex *objecto* petita: respectu cujus fortitudo est vel *domestica* vel *bellica*.

Dome-

Domestica est, quæ in adversis prosperisque rebus animum præstat immotum: hoc est, nec secundis insolescit, nec adversis frangitur, secundum illud Horatii:

> *Rebus angustis animosus, atque*
> *Fortis appare, sapienter idem*
> *Contrahes vento nimium secundo*
> *Turgida vela.*

Bellica est, qua in bello honestè occumbere vir fortis non dubitat. *Rationes* supra vidimus, ob quas vir fortis mortem pro patriâ non refugit.

§. 14. Ab *officiis* magnanimitatis ad *præcepta* progredimur, quæ virtutis hujus exercitium moderantur & officia limitant.

(1) Vir magnanimus & fortis non adit quævis pericula, sed ea tantum, quæ tria in se habent requisita. 1. *ut sint honesta* 2. *ut ex iis possit laudem reportare*, 3. *ut sint in publicum utilia.*

Colligitur hinc, non esse viros fortes, qui levibus de causis duello & monomachia congrediuntur: quibus similes gladiatores & pugiles: quia pericula ista non gignunt solidam laudem, neque in publicum sunt utilia: sed noxia sunt patriæ, proximo, ipsisque autoribus. Quæ causa, quod jam pridem in regno *Galliæ* sub capitis pœna prohibita sint duella.

(2) Vir fortis etsi in periculis est animosus & impavidus, tamen doloris habet sensum, & vulnera mortemque tanquam res naturæ adversas, citra reprehensionem potest metuere: ita tamen, ut & dolorem & mortis metum animi robore superet. Itaque pro fortibus non sunt habendi, qui Diabolicis artibus ita indurant corpora, ut vulnerari haud possint.

(3) Vir fortis pericula non nisi *prudenter* adit, hoc est certo consilio, ac ratione habita personarum, loci & temporis. Unde & constanti urget proposito, quod fortiter & prudenter cœpit. Igitur pro fortibus non sunt habendi, qui sine ratione & consilio vel ex iracundia, vel ex furore vel ex quacunque levitate periculis se exponunt, & viribus suis majora moliuntur.

(4) Vir fortis nullius lucri aut quæstus, sed solius honestatis causa adit pericula, adeoque non nisi in bona causa.

Pro fortibus igitur non sunt habendi, qui solius quæstus causa subeunt pericula, quales plerique gregarii milites, quos solius prædæ cupiditas ad arma pellicit, non considerata belli causa, sive justa sive injusta.

§. 15. Magnanimum circa *honores* occupatum sic instruit *Aristoteles*,

(1) Ma-

(1) Magnanimus plerunque in statu sublimiore & dignitate Magistratus est constitutus.

(2) Magnanimus non minus cupide & anxie honores appetit, tanquam rem aliquam novam, sed moderate, tanquam debitam virtuti mercedem.

(3) Magnanimus tantum magnos expetit honores, à magnis viris oblatos, suæque virtuti debitos.

(4) Magnanimus in honoribus constitutus vulgi calumnias & invidiam contemnit. Unde magnanimitatis plena vox illa: *Regium est, cum benefeceris, male audire.* Magno animo *David Simei* calumnias tulit. *Marius*, apud *Sallust.* in *Jugurtha*, *Me*, inquit, *ex animi sententia nulla oratio lædere potest: quippe vera necesse est bene prædicet; falsam vita moresque mei superant.*

In *moribus* & *gestibus* hæc à magnanimo requirit idem *Aristot.*

(1) Magnanimus corporeas voluptates moderatissime expetit & fere contemnit. Omnium vero minime earum gratia quicquam à dignitate sua alienum committit.

(2) Magnanimus promtior est in dandis, quam accipiendis beneficiis: neque de ullius rei defectu facile conqueritur.

(3) Magnanimus in distributione & commutatione bonorum fortunæ, nemini injuriam facit.

(4) Magnanimus nihil per imprudentiam præcipitat.

(5) Magnanimus nec amorem nec odium clam habet. Unde appellatur φανερόφιλος & φανερόμισος.

(6) Magnanimus est ἀληθευτικὸς καὶ παῤῥησιαστικός.

(7) Magnanimus incessu utitur tardo, voce gravi, distincta & articulatata.

(8) Magnanimus loca, in quibus cuivis virtuti debitus honor non exhibetur, raro adit.

(9) Magnanimus non admiratur aliorum dicta & facta sublimia, nec multum de vivis loquitur: etsi interim neminem contemnit, nemini etiam invidet.

(10) Magnanimus eundem servat vultum in utraque fortuna. Sic *Zeno Stoicus*, cum naufragium passus omnia sua amisisset, immobili vultu; *Euge*, inquit, *fortuna, quam probe nos ad hoc palliolum redegisti.*

§. 17. Hactenus præcepta de magnanimitate, quam in specie alii *fortitudinem* appellant, quatenus circa τὰ φοβερὰ & pericula versatur præsertim bellica: quæ *vera* nominatur ad differentiam *falsæ* vel ἀναλόγως ita dictæ: cujus species ab *Aristotele* recensentur quinque: quarum (1) *civilis*: quando spe honoris in Re-

in Republica obtinendi, vel metu dedecoris, strenue pugnatur. (2) *Servilis*; quando timore servitutis aut naturæ impetu pugnatur. (3) *Naturalis*: quando iracundiæ impetu pericula adeuntur. (4) *Militaris*: quando vel nimia victoriæ confidentia, vel stulta militaris scientiæ experientia in hostem itur. (4) *Casualis*, quando vel repentino animi motu sine consilio, vel sera pœnitentia sine remedio pugnatur. De quibus differentem vide Cl. *Horneum* Eth. lib. 3. cap. 5. n. 5. 6. 7. 8. 9.

§. 18. Quæ *corpori* tribuitur fortitudo, hujus non est loci & proprie *robur* appellatur: quod in nonnullis admirandum fuisse legimus.

Milo Crotoniates, athleta, vivum bovem per stadium gestare potuit & perunctoita disco insistere, ut nullius inde impetu dimoveri potuerit. Idem, porrecta manu dextra, & sublato pollice, ita junctim reliquos tenebat digitos, ut minimum à reliquis sejungere nemo posset: ut testantur *Pausanias Strabo*, *Gellius*, *Ælianus*.

Titormus bubulcus lapidem in humeros sustulit & per octo orgyas gestavit, quem vix loco movere *Milo* poterat. Idem taurum pede prehensum ita tenuit, ut aufugere non posset: quod cum vidisset *Milo*, palmis ad cœlum sublatis, *ô Jupiter*, inquit, *num hunc alterum nobis Herculem dedisti! Ælian.*

Polydamas agrestem taurum pedis posterioris extrema parte captum, subsilientem & recalcitrantem contentis adeo viribus tenebat, ut extricare se prius haud posset, quam ungula in ejus manu relicta, claudicans aufugeret. Idem bigas concitatas eodem instans vestigio injecta manu facile retinebat, eorumque cursum inhibebat.

Samsonis quoque notum insigne robu..

A *Preceptis* ad *Quæstiones* progredimur.

§. 19. Quæritur 1. *An magnanimitas sit virtus?*

Resp. *Affirmativa* defenditur hoc argumento.

Quod modum rationis ponit circa magna pericula & magnos honores, in quibus difficile est homini sine errore versari, & perfectum reddit hominem, id est virtus. Atque magnanimitas modum rationis ponit circa magna pericula magnosq; honores &c. Ergo.

Propositionis ratio est; quia ad virtutis humanæ rationem pertinet, servare rebus humanis bonum rationis & perficere hominem. *Assumtio* in confesso est.

Obiicitur contra.

§. 20. (1) ***Magnanimitas non consistit in medio. Ergo non est virtus moralis.***

Antecedens

Antecedens probatur: *Quia in maximo consistit: quando maximis se dignum judicat magnanimus.* Lib. 4. Eth. cap. 3.

Resp. *Antecedens* negatur: *Probatio* est inconsequens. Etiamsi enim magnanimus tendit ad maxima, tamen in appetitu quoque modum observat: quia ad maxima, secundum rationem, tendit: neque supra merita sua expetit magna; sed habita ratione circumstantiarum: non enim appetit *quando*, *quantum*, *quomodo*; *à quo*, & *pro quibus* non oportet: Sed in omnibus hisce modum rationis congruum observat.

§. 21. (2) *Si magnanimitas esset virtus, sequeretur magnanimitatem, habere, qui virtutem aliam moralem habet.*

Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.

Connexi ratio est; *Quia secundum receptum Ethicorum axioma, qui unam habet virtutem, omnes habet.*

Assumtio probatur. *Quia Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. 3. docet, eum, qui parvis est dignus, & iis se dignum judicat, esse temperantem, non autem magnanimum.*

Resp. *Connexum* negatur: si per magnanimitatem intelligatur actus magnanimitatis. *Probatio* est inconsequens: Quia axioma illud non loquitur de actibus virtutum omnium; quos materiæ & occasionis defectus sæpe impedit vel excludit: sed de habitibus, vel etiam propinqua dispositione per prudentiam: quæ communis est virtutum omnium directrix.

§. 22. (3) *Magnanimitas habet quasdam corporales dispositiones, Ergo non est virtus moralis:* Antecedens probatur: *Quia Aristoteles in magnanimo requirit gradum lentum, vocem gravem, sermonem stabilem* Lib. 4. cap. 3. Ratio consequentiæ: *Quia virtus est qualitas mentis.*

Resp. *Consequentia* negatur: *Probatio* est inconsequens: quia non est alienum à qualitate mentis corpus quoque ad munera virtutis recte obeunda disponere: quod & aliæ faciunt morales virtutes, ut *magnificentia*, *gravitas*, *modestia &c.*

§. 23. (4) *Magnanimitas opponitur humilitati. Ergo virtus non est:* Antecedens probatur, *quia magnanimitas se dignam magnis judicat: quibus indignam se humilitas judicat.*

Ratio consequentiæ: *Quia virtus virtuti non opponitur.*

Resp. Si *oppositio* in genere intelligatur, *consequentia* negatur: ut enim aliorum generum species, sic & virtutis species sibi opponuntur, ad minimum disparate: unde ratio *consequentiæ* universaliter vera non est. Sin vero in specie *contrarietas* vel *oppositio contraria* intelligatur: *Antecedens* negatur. *Probatio* est inconsequens; quia certa & rationabili consideratione humilis se indignum

dignum magnis judicat: siquidem in se donorum, quæ in magnanimo sunt, defectum deprehendit, adeoque v. re contrarius magnanimo non est: etsi tendere in contrarium videtur. Idem si magna in se dona agnosceret, magnis quoq; se dignum judicaret.

§. 24. (5) *Magnanimitatis proprietates & actiones sunt vituperabiles. Ergo virtus non est.* Antecedens probatur; *Quia Aristoteles docet, magnanimum non esse memorem beneficiorum: esse otiosum: uti ad multos ironia: non posse cum aliis conversari: magis possidere infructuosa, quam fructuosa.* Ratio consequentiæ: *Quia virtutis proprietates ad actiones sunt laudabiles.*

Resp. *Antecedens* negatur: *Probatio* est inconsequens: Quia non recte intelligitur mens *Aristotelis*: assignat enim magnanimo proprietates & actiones, non vituperabiles, sed κατ' ἐξοχὴν laudabiles. Non simpliciter denegat *memoriam beneficiorum acceptorum*, sed causam potius memoriæ: quia magnanimi est beneficia potius dare, quam accipere. Idem accepta excellenter compensat,& subito quidem, ut longa memoria opus non habeat.

Neque simpliciter *otiosus* dicitur, sed cum certa limitatione: quatenus non ingerit se quibusvis negotiis, sed magnis tantum pertinentibus ad ipsum. Ironiam ipsi tribuit non oppositam veritati, sed jactantiæ, ad vulgus præsertim, quia ad impares & inferiores moderatus est. Non conversatur familiariter cum inferioribus & imparibus, sed cum amicis & magnis. Infructuosa potius, quam fructuosa, possidere dicitur; quatenus honesta potius, quam utilia sectatur. De eadem quæst. vide *Keckerman.* in cursu Philosoph. dis. 29.

§. 25. Quæritur (2) *An magnanimitas sit virtus specialis?*

Resp. *Affirmativam* defendimus: ratio est, quia circa pericula magna & honores magnos, tanquam speciale bonum, versatur, adeoque modum rationis circa materiam determinatam statuit.

Objicitur in contrarium.

§. 26. (1) *Magnanimo tribuuntur diversarum virtutum actiones, Ergo virtus ejus non est specialis.* Antecedens prob. *quia* magnanimum tradit *Aristoteles non fugere commoventem*: quod est prudentiæ: *non facere injuriam*: quod est justitiæ: *esse promtum ad benefaciendum*, quod est charitatis: *esse veridicum*, quod est veritatis: *non esse querulum*: quod est patientiæ.

Resp. *Antecedens* non est simpliciter verum: *probatio* ex mente *Aristotelis* est inconsequens: Aliarum virtutum actiones tribuuntur magnanimo, non quatenus propriæ sunt virtutum illarum & iis attemperatæ: sed quatenus cum singulari sunt conjunctæ excellentia.

Tendit

Tendit enim magnanimitas ad ardua & excellentia, & in specie pericula & honores: quæ principalia & propria ejus sunt objecta: alias virtutes suo accommodat usui: etsi circa *objecta* earum principaliter non occupatur, quatenus specialis est virtus.

§. 27. (2) *Ad magnanimum pertinet, quod in una quaque virtute est magnum, Aristot.* lib. 4. Eth. cap. 2. *Ergo magnanimitas non est specialis virtus.* Ratio consequentiæ: *quia specialis virtus non operatur in omnibus virtutibus.*

Resp. Negatur *consequentia:* quia magnanimitas per se & in specie versatur circa honorem magnum: unde in qualibet virtute. quam præter magnanimitatem exercet, ad magna contendit, quatenus digna sunt honore magno.

Quæritur (3) *An magnanimitas sit virtus heroica?*

§. 28. Resp. Non est virtus absolute *heroica:* quia cum splendore & sine splendore *heroico* invenitur. Unde eatenus saltem *heroica* est dicenda, quatenus maxime fulget vel ad eminentiorem finem elevat. Interim si cum virtute comparetur, quæ circa modicos honores versatur, *heroica* dici potest: uti & magnificentia, respectu liberalitatis.

§. 29. Quæritur (4) *Qui actus sint fortitudinis?*

Resp. Secundum doctrinam Aristotelis duo sunt fortitudinis actus, *ardua & difficilia aggredi* & *sustinere*, definitur enim *Aristoteli* fortitudo *Mediocritas circa metum & audaciam*: Unde *timorem* reprimit difficultatem sustinendo: *audaciam* moderatur aggrediendo.

§. 30. Si quæras, *utrum sit præstantius, sustinere an aggredi? Sustinere* præfertur ab *Aristotele*: quia magis est arduum timorem reprimere; quod fit *sustinendo*: quam audaciam moderari; quod fit *aggrediendo.* Siquidem periculum, quod *audaciæ* & *timoris* objectum est, ex se confert aliquid ad reprimendam *audaciam*, cui se opponit: timorem vero non tantum non cohibet, sed & auget. Eodem sensu alii dicunt, *fortitudinem potius in ferendo, quam in feriendo esse conspicuam*: vid. *Cas.* spec. Moral. lib. 3. c. 11.

§. 31. Quæritur (5) *Quæ partes sint fortitudinis?*

Resp. *Patres Conimbricenses* fortitudinis partes integrantes quatuor constituunt, *magnanimitatem, magnificentiam, patientiam, perseverantiam*: rationem partitionis hanc reddunt. Duo sunt actus fortitudinis *aggredi* & *sustinere*. Ad *aggrediendum* duo sunt necessaria; *unum* ad animi præparationes, nempe *magnanimitas*, seu fiducia, qua quis parato promtoque est animo ad aggrediendum res arduas & difficiles: *Alterum* ad operis administra-

administrationem, ut animus in re, quam semel est aggressus, non succumbat: quam in rem opus *magnificentia*, quæ, *Cicerone* autore, est *rerum magnarum & excelsarum, cum animi ampla quadam & splendida propositione, agitatio & administratio.*

Ad sustinendum similiter duo requiruntur: *Patientia*: ne animus propter impendentium malorum difficultatem tristitia frangatur: Et *Perseverantia*, ne ex diuturna rerum difficilium perpessione ab incepto desistat.

§. 32. Quod si vero accurate loquamur & sentiamus, non tam *partes* integrantes fortitudinis hæ sunt, quam cognatæ *species* virtutum, quarum actus cum fortitudine concurrunt: *Perseverantia* tamen adjunctum potius est virtutis, quam species aut pars. Si quidem virtus in genere est *constans animi propositum*, ut supra ostendimus.

§. 33. Quæritur (6) *Cur pauci vere fortes & magnanimi inveniantur, Fortitudo*, inquit non nemo, *rara avis in terris nigroque simillima cygno.* Paucitatis & raritatis hujus causæ principales petuntur à *causa efficiente*, ex *objecto*, & *subjecto*.

E *Causa efficiente:* quia actus, quibus acquiritur fortitudo, undiquaque gravibus circumsepti sunt periculis & sæpius in præsentissima discrimina adducunt audentem, in quibus adeundis plerique tergiversantur: Unde rariores hi actus inter homines sunt, adeoque rarior fortitudinis habitus.

Ex *objecto:* Quia mors omnium terribilium terribilissimum est; quam natura conservationis suæ studiosissima aversatur plerunque. Neque occasiones pro patria fortiter pugnandi & gloriose occumbendi frequentes sunt.

Ex *subjecto:* Quia ad virtutem hanc capessendam pauci per naturam sunt idonei: plerique sunt timidi.

§. 34. Quæritur (7) *An fortitudo præstet justitiæ?*

Resp. Negatur: rationes sunt:

(1) Quia justitia est omnium virtutum complexio, quod dici de fortitudine in specie sic dicta non potest; quæ in multis conjuncta est cum magnis vitiis: ut constat de *Alexandro* M. *Julio Cæsare*, &c.

(2) Quia sine fortitudine in specie sic dicta conservari humana societas potest, sine justitia non potest. *Etsi justi essent omnes, ne opus quidem fortitudine esset*, inquit, *Agesilaus*, apud *Plutarch.* Quod si vero fortes essent omnes, nihilominus & imprimis justitia opus esset: quia virium & successuum fiducia plerunque à justitiæ tramite transversos abripit homines. Hinc *Antisthenes*, *o-*

mnia, inquit, *hominibus optanda, præter fortitudinem: quod omnia fortes occupaturi sint, possidentes vero, si timidiores, perdituri.*

§. 35. Objicitur: *Fortitudo Rempubl. conservat & defendit contra vim; quam contra vim Justitia nequit defendere & conservare. Ergo præstat fortitudo justitia.*

Resp. Negatur *consequentia:* quia externam propulsare vim non est sufficiens indicium absolute majoris præstantiæ: sic enim juvenes senibus absolute præstarent, quia ad vim propulsandam illi his sunt aptiores, & bellum pace præstantius esset, quia ad vim propulsandam est efficacius.

§. 36. Quæritur (8) *An & mors & fuga viro forti sit eligenda?*

Resp. Utraq; pro ratione commodorum vel incommodorum, quæ redundare per utramque ad Rempubl. possunt.

Fuga eligenda, si eam sequatur salus civitatis, exercitus est tuorum. Stultum enim & turpe est mori, si plus commodi ex fuga vitaque tua quam ex morte, habitura sit patria vel Respub. Unde *Varroni*, post prælium *Cannense*, à Senatu & populo gratiæ sunt actæ, quod vitæ suæ consuluisset, nec desperasset de Republica, cum collega ejus L. Paulus, amisso exercitu, & equum quo fugeret, offerente *Lentulo*, superesse cladi noluisset, sed in eo saxo, cui se vulneratus acclinaverat, persedisset, donec ab hostibus oppressus confoderetur. *Liv.* lib. 22. & *Valer. Max.* lib. 3. cap. 4. Cum *Aristippus*, imminente naufragio, expalluisset, idque vector quidam ipsi vitio vertisset, & se mortem non formidasse dixisset: *quoniam*, respondit *Aristippus*, *non de pari anima mihi tibique metus fuit.* Quasi diceret: *Mors tua cum nullo Reipublicæ damno conjuncta est, uti mea.*

Contra vero *fuga fugienda* & vitanda, si eam sequatur ruina Reipubl. Religionis, libertatis & honestatis.

Sic & *mors eligenda*, quando cum salute publica est conjuncta. Contra *fugienda*, quando Reip. secum trahit ruinam.

§. 37. In contrariam sententiam, quod mors viro forti simpliciter non sit eligenda, excipitur.

(1) *Mors vitæ hujus felicitatem tollit: Ergo nunquam viro forti est eligenda.* Antecedens patet, *quia hominem quando tollit & vitam, ipsam quoque vitæ felicitatem necessario tollit: non enim est adjunctum sine subjecto.* Ratio consequentiæ, *quia vir fortis non debet eligere, quod felicitati adversatur: cum felicitatis comparandæ causa faciat omnia.*

Resp. *Casus antecedens* concedit, de *existentia* & *actu* felicitatis:

citatis: negat de *essentia* & *habitu* ejus; additque *honeste mori optimum esse actum beatæ vitæ seu felicitatis*. Nos *antecedens* simpliciter non admittimus: Mors præclara & honesta pro publica salute appetita non tollit, hoc est, evertit vitæ hujus felicitatem, sed potius perficit & complet, conservaturque ea partim in anima pii viri superstite, partim in memoria superstitum. Cumque non mortui, sed vivi honeste & fortiter pro patria occubuerint, utique mortis gloria ad ipsam quoque vitam pertinet.

Antecedentis probatio inconsequens est: Felicitatis, quoad *essentiam*, subjectum non est vita hominis, quæ per mortem tollitur, sed anima hominis, quæ per mortem hominis non tollitur. Interim etiam vitæ hujus caducæ appellatur felicitas, quia in hac vita comparatur & hanc vitam exornat: etiamsi principaliter animi est bonum. Qui hominem non nisi post mortem dici felicem posse olim affirmarunt, circa *antecedentis* negationem facile nobis adstipulabuntur.

§. 38. (2) *Si fortitudo hominem incitaret ad subeundam mortem, tenderet ad perniciem naturæ. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.* Connexi ratio est: *quia mors est naturæ pernicies.* Assumptio probatur. *Quia fortitudo est naturæ perfectrix & conservatrix.*

Resp. *Connexum* simpliciter verum non est: neque ratio ejus; mors pro salute Reipubl. fortiter oppetita non tantum destruit, sed & perficit naturam: Etiamsi enim destruit naturam corporis, tamen perficit naturam animi, cujus perfectio ut omnis est virtus; sic & fortitudo. Unde patet, *assumtionem* quoque simpliciter veram non esse. Tendit enim fortitudo ad destructionem naturæ corporeæ, ut perficiat naturam spiritualem; per quam ipsa tandem vita amissa recuperatur.

§. 39. (3) *Viro forti mors non est expetenda propter bonum vel proprium vel alienum. E. planè non est expetenda.* Antecedens prob. Non *propter bonum proprium*: quia Philosopho teste, omnia bona simul cum morte amittuntur. Non *propter bonum alienum*: quia morte sua aliis procurare nequit bonum majus eo, quod perdit.

Resp. *Antecedens* negatur: *probationis* pars neutra simpliciter vera est. Non omnia bona simul cum morte amittuntur, sed ea tantum, quæ mortalis sunt vitæ. Animi bona cum animo superstitant. Et præstat cum insigni virtutis actione vitam hanc mortalem finire, quam cum dedecore eam diutius trahere.

Est quoque bonum majus *salus Reipub.* quæ morte unius vel paucorum procuratur, quam unius vel paucorum vita, quæ perditur.

 (4) *Nemo*

§. 40. (4) *Nemo per naturam recte affectam expetit mortem. Ergo nec per rationem rectam expetere eam vir fortis debet.* Antecedens prob. *Quia omnia natura propensione expetunt esse & & vivere.* Ratio consequentiæ : *Quia natura recte affecta non errat, cum ab ipso dirigatur bono : recta igitur ratio ne erret, naturam debet sequi.*

Resp. Negatur *consequentia. Probatio* non nisi cum limitatione admittitur. Natura recte affecta & rectæ rationis dictamini subjecta non errat. Natura rectam potius rationem, quam ratio naturam sequi debet : unde ad bonum majus comparandum, ratio naturam jubet minus bonum impendere. Honestati natura debet inservire ex præscripto rectæ rationis. Honestum vero non natura, sed ratio dignoscit.

§. 41. (5) *Esse semper est melius & præstantius, quam non esse. Ergo vir fortis nunquam debet mortem præ vita eligere.* Ratio consequentiæ : *Quia vivere est esse, mori tendit ad non esse.* Antecedens prob : *Quia bonum affectio est entis, non non-entis.*

Resp. *Antecedens* non nisi cum limitatione admittitur. Absolute & simpliciter esse præstantius est, quam absolute, & simpliciter non esse : non item certo modo esse : sic esse miserum sine spe felicitatis non est melius, quam simpliciter non esse. Esse etiam, certis casibus, melius mori, & sic non esse, quam vivere & esse, sanctorum testantur acta. Unde Propheta *Jonas*, cap. 4. v. 8. *Præstat mori me, quam vivere :* & 1. *Maccab.* 3. v. 59. *Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ.* Interim observetur, *non-esse* bonum esse, non per se (bonum enim per se non est affectio, nisi entis) sed per bonum aliud, quod sequitur *non esse.* Unde & mori præstantius interdum est, quam vivere : quando gloriam comitem mors habet, vita vero ignominiam. Mors viri fortis, salutem Reipubl. fuga & vita occasum. Unde patet *responsio ad probationem antecedentis. Piccolomineus* distinguit inter bonum *transcendens* & *morale* : vivere & esse semper est bonum, bonitate *transcendente*, non morali.

§. 42. Quæritur (9) *An mors sit omnium terribilium terribilissimum?*

Resp. Occasionem quæstioni dat *Aristoteles* tritissima sententia. Θάνατος φοβερῶν φοβερώτατον : *mors omnium terribilium terribilissimum*; quam in sententiam & alii iverunt : *Aristophanes* in Ran. Θάνατος βαρύτατον κακῶν: *Mors malum gravissimum. Isocrates,* θάνατος μέγιστον κακῶν : hoc est, *malum maximum.* Unde chorus

chorus apud *Sophocl.* in antig. οὐκ ἔστιν οὕτω μῶρος, ὃς θανεῖν ἐρᾷ: *Nemo est adeo stultus, qui mori cupiat.*

Interim gentilium alii acriter contradixerunt. *Mors malum non est*, inquit *Seneca* epist. 123. *Tantum abest*, inquit *Cicero*, *ab eo ut malum mors sit, ut verear, ne homini nihil sit non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud potius: Siquidem vel Dii ipsi, vel cum Diis futuri sumus.* Lib, 1. Tuscul. Quæst. ubi multa alia præclara de morte disputantur; est enim liber *de morte contemnenda. Socrates* moriturus in Apolog. apud *Platonem*: *Non recte ullo modo judicatur à nobis, quicunque mortem opinamur esse malum.* Idem apud *Platonem* Lib. 9. de LL. ὁ θάνατος ἐλάχιστον τῶν κακῶν. *Mors minimum malorum.* In *Gorgia* Plato; *Mori nullus formidat, nisi omnino rationis expers atque ignavus: injuste autem agere veretur: multis enim peccatis refertam animam ad inferos descendere, extremum omnium est malorum.* ita *Demosth.* apud *Suidam*, *in voce* ἅμα: ὁ θάνατος τοῖς εὖ φρονοῦσιν οὐκ οἰκτρός: *Mors cordatis non est miserabilis.*

§. 43. *Keckermannus* cum aliis heic distinguit, & mortem ait esse φοβερώτατον, si consideres hominem, quatenus est *corpus vivum* & sui conservationem ante omnia expetens: non autem quatenus est *Christianus* & imbutus ea pietate, ut confidat, mortem sibi fore aditum ad vitam, & extremum in hac vita diem sibi fore melioris vitæ natalem.

Sed quæstio hic est, non de corpore vivo, sed de homine, quatenus est homo, *an mors re vera sit, aut esse debeat* φοβερώτατον? Neque *Christianis* tantum, sed & gentilibus videmus contemtam esse mortem & ἐν τοῖς φοβεροῖς minime numeratam, nedum φοβερώτατον reputatam.

§. 44. Breviter igitur sententiam nostram explicamus sequentibus assertionibus.

(1) *Æterna mors, citra omnem controversiam, est* φοβερῶν φοβερώτατον.

Hanc & gentiles sapientiores agnoverunt: Unde *Plato* dixit, *extremum esse omnium malorum, animam peccatis refertam descendere ad inferos.* Neque negare potuerunt, quicunque humanæ animæ immortalitatem agnoverunt, & post solutionem à corpore præmiis vel pœnis affectum iri crediderunt. Non eget *probatione* assertio. Est enim æterna mors summum malum, uti vita æterna summum bonum: Sed de hac morte non loquitur *Aristoteles* hoc loco: neque *objectum* est fortitudinis, neque ab ea Reipub. sperari potest ulla salus. Omnibus ea fortibus merito accidit formidabilis, & quidem φοβερῶν φοβερώτατον.

 (2) *Mors*

§. 45. (2) *Mors temporalis, quæ vitæ hujus caducæ est privatio, post æternam maxime est formidabilis omnibus, quos vitæ honeste & pie transactæ non sustentat & meliora sperare jubet conscientia.*

Ratio est: Quia transitus est præceps ad æternam mortem. Igitur nulli sanæ mentis homini ea est contemnenda, neque circa eam occupari potest, aut debet fortitudo, nisi quatenus de declinanda consequente ejus miseria per piæ honestæq; vitæ studium laborat.

§. 46. (3) *Mors temporalis, quam vita antecessit pia & honesta, minime omnium est* φοβερῶν φοβερώτατον; *adeoque si urgeat necessitas, jactura ejus non est formidanda.*

Hinc *Ambrosius* in Luc. Lib. 7. cap. 43. *Mors, qua copula corporis & animæ separatur, non formidabilis, non timenda est: cum discessio quædam videatur esse, non pœna: non metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda:* Nempe, qui bene sibi conscii norunt eam esse transitum ad meliorem vitam.

Ex hac quoque hypothesi sapientiores gentiles negarunt, mortem esse malam aut formidabilem, eamque intrepide adierunt, quamvis decepti opinione pietatis & probitatis, quæ cum vera fide conjuncta non fuit. Nisi forte extraordinario quodam modo ante abitum ex hac vita illuminati & conversi fuerunt. Quæ veterum quorundam Theologorum & recentium quoque, inter quos *Lutherus*, opinio fuit.

§. 47. (4) *Mors temporalis, seposita æternitatis futuræ consideratione non est* φοβερώτατον *omnium, quæ homini in hac vita possunt accidere.*

Ita *Lactantius* quoque sentit Lib. 3. cap. 17. *Non frustra dictum est*: Mors misera non est. *Aditus ad mortem est miser: hoc est, morbo tabescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarum laniari: hæc sunt, quæ timentur, non quia mortem afferunt, sed quia dolorem magnum.* Igitur corporis cruciatus & dolores ipsa morte sunt terribiliores. Quis quæso mori non malit, quam exquisitissimis subjici tormentis ad aliquot tantum horas, nedum dies, aut menses, aut annos? κρεῖσσον εἰσάπαξ θανεῖν, ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς. *Æschyl. in Prometh.* θανεῖν ἄριστόν ἐστι, ἢ ζῆν ἀθλίως. Τὸ μὴ γὰρ εἶναι κρεῖσσον, ἢ τὸ ζῆν κακῶς. *Sophocles*, εἰ ὅστις ἐν πολλοῖσιν κακοῖς ζῇ, πῶς ὁ δ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει; Idem. *Mors misera non est*, inquit

Quinti-

Quintilianus lib. 8. cap. 5. *Aditus ad mortem miser est. Nullus mori formidat*, inquit *Socrates* apud *Platonem* in Gorgia, ὅςις μὴ παντάπασιν ἄλογός τε καὶ ἄνανδρός ἐςι: *nisi omnino rationis expers & effeminatus sit*. Sic *Plato* in *Phadone*: *Sufficiens conjectura est, si quem videris moleste mortem ferre, eum non esse Philosophum, sed corporis amatorem & pecuniarum honorumque cupidum*: ὐ φιλόσοφον, ἀλλὰ φιλοσώματον, φιλοχρήματον καὶ φιλότιμον.

§. 48. Objicitur: *Mors non modo vitam, princeps hominis bonum, tollit, & praterea omnibus bonis ipsum spoliat, verum etiam omnem omnino spem, qua in cateris malis est unicum solatium, hominibus adimit. E. omnium est φοβερώτατον.*

Resp. De morte civiliter & sine æternitatis respectu considerata, negatur *consequentia*: vita in se considerata, qua vita, etsi egregium est bonum, tamen ipsa morte acerbior & formidabilior reddi potest, per continua tormenta; adeo ut præstet non vivere, quam miserrime vivere, ut paulo ante ostendimus. Unde multi mortem præ vita exoptant, *quia omnium dolorum solutio est & finis. Seneca*, de Consolat. ad Marc. cap. 20. Sic à *Philone* appellatur πέρας κακοπραγιῶν: *finis calamitatum*: *à Julio Casare, Ærumnarum requies*: *à Cicerone*: *Natura finis, non pœna*. A *Seneca* & *Epicteto*, *portus omnium*, λιμὴν πάντων: à *Sophocle* κέρδος, *lucrum*: ab eodem, κοῖνος ἰατρὸς νόσων, *ultimus morborum medicus*: à *Simocatt.* τῶν λυπηρῶν ἀπάλλαξις, *dolorum declinatio*: ab *Agathia*, ἡσυχίης γενετήρ, *tranquillitatis parens*: à Poëta veteri apud *Plutarch.* ἀπόλυσις πόνων, *laborum terminus*: Mori igitur non bonis tantum spoliat, sed & malis, ad quæ declinanda mors expetitur: & quibus bonorum in vita non est spes, iis solatium mors est. Ubi spes bonorum est incerta, metus vero continuorum malorum certus, ibi formidabilior est vita, quam mors.

§. 49. Quæritur (10) *An vir fortis & constans, citra levitatis crimen, quandoque aliud consilium capere & institutum mutare possit?*

Resp. Et *posse* & *debere* certis conditionibus sapientes statuunt.

(1) *Si errasse se intelligat vel ipse, vel ab aliis monitus.* Nemo enim tam prudens, tam perspicax, quin impingat quandoque. Unde illud: *Peccat etiam sapiente sapientior. Cura posteriores plus habent prudentia. Errare humanum, in errore perseverare diabolicum.*

(2) *Si rei bene gerenda alia se & melior offerat opportunitas.*

non vicerit, nullam obsedit urbem, quam non expugnarit, nullam adiit gentem, quam non conculcarit, *Plutarch.* in Alexand. *Diod. Sicul.* l. 17. *Curtius*, *Arrianus*. Inter *Germanos*, præter alios, fortissimi Heroës fuerunt *Carolus* M. & *Henricus* IV. qui sexagies & bis acie cum hoste dimicavit. Mortis & tormentorum fortissime toleratorum atque contemtorum exempla habemus in *Zenone Eleate*, *Anaxarcho*, *Mutio Scævola*. *Zeno* in ipsis etiam cruciatibus *Agrigentinos* in *Phalaridem* armare non destitit, teste *Valerio Max*. *Anaxarchus* inter multa tormenta *Nicocreontem*, Cypriorum Tyrannum, fortiter contemsit, illudque ingeminavit: *Tunde, tunde vasculum Anaxarchi, Anaxarchum etiam ipsum non teris*: Et linguam dentibus præcisam in faciem tyranni exspuit; teste *Diog. Laert*. *Mutius Scævola* ut *Porsenæ* terrorem incuteret, ultro dextram accenso ad sacrificium foculo injecit & combussit, teste *Floro*. C. *Marius* cum varicem in crure secandam Medico præberet, incredibiles cruciatus sine gemitu, & ne contractis quidem superciliis, toleravit. *Agesilaus*, frater *Themistoclis*, cum explorator in castris *Xerxis Mardonium* occidisset & ad *Xerxen* sacrificantem perductus fuisset, nullo aut vultu aut voce dolorem perferentis edito signo, ignibus, quibus in ara sacrificabatur, dextram injecit. totamque combussit. Cum tanta patientia *Xerxes* obstupuisset, *Agesilaus* ei dixit: *tales Atheniensium animos esse, & hujus rei ut fidem faceret majorem, paratum se esse, alteram quoque manum ignibus injicere*. Laudant quoque historiæ recentiores *Corciam*, *Gomezium*, *Carillum*, nobilem strenuumque virum: qui cum *Xericium*, *Hispaniæ Beticæ* oppidum, *Alfonsi* Regis nomine præsidio teneret, & à *Mauris* obsessus famem & inediam diu tolerasset, tandem, cæsis & mortuis omnibus militibus, in hostium copias solus irruit deditionis turpidinem morte sua declinaturus: Magna igitur hostium strage facta, tandem vivus est captus & ad barbarum Regem adductus, à quo dimissus & ad Regem suum remissus est.

Admodum memorabile & mirabile est, quod de *Calano*, Gymnosophista Indo, narrant *Ælianus* & *Plutarchus*. Anno ætatis 73. cum vitæ finem sibi instare credidisset, levi fluore alvi tentatus *Alexandrum M.* rogavit, ut pyram construi juberet; &, cum eam inscendisset, per apparitores ignem subjici. Cum à proposito hominem dimovere Rex non posset, composita tandem est pyra: cui, postquam Regi & adstantibus valedixisset, & lætum illum ut transigerent diem, rogasset, impositus

impositus decubuit & pallio se operuit neque appropinquante igne se loco movit, sed, quo se habitu composuerat conservavit, donec in cineres redactus esset. Quod cum admirabundus *Alexander* vidisset, *Calanum* dixit potentiores hostes debellasse, quam se: eo quod ipse cum *Poro*, *Taxila* & *Dario* bellum gessisset, *Calanus* vero cum labore & morte. Neque *Calano* inferior videtur *Decius*, Romanorum imperator, qui extructo in medio exercituum rogo; ex voto sese pro patriæ principatu *Saturno* devovit.

Olim *Thraces* & *Indi* sapientes ætate confecti, incensis rogis, mortem appetebant, & sine ullo funerum apparatu lætos se in flammam injiciebant, mortem nec fugientes nec formidantes. *Alexand.* ab *Alex.* lib. 3. cap. 2. unde quod, præsente & inspiciente *Alexandro* M. fecit *Calanus*, sub *Augusto* Cæsare quoque fecit *Zamarcus*, *Indus*, Sophista, teste *Xiphil.* in *Augusto*.

Ad fortitudinem Christianam in morte contemnenda proxime accessit *Cicero*, de quo *Plutarchus* & *Livius* memorant, quod in omni vita nullam rem adversam æquiore animo tulerit, quam mortem. Unde in lib. de senect. ex *Platone* non animose minus quam religiose, exclamat. *O praclarum diem, cum in illud animorum concilium cœtumque proficiscar, & cum ex hac turba & colluvione excedam!* Sic & *Socrates* apud *Platonem* in *Phædone*, cicutam de manu carnificis hausturus lætatur, quod ex hac vita discedat ad *Musæum*, *Hesiodum*, *Homerum*, *Palamedem* & alios, qui in hac vita virtutis & sapientiæ laude claruerunt; ubi omnes sint justi, neque sententiæ ibi dicantur iniquæ & injustæ contra aliud meritos, quemadmodum ipse nunc iniquorum judicum sententia inique condemnetur.

Quid de tot millibus *Martyrum* dicemus? *Dulcia* illis, inquit *Macul.* lib. 5. cap. 1. *tormenta erant, per quæ ad Christum ascendere, cum illo jungi properabant. Nihil illis formidini, nihil timori esse poterat, quoniam perfecta charitas foras mittit timorem, vehementiores pœnas expetierunt, ut majoris amoris testimonium redderent.*

§. 9. Proprium & principale *objectum* fortitudinis *mors bellica* censetur: *Aristot.* lib. 3. Eth. cap. 6. quia & *difficillima* propter certamen: *pulcherrima*, propter decorum: *honestissima* propter causam: *celiberrima* propter famam. Interim *Martyrum* mors *difficultate*, *pulchritudine*, *honestate & celebritate* longe superat bellicam.

§. 10. In *foro* vir fortis adversus injustas accusationes famam suam & existimationem animo defendit intrepido, etiamsi in magno se periculo versari animadvertit, potentesque adversarios habet. Insignia tria fortitudinis hujus exempla nobis suppeditat historia *Latina* & *Græca*: unum in *Catone*, qui quater & quadragies in foro causam dixit adversus iniquas criminationes & semper absolutus est.

Alterum in *Aristophonte*, qui quinquagies Athenis accusatus & absolutus est. Tertium in *Scipione majore*, qui cum à *Petiliis* & *Nevio*, tribunis plebis, repetundarum postularetur, ipsum librum rationum, quo tutari se poterat, in conspectu populi scidit, *hac die*, inquiens, *Carthaginem vici*; *Bonum factum! In Capitolium eamus & Diis supplicemus. Sex. Aurel.* vict. in *Scipione*.

§. 11. In *curia* quoque se exerit fortitudo, quando neglectis periculis, quæ sentit, libere dicit, sæpe verbis consiliisque majores res, quam armis, gerit. Sic *Nasica Gracchum* interemit: sic *Cicero Catilinam* ejecit: sic denique *Demosthenes* consiliis & orationibus suis longe plura & majora in Repub. *Atheniensi* gessit, quam armis. Quod de *Cynea* suo *Pyrrhus* gloriari solitus. Sunt & occasiones nonnunquam subitaneæ, quæ spacium deliberandi non permittunt (quando maximum in mora periculum est) & viri fortis præsentiam requirunt: ubi præsentibus periculis, non tamen sine prudentia, se objicit vir fortis, ut vel pietatis, vel probitatis alteri, aut sibi, officium exhibeat.

§. 12. Denique respectu *secundi objecti* hoc est, *bonorum fortunæ*, *divitiarum* & *honorum*, viri magnanimi officium est, non inhiare magnis divitiis & honoribus, multo minus iis insolescere, quamvis interim se dignum iis judicet, iisque digna præstare totis viribus nitatur; de quo plura in quæstionibus. *Divitias* inquit Seneca, *magnanimus circumfusas multum diuque miratus, quod ad se venerint, ridet, suasque audit magis esse, quam sentit*. Unde, cum alii in divitiis efferantur, magnanimus in iis pauper est. *Seneca.*

Nec fascibus ullis
Erigitur, plausuque cupit clarescere vulgi. Claudianus.

Exempla hic insignia sunt; *Catonis, Publii Africani, Quintii, Virginii* & *Fabii*, qui cum magnos honores possent vel assequi, vel retinere, contemserunt.

§. 13. *Hactenus officia magnanimitatis circa objecta sua propria.* Observanda hic distinctio magnanimitatis seu fortitudinis ex *objecto* petita: respectu cujus fortitudo est vel *domestica* vel *bellica*.

Dome-

Domestica est, quæ in adversis prosperisque rebus animum præstat immotum: hoc est, nec secundis insolescit, nec adversis frangitur, secundum illud Horatii:

> *Rebus angustis animosus, atque*
> *Fortis appare, sapienter idem*
> *Contrahes vento nimium secundo*
> *Turgida vela.*

Bellica est, qua in bello honestè occumbere vir fortis non dubitat. *Rationes* supra vidimus, ob quas vir fortis mortem pro patriâ non refugit.

§. 14. Ab *officiis* magnanimitatis ad *præcepta* progredimur, quæ virtutis hujus exercitium moderantur & officia limitant.

(1) Vir magnanimus & fortis non adit quævis pericula, sed ea tantum, quæ tria in se habent requisita. 1. *ut sint honesta* 2. *ut ex iis possit laudem reportare*, 3. *ut sint in publicum utilia*.

Colligitur hinc, non esse viros fortes, qui levibus de causis duello & monomachia congrediuntur: quibus similes gladiatores & pugiles: quia pericula ista non gignunt solidam laudem, neque in publicum sunt utilia: sed noxia sunt patriæ, proximo, ipsisque antoribus. Quæ causa, quod jam pridem in regno *Galliæ* sub capitis pœna prohibita sint duella.

(2) Vir fortis etsi in periculis est animosus & impavidus, tamen doloris habet sensum, & vulnera mortemque tanquam res naturæ adversas, citra reprehensionem potest metuere: ita tamen, ut & dolorem & mortis metum animi robore superet. Itaque pro fortibus non sunt habendi, qui Diabolicis artibus ita indurant corpora, ut vulnerari haud possint.

(3) Vir fortis pericula non nisi *prudenter* adit, hoc est certo consilio, ac ratione habita personarum, loci & temporis. Unde & constanti urget proposito, quod fortiter & prudenter cœpit. Igitur pro fortibus non sunt habendi, qui sine ratione & consilio vel ex iracundia, vel ex furore vel ex quacunque levitate periculis se exponunt, & viribus suis majora moliuntur.

(4) Vir fortis nullius lucri aut quæstus, sed solius honestatis causa adit pericula, adeoque non nisi in bona causa.

Pro fortibus igitur non sunt habendi, qui solius quæstus causa subeunt pericula, quales plerique gregarii milites, quos solius prædæ cupiditas ad arma pellicit, non considerata belli causa, sive justa sive injusta.

§. 15. Magnanimum circa *honores* occupatum sic instruit *Aristoteles*.

(1) Ma-

(1) Magnanimus plerunque in ſtatu ſublimiore & dignitate Magiſtratus eſt conſtitutus.

(2) Magnanimus non minus cupide & anxie honores appetit, tanquam rem aliquam novam, ſed moderate, tanquam debitam virtuti mercedem.

(3) Magnanimus tantum magnos expetit honores, à magnis viris oblatos, ſuæque virtuti debitos.

(4) Magnanimus in honoribus conſtitutus vulgi calumnias & invidiam contemnit. Unde magnanimitatis plena vox illa: *Regium eſt, cum benefeceris, male audire.* Magno animo *David Simei* calumnias tulit. *Marius*, apud *Salluſt.* in *Jugurtha*, *Me*, inquit, *ex animi ſententia nulla oratio lædere poteſt: quippe vera neceſſe eſt bene prædicet; falſam vita moreſque mei ſuperant.*

In *moribus* & *geſtibus* hæc à magnanimo requirit idem *Ariſtot.*

(1) Magnanimus corporeas voluptates moderatiſſime expetit & fere contemnit. Omnium vero minime earum gratia quicquam à dignitate ſua alienum committit.

(2) Magnanimus promtior eſt in dandis, quam accipiendis beneficiis: neque de ullius rei defectu facile conqueritur.

(3) Magnanimus in diſtributione & commutatione bonorum fortunæ, nemini injuriam facit.

(4) Magnanimus nihil per imprudentiam præcipitat.

(5) Magnanimus nec amorem nec odium clam habet. Unde appellatur φανερόφιλος & φανερόμισος.

(6) Magnanimus eſt ἀληθευτικὸς καὶ παρρησιαστικός.

(7) Magnanimus inceſſu utitur tardo, voce gravi, diſtincta & articulatata.

(8) Magnanimus loca, in quibus cuivis virtuti debitus honor non exhibetur, raro adit.

(9) Magnanimus non admiratur aliorum dicta & facta ſublimia, nec multum de vivis loquitur: etſi interim neminem contemnit, nemini etiam invidet.

(10) Magnanimus eundem ſervat vultum in utraque fortuna. Sic *Zeno Stoicus*, cum naufragium paſſus omnia ſua amiſiſſet, immobili vultu; *Euge*, inquit, *fortuna, quam probe nos ad hoc palliolum redegiſti.*

§. 17. Hactenus præcepta de magnanimitate, quam in ſpecie alii *fortitudinem* appellant, quatenus circa τὰ φοβερὰ & pericula verſatur præſertim bellica: quæ *vera* nominatur ad differentiam *falſæ* vel ἀναλόγως ita dictæ: cujus ſpecies ab *Ariſtotele* recenſentur quinque: quarum (1) *civilis*: quando ſpe honoris in Re-

in Republica obtinendi, vel metu dedecoris, strenue pugnatur. (2) *Servilis*; quando timore servitutis aut naturæ impetu pugnatur. (3) *Naturalis*: quando iracundiæ impetu pericula adeuntur. (4) *Militaris*: quando vel nimia victoriæ confidentia, vel stulta militaris scientiæ experientia in hostem itur. (4) *Casualis*, quando vel repentino animi motu sine consilio, vel sera pœnitentia sine remedio pugnatur. De quibus differentem vide Cl. *Horneum* Eth. lib. 3. cap. 5. ñ. 5. 6. 7. 8. 9.

§. 18. Quæ *corpori* tribuitur fortitudo, hujus non est loci & proprie *robur* appellatur: quod in nonnullis admirandum fuisse legimus.

Milo Crotoniates, athleta, vivum bovem per stadium gestare potuit & peruncto ita disco insistere, ut nullius inde impetu dimoveri potuerit. Idem, porrecta manu dextra, & sublato pollice, ita junctim reliquos tenebat digitos, ut minimum à reliquis sejungere nemo posset: ut testantur *Pausanias Strabo*, *Gellius*, *Ælianus*.

Titormus bubulcus lapidem in humeros sustulit & per octo orgyas gestavit, quem vix loco movere *Milo* poterat. Idem taurum pede prehensum ita tenuit, ut aufugere non posset: quod cum vidisset *Milo*, palmis ad cœlum sublatis, *ô Jupiter*, inquit, *num hunc alterum nobis Herculem dedisti! Ælian.*

Polydamas agrestem taurum pedis posterioris extrema parte captum, subsilientem & recalcitrantem contentis adeo viribus tenebat, ut extricare se prius haud posset, quam ungula in ejus manu relicta, claudicans aufugeret. Idem bigas concitatas eodem instans vestigio injecta manu facile retinebat, eorumque cursum inhibebat.

Samsonis quoque notum insigne robur.

A *Preceptis* ad *Quæstiones* progredimur.

§. 19. Quæritur 1. *An magnanimitas sit virtus?*

Resp. *Affirmativa* defenditur hoc argumento.

Quod modum rationis ponit circa magna pericula & magnos honores, in quibus difficile est homini sine errore versari, & perfectum reddit hominem, id est virtus. Atque magnanimitas modum rationis ponit circa magna pericula magnosq; honores &c. Ergo.

Propositionis ratio est; quia ad virtutis humanæ rationem pertinet, servare rebus humanis bonum rationis & perficere hominem. *Assumtio* in confesso est.

Obiicitur contra.

§. 20. (1) ***Magnanimitas non consistit in medio. Ergo non est virtus moralis.***

Antecedens

Antecedens probatur: *Quia in maximo consistit: quando maximis se dignum judicat magnanimus.* Lib. 4. Eth. cap. 3.

Resp. *Antecedens* negatur: *Probatio* est inconsequens. Etiamsi enim magnanimus tendit ad maxima, tamen in appetitu quoque modum observat: quia ad maxima, secundum rationem, tendit: neque supra merita sua expetit magna; sed habita ratione circumstantiarum: non enim appetit *quando*, *quantum*, *quomodo*; *à quo*, & *pro quibus* non oportet: Sed in omnibus hisce modum rationis congruum observat.

§. 21. (2) *Si magnanimitas esset virtus, sequeretur magnanimitatem, habere, qui virtutem aliam moralem habet.*

Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.

Connexi ratio est; *Quia secundum receptum Ethicorum axioma, qui unam habet virtutem, omnes habet.*

Assumtio probatur. *Quia Aristoteles lib. 4. Ethic. cap. 3. docet, eum, qui parvis est dignus, & iis se dignum judicat, esse temperantem, non autem magnanimum.*

Resp. *Connexum* negatur: si per magnanimitatem intelligatur actus magnanimitatis. *Probatio* est inconsequens: Quia axioma illud non loquitur de actibus virtutum omnium; quos materiæ & occasionis defectus sæpe impedit vel excludit: sed de habitibus, vel etiam propinqua dispositione per prudentiam: quæ communis est virtutum omnium directrix.

§. 22. (3) *Magnanimitas habet quasdam corporales dispositiones, Ergo non est virtus moralis:* Antecedens probatur: *Quia Aristoteles in magnanimo requirit gradum lentum, vocem gravem, sermonem stabilem* Lib. 4. cap. 3. Ratio consequentiæ: *Quia virtus est qualitas mentis.*

Resp. *Consequentia* negatur: *Probatio* est inconsequens: quia non est alienum à qualitate mentis corpus quoque ad munera virtutis recte obeunda disponere: quod & aliæ faciunt morales virtutes, ut *magnificentia*, *gravitas*, *modestia &c.*

§. 23. (4) *Magnanimitas opponitur humilitati. Ergo virtus non est:* Antecedens probatur, *quia magnanimitas se dignam magnis judicat: quibus indignam se humilitas judicat.*

Ratio consequentiæ: *Quia virtus virtuti non opponitur.*

Resp. Si *oppositio* in genere intelligatur, *consequentia* negatur: ut enim aliorum generum species, sic & virtutis species sibi opponuntur, ad minimum disparate: unde ratio *consequentiæ* universaliter vera non est. Sin vero in specie *contrarietas* vel *oppositio contraria* intelligatur: *Antecedens* negatur. *Probatio* est inconsequens; quia certa & rationabili consideratione humilis se indignum

dignum magnis judicat: siquidem in se donorum, quæ in magnanimo sunt, defectum deprehendit, adeoque v. re contrarius magnanimo non est: etsi tendere in contrarium videtur. Idem si magna in se dona agnosceret, magnis quoq; se dignum judicaret.

§. 24. (5) *Magnanimitatis proprietates & actiones sunt vituperabiles. Ergo virtus non est.* Antecedens probatur; *Quia Aristoteles docet, magnanimum non esse memorem beneficiorum: esse otiosum: uti ad multos ironia: non posse cum aliis conversari: magis possidere infructuosa, quam fructuosa.* Ratio consequentiæ: *Quia virtutis proprietates ad actiones sunt laudabiles.*

Resp. *Antecedens* negatur: *Probatio* est inconsequens: Quia non recte intelligitur mens *Aristotelis*: assignat enim magnanimo proprietates & actiones, non vituperabiles, sed *καθ' ἐξοχὴν* laudabiles. Non simpliciter denegat *memoriam beneficiorum acceptorum*, sed causam potius memoriæ: quia magnanimi est beneficia potius dare, quam accipere. Idem accepta excellenter compensat, & subito quidem, ut longa memoria opus non habeat.

Neque simpliciter *otiosus* dicitur, sed cum certa limitatione: quatenus non ingerit se quibusvis negotiis, sed magnis tantum pertinentibus ad ipsum. Ironiam ipsi tribuit non oppositam veritati, sed jactantiæ, ad vulgus præsertim, quia ad impares & inferiores moderatus est. Non conversatur familiariter cum inferioribus & imparibus, sed cum amicis & magnis. Infructuosa potius, quam fructuosa, possidere dicitur; quatenus honesta potius, quam utilia sectatur. De eadem quæst. vide *Keckerman.* in cursu Philosoph. dis. 29.

§. 25. Quæritur (2) *An magnanimitas sit virtus specialis?*

Resp. *Affirmativam* defendimus: ratio est, quia circa pericula magna & honores magnos, tanquam speciale bonum, versatur, adeoque modum rationis circa materiam determinatam statuit.

Objicitur in contrarium.

§. 26. (1) *Magnanimo tribuuntur diversarum virtutum actiones, Ergo virtus ejus non est specialis.* Antecedens prob. *quia* magnanimum tradit *Aristoteles non fugere commoventem*: quod est prudentiæ: *non facere injuriam*: quod est justitiæ: *esse promtum ad benefaciendum*, quod est charitatis: *esse veridicum*, quod est veritatis: *non esse querulum*: quod est patientiæ.

Resp. *Antecedens* non est simpliciter verum: *probatio* ex mente *Aristotelis* est inconsequens: Aliarum virtutum actiones tribuuntur magnanimo, non quatenus propriæ sunt virtutum illarum & iis attemperatæ: sed quatenus cum singulari sunt conjunctæ excellentia.

Tendit

Tendit enim magnaminitas ad ardua & excellentia, & in specie pericula & honores: quæ principalia & propria ejus sunt objecta: alias virtutes suo accommodat usui: etsi circa *objecta* earum principaliter non occupatur, quatenus specialis est virtus.

§. 27. (2) *Ad magnanimum pertinet, quod in una quaque virtute est magnum, Aristot.* lib. 4. Eth. cap. 2. *Ergo magnanimitas non est specialis virtus.* Ratio consequentiæ: *quia specialis virtus non operatur in omnibus virtutibus.*

Resp. Negatur *consequentia:* quia magnanimitas per se & in specie versatur circa honorem magnum: unde in qualibet virtute. quam præter magnanimitatem exercet, ad magna contendit, quatenus digna sunt honore magno.

Quæritur (3) *An magnanimitas sit virtus heroica?*

§. 28. Resp. Non est virtus absolute *heroica:* quia cum splendore & sine splendore *heroico* invenitur. Unde eatenus saltem *heroica* est dicenda, quatenus maxime fulget vel ad eminentiorem finem elevat. Interim si cum virtute comparetur, quæ circa modicos honores versatur, *heroica* dici potest: uti & magnificentia, respectu liberalitatis.

§. 29. Quæritur (4) *Qui actus sint fortitudinis?*

Resp. Secundum doctrinam Aristotelis duo sunt fortitudinis actus, *ardua & difficilia aggredi* & *sustinere*, definitur enim *Aristoteli* fortitudo *Mediocritas circa metum & audaciam*: Unde *timorem* reprimit difficultatem sustinendo: *audaciam* moderatur aggrediendo.

§. 30. Si quæras, *utrum sit præstantius, sustinere an aggredi?* *sustinere* præfertur ab *Aristotele*: quia magis est arduum timorem reprimere; quod fit *sustinendo*: quam audaciam moderari; quod fit *aggrediendo.* Siquidem periculum, quod *audaciæ* & *timoris* objectum est, ex se confert aliquid ad reprimendam *audaciam*, cui se opponit: timorem vero non tantum non cohibet, sed & auget. Eodem sensu alii dicunt, *fortitudinem potius in ferendo, quam in feriendo esse conspicuam*: vid. *Cas.* spec. Moral. lib. 3. c. 11.

§. 31. Quæritur (5) *Quæ partes sint fortitudinis?*

Resp. *Patres Conimbricenses* fortitudinis partes integrantes quatuor constituunt, *magnanimitatem*, *magnificentiam*, *patientiam*, *perseverantiam*: rationem partitionis hanc reddunt. Duo sunt actus fortitudinis *aggredi* & *sustinere*. Ad *aggrediendum* duo sunt necessaria; *unum* ad animi præparationes, nempe *magnanimitas*, seu fiducia, qua quis parato promtoque est animo ad aggrediendum res arduas & difficiles: *Alterum* ad operis administra-

administrationem, ut animus in re, quam semel est aggressus, non succumbat: quam in rem opus *magnificentia*, quæ, *Cicerone* autore, est *rerum magnarum & excelsarum, cum animi ampla quadam & splendida propositione, agitatio & administratio*.

Ad sustinendum similiter duo requiruntur: *Patientia*: ne animus propter impendentium malorum difficultatem tristitia frangatur: Et *Perseverantia*, ne ex diuturna rerum difficilium perpessione ab incepto desistat.

§. 32. Quod si vero accurate loquamur & sentiamus, non tam *partes* integrantes fortitudinis hæ sunt, quam cognatæ *species* virtutum, quarum actus cum fortitudine concurrunt: *Perseverantia* tamen adjunctum potius est virtutis, quam species aut pars. Si quidem virtus in genere est *constans animi propositum*, ut supra ostendimus.

§. 33. Quæritur (6) *Cur pauci vere fortes & magnanimi inveniantur*, *Fortitudo*, inquit non nemo, *rara avis in terris nigroque simillima cygno*. Paucitatis & raritatis hujus causæ principales petuntur à *causa efficiente*, ex *objecto*, & *subjecto*.

E *Causa efficiente*: quia actus, quibus acquiritur fortitudo, undiquaque gravibus circumsepti sunt periculis & sæpius in præsentissima discrimina adducunt audentem, in quibus adeundis plerique tergiversantur: Unde rariores hi actus inter homines sunt, adeoque rarior fortitudinis habitus.

Ex *objecto*: Quia mors omnium terribilium terribilissimum est; quam natura conservationis suæ studiosissima aversatur plerunque. Neque occasiones pro patria fortiter pugnandi & gloriose occumbendi frequentes sunt.

Ex *subjecto*: Quia ad virtutem hanc capessendam pauci per naturam sunt idonei: plerique sunt timidi.

§. 34. Quæritur (7) *An fortitudo præstet justitiæ?*

Resp. Negatur: rationes sunt:

(1) Quia justitia est omnium virtutum complexio, quod dici de fortitudine in specie sic dicta non potest; quæ in multis conjuncta est cum magnis vitiis: ut constat de *Alexandro* M. *Julio Cæsare*, &c.

(2) Quia sine fortitudine in specie sic dicta conservari humana societas potest, sine justitia non potest. *Etsi justi essent omnes, ne opus quidem fortitudine esset*, inquit, *Agesilaus*, apud *Plutarch.* Quod si vero fortes essent omnes, nihilominus & imprimis justitia opus esset: quia virium & successuum fiducia plerunque à justitiæ tramite transversos abripit homines. Hinc *Antisthenes*, o-

mnia, inquit, *hominibus optanda*, *præter fortitudinem*: *quod omnia fortes occupaturi sint*, *possidentes vero*, *si timidiores*, *perdituri*.

§. 35. Objicitur: *Fortitudo Rempubl. conservat & defendit contra vim; quam contra vim Justitia nequit defendere & conservare. Ergo præstat fortitudo Justitiæ.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia externam propulsare vim non est sufficiens indicium absolute majoris præstantiæ: sic enim juvenes senibus absolute præstarent, quia ad vim propulsandam illi his sunt aptiores, & bellum pace præstantius esset, quia ad vim propulsandam est efficacius.

§. 36. Quæritur (8) *An & mors & fuga viro forti sit eligenda?*

Resp. Utraq; pro ratione commodorum vel incommodorum, quæ redundare per utramque ad Rempubl. possunt.

Fuga eligenda, si eam sequatur salus civitatis, exercitus est tuorum. Stultum enim & turpe est mori, si plus commodi ex fuga vitaque tua quam ex morte, habitura sit patria vel Respub. Unde *Varroni*, post prælium *Cannense*, à Senatu & populo gratiæ sunt actæ, quod vitæ suæ consuluisset, nec desperasset de Republica, cum collega ejus L. Paulus, amisso exercitu, & equum quo fugeret, offerente *Lentulo*, superesse cladi noluisset, sed in eo saxo, cui se vulneratus acclinaverat, persedisset, donec ab hostibus oppressus confoderetur. *Liv.* lib. 22. & *Valer. Max.* lib. 3. cap. 4. Cum *Aristippus*, imminente naufragio, expalluisset, idque vector quidam ipsi vitio vertisset, & se mortem non formidasse dixisset: *quoniam*, respondit *Aristippus*, *non de pari anima mihi tibique metus fuit*. Quasi diceret: *Mors tua cum nullo Reipublicæ damno conjuncta est*, *uti mea*.

Contra vero *fuga fugienda* & vitanda, si eam sequatur ruina Reipubl. Religionis, libertatis & honestatis.

Sic & *mors eligenda*, quando cum salute publica est conjuncta. Contra *fugienda*, quando Reip. secum trahit ruinam.

§. 37. In contrariam sententiam, quod mors viro forti simpliciter non sit eligenda, excipitur.

(1) *Mors vitæ hujus felicitatem tollit: Ergo nunquam viro forti est eligenda.* Antecedens patet, *quia hominem quando tollit & vitam*, *ipsam quoque vitæ felicitatem necessario tollit*: *non enim est adjunctum sine subjecto*. Ratio consequentiæ, *quia vir fortis non debet eligere*, *quod felicitati adversatur*: *cum felicitatis comparandæ causa faciat omnia*.

Resp. *Casus antecedens* concedit, de *existentia* & *actu* felicitatis:

citatis: negat de *essentia* & *habitu* ejus; additque *honeste mori optimum esse actum beatæ vitæ seu felicitatis.* Nos *antecedens* simpliciter non admittimus: Mors præclara & honesta pro publica salute appetita non tollit, hoc est, evertit vitæ hujus felicitatem, sed potius perficit & complet, conservaturque ea partim in anima pii viri superstite, partim in memoria superstitum. Cumque non mortui, sed vivi honeste & fortiter pro patria occubuerint, utique mortis gloria ad ipsam quoque vitam pertinet.

Antecedentis probatio inconsequens est: Felicitatis, quoad *essentiam*, subjectum non est vita hominis, quæ per mortem tollitur, sed anima hominis, quæ per mortem hominis non tollitur. Interim etiam vitæ hujus caducæ appellatur felicitas, quia in hac vita comparatur & hanc vitam exornat: etiamsi principaliter animi est bonum. Qui hominem non nisi post mortem dici felicem posse olim affirmarunt, circa *antecedentis* negationem facile nobis adstipulabuntur.

§. 38. (2) *Si fortitudo hominem incitaret ad subeundam mortem, tenderet ad perniciem naturæ. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.* Connexi ratio est: *quia mors est naturæ pernicies.* Assumptio probatur. *Quia fortitudo est naturæ perfectrix & conservatrix.*

Resp. *Connexum* simpliciter verum non est: neque ratio ejus; mors pro salute Reipubl. fortiter oppetita non tantum destruit, sed & perficit naturam: Etiamsi enim destruit naturam corporis, tamen perficit naturam animi, cujus perfectio ut omnis est virtus; sic & fortitudo. Unde patet, *assumtionem* quoque simpliciter veram non esse. Tendit enim fortitudo ad destructionem naturæ corporeæ, ut perficiat naturam spiritualem; per quam ipsa tandem vita amissa recuperatur.

§. 39. (3) *Viro forti mors non est expetenda propter bonum vel proprium vel alienum. E. plane non est expetenda.* Antecedens prob. Non *propter bonum proprium:* quia Philosopho teste, omnia bona simul cum morte amittuntur. Non *propter bonum alienum*: quia morte sua aliis procurare nequit bonum majus eo, quod perdit.

Resp. *Antecedens* negatur: *probationis* pars neutra simpliciter vera est. Non omnia bona simul cum morte amittuntur, sed ea tantum, quæ mortalis sunt vitæ. Animi bona cum animo superstitant. Et præstat cum insigni virtutis actione vitam hanc mortalem finire, quam cum dedecore eam diutius trahere.

Est quoque bonum majus *salus Reipub.* quæ morte unius vel paucorum procuratur, quam unius vel paucorum vita, quæ perditur.

 (4) *Nemo*

§. 40. (4) *Nemo per naturam recte affectam expetit mortem. Ergo nec per rationem rectam expetere eam vir fortis debet.* Antecedens prob. *Quia omnia natura propensione expetunt esse & & vivere.* Ratio consequentiæ : *Quia natura recte affecta non errat, cum ab ipso dirigatur bono : recta igitur ratio ne erret, naturam debet sequi.*

Resp. Negatur *consequentia. Probatio* non nisi cum limitatione admittitur. Natura recte affecta & rectæ rationis dictamini subjecta non errat. Natura rectam potius rationem, quam ratio naturam sequi debet : unde ad bonum majus comparandum, ratio naturam jubet minus bonum impendere. Honestati natura debet inservire ex præscripto rectæ rationis. Honestum vero non natura, sed ratio dignoscit.

§. 41. (5) *Esse semper est melius & præstantius, quam non esse. Ergo vir fortis nunquam debet mortem præ vita eligere.* Ratio consequentiæ : *Quia vivere est esse, mori tendit ad non esse.* Antecedens prob : *Quia bonum affectio est entis, non non-entis.*

Resp. *Antecedens* non nisi cum limitatione admittitur. Absolute & simpliciter esse præstantius est, quam absolute, & simpliciter non esse : non item certo modo esse : sic esse miserum sine spe felicitatis non est melius, quam simpliciter non esse. Esse etiam, certis casibus, melius mori, & sic non esse, quam vivere & esse, sanctorum testantur acta. Unde Propheta *Jonas*, cap. 4. v. 8. *Præstat mori me, quam vivere :* & 1. *Maccab.* 3. v. 59. *Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ.* Interim observetur, *non-esse* bonum esse, non per se (bonum enim per se non est affectio, nisi entis) sed per bonum aliud, quod sequitur *non esse.* Unde & mori præstantius interdum est, quam vivere : quando gloriam comitem mors habet, vita vero ignominiam. Mors viri fortis, salutem Reipubl. fuga & vita occasum. Unde patet *responsio ad probationem antecedentis. Piccolomineus* distinguit inter bonum *transcendens* & *morale* : vivere & esse semper est bonum, bonitate *transcendente*, non morali.

§. 42. Quæritur (9) *An mors sit omnium terribilium terribilissimum?*

Resp. Occasionem quæstioni dat *Aristoteles* tritissima sententia. Θάνατος φοβερῶν φοβερώτατον : *mors omnium terribilium terribilissimum*; quam in sententiam & alii iverunt : *Aristophanes* in Ran. Θάνατος βαρύτατον κακῶν: *Mors malum gravissimum. Isocrates,* θάνατος μέγιστον κακῶν : hoc est, *malum maximum.* Unde chorus

chorus apud *Sophocl.* in antig. οὐκ ἔστιν οὕτω μῶρος, ὃς θανεῖν ἐρᾷ: *Nemo est adeo stultus, qui mori cupiat.*

Interim gentilium alii acriter contradixerunt. *Mors malum non est*, inquit *Seneca* epist. 123. *Tantum abest*, inquit *Cicero*, *ab eo ut malum mors sit*, *ut verear*, *ne homini nihil sit non malum aliud certe*, *sed nihil bonum aliud potius*: *Siquidem vel Dii ipsi, vel cum Diis futuri sumus.* Lib, 1. Tuscul. Quæst. ubi multa alia præclara de morte disputantur; est enim liber *de morte contemnenda*. *Socrates* moriturus in Apolog. apud *Platonem*: *Non recte ullo modo judicatur à nobis, quicunque mortem opinamur esse malum.* Idem apud *Platonem* Lib. 9. de LL. ὁ θάνατος ἐλάχιστον τῶν κακῶν. *Mors minimum malorum.* In *Gorgia* Plato; *Mori nullus formidat, nisi omnino rationis expers atque ignavus: injuste autem agere veretur*: *multis enim peccatis refertam animam ad inferos descendere*, *extremum omnium est malorum.* ita *Demosth.* apud *Suidam*, *in voce* ἅμα: ὁ θάνατος τοῖς εὖ φρονοῦσιν οὐκ οἰκτρός: *Mors cordatis non est miserabilis*,

§. 43. *Keckermannus* cum aliis heic distinguit, & mortem ait esse φοβερώτατον, si consideres hominem, quatenus est *corpus vivum* & sui conservationem ante omnia expetens: non autem quatenus est *Christianus* & imbutus ea pietate, ut confidat, mortem sibi fore aditum ad vitam, & extremum in hac vita diem sibi fore melioris vitæ natalem.

Sed quæstio hic est, non de corpore vivo, sed de homine, quatenus est homo, *an mors ei revera sit, aut esse debeat* φοβερώτατον? Neque *Christianis* tantum, sed & gentilibus videmus contemtam esse mortem & ἐν τοῖς φοβεροῖς minime numeratam, nedum φοβερώτατον reputatam.

§. 44. Breviter igitur sententiam nostram explicamus sequentibus assertionibus.

(1) *Æterna mors*, *citra omnem controversiam*, *est* φοβερῶν φοβερώτατον.

Hanc & gentiles sapientiores agnoverunt: Unde *Plato* dixit, *extremum esse omnium malorum*, *animam peccatis refertam descendere ad inferos.* Neque negare potuerunt, quicunque humanæ animæ immortalitatem agnoverunt, & post solutionem à corpore præmiis vel pœnis affectum iri crediderunt. Non eget *probatione* assertio. Est enim æterna mors summum malum, uti vita æterna summum bonum: Sed de hac morte non loquitur *Aristoteles* hoc loco: neque *objectum* est fortitudinis, neque ab ea Reipub. sperari potest ulla salus. Omnibus ea fortibus merito accidit formidabilis, & quidem φοβερῶν φοβερώτατον,

 (2) *Mors*

§. 45. (2) *Mors temporalis, quæ vitæ hujus caducæ est privatio, post æternum maxime est formidabilis omnibus, quos vitæ honeste & pie transacta non sustentat & meliora sperare jubet conscientia.*

Ratio est: Quia transitus est præceps ad æternam mortem. Igitur nulli sanæ mentis homini ea est contemnenda, neque circa eam occupari potest, aut debet fortitudo, nisi quatenus de declinanda consequente ejus miseria per piæ honestæq; vitæ studium laborat.

§. 46. (3) *Mors temporalis, quam vita antecessit pia & honesta, minime omnium est* φοβερῶν φοβερώτατον; *adeoque si urgeat necessitas, jactura ejus non est formidanda.*

Hinc *Ambrosius* in Luc. Lib. 7. cap. 43. *Mors, qua copula corporis & animæ separatur, non formidabilis, non timenda est; cum discessio quædam videatur esse, non pœna: non metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda:* Nempe, qui bene sibi conscii norunt eam esse transitum ad meliorem vitam.

Ex hac quoque hypothesi sapientiores gentiles negarunt, mortem esse malam aut formidabilem, eamque intrepide adierunt, quamvis decepti opinione pietatis & probitatis, quæ cum vera fide conjuncta non fuit. Nisi forte extraordinario quodam modo ante abitum ex hac vita illuminati & conversi fuerunt. Quæ veterum quorundam Theologorum & recentium quoque, inter quos *Lutherus*, opinio fuit.

§. 47. (4) *Mors temporalis, seposita æternitatis futuræ consideratione non est* φοβερώτατον *omnium, quæ homini in hac vita possunt accidere.*

Ita *Lactantius* quoque sentit Lib. 3. cap. 17. *Non frustra dictum est*: Mors misera non est. *Aditus ad mortem est miser: hoc est, morbo tabescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarum laniari: hæc sunt, quæ timentur, non quia mortem afferunt, sed quia dolorem magnum.* Igitur corporis cruciatus & dolores ipsa morte sunt terribiliores. Quis quæso mori non malit, quam exquisitissimis subjici tormentis ad aliquot tantum horas, nedum dies, aut menses, aut annos? κρεῖσσον εἰσάπαξ θανεῖν, ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς. *Æschyl. in Prometh.* θανεῖν ἄριστόν ἐστι, ἢ ζῆν ἀθλίως. Τὸ μὴ γὰρ εἶναι κρεῖσσον, ἢ τὸ ζῆν κακῶς. *Sophocles*, εἰ ὅστις ἐν πολλοῖσιν κακοῖς ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει; Idem. *Mors misera non est*, inquit *Quinti-*

Quintilianus lib. 8. cap. 5. *Aditus ad mortem miser est. Nullus mori formidat*, inquit *Socrates* apud *Platonem* in Gorgia, ὅςις μὴ παντάπασιν ἄλογ☉ τε καὶ ἄνανδρ☉ ἐςι: *nisi omnino rationis expers & effeminatus sit*. Sic *Plato* in *Phedone*: *Sufficiens conjectura est, si quem videris moleste mortem ferre, eum non esse Philosophum, sed corporis amatorem & pecuniarum honorumque cupidum*: ὐ φιλόσοφον, ἀλλὰ φιλοσώματον, φιλοχρήματον & φιλότιμον.

§. 48. Objicitur: *Mors non modo vitam, princeps hominis bonum, tollit, & praterea omnibus bonis ipsum spoliat, verum etiam omnem omnino spem, qua in cateris malis est unicum solatium, hominibus adimit. E. omnium est* φοβερώτατον.

Resp. De morte civiliter & sine æternitatis respectu considerata, negatur *consequentia*: vita in se considerata, qua vita, etsi egregium est bonum, tamen ipsa morte acerbior & formidabilior reddi potest, per continua tormenta; adeo ut præstet non vivere, quam miserrime vivere, ut paulo ante ostendimus. Unde multi mortem præ vita exoptant, *quia omnium dolorum solutio est & finis. Seneca*, de Consolat. ad Marc. cap. 20. Sic à *Philone* appellatur πέρας κακοπραγιῶν: *finis calamitatum*: à *Julio Casare, Ærumnarum requies*: à *Cicerone*: *Natura finis, non pœna*. A *Seneca* & *Epicteto*, *portus omnium*, λιμὴν πάντων: à *Sophocle* κέρδ☉, *lucrum*: ab eodem, κοῖν☉ ἰατρὸς νόσων, *ultimus morborum medicus*: à *Simocatt.* τῶν λυπηρῶν ἀνάδυσις, *dolorum declinatio*: ab *Agathia*, ἡσυχίης γενετὴρ, *tranquillitatis parens*: à Poëta veteri apud *Plutarch.* ἀπόλυσις πόνων, *laborum terminus*: Mori igitur non bonis tantum spoliat, sed & malis, ad quæ declinanda mors expetitur: & quibus bonorum in vita non est spes, iis solatium mors est. Ubi spes bonorum est incerta, metus vero continuorum malorum certus, ibi formidabilior est vita, quam mors.

§. 49. Quæritur (10) *An vir fortis & constans, citra levitatis crimen, quandoque aliud consilium capere & institutum mutare possit?*

Resp. Et *posse* & *debere* certis conditionibus sapientes statuunt.

(1) *Si errasse se intelligat vel ipse, vel ab aliis monitus.* Nemo enim tam prudens, tam perspicax, quin impingat quandoque. Unde illud: *Peccat etiam sapiente sapientior. Cura posteriores plus habent prudentia. Errare humanum, in errore perseverare diabolicum.*

(2) *Si rei bene gerenda alia se & melior offerat opportunitas.*

 Emer-

Emergunt enim quandoque nova impedimenta, vel è medio tolluntur, quæ objici ante videbantur. Itaque *tempori serviendum*, ut Apostolus monet, Rom. 12. v. 11. quamvis pro *καιρῷ Beza* legendum putet *κυρίῳ*.

(3) *Si publica & privata res aliud & melius subministret consilium*: quod non minus arripiendum, quam præter spem oblata naufrago tabula. Hinc *Cicero* pro *Planco*; *Non inconstantis puto, sententiam, tanquam aliquod navigium atque cursum ex Reip. tempestate moderare.* Et *Terent.* in Adelph. Act. 5. sc. 4. *Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut, quæ scire credas, nescias, & quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies. Demosthenes* cum in dicendis sententiis inconstantiæ argueretur. Mihi, inquit, *sæpe contraria, sed Reipubl. nunquam adversa dixi.* Itaque nec pœnitentia à viro forti & constanti aliena est: cujus pars est mutatio consilii & propositi cum errore conjuncti, vel etiam facti proprii improbatio.

§. 50. Unde *Cato* tria per omnem vitam sibi ajebat obvenisse, quorum pœniteret:

1. *Si quid arcani fœminæ credidisset.*

2. *Si quopiam navigio vectus esset, quo itinere pedestri pervenire potuisset.*

3. *Si diem ocio perdidisset.*

Philippus, *Macedoniæ* Rex, cum victis Atheniensibus, per captivorum turbam ebrius saltaret, & calamitatem miseris exprobraret: *Demades*, qui & ipse inter captivos, ad regem, *tibi inquit, ô Rex, personam Agamemnonis Fortuna imposuit, sed tu factis Thersitem agis*, quæ totum regem vox immutavit, & effecit, ut cum victis clementissime ageret. *Diodor.* lib. 6.

§. 51. Quæritur (11) *An fortitudo possit alicui esse exitio?*

Respondet *Keckermannus*, verissimam eorum esse sententiam, qui statuunt, fortitudinem per se non posse esse ulli exitio: sed tantum per accidens; quando in *audaciam* degenerat vel cum *ambitione* se conjungit: quia *audacia* subtrahit tempus legitimum, quo periculi quantitatem vir fortis cognoscere, & circumstantiarum opportunitati attendere debet. *Ambitio* autem oculos velut excæcat & vehementiores appetitui stimulos, ad objecta viribus superiora persequenda, addit. Unde gravissima aliquando mala accersuntur.

§. 52. Objicitur: *Infelices quandoque virorum fortium ab audacia & ambitione alienorum sunt exitus: qui evitati fuissent, si fortitudinis actus suspendissent: E. fortitudo per se exitio esse potest.*

Resp.

Resp. Negatur *consequentia*: quia infelices exitus non sunt à fortitudine per se, sed vel à vitio instrumentorum, sive militum sive aliorum: vel ab aliis casibus, qui prævideri à prudente non potuerunt.

§. 53. Quæritur (12) *An fortitudo sit res molesta & acerba?*

Resp. *Affirmativam* adstruit *Aristoteles*. Molesta est respectu (1) *Subjecta natura*, quæ mortem abhorret, cui se objicit fortitudo. (2) *objecta materia*, quæ mors est φοβερῶν φοβερώτατον, & magna pericula. (3) *Medii*, hoc est, magni laboris, quo res arduæ perficiuntur plerunque non sine dolore. Interim res eadem est jucunda & delectabilis propter (1) *virtutis habitum*; quo fortis excellit. (2) *civitatis bonum*, quod quærit. (3) *honoris premium*, quod acquirit.

Attamen *acerbitatem* superat *delectabilitas*: quia *mediis* & rebus etiam per se molestis amabilitatem conciliat finis & præstantia virtutis.

§. 55. Quæritur (13) *An hostem fallere viro forti conveniat?*

Resp. Durum est verbum *fallere*: Si tamen *fallere* in genere sit præter alicujus opinionem incommodare, aut hosti damnum adferre, cum distinctione respondendum: Fallitur hostis vel *violatione fidei*, vel *stratagemate* & *insidiis*, illæsa fide. *Priori modo* non licet fallere; quia violare fidem datam etiam hosti inhonestum est. Atqui virtutis actus nullus debet esse inhonestus & infamis. *Posteriori*, licet: quia concessa sunt *stratagemata bellica*, ut exemplis constat sanctorum in scriptura laudatis, aliorumque virorum fortium ab omni antiquitate commendatis; unde nec hostes *stratagematibus* victi de injuria illata conqueruntur. Simpliciter non est probandum illud Poetæ: *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* victoria stratagemate parta compendiosa est: parcitur *sumtibus*, *sanguini*, *tempori*.

§. 56. Excipitur (1) *Insidia non sunt sine fraude*: *At stratagemata sunt insidiæ. E. non sunt sine fraude, & proinde illicita.*

Resp. *Propositio* universaliter vera non est: sunt enim insidiæ illicitæ, sunt & licitæ: illæ sunt fraudulentæ contra honestatem structæ, quibus non debebant strui vel alio modo medioque, quam debebant: istæ fraudis expertes sunt, hostibus structæ, salva honestate. De prioribus accipiendum illud *Ciceronis*, 1. Off. *Nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est, insidiis & malitia laudem est adeptus: nihil enim honestum est, quod justitia vacat.*

Hosti per *sicarios* aut *venena* insidias struere & ipsum viro forti

ro forti indignum & inhonestum censetur: quia in actibus ejusmodi nihil est virtutis vel prudentiæ. Unde cum *Pyrrhi* medicus *Caio Fabricio* suam in rege per venena tollendo operam offerret, vinctum *Fabricius* ad *Pyrrhum* misit & de hominis perfidia admonuit: indeque egregium ab hoste virtutis testimonium reportavit.

§. 57. (2) *Euripidis in Rheso sententia est: Vir nemo mentis altæ clanculum venit occidere hostem.*

Resp. Loquitur Poeta, si *Lipsio* credimus, non de hoste publico, sed de clandestinis inimicitiis factisque infamibus sicariorum: vel de fraudulentis & injustis imposturis.

§. 58. (3) *Florus* lib. 1. cap. 11. *Eam*, inquit, *vir sanctus & sapiens sciet esse victoriam, quæ salva fide & integra dignitate, paratur.*

Resp. Neque aliam nos probamus: minime violanda fides.

§. 59. (4) *Hostes iterum facile insurgunt, si non virtute, sed arte se victos sentiant.*

Resp. Præstat nihilominus vel virtute, vel arte hosti nocere, quam integras ejus vires relinquere, neque vires tantum, sed & ars metuitur.

§. 60. Quæritur (14) *An absque vituperio vir fortis moleste possit mortem ferre?*

Resp. Videtur *negativa* vero consona, quia mors *objectum* est fortitudinis, & viri fortis est intrepide mortis adire pericula. Unde *moleste mortem ferre*, contra officium & professionem viri fortis videtur.

§. 61. Interim *Aristotelis* sententia est: *Virum fortem, quo est beatior, eo molestius perferre mortem.*

Contradictio vera heic nulla est. Vir fortis quo beatior est, eo molestius ferre mortem dicitur, non quod mortem formidet, aut pro patria oppetere recuset: hoc enim contra naturam fortitudinis esset: sed quod patriæ porro inserviendi & commodandi occasionem sibi præcidi videat & doleat. Etsi mavult cadendo patriam servare, quam fugiendo & se servando prodere atque deserere; & post patriæ occasum, acerbam ducit vitam. Præclara est *Platonis* sententia, lib. 6. de LL. *Pro patria, si necesse est, homo mori paratus sit, ante quam velit aut eversam videre civitatem, jugoque servitutis subjectam à peioribus gubernari, aut fuga ipsam deserere. Quippe extrema omnia subeunda sunt potius, quam in eam gubernationem civitas commutanda, quæ peiores solet homines facere.*

§. 62. Quæritur (15) *An omnia, vel nulla mala vir fortis debeat metuere.*

Resp.

Resp. Nec *omnia*, nec *nulla*: sed *quædam* tantum. Sunt enim mala alia ὑπὲρ ἄνθρωπον, alia κατ' ἄνθρωπον. ὑπὲρ ἄνθρωπον, hoc est, *supra hominem*, dicuntur quæ majora sunt, quam ut mente imperterrita contemni possint ab homine: Cujusmodi sunt portenta & prodigia extraordinaria, terræ motus; horrenda tonitrua, & fulmina, diluvia particularia, insuetatæ maris tempestates &c. Hæc & similia qui non metuunt impii vel stolidi sunt: quia irati Dei indicia sunt. Κατ' ἄνθρωπον *secundum hominem*, duorum sunt generum: nonnulla omnes debent pertimescere: Quia honestum est ea timere: cujusmodi sunt ignominia, famæ macula, & omne scelus sceleris que pœna: quæ contemnere & negligere turpe est. Alia dicuntur ἀδιάφορα: quæ citra reprehensionem timeri & non timeri possunt, habita tamen personarum ratione: cujusmodi sunt paupertas, exilium, captivitas, invidia, inimicitia, orbitas, morbi &c. Hæc pertimescere vir fortis non debet, si propria sua culpa sibi ea non attraxerit.

§. 63. Quærunt *interpretes*, *quo sensu dicat Aristoteles*, *lib. 3. Eth. Viro forti nihil timendum esse, præter scelus?*

Præter scelus multa forti viro timenda esse, modo ostendimus.

Casus timere *Aristoteli* idem esse putat, quod fugere; & sensum esse: *Nihil fugiendum per se esse nisi peccatum.*

Alii de adversis fortunæ casibus Philosophum loqui ajunt, qui forti non sunt timendi, si absque culpa ejus contigerint, quæ concinnior videtur interpretatio.

§. 64. Quæritur (16) *An vir fortis quævis discrimina subire debeat?*

Resp. Non quævis: sed quæ tribus insignita sunt requisitis, nempe (1) quæ *honesta* sunt: omnia enim honestatis causa virum fortem facere & pati decet. (2) Quæ *laudis vera* materiam præbere possunt, omnes enim virtutis actus debent laudabiles esse. (3) quæ in *publicum sunt utilia*. Ex leviculis enim & privatis causis ad arma provolare aut quibusvis se objicere periculis, non est viri prudentis & vere fortis, sed imprudentis, audacis & impotentis. Unde pro fortibus habendi non sunt, qui temere & ex leviculis causis in *monomachias* ruunt. Quæ dirimi legibus possunt, non sunt permittenda armis. Ubi jus promittit vindicias, in auxilium non accersenda vis.

Lacedemonii olim muros non facile oppugnabant, quod puer & fæmina fortissimum quemque ibi possit interficere. *Alcibiades* è *Sicilia* ad dicendam causam revocatus, *stultum est*, inquit,

inquit, *judicium quærere, si liceat fugere*, Dicenti: *Nonne te patriæ credis? Ne matri quidem*: inquit, *vellem. Timerem enim, ne forte per imprudentiam nigrum calculum pro albo submitteret*. *Ælianus* lib. 12. Histor. var.

§. 65. Quæritur (17) *An vir fortis sensu doloris quoque afficiatur, eumque confiteri per fortitudinem possit?*

Resp. Neutrum à viro forti alienum est. Quia hominis naturam fortitudo non expellit, neque, quod humanum est, confiteri prohibet. Imo proprie fortis non esset, in quo sensus doloris non esset: quia fortitudinis est, dolores fortiter ferre, ad quos ferendos nulla opus esset fortitudine; si sensus eorum nullus esset. Confiteri dolorem viro forti indecorum non est: quia laudi & gloriæ ejus inservit hæc confessio: dum enim, quem confitetur, fortiter dolorem fert, fortitudinis suæ testem sibi parat.

§. 66. Excipitur: *Aristoteles lib. 3. cap. 6. fortem vult esse ἄφοβον, hoc est, omni solutum & liberatum metu.*

Ergo doloris sensu affici prohibet, & multo magis dolorem confiteri.

Resp. Non sequitur: quia ἀφοβία non excludit sensum doloris, neque prohibet confessionem, sed metum doloris: quo absterreri homines solent ab adeundis periculis dolorem adferentibus.

§. 67. Quæritur (18) *Uter sit fortior, qui præmeditatus magna subit pericula, an, qui præter spem & exspectationem ea aggreditur, & in iis fortiter se gerit?*

Resp. Posterior censetur fortior, etiam de *Aristotelis* sententia, lib. 4. Ethic. cap. 8. rationes sunt

(1) Quia animi constantia & præsentia, quæ in magnis, improvisis & repentinis periculis se exerit, magis ab habitu videtur proficisci; quam ubi prævisa pericula aggreditur animus ante præparatus.

(2) Quia adversus improvisa & repentina pericula quanto minor est præparatio, tanta major est animi magnitudo.

§. 68. Quæritur (19) *An vere fortes possint esse γυναικοκρατούμενοι?*

Resp. Si vere fortem, sit absolute & perfecte fortem esse, non possunt: quia muliebris libidinis & impotentiæ sunt mancipia: quod à viro forti alienissimum. Oportet enim virum fortem κατ᾽ ἐξοχὴν esse virum; à quo virtus nomen suum traxit. At γυναικοκρατούμενος viri nomen pro dignitate non sustinet: est enim fœmina inferior & imbellior; adeoque infra fœminæ conditionem deprimitur,

deprimitur, quam in omnibus imbecilliorem viris esse, *Plato* ait, lib. 5. de Repub. Unde *Romanorum* fortitudinem admodum obscuravit *Marcus Cato*, quando de iis ita pronunciavit: πάντες ἄνθρωποι τῶν γυναικῶν ἄρχουσιν, ἡμεῖς δὲ πάντων ἀνθρώπων ἡμῶν δ' αἱ γυναῖκες, hoc est: *Omnes homines fœminis imperant, nos omnibus hominibus, nobis autem fœminæ*, Plutarch. Miseri sunt, qui foris domini, domi servi sunt, foris liberi, domi mancipia: quibus per amicam tyrannidem extorquent fœminæ quicquid volunt: qui Xantippæ flagitanti negare nihil audent. Huic splendidæ miseriæ multi sunt obnoxii, qui vulgo *Heroes* videri volunt: qui tam serviliter omnia fæminarum imperata faciunt, quam heroice aliis imperare videri volunt.

§. 69. Excipitur: *γυναικοκρατούμενοι quandoque fortiter se in bello gerunt. Ergo pro fortibus habendi sunt.*

Resp. Negatur *consequentia* de fortitudine perfecta: quia viri fortis non unum tantum est objectum, sed plura: circa quæ omnia strenue se oportet gerat, si viri vere fortis sustinere nomen vult. Pugnat cum fortitudine timiditas. At omnis *γυναικοκρατούμενος* est timidus: ut maxime foris leo videatur.

Interim, ne nimis videamur duri in γυναικοκρατουμένους, & simpliciter Heroum eos censu movere; primas saltem iis negamus assignandas præ aliis fortibus, qui dorsum mulierculis cum *Hercule* non submittunt. Hanc enim veluti insignem fortitudinis maculam ducimus directe fortitudini adversam; qua notatos *Spartanos* & alias gentes bellicosas scribit *Aristoteles*, lib. 2. polit. cap. 7. qua præter *Herculem*, se deformarunt *Ninus*, *Pericles*, *Themistocles*, *Julius Cæsar*, *Marius*, *Antonius* & alii. Causas assignant docti tres potissimum.

(1) Quia dum viri bellis occupantur, domi sensim imperium rapiunt uxores, eique adsuescunt, & in maritos quoque postmodum usurpant.

(2) Quia uxorum, à quibus sæpe diutius abesse coguntur, postmodum sunt amantiores, nimiaque eas indulgentia corrumpunt, & tandem ipsi quoque corrumpuntur.

(3) Quia plerunque in venerem procliviores sunt viri militares, idque per intemperantiam & pessima exempla: quibus abundat militia.

§. 70. Quæritur (20) *An sit difficilius dolores perferre, quam voluptatibus abstinere?*

Resp. Circa dolores ferendos, & voluptates contemnendas versatur fortitudo. Unde non sine causa quæritur, *utrum horum*

rum sit difficilius : dolores perferre, an voluptates contemnere & iis abstinere?

Dolores perferre difficilius videtur: quia à dolore maxime abhorret natura, eamque tanquam hostem fugit. Unde naturam quodammodo superat, qui dolorem contemnit. Facilius voluptas vincitur, quam dolor: & facilius mortem accersit dolor, quam voluptas: Mors autem vitam & voluptatem abolet. Unde non assentimur *Platoni* dicenti, 1. de LL. *Majori fortitudine opus esse ad voluptatem vincendam, quam dolorem.*

§. 71. Excipitur. *Facilius est vincere hostem apertum, quam amicum simulatorem, hostem occultum: Ergo facilius est quoq; vincere dolorem patentem, quam voluptatem latentem.*

Resp. Negatur *consequentia:* quia non æque latet voluptas, atque hostis occultus vel amicus simulator. Voluptas enim in homine non est sine sensu; cujus damna aliorum exemplis nosse possumus & cavere debemus.

§. 72. Eodem spectat quæstio: *An fortitudo magis in metu, quam in fiducia consistat.* Ubi magis in *metu*, quam in *fiducia* consistere dicitur: quia fortitudo maxime versatur circa τὰ φοβερά. E. & circa metum, qui est τῶν φοβερῶν, *Fiduciæ* vero objectum est bonum, suave & gratum: à quo facilius est abstinere, quam res molestas patienter ferre.

§. 73. Quæritur (21) *An ira sit stimulus fortitudinis?*

Resp. Non videtur: ratio: *Furor non est stimulus veræ fortitudinis. Atqui ira furor est: Secundum vetus illud: Ira furor brevis est.* Ergo.

Sed distinguenda est ira: alia est *furiosa*, alia *moderata*, & cum ratione conjuncta: *Illa* non est stimulus fortitudinis veræ, cui cum furore & insania nihil est commercii: non enim eget vitio virtus, quæ extirpando vitio est nata. *Ista* vero stimulus fortitudinis est & merito appellatur: siquidem ad repellenda molesta totius corporis vires excitat, colligit & adversus hostem instigat. Unde videmus iratos majora viribus quas tranquilli habent, moliri, audere, & perficere: qui quamdiu, ducem sequuntur rectam rationem, limites à fortitudine præscriptos non transgrediuntur. *Utendum ira*, inquit *Aristoteles*, *non ut duce, sed ut milite.* Hinc *Academici* iracundiam quasi fortitudinis *cotem* esse dicebant, teste *Cicerone*, Lib. 4. Acad. quæst. quam in Peripateticis quoque sententiam idem approbat, lib. 4. Tuscul. Unde *Plato* eam appellat *nervum animi* νεῦρα τῆς ψυχῆς. *Lactantius* lib. 6. cap. 19. *fomitem virtutis.* Ex *Peripateticorum* sententia inquit *Seneca* lib. 1. de Ira cap. 7. *Optimum temperare iram,*

ram, non tollere, eoque detracto, quod exundat, ad salutarem modum cogere: id vero retinere, sine quo languebat actio & vis ac vigor animi resolveretur.

§. 74. *Peripateticis* & receptæ omnium fere hominum sententiæ contradicunt *Stoici:* quorum nomine *Seneca* lib. 1. de Ira cap. 9. *nunquam virtus vitio adjuvanda est, se contenta: quoties impetu opus est, non irascitur, sed exurgit &, in quantum putavit opus esse, concitatur remitturque:* Unde falsum pronunciat, quod ex *Aristotele* supra allegavimus, *utendum ira, non ut duce, sed ut milite*: rationem reddit; *quia, si exaudit rationem, & sequitur, qua ducitur, jam non est ira: cujus proprium est contumacia. Si vero repugnat, & non, ubi jussa est, quiescit; sed in libidine ferociaque provehitur, tam inutilis animi minister est, quam miles, qui signum receptui negligit. Itaque si modum sibi adhiberi patitur, alio nomine appellanda est, desinit ira esse. Absit hoc à virtute malum, ut unquam ratio ad vitia confugiat.* Sed merito hæc *Stoicorum* sententia rejicitur, quæ ex falsa fluit hypothesi: *Quod affectus omnes per se sint vitiosi & è natura proscribendi & eliminandi:* Quod absurdum dogma repugnat naturæ, rationi & scripturæ. Affectus enim homini sunt naturales & tanquam organa rationi subministrata, quibus, ut armis, uti vel abuti potest. Modum si excedunt, ad mediocritatem sunt redigendi, nec propter abusum negandus vel tollendus usus. Hinc ad sui conservationem etiam brutis natura affectus indidit: eosdemque in sanctis scriptura commendat, & ipse Deus sibi passim vendicat, interque eos non iram minus, quam alios affectus. Atqui quod per se vitiosum est, id Deus sibi non tribuit. Ira affectus est nomen, non excessus & vitii: ut *Seneca* vult.

§. 75. Quæritur (22) *An viro forti etiam liceat lacrymas fundere.*

Resp. Septem sunt lacrymarum genera. 1. *Lacrymæ pœnitentiæ*, quales fuerunt Petri Apostoli. 2. *Lacrymæ crucis*, quas exprimit calamitas publica. 3. *Lacrymæ amoris*, quas exprimit mors necessariorum. 4. *Lacrymæ gaudii*, quas gaudium exprimit, quales fuere Josephi. 5. *Lacrymæ Zeli*, quas exprimit Zelus pro Dei gloria. Ita *Christus* dicitur sæpe flevisse, de quo ad *Tyberium Cæsarem Lentulus* scripsit, *ridere nunquam, flere semper est visus.* 6. *Lacrymæ crocodili*, quales sunt hypocritarum. 7. *Lacrymæ doloris* aut *periculi instantis*: quibus etiam accenseri possunt *lacrymæ pravæ consuetudinis*, quales multarum fœminarum de quibus Poëta.

Ut flerent, oculos erudiere suos.

Inter hæc *lacrymarum* genera tantum sextum & septimum alienum est à viro forti; in secundo tamen, tertio & quarto genere modus est servandus.

§. 76. Quæritur (23) ***An etiam fortes sint dicendi, qui sibi ipsis violentas manus inferunt & mortem consciscunt, quos vulgo αὐτόχειρας & αὐτοφόνυς appellant?***

Resp. Patronos olim habuit *αὐτοχειρία* non paucos neque infimi nominis viros, inter quos *Stoici*, qui affirmarunt, *sæpe esse officium sapientis à vita desciscere*, Cicero lib. 3. de Finib. unde & Lucanus:

Par animi laus est, & quos superaveris annos
Perdere, & extremæ momentum abrumpere lucis.

Et *Seneca*: *Sapiens vivit, quantum debet, non quantum potest: videbit ubi victurus, cum quibus, quomodo, quid acturus. Si multa occurrunt molesta & tranquillitatem turbantia, emittit se: nec hoc tantum in necessitate ultima facit, sed cum primum illi cœperit suspecta esse fortuna. Nihil existimat sua referre, faciat finem, an accipiat*: & alibi epist. 58. *Si inutile ministeriis est corpus, quidni oporteat educere animum laborantem? & fortasse paulo ante quam debet, faciendum est, ne, cum fieri debeat, facere non possis. Et cum majus periculum sit male vivendi, quam cito moriendi, stultus est, qui non exigui temporis mercede magnæ rei aleam redimit. Paucos longissima senectus ad mortem sine injuria pertulit.* Vide & *Epictetum* apud *Arrianum* lib. 1. cap. 24. in fine. *Ubi non sis*, inquit Cicero, *quod fueris, non est, quod velis vivere*: Quamvis vitæ tædium potius, quam *αὐτοχειρίαν*, videantur indigitare.

Laertius in *Zenoniis* decretis justæ *αὐτοχειρίας* recenset caussas, *Patriam, amicos, dolores acerbos, mutilationem membrorum, morbos ægre curabiles*: addunt alii *senectutem ultimam*: de qua Lucretius lib. 3.

Denique Democritum postquam matura vetustas
Admonuit, memores motus languescere mentis,
Sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.

Interim *αὐτοχειρίαν* damnant religiosiores & sapientiores: Hinc, teste *Cicerone*, *Pythagoras vetat injussu imperatoris, id est, Dei, de præsidio & statione vitæ discedere.* Et *Plato* apud eundem *Cicer.* docet, *piis omnibus retinendum esse animum in custodia corporis, nec injussu ejus, à quo ille est datus, ex hominum vita migrandum esse, ne munus humanum à Deo assignatum defugisse videamur. Socrates* apud *Platonem*: *Nos homines sumus*

sumus in aliqua custodia, neque decet quemquam ex hac seipsum solvere neque aufugere. Et *Epictetus* 1. Dissert. cap. 11. *Ridiculi estis, qui ita sentitis; si ab aliquo vestro Imperatore locum & ordinem servare sim jussus, eum omnino mihi servandum & custodiendum putetis, ac ante millies oppetendam mortem, quam eum deseram: eum autem, quem Deus mihi locum, attribuerit, officiumque descripserit, jusseritis, deserendum esse.*

Rationes pro quæstionis *negativa* adducimus sequentes.

§. 77. (1) Quia plerique αὐτόχειρες mortem sibi consciscunt ex metu gravioris alicujus mali & doloris. Unde pro timidis potius, quam fortibus habendi sunt.

(2) Vere fortes patientes quoque sunt. Atqui αὐτόχειρες impatientes sunt: Sic *Cato* se interfecit, quia metu imminentis periculi, ne in *Cæsaris* manus deveniret, fractus fuit. *Non hoc fecisset*, inquit *Augustinus*, *nisi victoriam Cæsaris impatienter tulisset.*

(3) Quia rectæ rationi αὐτόχειρες non obsequuntur, quæ nulli & nuspiam præscribit desperationem: quæ cum αὐτοχειρίᾳ plerunque est conjuncta.

(4) Quia ex αὐτοφονίᾳ vel αὐτοχειρίᾳ utilitas ad Rempublicam vel patriam non redit: quin potius cum manifesta ejus injuria est conjuncta. Hinc apud *Thebanos*, si quis sibi ipsi manus intulisset, velut sui carnifex & immanis habebatur. *Athenienses* τοῖς αὐτοφόνοις manum dextram, tanquam facinorosam, abscindebant & inhumatam relinquebant. Unde eleganter *Seneca*, lib. 8. contr. 4. *Facinus indignum, si inveniantur manus, quæ sepeliant eum, quem occidere sua.* Videatur & *Josephus*, de bel. Jud. lib. 3. c. 14. *Egesippus* lib. 3. excid. Hierosolym. c. 17.

(5) Quia αὐτοχειρίαν lege: *Non occides:* Deus prohibet.

Breviter αὐτόχειρες damnantur 1. *ignaviæ & timiditatis*, ab *Aristot.* lib. 3. Ethic. cap. 7. *Euripid.* in Hercul. *Joseph.* lib. 3. de bello Jud. cap. 14. *Cæsare*, lib. 7. de bell. Gallic. *August.* de civitate Dei lib. 1. cap. 22. 2. *Sævitiæ*; quando in se immergunt ferrum aut venenum, & id, quod alteri factum horreant, in se promte usurpant. 3. *injustitiæ*: siquidem lex nulla divina vel humana permittit innocentem & indemnatum tollere, *August.* De civit. Dei lib. 1. cap. 19. 4. *stultitiæ*: Unde Quint. *Nemo spiritum ratione deposuit.* 5. ἀστοργίας; est enim contra naturam αὐτοχειρία. *Sui cuique amor est & conservandi se permanendique insita voluntas atque aspernatio dissolutionis*, Seneca. Pulchre *Joseph.* lib. 3. de bell. Jud. cap. 14. *Si quis depositum hominis surripuerit aut male tractaverit, pessimus statim ac perfidiosus ha-*

sus habetur. Si Dei depositum ex proprio corpore quis ejecerit, eum se latuisse, quem læserit, æstimabit? Et servos quidem fugientes ulcisci justum creditur, quamvis nequam Dominos fugerint: Ipsi vero Deum fugientes, & optimum Deum, impie facere non videmur?

§. 78. Notant Theologi αὐτόχειρας peccare 1. contra *autoritatem* DEI, qui solus est vitæ Dominus. 2. contra *bonitatem* DEI: cujus beneficium, vitam, contemnunt. 3. contra *providentiam* DEI, cujus ordinem conantur turbare. 4. contra *charitatem*, qua tenentur etiam se ipsos in vita conservare. 5. contra *justitiam*, quia ex privato arbitrio Rempublicam cive & membro spoliant. 6. contra *communem naturæ inclinationem & legem*. *Platonicum* de αὐτοφόνοις judicium vide apud *Macrob.* in som. Scip. lib. 1. cap. 13.

§. 79. Objicitur (1) *Razias τῆς αὐτοχειρίας nomine laudatur 2. Maccab. 14. Ergo inter fortia & laudabilia facinora referri potest αὐτοχειρία.*

Resp. Nego *consequentiam*: est enim liber *Maccabæorum* apocryphus. Unde ex solius istius autoris suffragio αὐτοχειρία in licitis minime est habenda. Deinde & *Antecedens* simpliciter verum non est; narratur factum, sed non approbatur. Intentio Raziæ tantum & vulgi judicium indigitatur. Etsi *Lyra* peculiarem spiritus Dei instinctum heic agnoscit, quo sensu plane extraordinarium esset exemplum.

§. 80. (2) *Samson ob αὐτοχειρίαν in scripturis non culpatur, neque à Theologis accusatur. Ergo non est damnanda αὐτοχειρία.*

Resp. Nego *consequentiam*. Exemplum *Samsonis* speciale non constituit regulam generalem. *Samson excusatur*, inquit Augustinus, *quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppresserit: quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.*

§. 81. (3) *Curtius αὐτόχειρ pro salute patriæ se devovit & mortem sibi conscivit. Ergo saltem hujus αὐτοχειρία ad fortitudinem est referenda.*

Resp. Nego *consequentiam*. Factum *Curtii* lege Dei damnatur & malum est. Nec ex fine bono excusatur; quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*. Idem judicandum de *Catone Uticensi*, *Bruto*, *Cassio*, *Zenone Cittico*, *Cleante*, *Mithridate*, *Hannibale*, &c.

Stoicorum rationes pro αὐτοχειρία plane nullius sunt momenti. *Aliquando etiamsi certa mors instabit*, inquit Seneca, *& destinatum*

ſtinatum ſibi ſupplicium ſciet, non commodabit ſapiens pœnæ ſuæ manum. Stultitia eſt timore mortis mori. Veniet, qui occidat, expecta, quid occupas alienum negotium?

§. 82. *Quid ſi vero Magiſtratus jubeat nocentem ſibi manus inferre? Annon obtemperandum?* hodie apud *Japones* Rex offenſus mandat nobilibus: *Abi ventrem tibi ſcinde.*

Reſp. Magiſtratui iniqua imperanti obtemperandum non eſt, potius Deo, quam hominibus obediendum.

Olim ſub *Tiberio*, *Nerone*, *Domitiano*, cum per tribunum aut centurionem ultima neceſſitas denunciaretur; ſi quis pareret & mortem occuparet, manebant *teſtamenta*, *juſta funeris* pretium feſtinantis; ſin minus, *carcer*, *carnifex*, *laqueus*, *Gemoniæ* &c. Sed exemplum hoc regulam non facit, nemo ſuus eſſe carnifex tenetur.

§. 83. Sed quæritur heîc porro: *An omnes promiſcue αὐτοφόνοι eodem habendi ſint loco, omnibuſque neganda ſit honeſta ſepultura & de omnium ſalute deſperandum?*

Reſp. Cum αὐτοφόνων omnium eadem non ſit ratio, de omnibus & in omnes idem quoque ſtatuendum non erit. Sunt igitur à regula heîc excipiendi, de Sententia Theologorum omniumque recte ſentientium, *phrenetici* & *in exceſſu melancholici*, ſive dilucida quandoque habeant intervalla, ſive nulla. Hi enim in paroxyſmis ſuis mente capti rationis uſum non habent, adeoque, præter voluntatem & propoſitum, ſibi vim inferunt & quaſi alienum faciunt opus. Neque dubium eſt, quin alioquin in *phreneticis* & *melancholicis* occupatiſſimus Diabolus, Deo permittente, tortoris & carnificis heîc ſibi partes rapiat, ſecundum illud *Decret.* 15. q. 2. c. inſanientes: *Illud certe affirmare à vero alienum non eſt, quod Diabolus manu & mente eorum in rem ſuam abutatur.*

Hinc videas quandoque etiam pedibus nixos & ſtantes laqueo indutos, qui corpori ſuſtinendo non eſt, ſuffocatos manifeſto diabolicæ crudelitatis indicio. De hiſce talibus igitur, ſi ante, quam *phreneſis* aut *melancholia* invaluit, honeſtam egerunt vitam, & pietatis ediderunt ſpecimina, judicium non eſt præcipitandum, neque magis honeſta iis ſepultura videtur neganda, quam puerulo, qui vel de feneſtra præcipitem ſe egit, vel acuto cultro ſibi vitam præcidit. Graviſſimæ ſunt *melancholicorum* tentationes, quibus etiam fortiſſimi eo quandoque adiguntur, ut nativitatis ſuæ execrentur diem Job. 3. v. 2. Jerem. 20. v. 14. Vide *Balduinum*, in caſib. conſcient. vid. *Polanum* Theol. lib. 10. c. 19. q. 2. Cauſæ αὐτοχειρίας diverſiſſimæ ſunt & probe di-

stinguendæ? Distinguunt quoque JCti, *l. Qui rei §. Papinianus D. de bonis eorum qui ante sententiam latam* &c.

Charonda & *Lucretia* αὐτοχειρίαν non probamus: Ille cum armatus rure rediens legis suæ immemor in turbulentam concionem venisset, de hoc errore monitus, illico gladio incubuit & seipsum interemit. Hæc ignominiam & vim passa à *Tarquinio*, præsente marito & agnatis aliis, cultro in corde defixo, mortem sibi conscivit, *Liv.* lib. 1. extremo: quæ passim à pictoribus historia celebratur. Peccavit *Charondas*, peccavit *Lucretia*, non enim ad αὐτοχειρίαν lex Charondem obligavit, quamvis capitale factum convinceret: multo minus Lucretiam per vim sine consensu à Tyranno compressam & oppressam, quæ ferre potius injuriam debuit, quam sibi innocenti inferre.

§. 84. Quæritur (24) *An alicui liceat se ipsum occidere, ne cogatur peccare?*

Resp. Non licet.

(1) Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

(2) Quia obstat Decalogi sexta lex: *Non occides.*

(3) Quia ad peccatum proprie sic dictum nemo potest cogi, adeoque nemo peccat coactus, hoc est, absque omni voluntatis suæ consensu. Unde *vim pati sine consensione passio est, non actio.*

§. 85. Itaque minime probandum est factum *Spartanarum virginum* quinquaginta, quæ se ipsas interfecerunt, ne à juvenibus *Spartanis* vim impudicam paterentur. Nec laudanda *Apollonia* quod in ignem se conjecerit, ne idola cogeretur adorare. Neque denique laudandæ mulieres illæ, quas refert *Augustinus* in fluvium se præcipites dedisse, ne persecutorum libidini exponerentur. Eventus DEO permittendus, qui miris modis castitatem & innocentiam contra hostes potest asserere. Exempla de Virgine *Potamiena Alexandrina*, de *Agnete Pelagia*, *Theodora* & aliis, videantur in hist. *Ecclesiastica* apud *Eusebium* lib. 6. c. 5. & lib. 8. cap. 15. *Ambros.* serm. 19. Quod si vero maxime corpori vis inferatur, ipsa tamen castitas non aufertur, si voluntatis consensus non accesserit. Unde *Augustinus* lib. 1. de C. D. cap. 16. *Voluntas assentientis castitatem violat, non impetus violantis: Nec de ipso corpore perit castitas, quia eo sancte utendi perseverat voluntas, & quantum in ipso est, etiam facultas.* Hæsitavit circa hanc quæstionem *Hieronymus in Jonam. Nostrum est*, inquit, *non arripere mortem, sed oblatam fortiter tolerare: nisi forte castitas periclitetur.* Sic & *Ambrosius* lib. 3. de Virginib. Sed ut vidimus, justa hæsitandi causa non est.

Putant

Putant nonnulli licitam esse *ἀντοχειρίαν*, si per eam Dei intendatur gloria, & divini nominis declinetur ignominia. Sed audiendi non sunt. Perpetua est regula: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

§. 86. Quæritur (25) *An provocatio ad duellum & congressio cum provocante sint veræ fortitudinis signa?*

Resp. Duplex est *monomachia: laudabilis* & *vituperabilis*. *Illa* est quæ proficiscitur ex animo divinæ gloriæ illustrandæ, & boni publici promovendi cupido, præsertim si autoritate publica suscipiatur. *Ista* est, quæ proficiscitur ex vindictæ privatæ cupiditate, qua quis injuriam sibi illatam depellere, & ut vulgo ajunt, *honorem suum defendere* conatur.

Exemplum *laudabilis Monomachiæ* habetur in *Davide*, qui cum *Goliatho* est congressus: Item in tergeminis fratribus *Horatiis* & *Curiatiis*, qui, totius populi consensu, ad innumeram cædem prohibendam, pro salute & libertate suæ patriæ in monomachiam descenderunt. Videatur *Livius* histor. lib 1.

Exemplum habetur simile apud *Gregor. Turon.* lib. 2. hist. *Franc.* cap. 2. ubi dissidium inter *Vandalos* & *Alemannos*, duobus pueris in duello commissis, legitur compositum; ne horrenda multitudini clades inferretur. Succubuerunt tunc *Vandali*, puero ipsorum interfecto.

Veræ igitur fortitudinis signum est *monomachia laudabilis*, non item *vituperabilis*. Unde sine justa causa provocatus vir fortis, salva existimatione sua, recusare duellum, potest, exemplo *Marii*, quem cum *Teuto* quidam provocaret & ut prodiret, postularet, respondit: *Si cupidus mortis esset, laqueo cum vitam finire posse:* Cumque demonstraret ei gladiatorem contemtæ staturæ & prope exactæ ætatis, objecit ei, dixitque. *Si eum superasset; cum victore congressurum: Frontinus* lib. 4. stratag. cap. 7. Quæstionem de *Duello* tractatam vide apud *Rivetum*, in Explic. Decal. pag. 306. & *Amesium*, de Conscient. lib. 5. cap. 32.

§. 87. Summa huc redit: Pro fortibus minime habendi temerarii & audaculi illi, qui extra ultimæ necessitatis causam ad duella præcipites ruunt, sive provocantes, sive provocati in *castris*, in *Rebuspub.* in *Academiis* quia (1) non sequuntur *rectam rationem*, cujus imperium detrectant: non *leges publicas*, quas contemnunt; non *magistratum* quem ludibrio habent: Sed *insaniam* suam, & stultissimam inanis gloriolæ cupiditatem, hortatusque pravorum sodalitiorum. (2) pericula adeunt non necessaria, animæ corporisque prodigi. (3) Immanibus bel-

 luis,

luis, quam hominibus, similiores plerunque efferati & rabidi convitia, & execrationes & blasphemias despumant. (4) ne minimam quidem honestatis rationem habent, sed suis tantum indulgent affectibus, sanguinis vel sui vel alieni fundendi improbe cupidi. (5) Rei per divinas humanasque leges illicitæ dant operam, & mortis reatum per cædem, quam spirant & patrant, contrahunt. Adversus quas in V. & N. T. capitalem sententiam Deus pronunciat *Gen.* 9. v. 6. *Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditur; quoniam ad imaginem suam hominem fecit Deus*; Matth. 26. v. 52. *Quicunque acceperit gladium, gladio peribit*. (6) quia sine justa causa suis patriam civibus privant: cum de sententia *Scipionis* & aliorum, unum servare civem præstet, quam mille hostes perdere.

§. 88. Objicitur (1) *Per hujusmodi duella honos & existimatio defenditur: Ergo licita sunt & à viri fortis officio non aliena.*

Resp. De defensione legitima & honesta antecedens negatur: prostituitur potius honor & existimatio per facinus morte vindicandum.

§. 89. (2) *Qui provocati se non sistunt, timidi reputantur. Ergo detrectari duellum non debet.*

Resp. *Antecedens*, de judicio proborum, negatur. Improborum ne habenda quidem ratio: quorum laudes & vituperia eodem habendo loco. Quos improbi vituperant, plerunque bonis placent. Quos laudant, plerunque bonis displicent. Pulchre *Scaliger*.

Laudarier à turpibus, infamia vera est:
Laus est hominis maxima, displicere pravis.

§. 90. (3) *Duella serviunt probationi rerum occultarum. Ergo concedenda sunt*. Antecedens prob. *quia olim hoc fine inter gentiles & Christianos fuerunt usitatissima. Unde Fridericus Imperator inter legitimos probationis modos ea admisit*, lib. 2. de feud. tit. 27. & *Fronto, Rex Daniæ, referente Camerario*, part. 2. horar. subcis. cap. 19. ex *Saxone historico, legem tulit de omnibus controversiis duello definiendis: quem in Moscovia adhuc vigere morem Bodinus scribit*, lib. 4. de Republ. Cap. ult.

. Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* est inconsequens, facta & exempla ista minime sunt probanda. Unde hoc probationis genus per canones sublatum est: *cap.* Monomachiam. *q.* 5,

Quæstionem hanc finiat *Heideri* sententia Philosoph. Moral. part. 2. pag. 437. *Nihil*, inquit, *cogitari potest ineptius, quam si quis ad pugnam per has incantationes quasi necessario se putet allici: Si nobilis es, si bonus es, si honesto loco natus es, mecum in arenam descendito!*

Hic

Hic enim junguntur ea, quæ capitaliter inter se dissident, neque magis cohærere possunt, quam si dicatur: Si bonus es, age sis improbus! si honesto loco natus, age sis spurius, si generosus, age degener esto! imo si bonus es, facito quod ratio, quod leges, quod Magistratus, quod tua simul & aliorum salus fieri jubet. Si bonus es, pie vivito, sacra frequentato, lectiones audito, præceptores colito, temperantiæ operam dato. Sed hic asino narratur fabula & ipse movet auriculas.

§. 91. Nota, Defensio per *duellum* etiam privato tum est licita, cum præter jus & fas manifesta ipsi intentatur vis, quam declinare alia ratione non potest, nisi per defensionem, qua vim vi repellit. Unde tritum illud: *Vim vi licet repellere.* A JCtis hujusmodi defensio appellatur; *moderamen inculpatæ tutelæ.*

§. 92. Quæritur (26) *An major sit Martyrum fortitudo, quam illorum, qui in bello pro patria dimicando fortiter occumbunt?*

Resp. Omnino major est, idque ob sequentes rationes.

(1) Quia *Martyrum* mors bellicam acerbitate sua longissime superat; cum in multas non tantum horas, sed & dies sæpenumero excrucientur, exquisitissimis tormentorum generibus per Tyrannos excogitatis.

(2) Quia in *Martyrum* tormentis spes evadendi est nulla; mortem vident præsentissimam, evadendi locum & viam nullam, quam per vim ne quærunt quidem. Unde cum *Polycarpum* comburendum clavis affigere carnifices statuissent: *nihil opus est, clavis*, inquit, *ignem sponte sustinebo.*

(3) Quia in bellis resisti potest iis, qui mortem inferunt, habetque locum vindicta: In *Martyribus* omnia secus se habent.

§. 93. Quæritur (27) *An fortitudo recte distinguatur in togatam & bellicam?*

Resp. *Affirmativam* tuemur.

(1) Quia distinguuntur objectis specialibus: sunt enim fortitudinis bellicæ *objecta* pericula bellica prudenter cum contemtu mortis, adhibito etiam corporis robore, adeunda: *togata*, res adversæ extra bellum magno animo superandæ vel tolerandæ, vel in *foro*, vel in *curia*, vel in *calamitatibus publicis privatisque*, in *exilio*, in *persecutionibus*, in *paupertate*, in *morbis* & *morte* cum nostra cum nostrorum fortiter ferenda.

(2) Distinguuntur *subjectis*: quia fortitudine excellunt *bellica*, qui *togata* non excellunt: & vicissim in hac, qui in illa non excellunt. Sunt nonnulli fortes & magnanimi in bello; qui domi & foris in *foro*, *curia*, sunt molles & timidi vel plane impatientes. For-

tes. Fortes in *curia* & *foro* erant *Demosthenes* & *Cicero* qui tamen in bello fortes non erant. Fortes *Pythagoras, Socrates, Plato, Seneca*: Sed non bello &c.

(3) Distinguuntur *causis efficientibus*: aliis enim actibus acquiritur fortitudo *bellica*, aliis *togata*: non paratur fortitudo *bellica* nisi bellicis actibus, sine quibus parari *togata* potest.

§. 94. Objicitur à *Velstenio*.

Partes in legitima divisione cum toto debent consentire & inter se dissentire. Atqui hæ distributionis partes inter se non dissentiunt. Ergo &c.

Assumtio probatur, *quia togata & bellica fortitudo non sunt distinctæ aut disparatæ fortitudinis species: Sed una est tam bellica, quam togata fortitudo, secundum quam fortes dicuntur, quicunque sunt fortes: neque aliter fortis est Socrates, aliter Alexander: ut enim Socrates apud Platonem ait, omnes eodem modo bonos esse, qui eadem essent adepti, quorum beneficio boni dicuntur. Ita togatus & bellicus eodem modo fortis est, quia uterque eandem adeptus est virtutem, per quam talis dicitur.*

Resp. *Assumtio* negatur: *Probatio* principium petit, & partim falsa, partim inconsequens: Fortitudo *bellica* & *togata* sunt disparatæ fortitudinis, tanquam generis, species: ut modo probavimus. Aliter *Socrates* fuit fortis aliter *Alexander*, quatenus *bellica* excelluit virtute & fortitudine, qua *Socrates* non excelluit. Qui eadem speciei bona sunt adepti, eodem modo sunt boni qui non eadem, eodem quoque modo non sunt boni, etsi in genere sunt boni: Sic & in genere fortitudinis conveniunt, qui bellica & qui togata fortitudine excellunt atque disparantur: sunt enim fortes, etsi eadem fortitudinis specie non excellunt.

§. 95. Quæritur (28) *An fortitudo bellica præstantior sit togata?*

Resp. *Bellicam* plerique præferunt *togatæ*: nos *togatam bellicæ* præferimus cum *Cicerone* exclamante: *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*

(1) *Quia est innocentior & sedatior, quam bellica*: vix enim fieri potest, quin sæpe impingant & modum excedant, qui violentis aguntur affectibus, iræque æstu sæpe turbatam habent rationem: quod omnibus accidit, qui cædibus & sanguini fundendo operantur, & in præsentem hostem toto impetu feruntur. Quotusquisque in castris miles suam tuetur fortiter innocentiam!

(2) *Quia gratior est Deo, quam bellica*; unde templum sibi noluit Deus ædificari manu *sagati Davidis*, sed *togati Salomonis*,

1. Chron.

1. Chron. 28. v. 3. *Dixit Deus mihi* (Davidi) *non es ædificaturus domum nomini meo, quia vir bellis occupatus es & sanguinem fundis*; & v. 6. *Salamo filius tuus ipse ædificaturus est domum meam.*

(3) Quia prudenti masculoq; *consilio, lingua* & *calamo* facilius rectiusque expediri maxima possunt negotia, quam armis; quę remedia sunt ipso morbo periculosiora & damnosiora : uti, proh dolor ! hodie experimur. Hinc *Pyrrhus* de *Cinea* Oratore & legato suo gloriari solebat : *plures à Cinea urbes oratione, quam à se expugnatas armis.* Qui *Euripidis* illud comprobavit ὅτι πᾶν ἐξαιρεῖ λόγος, ὃ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν : *omne id expugnare verba comta, ferrū quod minax possit. Quantum fortitudini prudentia, tantum Rhetorica bellica præstat alacritati*, Aristides.

Pulchra est contentio apud *Ovidium* lib. Metam.

Quippe manu fortes (*Nec sunt tibi Marte secundi*)
Consiliis cessere meis : tibi dextera bello
Utilis, ingenium est quod eget moderamine nostro :
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides : tu tantum corpore prodes,
Nos animo. Quandoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium : Quanto Dux milite major,
Tanto ego te supero, nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu, vigor omnis in illis.

(4) Quia rationi magis obtemperat *togata*, quam *bellica* : illa enim est tranquilla & composita: hæc sæpe furiosa, & plerumque togati fortes, morbo patientia victo, rationis compotes moriuntur : bellatores autem furore perciti, manibus sanguine contaminatis belluarum instar.

(5) Quia *togata* fortitudo domi vel in lectulo cum hoste pugnat magis formidabili, quam *sagata* in campo : *Illa* cum morbo, quem inter magnos cruciatus, etiam ubi nulla est propulsandi spes, fortiter fert : *Ista* cum hoste, cujus propulsandi spem habet, &c.

§. 96. Objicitur : *bellica fortitudo occupatur circa præsens mortis discrimen, togata non item : Ergo bellica præstantior est.*

R. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est : nam & *togata* sæpe in præsenti versatur mortis discrimine, cujus subeundi vel morbus, vel hominum ingratitudo & iniquitas necessitatem adfert, quando honesta & justa consilia atq; monita contemni æquo ferre animo non sustinet. Tum igitur, qui forti est animo, recte dictorum factorumque conscientia fretus etiam mortem oppetere

 non

non formidat, neque præsenti terretur, quamvis sibi imminere mortis necessitatem, sine ulla evidenti spe, certo sciat.

(2) *Consequentia* quoque solida non est: non enim præstantia virtutis tantum æstimanda ex *objecto*, sed etiam ex *effectis*: quibus *togata fortitudo* præstat *bellicæ*, ut ante ostendimus.

§. 97. Quæritur (29) *An magnanimitas circa honores quoq; occupata sit.*

Cujus *affirmativam* defendimus hoc argumento.

Quod in rebus externis maxime eminet & maximum est, circa id occupatur magnanimitas.

Atqui honor in rebus externis maxime eminet & maximum quid est Ergo circa honorem occupatur magnanimitas. *Propositio* probatur; quia magnanimitas, ex vi nominis, significat quandam animi ad magna extensionem. *Assumtio* probatur: 1. quia virtuti proximum est bonum, utpote testificatio de virtute alicujus. 2. quia Deo & optimis exhibetur. 3. quia ad honores obtinendos, quosvis labores & pericula homines adeunt.

§. 98. In contrarium objicitur.

1. *Magnanimitas est in facultate irascibili. Ergo circa honores non versatur.* Antecedens probatur: *quia magnanimitas dicitur quasi magnitudo animi, animus autem pro vi irascibili ponitur. Aristot.* 3. de an. Ratio conseq. *Quia honor est bonum concupiscibile, tanquam premium virtutis.*

Resp. *Antecedens* negamus: nulla virtus moralis proprie dicta radicaliter & *subjective* est in appetitu sensitivo *irascibili* vel *concupiscibili*: sed omnis in facultate *rationali*: ut supra ostendimus. *Probatio* nulla est: magnanimitas dicitur à magnitudine animi non irrationalis, sed rationalis; quamvis animus latinis de parte irrationali non dicatur. Græca vox θυμὸς *animum* & *iram* significat.

Thomas ait, magnanimitatem versari circa honorem quatenus magni vel ardui rationem habet, & hoc modo pertinere ad facultatem *irascibilem*: cum alias, citra rationem magni vel ardui, pertineat ad *concupiscibilem*.

§. 99. 2. *Magnanimitas est circa passionem: Ergo non est circa honorem.*

Antecedens prob. *Quia virtus moralis versatur circa passiones vel operationes. Atqui circa operationes magnanimitas non versatur; quia esset pars justitiæ*: ratio consequentiæ, *quia honor non est passio.*

Resp. Negatur *consequentia: probatio* est inconsequens. Etiamsi

jamsi enim honor non est passio, est tamen passionis, nempe spei, *objectum*: quatenus spes tendit in bonum arduum, quale & honor est. Unde magnanimitas immediate est circa passionem spei, mediate vero circa honorem, tanquam *objectum* particulare spei. Ita *Thomæ* videtur.

Si passio accipiatur pro affectu, *antecedens* exclusive verum non est: Magnanimitas non tantum versatur circa affectum, sed & alia habet objecta: ut supra vidimus.

§. 100. Quæritur (30) *An magnanimitas tantum sit circa honores magnos?*

Resp. *Affirmativa* in scholis est receptissima, quam & nos amplectimur. Cur autem & alia virtutum objecta gradibus distincta, pro varietate graduum, distinctas virtutes & ipsa non requirant, non sine causa quæritur?

Rationem diversitatis *Thomas* depromit ex diversa ratione *passionum*, circa quas occupantur virtutes morales. Habent passiones magnam vim repugnandi rationi: unde per virtutem in ordinem redigendæ & rationi subjugandæ sunt. Magna autem illa repugnandi vis principaliter est vel *ex parte passionis*, vel *ex parte rei*, quæ est objectum passionis. Ex *parte passionum*, quæ magnam repugnandi vim habent, passiones oportet vehementes esse, quæ rationis imperium detrectare possint. Unde virtutes circa hujusmodi passiones occupatæ non nisi circa id, quod in passionibus est magnum, occupantur: Sic *fortitudo* est circa maximos timores & audacias: *mansuetudo* circa maximas iras: *Temperantia* circa maximarum delectationum concupiscentiam, &c. Nullam igitur heic gignunt virtutum diversitatem ejusdem speciei passiones, gradibus tantum differentes: quia circa maximum passionum virtutes iis refrenandis destinatæ versantur; adeoque non sunt diversæ virtutum species vel circa timorem & audaciam: vel circa iram: vel circa cibi & potus concupiscentiam, &c. *Ex parte* vero *objectorum*, quæ magnam repugnandi vim habent è rebus exterioribus, veluti cupiditas pecuniæ, honoris &c. distinctis sunt coërcendæ virtutibus, quæ non tantum circa maximum in objectis, sed & circa minus versantur, quia externæ res, etiam quatenus parvæ sunt, vel minores, valde sunt appetibiles & ad vitam hominis necessariæ. Hinc igitur circa appetitum pecuniarum duæ sunt virtutes, una circa minores, altera circa magnas opes: circa honorês duæ quoque, una circa mediocres, alia circa magnos, quam in specie *magnanimitatem* appellamus, cujus objectum proprium sunt magni honores.

§. 101. Ex hac declaratione facile est respondere ad objectiones.

(1) *Magnum & parvum accidunt honori: Ergo non requirunt distinctas virtutes, adeoque magnanimitas non versatur tantum circa magnum honorem, sed simpliciter circa honorem, sive magnus sive parvus sit.* Ratio consequentiæ, *quia virtutes distinguuntur objectu specie differentibus. Atqui magis & minus non mutant speciem.*

Resp. Ad *antecedens*: Etsi magnum & parvum honori per se considerato accidunt, tamen ad rationem relata, cujus est modum in honoris usu observare, magnam efficiunt differentiam: estque longe difficilius modum in magnis, quam in parvis honoribus servare: unde distinctis opus virtutibus. Etiamsi magni & parvi honores specie per se non differunt, veluti equorum mediocris & magna ferocia diversis coercetur frænis.

§. 102. 2. *Circa iras magnas & parvas non sunt distinctæ virtutes, sed una tantum, quam mansuetudinem appellamus Ergo circa honorés magnos & parvos distinctæ quoque non sunt virtutes, adeoq; magnanimitas non versatur tantum circa magnos honores.*

Resp. Consequentia negatur: rationem negationis jam ante reddidimus.

§. 103. Quæritur (31) *An magnanimus honorem potius contemnere, quam appetere debeat?*

Resp. Nonnulli putant magnanimi esse honorem potius contemnere, quam appetere: quia rerum præclare gestarum & magnorum suorum meritorum conscientiam pluris debet facere, quam judicium & honorem ab iis habitum, quem in sua potestate non habet. Nobis distinguendum videtur inter *honores* & inter *appetitum honoris*. Itaque 1. magnanimi statuimus esse parvos honores potius contemnere, hoc est, de iis non laborare, quam appetere: *ratio* est: quia parvos appetendo magnis se indignum videtur judicare & merita sua non recte æstimare. 2. Ejusdem esse statuimus magnis honoribus se dignum judicare, propter meritorum suorum magnitudinem. Nisi enim se dignum iis judicaret, merita sua ipse contemneret, contra rationem: quæ à virtute nunquam abest. Cumque magni honores *objectum* magnanimitatis proprium credantur esse, non poterit eos contemnere magnanimus; sine contemtu virtutis, à qua nomen habet.

3. Ejusdem esse statuimus, non nimis ardenter & impotenter magnos honores appetere, sed potius illam appetendi impotentiam contemnere. Quia alias virtutis suæ præmium pluris videbitur

bitur facere, quam ipsam virtutem: quæ omnino honori etiam maximo præferenda. Unde tranquillo esse animo potest, qui magnorum suorum sibi conscius meritorum magnis honoribus se dignum scit; etsi per hominum iniquitatem iis defraudatur. Interim in eo totus est magnanimus, ut magnis digna honoribus patret.

§. 104. Objicitur ex *Seneca* epist. 37.

Magnanimi est magna contemnere & mediocria malle, quam nimia.

Resp. Caute hæc sunt accipienda, ne magnanimitatis evertatur natura: magnanimus enim circa magna, non circa mediocria occupatur. Interim dici potest magna contemnere; quando contra æquitatem, meritis suis magnis debita magna præmia denegari videt: de quibus obtinendis anxie non laborat: sed sola magnorum meritorum conscientia se erigit. Sic etiam dici potest, *mediocria malle quam nimia:* quia *nimium* excessus est vitiosus, unde mediocribus mavult acquiescere magnanimus, quando meritis suis digna sibi videt per nefas denegari; quam ambitioso excessu virtutem inquinare.

§. 105. Quæritur (32) *An magnanimus injuriarum debeat recordari & de iis vindicandis laborare?*

Resp. Non debet: nisi vindicari eas Reipub. & eorum, qui injurias inferunt, intersit. Rationes sunt.

(1) Quia magnanimum oportet esse placidum: unde *Cicero* lib. 1. Offi. *Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementia.*

(2) Quia magnanimum oportet esse fortem. Atqui vindictam privatam qui meditatur, non est fortis siquidem ab affectu superatur: quod animi est impotentis. Unde vindictæ cupidiores sunt fœminæ.

(3) Quia prudentis est ad injuriarum depulsionem temere non ferri, nec contrahi magis in adversis, quam efferri in secundis. Atqui magnanimus prudentiam ducem sequitur.

(4) Quia autor injuriæ seipsum lædit: quando Deum ad pœnam provocat & conscientiam sauciat. Memorabilis sententia est *Æschinis. Pulcherrimum est disciplinæ præceptum oblivio injuriarum: κάλλιστον ἐκ παιδείας ῥῆμα, μὴ μνησικακεῖν:* quo pertinet quoque lex ἀμνηστίας à *Thrasybulo* sancita; *Valer.* lib. 4. cap. 1. Hinc *Phocion Atheniensis*, allato jam cicutæ poculo, interrogatus, filio ne aliquid mandaret? *Mando*, inquit, *tibi Fili, atq; hortor te, ne Atheniensibus memorem te injuriarum prabeas. Plutarch.* in apoph. Gravis est illa *Pelusiota* sententia, lib. 3. Epist. 7.

Accepta-

Acceptarum injuriarum memoriam retinere non est generosi animi, sed improbi ac miseri: γενναίας ὐκ ἔςιν ἔργον ψυχῆς τὸ μνησικακεῖν, ἀλλὰ ταλαιπώρȣ & φαύλης.

Interim non negligenda heic *limitatio* & conditio, quam ab initio addidimus: *Nisi vindicari injurias Reipub. & eorum, qui injurias inferunt, intersit*: ne lata quibusvis injuriis fenestra aperiatur, & bonæ leges penitus conculcentur.

§. 106. Quæritur (33) *An magnanimus possit esse vir malus?*

Resp. Non potest: *ratio*; quia magnanimus magno dignus est honore: Atqui magno honore non est dignus nisi optimus. Igitur magnanimus illico dici non debet, qui unum atque alterum magnanimitatis actum exercuit, & interim variis aliis se infamarit flagitiis.

Quicquid in aliis virtutibus magnum est, ad id contendit magnanimus, ut ubique magno honore digna patret.

Neque tamen ex magnis honoribus judicium de magnanimitate ferendum: quia etiam indignis sæpe magni conferuntur honores, ut constat exemplis tyrannorum ad summos imperii honores olim evectorum vel per vim, vel per improborum suffragia.

§. 107. Quæritur (34) *An fortuna bona conferant ad magnanimitatem?*

Resp. *Affirmativam* amplectitur *Aristoteles* lib. 4. Eth. cap. 5.

Ratio est: quia magnanimus respicit 1. ad honorem magnum tanquam ad *objectum*. 2. ad opera magna magno honore digna. Ad utrumque conferunt fortunæ bona. Cum autem fortunæ bona ut divitiæ, amici &c. plerunque soleant esse occasiones & instrumenta res magnas & præclaras gerendi, paupertas vero plerunque animum deprimat & in altum eniti prohibeat: (Unde in emblematibus *Alciati* repræsentatur sub imagine viri sursum nitentis; per ingens vero pondus pedi alligatum ad ima retracti: quo illud spectat *Juvenalis*:

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Et diserte *Tullius* apud *Dionys. Halicarn.* lib. 4. *Nihil generosum potest sapere, qui quotidiani victus penuria premitur*) palam utique est, ad magnanimitatem haud parum conferre bona fortunæ: quibus recte uti novit prudentia.

Excipitur in contrarium.

§. 108. (1) *Virtus sibi sufficiens est: Seneca* de ira; *Ergo non desiderat fortuna bona.*

Resp. *Anteced.* disting. Virtus est sibi sufficiens, quoad habitum: potest enim virtutis habitus esse in animo etiam sine bonis

nis fortunæ: non tamen quoad *operationem* & actum quemcunque: Requirit enim instrumenta, quæ ad multos actus subministrant fortunæ bona.

§. 109. (2) *Quibus juvatur magnanimus, ea non contemnit. Atqui fortuna bona contemnit. Ergo fortuna bonis non juvatur. Assumtio* supra est probata & alias in confesso est.

Resp. *Propositio* est distinguenda: Quibus juvatur magnanimus, ea non contemnit *simpliciter* & *quocunque modo*. Cum hac limitatione accepta *assumtio* negatur: neque probatur communi Ethicorum consensu; dicitur enim magnanimus fortunæ bona contemnere *non simpliciter* & *quocunque modo*, & præsertim quatenus rerum præclare gerendarum sunt instrumenta: sed quatenus tanti ea non facit, ut in eorum gratiam aliquid existimatione sua indignum committat, vel ut per se ea magnopere expetat: ut avari solent.

§. 110. Quæritur (35) *An magnanimitas & modestia specie differant?*

Resp. Si accurate loquamur, non differunt specie, sed gradu tantum, secundum magis & minus. Magnanimus enim circa magnos, modestus circa mediocres honores versatur. Ille magnis, hic mediocribus se dignum judicat. *Aristot.* 2. Eth. cap. 7. & lib. 4. cap. 3.

III.

Adversatur fortitudini, seu magnanimitati, in excessu: 1. insania, *qua quis plane nullum* φοβερὸν *metuit.* 2. audacia, *qua quis præcipiti impetu animi sine ratione in pericula ruit. In defectu* timiditas *seu ignavia, qua in confidendo quis deficit, & qua non debebat, metuit.*

Ἔκθεσις.

§. 1. Insaniæ seu *ἀφοβίας* exemplum præbent *Celtæ*, qui prælium inierunt cum fluctibus marinis, prius aquis obruti, quam in fugam versi. *Ælianus* var. hist. lib. 12. Et Psylli, qui contra *Austrum* armata manu profecti sunt, & *Xerxes*, qui mare voluit catenis vincire, quod & virgis jussit cædi. Vide *Ælian.* lib. 12. cap. 23. & *Herodot.* lib. 9.

Cannii armati aerem hastis pulsarunt, teste *Herodot.* lib. 1. Ad audaciam quoque Alexander quandoque fuit præceps, qui primus in *Tyri* muros insiliit, in *Mallorum* urbem non nisi duobus comitatus saltu se immisit, non sine maximo vitæ periculo, servatus-

servatusque fuit non tam virtute sua, quam æquitate fortunæ, ut historici loquuntur.

§. 2. Ridiculæ *timiditatis* exemplum præbet *Pisander*, qui ne mortuus umbram suam videret, pertimuisse dicitur. Præbet *Antemon*, cui æreum semper scutum supra caput duo servuli tenebant, ne illapsu rei alicujus læderetur. *Aratus Sicyonus* in consiliis prudens, in acie timidissimus fuit: cum pugnæ datum esset signum, ductores ordinum interrogabat, *num sua opus esset præsentia, cum jacta jam sit alea.* Tum igitur secedere & eventum præstolari solebat. Unde per ludibrium dicere adversarii solebant: *Pretori Achæorum, instante prœlio, alvum moveri, ipsumque, simulatque canere cæpissent tubæ, vertigine & sopore corripi. Alexander Pheræus* ad conjugem in cubiculum ingredi ausus non fuit, nisi præmisso stipatore, qui muliebres arculas scrutaretur, ne forte telum in iis occultaretur. *Dionysius Major*, tyrannus, in cubiculum suum admisit neminem, nisi veste posita aliam sumeret & nudus à satellitibus excuteretur. Cubiculum lata fossa cinxit, in quod se ligneo ponte recipiebat, cujus fores exteriores obsidebant custodes, interiores ipse obserebat. Idem. duas cum uxores haberet, neutrius nisi excussæ complexum petiit. Tonsorum novaculas non admisit: filias radere capillos docuit, quibus tamen adultis amplius se non commisit, Tandem barbam & capillos candentium juglandum & nucum putaminibus amburi voluit. *Plutarch. Valer.* lib. 9. cap. 14. *Cicero* lib. 2. off. & 5. Tuscul. quæst.

§. 3. Quæritur (1) *An audacia cum fortitudine consistat?*

Resp. Vulgus sæpe audaciam cum fortitudine confundit, & nomina permutat; quando fortem appellat audacem, & audacem, vice versa, fortem. Aliter sentiunt & loquuntur sapientes. Est enim fortitudo virtus & viri prudentis: audacia vitium viri imprudentis: unde Græcus comicus.

ἔστι τὸ τολμᾶν, ὦ φίλ᾽, ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

Audacia non est viri sapientis.

Rationem contemnit audacia, fortitudo in consilium adhibet & sequitur. Unde non magis cum fortitudine consistit audacia, quam cum ratione insania.

Confusio & error vulgi inde oritur, quod circa pericula magna versatur audacia & fortitudo, eaque aggreditur fortis & audax. Neque satis distinctionem hanc attendunt Poëtæ græci vel Latini.

§. 4. *At enim*, inquit, *Audentes fortuna juvat.*

Resp. *Audere* in vitio quando ponitur (nam & fortes interdum

dum dicuntur audere) quandoque prosperum successum habet comitem per accidens: qui occasioni & fortunæ potius est adscribendus, quam audaciæ.

§. 5. Quæritur (2) *Ad utrum extremorum, audaciam, an timiditatem, propius accedat fortitudo?*

Resp. Ad *audaciam*: quia magna aggredi pericula est fortitudinis; quod cum audacia commune habet: ea autem fugere, timiditatis: magis autem gloriosum est forti pericula aggredi, quam fugere: etsi interdum sine ignominia fugit.

CAPUT XIV.

DE PATIENTIA.

THESIS I.

PATIENTIA *est fortitudo, per quam magno & invicto animo adversa quæq; toleramus.*

Ἔκθεσις.

§. 1. CONCINNA quoque est *Augustini* definitio, de patientia cap. 2. Patientia est *virtus, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.*

Patientiæ exercitium insigne est in *adversis*, in *exilio*, in *paupertate*, in *doloribus*, in *parentum, liberorum & cognatorum morte*, in *contumeliis*, in *impiorum persecutionibus*: quæ totidem sunt patientiæ *objecta*, in quibus ea sunt potissimum, quæ *præter meritum* nobis accidunt. Patientiæ *objecta* alii latius diducunt, unoque nomine *afflictiones* appellant: quarum species sunt morbi & dolores, quibus quasi virgis initiamur ad mortis sacra: solicitudines, ægrimoniæ, mœrores, pavores, paupertas, contemtus, fames, sitis, æstus, frigus, habitatio incommoda, nuditas, conjugium infelix, lues, tyrannis, bellum, incendia, annonæ caritas, oppressio egenorum, exactiones & contributiones, vastationes, hospitia militum, calumniæ, exprobationes, persecutiones, exilia, exprobrationes variæ, verborum injuriæ &c. His omnibus ferendis & superandis se occupat patientia, tandemque de omnibus triumphat: quod qua fiat ratione vide apud *Drexelium* in Gymnasio patientiæ.

Nostrum est, inquit Plutarchus, *quæ non in nobis, ferre, & alto animo excipere omnem casum.* Spectat huc vet. Jamb.

Ledi & silere, summa est fortitudinis.

§. 2. Adversa & afflictiones in genere ferenda ob sequentes *rationes.*

(1) Quia *optimum est pati, quod emendare non possis* & Deum, quo autore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari. *Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Seneca* epist. 107. Religiosa est *Cleanthis* sententia, quam latine reddidit idem:

Duc me parens, celsique dominator poli
Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
Assum impiger: fac nolle, comitabor gemens:
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt;
Malusq; patiar, quod pati licuit bono.

(2) Quia *virtutis sunt occasio.* Idem

(3) Quia *nihil infelicius est eo, cui nihil unquam adversi eveniat.* Seneca.

(4) Quia *honestum ei vile est, cui corpus est nimis charum*, Sen.

Multi sunt autores in commendanda adversorum tolerantia: vid. *Plutarch.* in consolat. ad Apollon. *Epict.* lib. 1. diss. cap. 12. *Seneca* epist. 13. & lib. de provid. *Cur bonis viris mala accidant.* *Cicero* lib. 5. epist. 21. *Plaut.* in Pseud. act. 1. sc. 5. *Lipsi.* cent 1. ad Belg. epist. 5. & cent. 3. miscell. ep. 93. & libris duobus de constantia.

(5) Ingentia afflictionum toleratarum sunt commoda. Docet enim afflictio fortitudinem & fidelitatem. Docet commiserationem & abstinentiam: Docet orationem & carnis mortificationem: Docet prudentiam & modestiam: de quibus vide *Drexelium* in Gymnas. patient. part. 2. cap. 1. 2. 3. 4. Modo feratur patienter, hilariter, constanter, præmediate, cum gratiarum actione & conformatione humanæ voluntatis cum divina: de quib. part. 3. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

(6) Quia lætior tandem afflictiones sequi solet exitus, qui spe bona apprehendendus.

--- *Non si male nunc & olim*
Sic erit: Horat.
Fidere Batte, decet, melius cras forsan habebit.
Sperandum est vivis: non est spes ulla sepultis,
Nunc pluit, & claro nunc Juppiter æthere fulget Theoc.
Durate & vosmet rebus servate secundis. Virgil.

Exilium

§. 3. *Exilium* ferendum esse ob *rationes* & *exempla*, *rationes* sunt.

(1) Quia *Exilium tantum est loci commutatio, quæ acerbi nihil adfert! nullaque est urbs ubi magnam partem peregrinæ multitudinis non invenias. Seneca* in consol. ad Helviam Hinc & Ovidius.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Cui simile illud *Cypriani*, quod ante martyrium protulit: *Exul non est qui Deum in mente habet, cujus est terra.*

(2) Quia *plurima in exilio est libertas, quæ domestica servituti est anteponenda.* Cicero.

(3) Quia etiam in exilio mors gloriosa esse potest, si perpetuam ejus memoriam posteris relinquamus, ut *Thucidides*, qui scripsit in exilio bellum *Peloponnesiacum*: *Xenophon*, qui historiam *græcam* composuit: *Ovidius*, qui tristes elegos cecinit.

(4) Quia *exilium non est supplicium, sed perfugium & portus*: *Cicero.* Quamvis interim exilii mala valde exaggerent alii. Vid. *Euripid.* in *Phœnissis.* Τί τὸ στέρεσθαι πατρίδος ἢ κακὸν μέγα; μέγιστον, ἔργῳ δ' ἐστὶ μεῖζον, ἢ λόγῳ &c.

§. 4. *Exempla*; Nobilissimi quique Philosophi, qui ætates suas in exilio consumserunt: *Cicero.* Et sapientissimorum olim paucissimi in patria funerati inveniuntur. *Plutarchus.* Quanto in exilium animo ierit C. *Marcius* apud *Halicarnass.* vide lib. 7. p. 472. In exilium olim innocentes missi nihilo se infeliciores reputarunt apud *Græcos* & *Romanos* viri maximi, hinc *Camillus* haud gravatim *Ardeæ* habitavit.

Scipio absque molestia *Literni* vitam exegit. *Armius* & *Solon* consulto decennium à patria abfuerunt: *Aristidis* & *Themistoclis* gloria in exilio est aucta. *Dion. Cass* lib. 38.

§. 5. *Paupertas* ferenda ob has *rationes.*

(1) Quia, *si vacare vis animo, aut pauper sis oportet aut pauperi similis.* Seneca.

(2) Quia *secura & expedita paupertas, cum classicum cecinit, non se peti putat: cum aliqua conclamatio, quomodo exeat, non quid efferat, videt.* Seneca.

(3) Quia *divitias parasse multis non finis miseriæ fuit sed mutatio.* Epicurus.

(4) Quia *olim vernacula Philosophiæ fuit. Apuleius* in Apolog. Eandem *Philosophiæ, omnisque artis ac scientiæ parentem* appellat *Isidor. Pelus.* lib. 2. epist. 168.

Digna sunt observatu *Apuleis* verba in *paupertatis* laudem

facta Apolog. 1. *Paupertas olim Philosophiæ vernacula est, frugi, sobria, parvo potens, æmula laudis, adversum divitias possessa, habitu secura, cultu simplex, consilio benesuada. Neminem unquam superbia inflavit, neminem impotentia depravavit, neminem tyrannide efferavit: delicias ventris & inguinum neque vult ullas, neque potest. Quippe hæc & alia flagitia divitiarum alumni solent, &c. Quemcunque in aliqua laude miramur, eum paupertas ab incunabulis nutricata est. Paupertas, inquam, prisca apud secula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem est enim paupertas apud Græcos in Aristide justa, in Phocione benigna, in* Epaminonda *strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta. Eadem paupertas etiam populo Romano imperium à primordio fundavit* &c.

(5) *Quia jucunditas victus in desiderio est, non in satietate.* Cicero.

(6) *Quia paupertas nulli malum est, nisi repugnanti.* Seneca, epist. 123. *Nulli hominum probro est, nisi probroso.* Basil in hexaëm. vide plura apud *Drexel.* in Gymnas. patient. part. 1. cap. 4. §. 3.

§. 6. *Dolores* ferendi his *rationibus.*

(1) Ob communis quasi legis & humanæ conditionis recordationem, Cicero.

(2) Quia infirmitas gravis sobriam facit animam: Ecclesiast. cap. 31. Divina dispensatione agitur ut prolixiora vitia ægritudo prolixior exurat.

Quia nihil in vita nobis præstandum præter culpam, eaque cum caremus, omnia humana placatè & moderatè feramus, Cicero.

Ad dolorum patientiam pertinet quoque laborum; frigoris, æstus & similium *tolerantia*: ad quam in legibus suis *Plato* adhortatur. *Consuescere*, inquit, *debemus a cibo & potu abstinere, frigus æstumque & cubilis duritiem pati, & inprimis pedum capitisque virtutem alienis tegumentis non corrumpere, nec pileorũ calceorumque à generatione datorum naturam perdere.* Laudat heîc *Lacedæmonios*, qui nudis in hyeme pedibus, nudo etiam reliquo corpore, sine ministris, die nocteque per omnem regionem solebant errare.

§. 7. Parentum, liberorum & cognatorum obitus ferendus propter *rationes* & *exempla. Rationes.*

(1) Quia *non graviter ferendi casus, quos nullo consilio mutare possumus. Plutarch.* Quam in sententiam graviter *Seneca*

neca de consol. ad *Polyb. Diutius accusare fata possumus. Stant dura & inexorabilia, nemo illa convitio, nemo fletu, causa movet: nihil unquam parcunt ulli, nec remittunt. Proinde parcamus lacrymis nihil proficientibus.*

(2) Quia *maximi luctus vetustate tolluntur: Igitur consilio præripiantur*, Cic. Et *turpe est rationi, non posse impetrare, quod impetratura est dies. Julian.* Epist. 37. *Quod tempori eras tributurus, id rationi ac doctrinæ deferes.* Plutarch.

(3) Quia *cito eo perventuri sumus, quo alios pervenisse mæremus.* Seneca.

(4) Quia *defunctus torqueri te aut non vult, aut non intelligit: nulla itaque ejus officii ratio est, quod ei, cui præstatur, si nihil sentit, supervacaneum est: si sentit, ingratum*: Seneca. Unde *Stesichorus* apud Stob. ἀτελέςατα ϗ ἄχαρα τὺς θανόντας κλαίειν: *Lugere mortuos res est carens effectu, & inops consilii.*

(5) Quia lugendo nihil proficitur. Quamvis *Solonem*, cum lacrymaretur & lugeret defunctum filium, diceretúrque à quodam: *At nihil proficis*: respondisse ferant: *At propter hoc ipsum illacrymor, quia nihil proficio.* Laert.

(6) Quia luctui non temperare alienum est à dignitate sexus virilis: Unde, qui *Lyciis* leges posuit, civibus mandavit, ut in luctu veste uterentur muliebri: quo significare voluit, rem illam esse muliebrem neque satis convenire moderatis & liberali doctrinæ deditis viris: *Plutarch.*

(7) Quia luctus aut bonum aut malum est: Si bonum, ampliandus, quod sanæ mentis nemo dixerit, aut fecerit. Si malum comprimendus & minuendus.

(8) Luctum aut finire constituimus, aut per omnem vitam continuare. Posterius nemo dixerit aut fecerit, nisi qui se ipsum oderit & perditum iverit. Prius si certum, cur non hac nos molestia cito liberamus?

(9) Quia alios ipsi quoque ab immodico luctu dehortamur. Unde rationes nostras ipsi contemnimus, si iis ipsi non movemur.

§. 8. *Exempla* insignia sunt.

1. *Mauritius* Imperator, qui cum conjugem & liberos coram oculis trucidatos videret, fortiter exclamavit:

Justus es Domine, & recta judicia tua.

Mater apud *Machabæos*, quæ septem filios immanissime ab *Antiocho* ad mortem excruciatos fortissimo & constantissimo adspexit animo, ad unum omnes consolata his verbis: *Mater equidem sum vestra & vos genui, spiritum vero vitamque vobis*

non dedi, nec membra vestra formavi! Is igitur, qui mundum omnesque creavit, spiritum vobis & vitam, quam pro lege ejus profunditis, clementer restituet. 2. Maccab. 7.

§. 9. *Contumeliæ* ferendæ.

(1) Quia *contumeliarum patientia ingens est instrumentum ad tutelam regni.* Senec. Unde *Alexander Magnus* inquit; *Regium esse, cum bene feceris male audire.*

(2) Quia οὐδὲν οὕτως αἰδεσίμους ποιεῖ, ὡς ὑβριζομένους φέρειν: *Nihil reddit tam venerabiles, quam injuriam facientes patienter ferre.* Chrysostomus: Pulchrè *Plinius* lib. 7. cap. 29. *Nulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur.* Fuere in calumniis ferendis patientissimi *Pericles*, Atheniensium princeps, *Aristides*, *Antoninus Pius*, Imperator, *Carolus Magnus*, Imperator, *Alphonsus*, Rex Neapolitanorum. Ex Philosophis *Solon*, *Diogenes*, *Plato*, *Demosthenes*; qui convitiis à quodam lacessitus, *nolim*, inquit, *tecum in hoc genus certaminis descendere, in quo, qui vincitur, melior est victore.* *Phocion*, cum ad mortem duceretur, filio nunciari jussit: *Se per omnes obtestari Deos, ne unquam hujus injuriæ velit meminisse.* Plutarch. *Alcibiades* intemperiem *Xantippæ* in *Socratem* demiratus *Socratem* interrogavit: *quæ nam ratio esset, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret.* *Quoniam*, inquit Socrates, *quum illam domi talem perpetior, insuesco & exerceor, ut cæterorum quoque foris petulantiam & injuriam facilius feram.* *Gell.* l. 1. c. 17.

§. 10. *Contributiones* quoque, & *exactiones militares* quæ maxime modo *Germaniam* fatigant, patienter ferendæ, iisdem argumentis quibus paupertas & persecutiones: plerunque iis ad mactationem impius se miles saginat. Multa nos hactenus specimina vidimus. Quem pauperum hausere sanguinem ab annis jam viginti, quam copiose reddidere multi! oculum & dexteram vindicem adhuc Deus habet. Quot viduarum & orphanorum adversus hos in aëre stant suspiria! Interim res nova non agitur. Ex veteri *Romano* Imperio in hodiernum mos transiit.

Olim sub *Romano* imperio omnes provinciæ fructuum ex agro pascuo *quintam* quotannis persolverunt: *decimam* ex agro arvo. Novem decemq; annorum tributa *Antonius* & *Cæsar* in annum exegerunt: *Julio Cæsare* interfecto, cum arma sumerentur pro libertate, singuli cives *vigesimam quintam* omnium bonorum dependere cogebantur. *Senatorii ordinis* omnes in singulas ædium suarum tegulas sex asses conferre jussi sunt: *Octavianus* Cæsar *Octavam* omnium bonorum partem à libertis exegit & acce-

& accepit. Omnes tamen exactiones & rapinas superarunt *Romanorum* coloniæ: quibus uno quasi momento provinciales subditi omnibus suis bonis & fortunis exuti, deserta patria agrisque & tectis, in exilium migrare sunt coacti: quamvis nil ausi vel meriti essent. Et hoc malum experti hodie sunt multi.

§. 11. Denique *persecutiones improborum* patienter ferendæ.

Quia multa nos justè patimur, quæ alii injuste faciunt.

§. 12. Ad *patientiam* in genere nos adhortantur veterum quorundam dicta, ut *Epicteti*: ἀνέχου καὶ ἀπέχου: *sustine* & *abstine*: Leide und Meide. *Euripidis*: οἰστέον καὶ ἐλπιστέον: *ferendum & sperandum.* Nec non πολυθρύλλητον illud: φέρε καὶ φέρου. item, στέργε παρόντα: *Præsentibus acquiesce. Æquus animus*, inquit *Plaut.* in Cratyl. *optimum est ærumnæ condimentum*: Idem in Pseudol. *Bonus animus in re mala est dimidium mali.* Publius Mimus: *Cujusque doloris remedium est patientia* & Horat. lib. 1. od. 24.

Durum: sed levius fit patientia,
Quicquid corrigere est nefas.

Virgil. *Superanda omnis fortuna ferendo est.*

Tandem *Stigelius.*

Sis asinus, quemcunque asinum sors aspera fecit:
Qui placide sortem ferre scit, ille sapit.

Insigniter patientiam commendat nobis Tertullianus. *Omnia Dei placita patientia placide tuetur: omnibus ejus mandatis intervenit, fidem munit: pacem gubernat: dilectionem adjuvat: humilitatem instruit: Pœnitentiam exspectat: carnem regit: Spiritum servat: linguam frænat: manum continet: tentationes conculcat: scandala pellit. Martyrium consummat: pauperem consolatur: divitem temperat: infirmum non extendit: valentem non consumit: fidelem delectat: gentilem invitat: Servum Domino, Dominum Deo commendat: fœminam exornat: virum approbat.* Injuriarum cœli hominumque nemo patientior inter gentiles, quàm *Socrates*: vide *Plutarchum* in conviv. eleganibus verbis *Socraticam patientiam* describit *Gellius* libro 2. cap. 1. *Inter labores voluntarios & exercitia corporis, ad fortuitas patientiæ vices firmamentum id quoque accepimus Socratem facere insuevisse. Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu, perdius atque pernox à summo lucis ortu ad solem alterum orientem, inconnivens immobilis, iisdem in vestigiis & ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus, tanquam quodam secessu mentis atque animi facto à corpore.*

 Adfu-

Ad futuram patientiam animum mature præparandum monet & modum præscribit. *Demipho Terentianus*, in Phorm. Act. 2. sc. 1.

Omnes inquit, *cum secundæ res sunt maximè, tum maximè*
Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia peregre rediens semper cogitet:
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ.
Communia esse hæc, fieri posse, ut ne quid animo sit novum.
Quicquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

Similis est *Thesei* apud *Euripidem* sententia.

--- *Qui hæc audita à docto meminissem viro,*
Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exilii mæstam fugam.
Aut semper aliquam molem meditabar mali:
Aut si qua invecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

§. 13. Ad *patientiam* quoque pertinet *constantia* in specie sic dicta, (in genere enim dicta constantia communis omnium virtutum est affectio: Unde virtus supra definita: *constans animi propositum* &c.) qua quis à veritate & honestate nec promissionibus, nec minis, nec spe, nec metu, nec præmiis, nec pœnis se abduci patitur: De qua pulchre *Horatius*. lib. 3. carm. od. 3.

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida; neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ:
Non fulminantis magna Jovis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Constantiam *Latini* ita describit *Virgilius*, lib. 7. Æneid.

--- *velut pelagi rupes immota resistit:*
Ut Pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ se se multis circum latrantibus undis
Mole tenet, scopuli nec quicquam & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

§. 14. Affinis quoque huic virtuti *sedulitas*, *diligentia*, *assiduitas*, qua labores & vacationis nostræ opera constanter exequimur.

Ad labores nos exhortantur & invitant:

(1) *Natura*. Ut enim *ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis: sic homo duas ob res, intelligendum & agendum,*

gendum, *natus est*, *quasi mortalis Deus*: Cic. lib. 2. de Fin. *Generosos animos*, inquit Seneca ep. 31. *labor nutrit*. Adhortatur autem ad laborem nos *Natura*, exemplis *corporum cœlestium*, quæ in perpetuo sunt occupata motus sui labore. *Apicularum*, de quib. Virgil. 1. Æneid. *Formicarum*, de quibus Proverb. 6. v. 6. Horat. lib. 1. Sat. 1.

Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit, quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara & non incauta futuri:
Quæ simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit & illis utitur ante
Quæsitus patiens.

§. 15. (2) *Leges divinæ*, Gen. 3. v. 19. 1. Thess. 3. v. 10. & *humanæ*. Hinc *Amasis*, Ægypti Rex, morte multari jussit, qui legitimo labore victum sibi non pararent. *Herodot.* lib. 2. quam *Solon* quoque *Atheniensibus* legem tulit, *Plutarch.* in *Solon.* Eadem & *Draconis* fuit lex. *Sardoa* lex ignavis pœnas constituit, & totius vitæ laborumque rationem reddere omnes jussit: Sic *Romæ* quoque censores hoc agebant, ne quis otiosus aberraret.

§. 16. (3) *Utilitas maxima*: Siquidem *omnia bona nobis Dii labore vendunt*: ut *Græcorum* habet sententia: de qua *Erasmus*, Chil. 2. cent. 2. Prov. 53. & labor vincere dicitur omnia, *Virgil.* lib. 1. Georg. *Laërt.* in Periand. Neque sine labore homini obtingit beatitudo. Sophocl. in Elect.

In specie vero laboribus parantur.

1. Bona animi *Castitas*. Unde Ovid.

--- Finem qui quæris amoris,
Cedit amor rebus, res age, tutus eris. Item
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemtæque jacent & sine luce faces.

Eruditio Horat. in Art.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit.

Quo sensu *Aristoteles* dixit: *Artium radices esse amaras, sed fructum dulcissimum.*

Tranquillitas animi & lætitia.

Hinc *Menander*: *Quam dulce est sapientibus, meminisse laborum.* Et Cic. lib. de Finib. *Jucundi sunt acti labores*: vide & Senecam, epist. 21.

2. *Bona corporis*; ut *robur* & *bona valetudo*.

§. 17. *Xenophon.* lib. 1. *παιδ. Cyri*, ait *Persarum* pueros moderatis laboribus temperamentum adeptos tam salubre, ut nec

exspuerent, nec sudores emitterent. Et *Diogenes* scribit, *Medeam* fuisse sapientem, non veneficam, quod effœminata & mollia suorum civium corpora ita laboribus firmaverit, ut robustissimi evaderent.

§. 18. 3. *Bona fortunæ.* In quibus *divitiæ* Prov. 10. v. 4. *Manus sedulorum ditat ipsos.* Apud *Romanos* olim *Furius Cresinus* cum ex admodum parvo agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, invidia cœperat magna laborare, quasi alienas fruges veneficiis pelliceret. Unde à *Spurio Albino*, Curruli dies ipsi dictus. Metuens ergo damnationem cum in suffragium tribus cogeretur ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos: postea dixit: *Veneficia mea Quirites, hæc sunt: nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliasque & sudores.* Ita omnium sententiis est absolutus: evicitque opera, non impensa, culturrum constare. *Plin.* hist. nat. lib. 18. cap. 6. Ideo addit, *majores fertilissimum in agro oculum Domini esse dixerunt.* Pertinet huc quoque vetus illud,

--- *Laudato ingentia rura:*
Exiguum colito.

§. 19. Indefessæ sedulitatis *exempla* habemus insignia.

In *Apelle*: Qui nullum sibi elabi diem passus est, quin aliquid faceret operis, & ad minimum lineam unam duceret *Plin.* lib. 38. cap. 10.

In *Catone:* quem poenituit, si diem otio perdidisset: *Plut.* in *Caton.*

In *Demosthene:* de quo *Plutarch.* in ejus vita: *Valer. Max.* lib. 8. c. 7. *Cic.* l. 4. Tusc. quæst.

In *Solone:* qui quotidie aliquid discentem se senescere ajebat.

In *Socrate*: qui etiam senex fidibus canere didicit, & cur id faceret sciscitantibus, *Solonis* illud respondit, ὀψιμαθὴς, quam ἀμαθὴς esse malo: *Val. Max.* lib. 8. cap. 7. *Cic.* de senect.

In *Aristotele*: qui etiam dormiens Sphæram manu tenebat, subjecto lebete æneo: quæ per somnum elapsa dormientem tinnitu suo excitaret. *Laërt.* in vita *Aristot.*

In *Rege Persarum*: qui puerum habuit cubicularium qui mane thalamum ingressus regem hisce verbis excitavit: *surge rex & cura negotia, quæ te Oromasdes curare jubet*: Plutarch.

In

In *Carolo M.* qui noctu pugillares capiti subjecit, ut annotare posset, si quid Reipub. usui futurum in mentem veniret. ***Avent.*** lib. 4. Annal. Boior.

In *Vespasiano*: qui à medicis reprehensus, quod dysenteria cum laboraret, Imperatoria nihilominus munera obiret; respondit: *Imperatorem stantem oportet mori.* ***Sueton.***

§. 20. Diligentiæ opponitur ***ignavia*** & ***otium***, quod passim à scriptoribus traducitur: est enim ***omnium vitiorum mater & Diaboli pulvinar.*** Quamvis apud *Thraces* olim honestissimum fuerit otium agere, contemtissimum agros colere, pulcherrimum è rapto vivere *Herodot.* lib. 4.

§. 21. Diligentiæ & assiduitati in defectu opponitur ***ignavia***, in excessu *Curiositas*, seu ***πολυπραγμοσύνη***, quæ tamen sæpe cum ***ignavia*** quoque conjuncta est & sic utrique extremo submitti potest. ***Ignaviæ*** pessimi sunt fructus. (1) Mater est omnium vitiorum, & puluinar Satanæ. (2) Menti caliginem offundit. (3) Corpus affligit. (4) Libidines accendit. (5) In contemtum adducit. (6) Paupertatem accersit. (7) Respublicas evertit. Fidem omnibus faciunt exempla ubivis obvia.

Magnum est malum ***πολυπραγμοσύνη***, seu ***curiositas***, quæ aliena curat, sua negligit. De hoc vitio libellum scripsit ***Plutarchus***, ubi quamvis angustius, curiositatem definit ***φιλομαθίαν ἀλλοτρίων κακῶν.*** *Curiosus nemo est*, inquit Plautus, ***qui non sit malevolus.*** Euclides sciscitanti, ***quales Dii essent, & qua re potissimum gauderent?*** Respondit: ***Cætera quidem ignoro: sed curiosos illis odio esse probe scio.*** Undique curiosi venantur nova. Hinc ***Locrenses*** peregre venientem & aliquid novi quærentem multarunt.

Digni sunt curiosi sciscitatores, qui cum rubore dimittantur. Unde *Diogenes* cuidam de rebus divinis multa garrienti, ***quam nuper***, inquit, ***de cœlo venisti?*** Socrates roganti, ***quid apud inferos ageretur?*** respondit: ***Ego nunquam ad inferos descendi, nec cum ullo, qui ab illis redierit, locutus sum.*** Ita curiosum quoque dimisit ***Euclides.***

Antigonus Rex cum castra perambularet & ad ***Athenagoræ*** poëtæ, tabernaculum venisset, congrumque ab ipso coqui vidisset: ***Putas***, inquit, ***Athenagora***, ***Homerum***, ***cum iliada scriberet, congrum decoxisse?*** cui Poëta: ***Num quid & tu, Rex, arbitraris Agamemnonem, cum ea gereret, quæ ab Homero descripta sunt, castra perambulasse quærentem, singuli quid coquerent:*** Plutar.

Constantius Cæsar in consessu Episcoporum cum de constituenda Ecclesia prolixe dissereret, reliquis effuse imperatorem, ut fieri

ut fieri solet, laudantibus, surrexit tandem *Leontius*, *Tripolitanus* Episcopus, & *Miror*, inquit, *qui fiat*, *quod aliis curandis destinatus alia tractes*. Suidas.

In vitio quoque ponitur *nimia diligentia*, qua quis nunquam sibi satisfacit de qua observandum illud *Plinii*, lib. 18. cap. 6. *Ut nihil magis expedit*, *quam agrum optime colere*, *ita sæpe incommodissimum est*, *nimis esse in opere diligentem*.

Invenias hodie quoque doctos viros, qui in scriptis suis elaborandis nunquam sibi satisfaciunt, & limandis iis ad vitæ finem usque malunt incumbere: quam vivi aliis prodesse. Cujusmodi olim quoque erat *Protogenes* pictor, de quo Appelles *omnia ajebat sibi cum Protogene esse paria*, *aut illi etiam meliora. Uno se præstare*, *quod Protogenes manum de tabula non posset tollere*. Plin. optarim ego illis premi libris, quos forsan & ipsi sibi exoptant, pretiosos emtores, quales olim contigerunt *Isocrati*, qui unicam orationem viginti talentis vendidit, & aliis nonnullis, de quibus suo loco.

Quæritur (1) An *patientia* sit virtus?

Resp. Affirmativa defenditur sequentibus argumentis.

(1) Quia virtutis ei competit definitio. Est enim & patientia constans animi propositum vivendi secundum legem, hoc est, id faciendi quod lex præcipit. Præcipit autem lex adversa patienter ferre: Threnor. 3. v. 26. 27. &c. Ecclesiast. 2. v. 4. Matth. 5. v. 39. Luc. 21. v. 19. 1. Thessal. 5. v. 14. Heb. 6. v. 12. & 10. v. 36. Jacob. 5. v. 7. 8. Passim quoque scriptura patientiam & longanimitatem Dei prædicat. Genes. 6. v. 3. Num. 14. v. 18. Psalm. 86. v. 15. & 103. v. 8. Rom. 2. v. 4. & 9. v. 22. Hinc *Augustinus* in lib. de patientia. *Virtus animi*, *quæ patientia dicitur*, *tam magnum Dei donum est*, *uti etiam ipsius*, *qui nobis eam largitur*, *patientia prædicetur*.

(2) Quia fortitudinis est species, quam & partem ejus nonnulli appellant: Hinc *Seneca* epist. 67. *Cum aliquis tormenta fortiter patitur*, *omnibus virtutibus utitur fortasse*, *cum una in promtu sit*, *& maxime appareat patientia. Cæterum illic est fortitudo*, *cujus patientia & perpessio & tolerantia rami sunt. Illic est prudentia*, *sine qua nullum initur consilium*, *quæ suadet*, quod effugere non potes, fortissime ferre: *illic est constantia quæ dejici loco non potest*, *& propositum nulla vi extorquente dimittit*: *illic est individuus ille comitatus virtutum*.

(3) Quia rationis bonum conservat contra impetum tristitiæ. Atqui virtutes morales ordinantur ad bonum rationis conservandum contra impetum passionum. Est autem cum adversis conjuncta

juncta tristitia cui legem modumque dictat patientia: veluti impatientia habenas ei laxat, & per eam hominem quoque occidit, Ecclesiast. 30. v. 24.

§. 22. Pro negativa objicitur:

(1) *Virtutes in altera vita sunt perfectissimæ*, inquit *Augustinus*, lib. 14. de Trinit. cap. 9. *Patientia non erit in altera vita: Ergo virtus non est.* Assumtio prob. *Quia objectum patientiæ sunt res adversæ tristitiam excitantes, quibus in altera & meliore vita non erit locus, ut nec tristitiæ.*

Resp. *Propositio* non est universaliter vera. Quando ne theologicis quidem virtutibus omnibus κατ' ἐξοχὴν ita dictis in altera vita locus erit: quando & *fides* & *spes* cessabit in perfectissima & præstantissima omnium bonorum fruitione: quo nomine fide & spe major esse dicitur *charitas* in omnem duratura æternitatem: 1. Cor. 13. vers. ult. Hinc ipse *Augustinus* de civit Dei lib. 14. cap. 9. *In patria*, inquit, *non erit patientia, quæ necessaria non est, nisi ubi toleranda sunt mala: sed æternum erit id, quo per patientiam pervenitur.* Sic & plures aliæ virtutes morales in altera cessabunt vita, quibus non erit opus: cujusmodi *liberalitas*, qua egenis succurritur: *fortitudo*, qua mortis pericula aggredimur: *Justitia* in contractibus: *temperantia* circa cibum & potum &c.

§. 23. (2) *Nulla virtus in malis reperitur: At patientia in malis quoque & improbis reperitur. Ergo virtus non est.* Propositio *extra controversiam est: quia virtus bonum & probum facit, penes quem est.* Assumtio prob. *Quia, exempli gratia, in avaris quoque patientia est: qui in acquirendis & conservandis fortunæ bonis multa patienter tolerant:* Ecclesiast. 5. 16. 17.

Resp. *Assumtio* negatur, una cum probatione: Illa avarorum tolerantia non est proprie dicta patientia, de qua hoc loco agimus & quam fortitudinis speciem constituimus, sed est obfirmatio quædam in malo ad malum: Unde pulchre *Augustinus*, *Patientes proprie dicuntur, qui malunt mala non committendo ferre, quam non ferendo committere. In illis enim, qui mala sustinent, ut mala faciant, nec miranda nec laudanda est patientia quæ nulla est: sed miranda duritia & neganda patientia.*

§. 24. *A virtute est actio virtuosa: à Patientia non est actio: Ergo patientia non est virtus.* Assumtio prob. *Quia à patientia est: neque pati mala est agere.*

Resp. *Assumtio* simpliciter non est vera: uti nec *probatio*: Passio non tam est à patientia, quam ab objectis patientiæ, à quibus patimur: per patientiam vero passiones ab adversis & malis impressas fortiter & constanter ferimus non sine animi actione,

quam

quam per hanc exerit virtutem. Hoc enim veluti fræno animus coërcet affectum & appetitum intra limites à lege præscriptos & definitos continet: hoc clypeo tela impatientiam impressura elidit.

Quæritur (2) *An patientia sit species fortitudinis?*

Resp. *Affirmativam* cum autore amplectimur. Ubi tamen observandum aliquando latius hoc loco accipi fortitudinem, quam alias in scriptis *peripateticorum.* Nonnulli adæquatum fortitudinis objectum faciunt mortem & pericula bellica formidabilia, quæ aggredi iisque se objicere honestatis causa fortitudinis esse docent: alii latius extendentes fortitudinis actus, circa omnia eam mala & adversa difficilia atque ardua occupari affirmant: quæ & nobis sententia arridet: indeque duas fortitudinis species constitui arbitramur: quarum una cum ratione, metu excluso, aggreditur ardua & difficilia, eaque à se vel patria amoliri studet fortiter agendo: quæ in specie *magnanimitas* appellatur: altera incumbentibus dolorificis malis, arduis & difficilibus, quæ honeste declinari non possunt se submittit fortiter tolerando: quæ in specie *patientia* nominatur. Illa igitur constans est propositum mala futura, cum ratione, non obstante mortis periculo, aggrediendi & amovendi: hæc propositum constans mala præsentia quæ honeste declinari non possunt, infracto animo tolerandi.

Aliis *patientiam* appellare libet partem fortitudinis potentialem cum *Cicerone* lib. 2. de Invent: Ubi *Thomas* notat, appellari patientiam fortitudinis partem, quia adjungitur fortitudini sicut virtus secundaria principali: quo sensu improprie pars fortitudinis appellaretur, uti species quandoque pars generis & genus solum. Nos cum fortitudine conjunctam esse patientiam non diffitemur; decet enim fortem fortia & facere & pati, quod de Romanis olim usurpatum: Interim rectius speciem, quam partem fortitudinis appellari arbitramur. Est enim & patientia fortitudo: quæ si pars esset fortitudinis, appellari proprie fortitudo non posset: quia totum de parte in casu recto non affirmatur: pes vel caput non est corpus humanum.

§. 25. Pro negativa objicitur:

(1) ***Fortitudo pertinet ad facultatem irascibilem patientia ad concupiscibilem**: **Ergo patientia non est species fortitudinis**:* Antecedens prob. *Quia fortitudo est circa timorem & audaciam: quæ sunt facultatis irascibilis: patientia circa tristitiam, quæ est in concupiscibili*: Ratio consequentiæ: *Quia genus & species alicujus virtutis ad idem subjectum pertinet.*

Resp.

Resp. Nec *antecedens* est satis sanum, nec solida *consequentia*. Facultas irascibilis & concupiscibilis realiter non differunt: ut suo loco ostendimus. Neque si realiter distinguerentur, distinctionem generis & speciei everterent. Quid enim genus, respectu diversarum specierum, ad diversa referri subjecta possit? Patet hoc ex affectu & speciebus ejus.

§. 26. (2) *Fortitudinis actus proprius est sustinere mala, qui & patientia proprius est actus: Ergo non differunt, ut genus & species.* Antecedens patet: *quia utraque versatur circa mala fortititer sustinenda cum in bello, tum extra bellum: quod apud omnes est in confesso.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: aliter enim sustinere mala proprium est *fortitudinis* in genere, *patientia* in specie. *Fortitudo* indifferenter sustinet, quod proprium ejus censetur, respectu aliarum virtutum: *magnanimitas* & *patientia* diversi-mode ut paulo ante ostendimus: sustinet illa in aggressionis activæ continuatione & perseverantia: hæc in malorum præsentium & prementium constanti tolerantia.

II.

Patientia adversatur impatientia.

Ἔκθεσις.

DE *impatientia* ita scribit *Tertullianus*: *Natales impatientia in Diabolo deprehendo: Jam tunc, cum Dominus Deus universa opera, qua fecisset, imagini sua, id est, homini subjecisset, impatienter tulit.* Observetur illud *Seneca*: *Sicut onus ipsa jactatione incommodius fit: Ita dolor per impatientiam fit major.*

CAPUT

CAPUT XV.

De

TEMPERANTIA.

THESIS I.

HACTENUS de ſpecie prima probitatis ad nos ipſos relata, Fortitudine nimirum: *Sequitur altera, Temperantia: eſtque probitas, quæ certas voluptates moderatur.*

Ἔκθεσις.

TEMPERO, unde temperantia, *Grammaticis* à tempore dicitur: & proprie eſt rem ſuo tempore facio, nec nimis cito: quod prudentiæ eſt. Igitur voluptatibus qui utitur & fruitur ſuo tempore, ita ut nimis ſæpe, nimiſque diu non utatur (hoc enim eſt uti non ſuo tempore) recte appellatur temperans.

II.

Temperantiæ ſpecies duæ ſunt: Continentia & Parſimonia.

Ἔκθεσις.

§. 1. TEmperantiæ nomen *latiſſime* accipitur pro moderatione omnium actionum humanarum, quæ cum voluptate ſunt conjunctæ, nec non cum dolore: quo ſenſu non tam ſpecialis, quam univerſalis eſt virtus & vulgo inter *Cardinales* numeratur. *Strictius* vero accipitur pro moderatione voluptatum in objectis guſtus & tactus. *Strictiſſime* pro moderatione voluptatis in ſolo tactu: quam in ſpecie *caſtitatem* appellamus. *Autor* noſter nec tam late, nec tam ſtricte accipit: ſed medio quodam modo, ut patet è ſubjectis ejus ſpeciebus, *continentia* & *Parſimonia*: & ſpeciebus Continentiæ.

§. 2. *Peripatetici* ducem ſecuti *Ariſtotelem temperantiæ* partes conſtituunt triplices. (1) *integrantes*, quæ duæ ipſis ſunt, *Verecundia* & *honeſtas*. 2. *ſubjectas:* quæ ipſis numerantur quatuor, *abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, pudicitia*. 3. *Potentiales*, quæ decem numerantur: *Continentia, manſuetudo, clementia, modeſtia, humilitas, moderatio, eutrapelia, ornatus, ſimplicitas*. Vide *Connimbr.*

Connimbr. in lib. Eth. disp. 9. q. 3. Art. 1. 2. Magis arridet authoris nostri distributio; qui *temperantiam* tanquam genus, in subjectas species concinne distribuit: & has, tanquam genera subalterna in alias species.

§. 3. Dignitatem & excellentiam *temperantiæ* arguit nomen græcum *σωφροσύνη*; quod prudentiæ conservatricem notat, de sententia *Platonis* & *Aristotelis:* Atqui custodia & conservatio prudentiæ omnium est saluberrima. Arguit Dominium in voluptates, quæ ut intimæ sunt homini; ita vehementissimæ sunt, & hominem in fœdissimam servitutem facillime abstrahunt; & mox naturam totam inficiunt. Unde *Heraclitus* dixit: *Difficilius esse voluptati resistere, quam iracundiæ:* Et *Seneca: Fortiorem esse qui cupiditatem vincit, quam qui hostem superat.* Et *Salomon. Fortiorem esse expugnatorem animi, quam urbium.*

Arguunt encomia veterum. *Pythagoræ*, qui laudante *Platone*, *temperantiam omnibus in rebus optimam dixit*, *Orphei*, qui, *universum temperantia regi*, *cecinit*.

Menandri, cui *σωφροσύνη* appellatur *ταμεῖον ἀρετῆς*, hoc est, *penus virtutis*, apud *Stob.* Serm. 1. *Alcinoi*, qui ordinem & consonantiam animæ ad imperandum & obediendum appellavit. *Avicennæ*, qui animam temperatam elementis dominari & mira quadam virtute ad libitum movere scripsit.

III.

Continentia est temperantia, quæ voluptates & cupiditates corporis moderatur.

Ἔκθεσις.

§. 1. Quanta sit virtus temperantia (commune hoc nomen plerunque retinet *Continentia*) ex intemperantiæ, fœditate conspicitur, quæ cum arbor sit pessima non nisi fructus pessimos proferre potest, ideoque velut pestis, fugienda modis omnibus. Suadent hoc rationes ab effectis ejus petitæ.

(1) *Ab omnibus humanæ societatis officiis hominem excludit intemperantia.* Namque.

1. *Ducem* nemo quæsiverit, qui à gula, à potu, à rebus Venereis, à somno vincitur. *Xenophon.*

2. *Consiliarium* non admiserit intemperantem, nisi qui in cœno fontem quærere, aut de turbida aqua potum petere voluerit. *Ambrosius.* Hinc *Leotychidas*, quærenti cuidam, *cur pauco*

potu uterentur Spartani? respondit. *Ne alii de nobis consultent; sed nos pro aliis.* Plutarch. *Anima sicca sapientissima.* Heraclit. apud *Plutarch.*

3. *Ephorum* nemo constituerit intemperantem: Quis enim aut liberos erudiendos, aut filias virgiues custodiendas incontinenti tradiderit? *Xenophon.*

4. *Amicum* nullus optarit intemperantem: Qui enim à gula ac potus cupiditate, à lascivia, à somno vincitur, is neque sibi neque amico præstare potest, quod ex usu sit. *Xenophon.*

5. Denique etiam *servum* incontinentem nemo acceperit. *Xenophon.*

(2) *Libertate exuit.* Intemperantes enim pessimam servitutem serviunt, dum ea, quæ optima sunt, facere non possunt. *Xenoph. Agesilaus* cuidam ejus in vestitu & victu frugalitatem admiranti, *Hac*, inquit, *è semente vitæ libertatem metimus.* Plutarch.

(3) *Sapientiam fugat.* Intemperantia, inquit *Xenophon*, arcet ab hominibus sapientiam, studia honesta impedit.

(4) *In belluam transmutat hominem:* Nihil enim interest inter temperantem & brutum pecus, cum soli sapientes res optimas considerare possint. *Xenoph.*

(5) *In seipsam sævit intemperantia:* Etenim, *non ut avari, sic & intemperantes aliis quidem nocent, sibi verò ipsis prosunt: sed ut aliis detrimento afficiunt; Ita seipsos multo magis lædunt:* Xenophon.

§. 2. Quæritur (1) *In quâ animæ facultate constituta sit continentia?*

Resp. *Thomas* continentiam in voluntate collocat: cum sit quædam dispositio voluntati superaddita, per quam contra voluptates pugnat: quam sententiam procul omni dubio falsam esse *Piccolomineus* judicat. Unde iu eorum concedit sententiam; qui ad rationem pertinere eam & ex parte ad appetitum sensuum arbitrantur, Grad. 4. c. 1.

Nos *Thomæ* sententiam veritati consonam judicamus, quam de virtutis moralis subjecto in genere, propugnavimus supra, lib. 1. cap. 3. *θ.* 2. *i*x9. 2. *Thomæ* ratio, qua probat continentiam non esse in appetitu sensuum, vel in facultate concupiscibili, hæc est, 2. 2dæ. q. 155. art. 3. *Omnis virtus in aliquo subjecto existens facit illud differre à dispositione, quam habet, dum subjicitur opposito vitio. Sed concupiscibilis eodem modo se habet in eo, qui est continens, & in eo, qui est incontinens: quia in utroque prorumpit ad concupiscentias pravas,* teste Aristot. lib. 4. Eth. c. 9.

§. 3. *Pic-*

§. 3. *Piccolomineus Themam* hac oppugnat ratione: *voluntas ut habitu; ita & dispositione aliqua non eget vel ratione consultationis vel ratione perturbationis. Ergo voluntas subjectum habitus moralis non est.* Antecedens prob. *Non ratione consultationis & cognitionis: quia vis appetendi non consultat lib. 3. de an. t. 57. Non ratione perturbationis: Quia voluntas est appetitus mentis, expers perturbationum. Et si egeret dispositione, pari ratione in viro probo egeret habitu: cum dispositio sit via ad habitum.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est. Perturbationes ut intellectum; ita & voluntatem præcipue afficiunt. Unde habitu opus habet voluntas, quo tumultuantes affectus frænet & in ordinem redigat. Negamus igitur, appetitum rationalem, seu voluntatem, simpliciter expertem perturbationum esse. Est enim maxime obnoxia perturbationibus. Unde improbi plerunque pleno voluntatis consensu peccant & affectibus pravis toti se mancipant.

2. *Consequentia* quoque negatur. Si maxime nec consultationis, nec perturbationis, tamen executionis ratione opus haberet dispositione, qua intra limites contineret potentias inferiores, ne ab iis subjugaretur: cogitetur conflictus carnis & spiritus, de quo Rom. 7. Vir probus non est sine bona voluntatis dispositione.

§. 4. Quæritur (2) *An continentia sit virtus perfecta?*

Resp. Perfectam esse virtutem, patet: quia virtutis perfectæ ei competit definitio: est enim constans propositum vivendi secundum legem: vel, ut *Aristoteli* placet, ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα &c. virtutis proprie & principaliter sic dictæ hanc tradit definitionem *Keckermann. Habitus activus ex perpetuis actionibus honestus, voluptatem & appetitum hominis ad mediocritatem apte temperans ac componens pro bono civili consequendo.*

§. 5. *Peripatetici* virtutes quasdam morales imperfectas & *semivirtutes* tradunt, inter quas & continentiam referunt.

Semivirtutes *Piccolomineus* nominat vias, quibus ad virtutem ducimur, & dispositiones, per quas ad easdem paramur. Grad. 3. cap. 1.

Keckermannus virtutem imperfectam ait primo esse saltem passionem quandam, deinde ex passione levem aliquam impressionem & dispositionem voluntatis & affectuum, quæ subinde desinit in certis hominibus, & facile mutatur in contrarium. Unde subjungit distinctionem virtutis perfectæ & imperfectæ. Perfecta plene domat appetitum moralem: Imperfecta nondum ple-

 ne ha-

ne habet voluntatem & appetitum domitum. Perfecta præceptis & longa exercitatione acquiritur:

Imperfecta potius per naturam inest, aut leviusculo saltem usu possidetur, vel uno & altero exemplo aut imitatione imprimitur.

§. 6. Sic etiam quæstionem. *An continentia sit virtus?* decidit *Thomas*, 2. 2æ. q. 155. art. 1. *Nempe continentiam habere aliquid de ratione virtutis, in quantum ratio firmata est contra passiones, ne ab eis deducatur: non tamen attingere ad perfectam rationem virtutis moralis, secundum quam appetitus etiam sensitivus subditur rationi*, sic, *ut in eo non insurgant vehementes passiones rationi contrariæ.*

Quam in sententiam laudat *Aristotelem*, lib. 4. Eth. cap. ult. dicentem: *Continentiam non esse virtutem, sed mistam, quatenus aliquid habet de virtute, & in aliquo deficit à virtute.*

§. 7. Nos vero, his non obstantibus, continentiam, uti hoc loco accipitur, inter perfectas virtutes numeramus: quia non minus plene domat appetitum moralem, quam quævis alia perfecta: non minus præceptis & longa exercitatione acquiritur, quam quævis alia: neque minus continentiam in veteribus *heroibus* laudamus & admiramur, quam alias virtutes morales: neque facilius est compescere appetitum circa sobrietatis & castitatis, quam circa aliarum virtutum perfectarum objecta. Paulus, Gal. 5. v. 22. inter *fructus spiritus* non minus numerat *continentiam*, quam alias virtutes morales. Interim dari gradus continentiæ, per quos modo perfectior, modo imperfectior est, & passiones vehementes magis minusque comprimit, ultro largimur.

Sed commune hoc habet continentia cum omnibus aliis virtutibus moralibus: quas tamen propterea de gradu virtutum proprie dictarum nemo dejicit.

§. 8. *Piccolomineus*, Grad. 3. cap. 14. scribit, *tot esse semivirtutes, quot sunt virtutes: quia singulæ per gradus ad perfectionem suam tendunt.* Patimur tamen suo sensu abundare eos qui *continentiæ* vocem aliter accipiunt.

Neque aliter hoc loco continentiam à temperantia distinguimus, quam speciem à genere.

§. 9. Quæritur (3) *Quarum potissimum rerum habenda sit ratio in voluptatibus corporis ad mediocritatem redigendis?*

Resp. 1. *Honestatis*: ut non nisi licitas & temperantibus concessas expetas voluptates, iisque fruaris: impuras vero & Dei naturæque lege prohibitas averseris & execreris.

2. *Naturæ viriumque naturalium. Turpe enim est*, inquit Seneca,

ea, *non nosse stomachi sui mensuram*: Neque stomachi tantum, sed totius naturæ omniumque virium circa voluptates occupatarum. Has qui non attendunt, & in voluptatibus appetendis fruendisque aliorum promiscue exempla imitantur, & ferre se posse credunt, quicquid alii possunt, naturæ vim faciunt, & tandem plane eam destruunt. Ita cibo potuque opus habent alii copiosiore & largiore, quorum nempe natura robustior crebris exercetur laboribus: alii vero parciore, quorum imbecillior natura & quieti otioque adsueta. Unde eodem modo utrique satisfacere naturæ non possunt: & quæ illos conservat cibi potusque mensura, hos affligit & destruit.

3. *Quantitatis & modi*: ut ne nimium præsentibus efferaris voluptatibus, nec absentibus doleas: ut appetitui frena attrahas potius, quam laxes: epuleris, sed modice, quantum naturæ capit mensura, eodemque modo bibas & aliis fruaris voluptatibus.

4. *Valetudinis*: ut eatenus voluptates expetas iisque perfruaris, quatenus valetudini conducunt: Unde non *quantitatis* tantum in cibo potuque habenda ratio, ne naturam obruas, sed & imprimis *qualitatis*, ne naturæ inimica & noxia objicias, quæ gulæ quidem sunt irritamenta, sed naturæ hostes & pestes: Magnum igitur intemperantiæ est argumentum, si in cibo potuque assumendo palati & gulæ potius, quam valetudinis habeatur ratio.

5. *Existimationis*: ut ne videaris aliquid contra decori, loci, temporis & aliarum circumstantiarum rationem, in cibo, potu & aliis ad voluptatem spectantibus admittere: quo alii offendi & existimationis jactura fieri possit.

6. *Sumtuum*: ne per luxum & prodigalitatem ad inopiam te redigas; sed pro facultatum ratione & modulo naturam, quæ paucis est contenta, foveas.

§. 10. Quæritur (4) *An continentia versetur circa moderationem?*

Resp. Voluptatum aliæ sunt *animi*, aliæ *corporis*: *Animi* voluptates sunt, quæ suavi commotione animum afficiunt, & percipiuntur, (1) ex cogitatione & contemplatione rerum (2) ex actionibus virtutum (3) ex adeptione earum rerum, quas expetimus, ut sunt *eruditio*, *honores*, *divitiæ*, *conjugium*, *liberi* &c. (4) ex conversatione & colloquiis amicorum.

Circa hasce voluptates proprie non versatur continentia, nec propter eas quisquam continens vel incontinens appellatur, sive modum teneat, sive excedat.

Corporis voluptates sunt, quæ corpus & sensus nostros externos

jucunda aliqua commotione afficiunt & secundum quipque sensus externos sunt quintuplices. Aliæ percipiuntur ex visu, ut cum quis adspectu colorum, figurarum, picturarum & aliorum spectaculorum vel rerum novarum delectatur. Aliæ ex *auditu*: ut cum quis vel historiarum recitatione, vel artificiosa vocum modulatione afficitur. Aliæ ex *odoratu*, ut cum quis suavitate vel florum vel frugum, vel aromatum vel aliarum rerum odoratarum afficitur. Aliæ ex *gustu*, ut cum quis alimentorum cibi aut potus suavitate afficitur. Aliæ denique ex *tactu*, ut cum quis frigore infestatus moderata calefactione reficitur aut ex corporis frictione voluptatem percipit. Inter has quinque voluptatum corporearum species, duæ tantum postremæ, quæ ex gustu & tactu oriuntur, objectum sunt *continentiæ*. Circa solas oculorum, aurium & odoratus voluptates non occupatur Continentia.

§. 11. Quæritur (5) *Utrum continentia sit magis occupata circa gustus, an circa tactus voluptates?*

Resp. Magis circa *tactus voluptates*: ratio; quia tactus voluptatibus, quarum plenior est fruitio, quam gustus, temperare est difficilius. Atqui virtus versatur potius circa difficiliora. Esse vero pleniorem voluptatum tactus fruitionem earumque difficiliorem moderationem, probatur.

(1) Quia *gustus* tantum est in exigua corporis parte, nempe in lingua & palato. Unde leviter voluptas ejus percipitur, & cito iterum evanescit: *tactus* vero per totum corpus est diffusus, ejusque voluptas in omnibus corporis partibus percipitur.

2. Quia *gustus* per se voluptatem adferre non videtur: sed tantum ratione *tactus*: nempe quatenus cibus vel potus attingit nervos & membranas, quæ tactus sunt instrumenta.

De continentia vide plura apud *Heiderum*, Part. 2. pag. 812. & seqq. continentiam à temperantia & incontinentiam ab intemperantia distinguit *Aristoteles* & cum eo *Peripatetici*. Autori nostro continentia non est nisi species temperantiæ, incontinentia species intemperantiæ.

IV.

Continentiæ adversatur incontinentia, *in specie* ἀκολασία, *quæ modum in voluptatibus & cupiditatibus excedit: &* ἀναισθησία, *quæ ab omnibus, etiam licitis, voluptatibus abhorret.*

Ἔκθεσις.

Ἔκθεσις.

§. 1. Quæritur (1) *An detur incontinentia?*

Resp. Vix quisquam esse sanæ mentis videri possit, qui incontinentiam dari, negare ausit: cum exempla ejus passim sint obvia in historiis & vita quotidiana. Attamen jure ambigi, inquit *Piccolom. An sit continentia & incontinentia?* Et quod mireris, qui mortalium olim sapientissimus fuit creditus *Socrates*, nullam esse vel continentiam vel incontinentiam, testibus *Platone* & *Aristotele*, affirmavit: vid. *Piccol.* Grad. 3. cap. 13. ratio *Socratis* hæc est. *Ille est incontinens, qui videt meliora eaque probat, & tamen deteriora sequitur: At nemo videns meliora eaque probans, deteriora sequitur. Ergo nemo est incontinens.* Propositio consentanea placitis *Peripateticis* & iis, quæ ex *Thoma* allegavimus de continentia paulo ante.

Assumtionem probat *Socrates*, apud *Platonem* in *Protagora. Quia nemo, qui bene de rebus existimat, quicquam aliud, quam quod sit optimum, agit, sed si agat, propter inscitiam agit. Igitur ab homine verum cognoscente & judicante nunquam majus bonum deseritur, & umbra ejus eligitur. Quod si vero nonnunquam id evenit, in causa est hominis inscitia non valentis rectè metiri bona, &, quod eorum sit præstantius, judicare.* Nata hinc hypothesis *Socratica* & *Platonica*: *neminem sponte malum esse, & scientem non posse peccare.*

Amplius hæc firmatur ratio: *Scientia, secundum Socratem, est habitus firmus & constans, Dux actionum humanarum; quæ dum viget, necesse est ut ducat: neque appetitus alio tendit, quam quo à scientia & cognitione ducitur.*

Resp. *Socratici syllogismi* & *propositio* & *assumtio* laborat: sunt, qui mala sequuntur, & meliora nec vident, nec probant, ut constat de barbaris pecudum instar viventibus & agentibus: qui tamen de incontinentiæ vitio absolvi jure non possunt: vitium æstimandum non ex scientia vel ignorantia committentis, sed ex lege; quæ omnis rectitudinis moralis est norma, à qua quicquid aberrat, vitiosum est.

Neminem, qui videt & probat meliora, sequi deteriora, manifeste falsum est. Contradicit Medea.

- - - - - *video meliora proboque,*
Deteriora sequor.

Acerrime contradicit Paulus Rom. 7. v. 15. *Non quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio:* & v. 19. *Non facio bonum quod volo; sed malum, quod nolo, hoc ago.* Per experientiam

Aristoteles Platonem convincit: vid. *Piccollom.* loco allegato.

§. 2. Quæritur (2) *An incontinentia sit vitium?*

Resp. Omnino vitium est (1) Quia per incontinentiam receditur ab eo, quod est secundum legem & rationem.

(2) Quia per incontinentiam homo immergitur turpibus delectationibus. Unde *Aristot.* 7. Eth. cap. 8. scribit, *incontinentiam vituperari, non solum ut peccatum, per recessum à ratione, sed ut malitiam quandam, quatenus pravas sequitur cupiditates.*

(3) Quia inter vitia ultimis temporibus grassatura Apostolus quoque *incontinentiam* numerat 2. Tim. 3. v. 3.

§. 3. Sunt tamen, quæ objici in contrarium possunt.

1. *Quod vitare homo non potest, id peccatum non est.*
At incontinentiam vitare homo non potest. Ergo.
Propositio Augustini est; de lib. arbit. lib. 3. cap. 18.
Nullus peccat in eo, quod vitare non potest.
Assumtio prob. Sapient. 8. *v.* 21.

Resp. *Propositio* negatur: non obstante *Augustini* autoritate: peccatum non æstimandum est ex hominis viribus, sed ex lege Dei. Quod igitur divinæ adversatur legi, peccatum est, sive vitare id homo possit, sive non possit. Non desinit arboris malæ fructus esse malus, etiamsi arbor mala non potest non malos fructus ferre.

2. *Assumtio* quoque simpliciter vera non est: sunt enim illustria continentiæ exempla & specimina etiam in gentilium historiis. *Probatio* inconsequens est: in allegato loco expressa continentiæ vel incontinentiæ mentio non fit.

Neque si vitari sine Deo incontinentia non potest, id eo plane non potest. Allegat heic *Thomas* sententiam ex *Aristotele* lib. 3. Eth. c. 3. *Quæ per amicos possumus, aliquo modo per nos possumus.*

§. 4. 2. *In quo vincitur judicium rationis, is non peccat in eo, in quo vincitur. Atqui in incontinente vincitur judicium rationis. Ergo incontinens non peccat in eo, vel circa id, circa quod est incontinens.*

Propositio prob. *Quia omne peccatum in ratione consistit.*

Resp. *Thomas* respondet ad *propositionem* per distinctionem. In quo vincitur judicium rationis, *ex necessitate*. Atqui in incontinente non vincitur ex necessitate, sed ex negligentia hominis non firmiter intendentis ad resistendum passioni per judicium rationis. Sed nec *propositio* nec *assumtio* simpliciter est vera. Peccatum non æstimandum ex judicio rationis humanæ, sed ex lege: neque simpliciter vincitur judicium rationis in incontinente, quantisper improbat ἀταξίαν facultatum inferiorum.

§. 5. 3. *Vi-*

§. 5. 3. *Vitium adversatur legi. Incontinentia non adversatur legi. Ergo incontinentia non est vitium.*

Assumtio prob. *Si incontinentia adversaretur legi, peccaret, quicunque se continendi & extra conjugium sine peccato vivendi donum non haberet. Atqui falsum consequens. Ergo & Antecedens.* Connexi ratio est, *quia, qui continendi se donum non habet, is est incontinens: quod & ratio dictat & Apostolus testatur*, 1. Cor. 7. *Ubi conjugibus præcipit, ne alius alium defraudet, ne per Satanam tentetur propter incontinentiam* v. 5. *calibibus & viduis dicit* v. 9. *Quod si se non continent, matrimonium contrahant.* Assumtio prob. *Quia nuspiam in scriptura tanquam peccatum prohibetur impotentia se continendi & extra conjugium sine peccato vivendi. Ipse Deus naturæ stimulos conjunctionis maritalis indidit.*

Resp. *Syllogismi principalis* negatur *assumtio*: si incontinentia accipiatur, uti hoc loco accipitur: *Prosyllogismi* negatur *connexum.* Ad *probationem* respondendum per distinctionem. Incontinentia duobus modis accipitur, vel pro inclinatione ad vitam conjugalem & consuetudinem maritalem: vel pro habituali propensione ad voluptates præsertim venereas illicitas, extra vitam conjugalem: quæ castitati in specie opponitur.

Priori modo ab Apostolo accipitur, in locis allegatis: & vitium morale non est. Siquidem indita à Deo est ad generis humani conservationem & propagationem. *Posteriori* à nobis hoc loco & inter vitia moralia numeratur ab eodem Apostolo 2. Timoth. 3. v. 3.

§. 6. Quæritur (3) *An incontinentia sit magis voluntaria, quam timor fortitudini oppositus?*

Resp. Affirm. Quia 1 natura proclivior est ad incontinentiam, quam ad timorem: unde magis in illam, quam in hanc propendet voluntas, tanquam principium motus voluntarii.

2. Quia conjuncta est cum voluptate; in quam pronior est voluntas.

3. Quia plura habet irritamenta & objecta: quæ voluntatem magis trahunt.

§. 7. Quæritur (4) *Utra sit turpior: incontinentia voluptatum, an iræ?*

Resp. Incontinentiam voluptatum turpiorem esse, affirmat *Aristoteles*, lib. 7. Eth. cap. 4. Et probat quatuor rationibus (1) Quia incontinentia iræ rationi quodammodo obtemperat: Voluptatis incontinentia non item. Iram præcedit ratio, quæ vindictam esse sumendam judicat: quamvis affectus nimium fe-

ſtinet & modum plerunque non ſervet. In voluptatem fertur ſenſus & affectus plerunque ſine ratione & contra rationis præſcriptum.

(2) Quia incontinentia iræ magis homini eſt naturalis, quam incontinentia voluptatis. Ira enim vel inclinatio ad eam plerumque eſt à temperamento: voluptates magis pendent à voluntate. Deinde ira in generoſas potiſſimum cadit naturas: voluptas vero & libido etiam in abjectiſſima mancipia.

(3) Incontinentia voluptatum eſt ſubdola & fraudulenta. Iræ incontinentia non item: magiſque ex proæreſi peccat libidinoſus, quam iracundus: qui non eſt ἐπίβουλος ſeu inſidiator, ſed φανερὸς apertus. Græcis Poëtis *Venus* appellatur δολόμητις, δολοφρονέουσα, σκολιόεσσα, δολοπλόκος, κρυφία &c. Latinis, *clandeſtina, furtiva.*

(4) Iratus juſto dolore percitus peccat: incontinens voluptatis cupiditate libidine & petulantia adductus. Hactenus *Ariſtotelis* rationes.

(5) Libidinoſus animum & corpus ſuum magis inquinat, quam iracundus.

(6) Iracundus pœnitentia citius ducitur, quam libidinoſus.

(7) Libidinoſus magis exoſus eſt bonis, quam iracundus.

(8) Libidinis nullus eſt affectus laudabilis. Iræ etiam immodicæ quandoque bonus eſt effectus.

§. 8. Quæritur (5) *Quot modis intemperans circa voluptates corporis peccet?*

Reſp. Quinque potiſſimum modis.

(1) Certum iis modum naturæ & honeſtati congruum non ſtatuit, ut videre eſt in voracibus, bibacibus, libidinoſis.

(2) Sine diſcrimine quaſvis etiam turpes expetit & perſequitur; exemplo *Sardanapali*, *Alexandri Papæ* & aliorum.

(3) Mancipat ſe voluptatibus, earumque deſiderio ad quævis ſe pertrahi flagitia patitur, imo etiam cum periculo vitæ eas perſequitur, quod excellenti hominis conditione prorſus indignum. Unde *Seneca: Major ſum & ad majora genitus, quam ut ſim mancipium mei corporis: quod equidem non aliter adſpicio, quam vinculum meæ libertati circundatum.*

(4) Indifferentes vel etiam turpes ipſi præfert honeſtati: ſi quidem perſequitur eas etiam cum famæ & exiſtimationis jactura, quam magni non facit, modo potiatur voto.

(5) Abſentiam voluptatum & morum ægre & impatienter fert, exemplo *Terentiani* illius juvenis. *Occidunt me, dum nimis ſanctas nuptias mihi facere ſtudent.*

Voluptates corporis oportet esse *modicas*, *paucas*, *honestas*. De variis *incontinentiæ* divisionibus & aliis quæstionibus vide *Heiderum* part. 2. pag. 814. & seqq.

§. 9. Quæritur (6) *Cur adeo rarum sit vitium ἀναισθησία?*

Resp. Rarissimum hoc esse vitium testatur experientia. Unde *Cicero* pro *Cælio*: *Si quem forte inveneritis, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, qui non odore, non tactu, non sapore capiatur, excludit auribus omnem suavitatem, huic homini ego fortasse & pauci Deos propitios, plerique etiam iratos putabimus.*

Raritatis hujus obscura ratio non est: quia ἀναισθησία à natura hominis maxime aliena est: à natura, inquam hominis, quatenus est animal & quatenus homo est. Omni animanti natura inditus est appetitus eorum, quæ naturæ convenientia sunt, & pertinent vel ad individui conservationem, vel ad speciei propagationem: quæ quo sunt jucundiora, eo naturam magis afficiunt & ad se alliciunt.

Ad *individui conservationem* spectat præcipue cibus & potus sine quibus mortalis hæc vita trahi non potest.

Ad *speciei propagationem* sobolis procreandæ desiderium: Utique appetitui & desiderio contraria est ἀναισθησία, quæ ad naturam corporis inanimati accedit proxime & à natura animalis recedit longissime: unde & in homine rarissima est.

Deinde affectus in homine sunt plures & vehementiores, quam in brutis, ut cap. 36. de affectibus in genere probabimus: ἀναισθησία igitur in homine non potest non esse rara: quippe quæ cum affectuum multitudine & vehementia minime consistit: adeoque si in brutum non cadit, vix cadere in hominem terrenum potest.

CAPUT XVI.
De
SOBRIETATE.

THESIS I.

CONTINENTIA *est sobrietas vel castitas.*

II.

Sobrietas est continentia à superfluo cibo & potu.

Ἐκθεσις

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM sobrietatis est cibus & potus, à quorum modico & mediocri usu aberrare hominibus est familiarissimum: imo longe familiarius, quam ipsis bestiis plerisque: vim vocis si spectes, *sobrietas* potum potius quam cibum concernit, dicitur enim *sobrius*, quasi *sebrius*, ex στερητικῷ *se* & *ebrius*: Unde sobrius est non ebrius: Sobrietas non ebrietas. *Ebrius* componitur ex è & *bria*, quod vas est vini plenum. Hoc vero loco generalius accepta sobrietas pro *objecto* cibum & potum habet. Uti igitur sobrietas animis implantetur, pessima duo vitia *voracitas* & *ebrietas* radicitus sunt extirpanda. *Voracitas* his *rationibus*.

§. 2. (1) Hac enim qui sunt irretiti, in sues abeunt. Indigitavit hoc antiquitas, quando *Ulyssis* socios in sues mutatos tradidit, quod exquisitis *Circæ* esculentis nimium indulgerent. Pro mortuis etiam habentur ex *Sallustii* sententia, si quidem is vivit, qui se utitur: Non autem utitur se vorax.

(2) *Effecta* voracitatis sunt pessima:

1. *Copia ciborum subtilitas animi impeditur.* Seneca.

2. *Cibi onerosi multarum ægritudinum sunt causa.* Plutarch.

3. *Copia ciborum nimia fastidium gignit*: suavius enim comedunt, qui parce. Unde *cibi condimentum* appellatur appetitus.

4. *Turpe* est, inquit Seneca, *plus cibi ingerere, quam capias, & stomachi non nosse mensuram.* Idem alibi egregie voracitaté perstringit: *Quicquid avium volitat*, inquit, *quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quæritur, cur subito moriamur? Quia mortibus vivimus*: & epist. 6. *Taurus paucissimorum jugerum pascuis impletur: una sylva Elephantis pluribus sufficit. Homo & terra pascitur & mari. Quid ergo? an insatiabilem nobis natura alvum dedit, cum tam modica corpora dedisset, ut vastissimorum edacissimorumq; animalium aviditatem vinceremus? Minime. Quantum enim est, quod naturæ datur? Parvo illa dimittitur. Homines itaque ventri obedientes animalium loco numeramus, non hominum: quosdam vero nec animalium quidem, sed mortuorum.*

§. 3. Sunt & hic ob oculos ponenda egregia sobrietatis circa cibum *exempla* veterum Patriarcharum & Philosophorum, qui plerique in sumendo cibo fuere parcissimi. *Laconum* celebris est frugalitas & sobrietas: apud quos filii præsertim principum & magnatum, in parentum conspectu parciore utebantur mensa, ut, si quid

si quid luxuriam redoleret, illico à parentibus & amicis removeretur. Iidem, statis diebus, iuvenum corpora, ne lascivirent, apud Ephoros exhibebant, qui nudos inspiciebant, &, si quid insolitæ pinguedinis contraxissent, parsimonia & victus abstinentia emendari jubebant. *Persarum* pueri ad magistros euntes domo adferebant, panes in cibos & fictile poculum, quo si sitirent, aquas ex flumine haurire possent. Ab initio, & multis post seculis, nihil fuit *Romanis* continentius, nihil temperantius: quando, ut Poëta canit;

--- Curius, parvo quæ legerat horto
Ipse foris brevibus ponebat oluscula, quando
Moris erat tantum festis servare diebus:
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne;
Cognatorum aliquis titulo ter consulis atque
Castrorum imperiis & Dictatoris honore
Functus ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens à monte ligonem.

Timotheus cum in *Academia* cœnæ *Platonis* Philosophicæ & frugali interfuisset, dixit, *eos postridie suaviter vivere, qui cum Platone cœnarent.*

Hannibal surgere de nocte solitus ante noctem non requievit, neque cubans cœnavit, aut plus, quam vini sextarium, hausit. *Frontin.* lib. 4. cap. 3.

Iberorum mulieres olim temperantissimæ zonam mensuræ certæ habuerunt, qua si venter alicujus cingi non posset, in turpissimis id habebatur, Stob.

Cyrus major hospiti roganti, quid ad cœnam parari vellet, *Panem*, inquit, *solum: Spero enim me ad fluvium cœnaturum.*

Ægyptii quidem veteres laudantur, quod vel inprimis Reges suos ad sobrietatem assuefecerint. Ita *Cyrus* apud *Xenophontem*: *Do*, inquit, *primo operam, ne nimium unquam me expleam; deinde ut in ventrem demissa bene digeram, hinc est, quod semper valeam.* Cæsar *Augustus* brevissimi erat cibi, primusque semper à mensa surgebat. *Bartolus* ICtus dicitur ad pondus comedisse. *Alexander* M. cum *Ada* cocos relegasset, meliores se habere dixit, quos secum ducat: nempe *nocturnum iter*, quod ei prandium & *exilitatem prandii*, quod cœnam faceret dulcem. *Plutarch. Socratis* tanta fuit sobrietas, ut nunquam vel ipsum vel familiam ejus gravis & periculosus morbus infestarit. Unde etiam idem jussit, teste *Clemente Alexand.* quicquid persuadet, aut ut edamus, cum non esurimus, aut bibamus, cum nondum sitimus, aut adspectus & osculationes formoso-

rum,

rum, ita cavere, tanquam acrius venenum, immittant atque scorpii & araneæ. Idem post sudorem à palæstra collectum nunquam bibit de primo cratere. Interrogatus quam ob rem id faceret? *Ne consuescam*, inquit, *obsequi affectibus.* Tanta *Epaminondæ* fuit temperantia, ut ad cœnam à vicino vocatus, cum bellariorum, obsoniorum & unguentorum videret apparatum, illico abierit & dixerit. *Ego putabam te sacrificare.*

Seneca ob nimiam temperantiam corpus propemodum exsangue habuit: Unde cum *Neronis* jussu venæ ei essent apertæ, sanguis pene nullus stillavit. *Tacitus.* Sitis olim patientissimi fuerunt tres Reges maximi, *David*, *Alexander M.* & *Rudolphus* 1. *Habsburgi*, qui in summa aquæ penuria æstuantibus castris & siti pene exanimatis, oblatam sibi aquam bibere recusarunt ne inferiores in hac virtute viderentur gregario milite, suique exercitus frangerent patientiam, exemplo impatientiæ ostendentes, majorem esse sitim, quam ut ferri posset. Factum Davidis memoratur 1. Chron. 11. v. 17. 18. 19. effudit & litavit desideratissimam aquam Jehovæ: *Absit*, inquiens *mihi à Deo meo ut faciam hoc: an sanguinem virorum istorum biberem ineuntium periculum vitæ suæ? nam periculo vitæ suæ attulerunt eam.* Factum *Alexand. M.* recitat *Curtius* lib. 7. cap. 9. *Non solus*, inquit, *bibere sustineo: nec tam exiguum dividere omnibus possum.* Factum *Rudolph. Æneas Sylvius*, lib. 3. comment. de reb. gest. *Alfonsi: Reddite*, inquit, *homini lagenam nec minimo libatam: Nam ego hactenus non mihi, sed exercitui meo sitiebam.*

§. 4. *Ebrietas* hisce rationibus eliminanda.

(1) Quia innumera eam comitantur mala privata, quæ uno quasi fasciculo collegit *Plinius: Pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, furiale somni, inquies nocturna: præmiumque summum ebrietatis libido portentosa*, videatur egregium caput lib. 14. cap. 22. cujus titulus, *de vitanda ebrietate.* Addit alia *Seneca: incerti oculi, errantes gradus, vertigo capitis, stomachi tormenta. Tum*, inquit Plinius, *secreta proferuntur: alii mortifera loquuntur, redituraſque per jugulum voces non continent.* Hinc non illepide quidam *Æsopum* reprehendit, quod fenestras in homine, per quas intimæ cogitationes perspicerentur, requireret: cum vinum scilicet præstare id possit. Eleganter *Plutarchus; quod in corde sobrii est, id in lingua est ebrii.* Elegantissime, ut omnia, *Seneca*, epist. 83.

Non est animus, inquit, *in sua potestate ebrietate devinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo*

in imo jacet, in summam partem vi caloris egurgitat & eructat: sic vino exæstuante, quod in imo jacet abditum, effertur & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne secretum quidem: quod suum aliorumque est, pariter effundunt.

Hinc in *vino veritas* esse dicitur: ἐν οἴνῳ ἀλήθεια.

Persa cujusdam apophthegma fuit: *Tormentis opus non esse ad extorquendum verum: vino enim rectius elici.*

Alcibiades in sympos. Platon. *vinum*, inquit, *& cum pueritia & sine pueritia veridicum.*

Olim per ebrietatem Reges futurorum consiliariorum mores explorarunt: de quo *Horatius* in Arte.

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant
An sit amicitia dignus.

Pulchre eandem dissuadet *Seneca* epist. 29. *Si hoc vis colligere, virum bonum non debere ebrium fieri, dic, quam turpe sit, plus cibi ingerere, quam capiat stomachus, & stomachi sui non nosse mensuram, quam multa ebrii faciunt, quibus sobrii erubescant! nihil aliud esse ebrietatem, quam voluntariam insaniam. Extende in plures dies illum ebrii habitum, nunquid de furioso dubitabis? nunc quoque non est minor, sed brevior.* Huc quoque illud *Innocentii* pertinet, dum dicit: *Quid turpius ebrioso? cui fœtor in ore, tremor in corpore? qui promit stulta, prodit occulta? cui mens alienatur, facies transformatur? nullum enim secretum, ubi regnat ebrietas.* Gravis quoque illa *Ambrosii* sententia: *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ. Hæc sensus hominum mutat & formas: per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes*, &c. Memorabiles sunt *Eubuli* versus, quibus ita loquentem fingit *Bacchum.*

Tria ego pocula tantum misceo
Illis, qui sapiunt: unum bonæ valetudinis;
Quod omnium primum bibant: deinde alterum
Amoris & voluptatis: soporis tertium.
Hoc epoto, ii, quos sapientes dicimus,
Se se domum recipiunt: post si quartum additur,
Non est id amplius nostrum, sed protervia.
Quintum clamoris alte vociferantibus:
Sextum petulantis comessationis: Septimum
Macularum & sugillationum in oculis:
Apparitoris octavum: nonum iracundiæ:
Decimum furoris, quo prosternuntur qui bibunt.

In ebrie-

In ebrietatis, tanquam pessimæ arboris, fructibus pessimis exagitandis plurimi sunt Philosophi & Poëtæ. Summa huc redit: Facit ebrietas arrogantes, feroces, timidos, nugaces, obscœnos, leves, procaces, libidinosos, iracundos, crudeles, maledicos, arcanorum proditores, sui ipsius obliviosos, ad res gerendas inutiles, in pericula præcipites, ad conversationem cum sobriis ineptos, insanos, cæcos, surdos, ægros &c. Fœditatem & damna ebrietatis prolixè persequentem vide *Ambrosium*, in lib. de *Helia & jejunio* cap. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

§. 6. In *Imperio Romano* moderno mos propinandi receptus sobrietati inimicus & *ebrietatis anteambulo* comitialibus decretis sæpe est prohibitus, nempe *Augustæ Vindelicorum*, anno 1500. iterum anno 1530. & 1548. sub *Carolo* V. Coloniæ sub *Maximil.* 1. anno 1512. Ubi rationes adductæ 1. quod ex propinandi consuetudine ebrietas, ex ebrietate blasphemia, homicidia, adulteria, & plurima alia scelera oriantur. 2. quod huic dediti rei periculum incurrant honoris, animæ, rationis, corporis & bonorum. 3. quod arcana sæpe propalentur, quæ reticuisse oportebat. 4. quod vitium hoc Germanos apud omnes nationes reddat contemtibiles. 5. quod belli tempore inter milites pariat contentiones, tumultus & rebellionem adversus præfectos. 6. quod hospitalitas & honesta convivia, è quibus magnam olim laudem *Germani* retulerint, inde minuantur & intermittantur.

§. 7. (2) Quia publicorum quoque malorum & calamitatum est causa. Per ebrietatem *Cyri* exercitus à fœmina est deletus. *Herodot*. Per hanc milites *Hannibalis* enervati, ut ipse conqueritur: Propter hanc *Troia* à *Græcis* est capta, *Virgilio* teste.

Invadunt urbem vino somnoque sepultam.

Hæc *Alexandrum* M. domuit, quem tot prælia, tot itinera, tot hyemes, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt. *Seneca*. Per temulentiam *Alexander* M. sæpe duos integros dies & totidem noctes dormivit: Tandem cum *Proteæ Macedoni* respondere vellet, succubuit, & decumbens non multo post è vivis excessit *Athen*. lib. 10. Unde proverb. *Alexandrum Regem bibendo vicisti*. Hæc *Marcum Antonium* virum magnum & ingenii nobilis, perdidit. *Seneca*.

§. 8. (3) Quia amatores & cultores suos infamat: Unde acres scriptorum in *Germanos* invectivæ. Exagitat hoc nomine *Tacitus Germanos*, nulla *Romanorum* facta mentione, *Plinius* vero *Romanos*, nulla *Germanorum* facta mentione, lib. 14. cap. 22. Perstringuntur quoque veteres *Scythæ*, *Persæ*, *Carthaginenses*, *Galli*, *Hispani*, *Thraces*, *Tapyri*, *Ægivi*, *Corinthii*, *Illyrii*, *Byzantii*,

zantii, Indi, Parthi, testibus *Platone*, *Athenæo*, *Æliano. Diod. Siculo*, *Clement. Alexand. Fulgent.* Quamvis hodie quoque proh dolor, ebrietati honos habeatur, quod futurum olim prædixit *Seneca* lib. 1. de Benef. cap. 10. Unde veluti ars certis jam pridem est circumscripta legibus, vid. *Plin.* lib. 14. cap. 22. *Ambros.* de *Elia* & Jejunio cap. 17. Olim apud *Athenienses* magistratus erat ὀινόπτης. Hinc ὀινόπται cænarum præsides & *modimperatores*, quos *oculos* quoque appellarunt: observabant ii, an ex æquo biberent convivæ: quorum hæc fuit lex, ἢ πῖθι ἢ ἄπιθι: *aut bibe, aut abi.* Cujus *Cicero* meminit lib. 5. Quæst. Tuscul. quam in vita servandam judicat. *Aut enim* inquit, *fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi; aut ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat. Sic injurias fortunæ quas ferre nequies, defugiendo relinquas.* Plane infamis potator fuit *Smindyrides Sibarita*, qui jactabat annis se viginti noc orientem solem vidisse, nec occideutem, idque admirandum esse & magni ad felicitatem momenti existimabat. Nam per ebrietatem vesperi admodum sero fuit expergefactus: mane vero in multum diem dormivit.

Longe honestior fuit gloriatio *Estiaci Pontici*, quod nec ortum nec occasum solis unquam adspexisset: quia literis operam jugiter navasset. Ille scilicet poculorum, hic librorum heluo. Prolixum catalogum ebriosorum texit *Ælianus* hist. Var. l.2. c.41. Idem l. 12. c. 26. omnium hominum vitiosissimos tradit fuisse *Xenagoram Rhodium*, quem *Amphoram* vocarunt, *Heraclidem* pugilem & *Proteam* Lanicæ filium, cum *Alexandro* Rege educatum: quibus accensendus *Diotimus* Atheniensis *infundibulum* dictus, quod *infundibulo* ori admoto sine interspirio vinum infusum biberet. *Alexander* M. in honorem *Calani* Gymnosophistæ Indi certamen bibendi instituit: in quo primum præmium erat talentum, secundum 30. minæ, tertium 10. minæ. Ex iis, qui in hoc certamen descenderunt, statim perierunt 35. non multo post in tentoriis exspirarunt sex. Qui omnes vicerat & talenti coronam abstulerat triduum tantum supervixit. *Ælian. Athen. Plutarch.*

Scribit *Nicetas*, lib. 3. Annal. *Manuelis*, *Cameterum* Logothetam omnium mortalium fuisse gulosissimum, & bibulorum principem: interim nullum in eo ebrietatis signum apparuisse: Imo quo plus biberat, eo prudentius, irrigatione illa vini excitato ingenio, locutum. *Tiberius* Cæsar in castris etiam tiro, propter nimiam vini aviditatem, pro *Tiberio Biberius*, pro *Claudio Caldius*, pro *Nerone Mero* vocatus est. *Darii*, qui Magos ne-

 cavcerat,

caverat, sepulcro inscriptum fuerat: ἠδυνάμην καὶ οἶνον πίνειν πολὺν, καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς, hoc est. *Potui & vinum multum bibere, & ferre commode.* Imperator *Wenceslaus* vini amantissimus, aliquot vini amphoris acceptis, juramento *Norinbergenses* solvit. Idem Italiæ civitatibus bellum moturus omnem militibus prædam se permissurum promisit: in cellas autem vinarias, quas sibi intactas servari voluit, ne quis irrumperet, sub capitis pœna edixit. *Æneas Sylv.* lib. 2. in *Panorm.*

Accensenda his illa quoque *Plautina vetula*, quæ etiam odorem vini cupidissime est sectata. *Curcul.* Act. 1. sc. 2.

Flos veteris vini meis naribus objectus est,
Ejus amor cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi ubi est, prope me est; evax, habeo: Salve anime mi,
Liberi lepos, ut veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentum odor, præ tuo, nautea est:
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocinum & casia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed cum adhuc naso odos obsecutus es meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium:
Nihil ago tecum; ubi est ipsus? ipsum expeto
Tangere, invergere in me liquores tuos
Sino ductim.

§. 9. Apud *Germanos*, ebrietatis conciliandæ gratia, in aulis potissimum usitata sunt *pocula soteria*, Græcis olim familiaria, ut videre est apud *Athen.* lib. 10. quæ in principum salutem bibuntur, & recusari nullo modo possunt, quamvis maxima: de quibus Illustrissimus & literatissimus *Hassiæ Landgravius, Mauritius* B. M. *Vestra valetudo corpora nostra necat.* Item.

Qui vult alterius cyathis haurire salutem,
Tale lucrum referet, perdat ut ipse suam.

Meminit quoque poculorum horum *Augustinus*, serm. 232. de temp. *Biberunt tum diversis nominibus, non solum vivorum hominum, sed & Angelorum & reliquorum antiquorum sanctorum, existimantes, quod maximum illis honorem impendant.* Hoc modo sæpe etiam sobrii ad ebrietatem non invitantur tantum, sed & coguntur, ne principes videantur contemnere & salutem ipsorum non optare. Interim observetur heic illud Augustini: *Si eo necessitatis adigeremur, ut diceretur:* aut bibas, aut morieris: *satius esset carnem tuam mori, quam ebrietate animam occidi.* Ibid.

§. 10. *Rationibus* subjicimus *exempla* eorum, qui ebrietatem sunt detestati & sobrietati studuerunt.

Celebris est veterum quorundam frugalitas & sobrietas. *Persarum* pueri ad Magistros euntes domo afferebant panes, in cibos, & fictile poculum, quo sitientes è flumine aquam hauriebant, *Xenoph.* lib. 1. παιδ. Cyri. *Romani* olim per annos 600. pistores non habuerunt, pulte tantum vescentes facta ex aqua & farina fabarum & hordei. Summi apud eosdem viri in publico prandebant & cænabant, ut sobrietatis suæ spectatorem haberent populum.

Val. Max. lib. 2. cap. 11. *Plin.* lib. 18. cap. 8. *Alexand. ab Alexand.* lib. 3. cap. 11. Apud eosdem olim vinum ante tricesimum annum bibere viris criminosum erat: *servis* plane interdictum, nisi diebus festis solennibus: *sacerdotibus* vero iidem adeo commendatam voluerunt sobrietatem, ut etiam viam, ubi vitium propagines essent prætentæ, prohibuerint transire. Neque minus fuit celebris *Spartanorum* sobrietas; de qua *Plutarch.* in vita *Lycurgi* & *Aristot.* in politic.

Hannibal de nocte solitus surgere, ante noctem non requievit, nunquam cubans cænavit, nec plus, quam vini sextatium, hausit: *Front.* lib. 4. cap. 3. *Plato* adolescentes usque annum 18. vini usum prorsus ignorare voluit: ad annum vero 30. usque moderate eo uti.

Julius Cæsar vini parcissimus fuit, de quo *Catonis* fuit verbum: *Unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam Rempublicam sobrium accessisse. Sueton. Romulum* quoque hoc nomine laudat *Gell.* lib. 11. cap. 14. *Epicurum Laertius.*

Augustus non amplius ter bibit super cænam in castris ad *Mutinam. Cyrus* dedit operam, ne unquam se nimis expleret. *Agesilaus* perinde ab ebrietate putavit abstinendum ut ab ingluvie. *Pittacus* legem tulit, ut, qui per temulentiam sceleris aliquid commisissent, duplo plecterentur. *Solonis* lex erat, ut princeps, si deprehenderetur ebrius, morte mulctaretur. Apud *Indos* Regi temulentia non fuit permissa, neque Magistratui apud *Carthaginenses*. Apud *Persas* uno tantum die, quo *Mithra* sacrificatum. *Ctesias* apud *Athen.* lib. 10. *Bibere ad ebrietatem usque*, inquit Plato, neque alibi, *unquam decet, præterquam in solennitatibus ejus Dei, qui largitus est vinum, nec tutum est:* lib. 6. de leg. Apud *Gothos* olim cum senes adeo poculis assuevissent, ut etiam sibi invicem annos suos propinarent, sancita tandem lex est: *Si quis senex alteri ad mensam annos suos propinarit, capitale esto. Romani* temulento seni, qui de cognati ipsum monen-

tis injuria conquestus erat, jus administrandi res suas ademerunt, & curatorem dederunt, qui ipsum & familiam ejus regeret, insuperque mandarunt, ut ne guttam quidem vini porrigeret ebrioso.

Pythagoras ebrietatem dicere solebat *insaniæ meditationem.* Etiamnum hodie *Hispanis* tam est exosa ebrietas, ut ne testimonii quidem dictio ei, qui huic vitio obnoxius vel semel fuerit, permittatur. Interim & veteribus *Hispanis* à *Plinio* exprobrata ebrietas: De aliis nationibus vide *Limnæ.* de jur. publ. lib. 1. c. 6. §. 39. & seq.

§. 11. Omni igitur studio cavendum tibi memineris, ne ad ebrietatem te ista ebriosorum patrocinia pertrahant. Itaque si objecerint:

Hospitibus & viris honoratis aliquid est dandum.

Responde cum *Creone* in Tragœdia:

Mihi, amice, longe satius esse duxerim,
Tibi nunc ut hostis reddar ac gratus parum,
Quam ut levis in te postea graviter gemam.

Calisthenes, magno circumlato calice, *Nolo*, inquit, *poculo Alexandri hausto, Æsculapio opus habere.* Plutarch.

§. 12. 2. *Rusticitatis tibi adspergetur macula.* Responde cum *Plutarcho. Ob metum ne rusticior videare: In laterum vel renum dolorem te ipsum dare præcipitem, id vero est rusticani hominis, menteque ac ratione carentis, qua qui præditi sunt, norunt & absque poculis & nidore cum hominibus convivere.*

§. 13. 3. *Plato etiam in libris, quos de legibus scripsit, largiores lætioresque in conviviis invitationes vini non inutiles esse existimavit.*

Responde cum *Gellio*, lib. 15. cap. 2. *Plato in primo & secundo de legibus, non, ut ille nebulo opinabatur, ebrietatem istam turpissimam, quæ labefacere & imminuere hominum mentes solet, laudavit: sed hanc largiorem paulo jucundioremque vini invitationem, quæ fieret sub quibusdam quasi arbitris & magistris conviviorum sobriis, non improbavit: quia & modicis honestisque inter bibendum remissionibus refici integrarique animos ad instauranda sobrietatis officia existimavit, reddique eos sensim lætiores atque ad intentiones rursum capiendas fieri hilariores.* vide & *Macrob.* Saturn. lib. 2. cap. 8.

§. 15. 4. *Turpe est poculis vinci:* Responde cum *Seneca. Multo fortius est, & ebrio & vomitante populo, siccum esse & sobrium.* Et cum *Horatio.*

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem.

Ita *Augustini* temporibus, *erubescite*, ajebant potatores, *quare non potestis bibere, quantum nos: viri non estis*. Quibus respondit & vicissim insultavit *Augustinus: vide miseriam ebriosorum! se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca jacent: & illos dicunt non esse viros, qui honeste & sobrie stant. Jacent prostrati & viri sunt: stant erecti & viri non sunt: victor ebrietatis vituperatur, & victus ebrietate laudatur*: serm. 232. de temp.

§. 16. 5. *Gloriosum est in hoc certamine palmam obtinere*. Responde cum *Plutarcho*. Si gloria est affectanda, statuamus, optimum esse eam, sanitatis causa, in hujusmodi, rerum abstinentiam affectare. Deinde si hoc gloriosum est, *multum capere*; longe major erit, ex *Seneca* judicio, ipsius dolii gloria, quod omne vinum capit. Quin & *mulus* in hujus gloriæ societatem veniet, qui autore *Aristotele*, non facile inebriatur.

§. 17. 6. *Vinum vino, crapula crapula pellitur & discutitur*: quod *Germani* nostri ajunt: **Man muß Hunds Haar wiederumb drauff legen.** Responde cum *Catone*: Magna imminuuntur, parva omnino abolentur: præstat frustra abstinuisse & quievisse, quam sanitatem ad balneum aut cœnam se proripiendo in periculum conjicere; Quo plus vini infudero, crapulamque irritavero, eo naturam magis afflixero, corpusque impurius reddidero. Ignem ignis non minuit, sed auget: *ἀναίσθητοι* sunt facti, qui crapulam crapula se discussisse & vinum vino superasse, sibi persuadent.

§. 18. 7. *Dissimulanda repletio & crapula, ne te male affectum amici aut famuli sentiant*. Responde cum *Plutarch. Dum hodie pudet cruditatem confiteri, cras fluxionem aut febrem aut tormina confitebor.*

§. 19. 8. *Turpe est per crapulam in lecto diem consumere & cibo potuq́; abstinere; surgendum, ad cibos & pocula redeundum.*

Responde. Turpissimum est, per plures dies decumbere, purgari, medicamentis oblini, medicisque adulari, turpia multa & abjecta facere & dicere ob dolorem & metum.

§. 20. 9. *Etiam corporis voluptati aliquid dandum, & lætitiæ*. Responde cum *Plutarcho*. *Maximam sui partem voluptates ex ipso sumunt corpore: præcipua cibi potusque condimenta in ipso insunt corpore, si sano ei atque puro cibus potusque exhibeatur.* Hinc ebrii & ægroti cibum potumque aversantur.

§. 21. 10. *Non aliena est ebrietas etiam à sanctis: Unde Josephus quoque cum fratribus legitur inebriatus*, Gen. 43. 34. *Unde ad ebrietatem quoque Christus convivas & amicos suos adhortatur*, Cant. 5. 1. *neq; in nuptiis Cananæis eam vituperavit*. Joh. 1. 10.

 Respon-

Responde: geminam esse ebrietatem, *licitam* & *illicitam*. *Illa* est quando vinum bibitur non ad sitim tantum extinguendam, sed & cor exhilarandum, corporis interim animique illæsis functionibus: de qua scriptura loquitur. Genes. 43. & Johan. 2.

Ista est, quando, natura etiam reluctante, vinum sine modo ingurgitatur, animusque & corpus obruuntur & ad obeunda officia vocationis plane inepta redduntur: quam detestatur scriptura multis in locis: vide proverb. 21. v. 17. & 23. v. 19. 20. 33. Jesaiæ 5. v. 11. 12. 22. Luc. 21. v. 34. Rom. 13. v. 13. 1. Cor. 6. v. 9. 10. Ephes. 5. v. 18.

Ebrietas, cujus in cantico fit mentio est improprie dicta & *spiritualis*, de qua Ephes. 5. v. 18. quando spiritu mens pia impletur & quasi extra se homo rapitur. Sobriam animi ebrietatem etiam *Platonici* commendant: vide *Cal. Rodig.* A. L. lib. 4. cap. 13.

§. 22. Interim traduntur quædam adversus ebrietatem remedia naturalia & quasi *prophylactica*, nempe brassica, amygdalæ amaræ, flexæ è flosculis corollæ, amethystus, farina pumicis: de quibus veteres scriptores, *Plutarch. Plinius*, *Athenæus*; de amygdalis amaris vide *Lemnium* lib. 7. de occult. nat. cap. 17.

§ 23. Omnium præsentissimum prophylacticum est *sobrietas* crebro jejunandi exercitio roborata. De jejunio egregie disserentem vide *Drexelium* duobus libris peculiaribus: quorum priori jejunium gravissimis rationibus suadet: quas in hisce de sobrietate præceptis attingere operæ pretium fuerit: quia ad sobrietatis eædem nos excitant studium.

(1) *Jejunium carnis reprimit nequitias.* Corpus enim quanto habetur mollius, tanto evadit nequius & sola in hanc bestiam peccatur clementia. Unde hæc omnium sanctorum vox prædicavit: *Corpus castigatione assidua domandum.* Omnis nequitiæ sentina est caro nostra, quæ exhauriri nequit, nisi continuo sobrietatis studio. Animi servus esse corpus debet: quod in animum sibi imperium sumit, quando delicatius habetur: At miserrima est corporis servitus. Hujus nos nimius amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis objicit. *Honestum ei vile est*, inquit *Seneca*, *cui corpus hominis charum est*, omnia virtutis ornamenta expilantur, ubi fur hic inquilinus non accurate observatur: qui accurate observari non potest nisi per sobrietatis & jejunii excubias & vigilias.

Pulcherrima heic utitur comparatione *Zeno*, Antistes Veronensis, *Gallieni* temporibus: *Si infantes*, inquit, *ab innatis vermibus infestentur, non eis saccharum, non mel, sed amarior,*

rior, quam horreant, potiuncula propinatur, ut amarore illo necentur & ejiciantur vermes. Quid caro nisi vermium popina? In carne crescunt & animantur peccata: animatos hos vermes, jejunium in se amariusculum extinguit & enecat.

§. 24. (2) *Jejunium & abstinentia valetudinis fere unicum & princeps est præsidium.*

Testis heic maximus est *Ecclesiasticus* cap. 37. v. 32. 33. 34. *Ne esto insaturabilis omnibus deliciis, neque projectus esto ad escas: Nam multis cibis adhæret morbus, & insatiabilis voracitas proxime accedit choleram: voracitate insatiabili multi sunt mortui: Sed qui attendit sibi, vitam prorogaturus est.* Multi igitur cibi, multi morbi, copiosa mensa misera valetudo, perpetua saturitas, inconstans aut nulla sanitas. *Italorum* est proverbium: *Qui multum vult comedere, parum comedat:* Hoc est: qui vitam expetit longævam, ad quam multis opus est cibis, ei frugalia & parca sunto prandia & cœnæ, insuperque non infrequentia jejunia. Neque obscura est ratio: Siquidem cibi potusque ingesti copia naturæ vires debilitantur, concoctio impeditur, crudi humores accumulantur & mille morborum materies subministratur. Qui enim hæreditarii non sunt morbi, plerique omnes ex alimentis immodice sumtis ortum trahunt. Unde recte *Cardanus* omnem vitam humanam constare ait *parcitate victus, exercitatione & animi lætitia. Et Galenus* fatetur, omnem aliam intemperiem, uti solis ardorem, frigora, ventos, labores nimios parum sibi nocuisse, *quod in duobus illis, quæ per os intrant, debitam servarit moderationem.* Imperator *Aurelianus* ad annum 66. pervixit, nullum unquam pharmacum sumsit, nullam venam incidit: sed, horam unam quotidie obambulavit, singulis mensibus die integro omni cibatu abstinuit; cætera modici cibi potusque. Vel centies, vel millies repetendum, inquit Monachus, *qui abstinens est, adjiciet vitam.*

§. 25. (3) *Jejunium medicamentum opportunissimum est:* quod de mensa sobria recte quoque dixeris. *Si quis*, inquit Drexelius, *memoria calleret, quicquid Hippocrates, quicquid Galenus & Avicenna cæterique peritiores medici omnes scripserunt, si quis herbarum, lapidum, liquorum vires exacte nosset: ei nihilominus abstinentiæ virtus multo plus prodesset ad valetudinem & vitam propagandam, quam omnis illa scientia jejunii & abstinentiæ viribus destituta.* Egregia vide exempla vitæ per abstinentiam & sobrietatem ad annum usque centesimum prolongatæ, lib. 1. de jejun. cap. 5. §. 2. 3. quibus si longior fuisset mensa, brevior fuisset vita.

 (4) *Jeju-*

§. 26. (4) *Jejunium nobile ac Spartanum omnis cibi potusq́; est condimentum.* Hinc *Socrates* famem appellare solitus, *optimum cibi condimentum:* veluti & Socratici potus condimentum optimum erat sitis, per quam gelidam fontanam in majoribus habuit deliciis, quam alii vinum *Thasium* aut *Falernum*. Fastidiosi, nunquam sitientes, vel esurientes, etiam in delicatissimis epulis gulæ egent irritamentis: in promptu ipsis oliva, capparis, sinapi, embamma, oxygarum, varii generis acetum, & plura alia condimenta; quibus tamen ægre os proritant & cibum per guttur artificio deceptum trajiciunt: quibus nil opus jejunio & fame maceratis ad agrestes cibos palato commendandos. *Quam multis*, inquit *Diogenes*, *non indigeo!* Quia nempe Spartano aromate abundabat & famem sitimque in promtu habebat. Insignia hanc in rem documenta nobis exhibent historiæ.

Darius, *Persarum* Rex; ab *Alexandro* M. victus è fuga maximam sitim contraxerat: cui servorum aliquis in galea turbidam aquam propinavit: quam tanta ille aviditate & voluptate bibit, ut fassus sit, *in omni vita se suavius nunquam bibisse:* Rationem reddit *Cicero:* quia sitiens nunquam biberat: lib. ult quæst. *Tusc.*

Rex *Artaxerxes* in præcipiti fuga omnem commeatum perdiderat, *Plutarcho* teste; tandem vero stimulante fame, panem hordeaceum & aridas ficus pauculas tanta comedit appetentia, ut exclamarit: *Dii boni! Quantam mihi hactenus voluptatem experiri non contigit!* Ratio est: Quia nunquam esuriens comederat.

Rex *Ptolemæus* cum longis *Ægyptum* itineribus peragraret, tandem præ fame in pauperem casam divertere coactus, cum nigrum crassumque panem in cœnæ caput appositum avide comedisset, *Nunquam*, ait, *suaviorem cibum sumsi.*

Theodosius Imperator in venatum profectus, huc illuc sparso famulitio palatino, venatoriæ se subducens fatigationi ad Monachi tugurium divertit ignotus hospes, potumque & cibum petiit: cui panem aceto atque oleo maceratum cum hydria apposuit Monachus. Comedit bibitque largius Cæsar, tandemque fame & siti sedata, *verè*, inquit, *affirmo tibi*, *Pater*, *nunquam me in palatio meo tanta cum voluptate sumsisse cibum.*

§. 27. (5) *Jejunium & abstinentia temporis, opum & boni nominis grande est auctarium.*

Temporis auctarium est: Quia breviorem facit somnum. Atqui tanto longior est vita, quanto brevior est somnus: vita enim vigilia est: somnus imago & frater mortis. Dormientem à mortuo oculis non discernimus. Vino & somno sepulti & mortui

tui jacent ebrii. *Opum auctarium est*: quia à luxu & prodigalitate aliena est abstinentia & sobrietas, & bene parta bene custodit: non enim tam crescunt opes præsentibus adjiciendo, quam parcendo & asservando. Unde *Epicurus* interrogatus, *quo artificio facile quis ditesceret*? Respondit: *Non si præsentibus adjeceris, sed si usum ac necessitatem tibi persuasam circumcideris.* Vorago patrimoniorum est gula.

Boni nominis auctarium est: Quia ingenii monumentis condendis est aptissimum: Quotquot scriptis pluribus voluminibus olim se orbi commendarunt & etiamnum se commendant, per sobrietatem id sunt consecuti, & vigilias diurnas nocturnasque quas ebrietas & ingluvies minime indulgent. *Plenus venter non studet libenter.*

§. 29. (6) ***Jejunium piarum exercitationum maximum est adjumentum.***

Exercitationes piæ sunt preces, meditationes lectiones commentationes: quibus promovendis nihil est oportunius, quam jejunium, abstinentia sobrietas: veluti nihil magis eos impedit, quam cibo onustus venter & inebriante potu grave caput. Corpus esca meroque æstuans subtiles & sublimes cogitationes non parit: dejicit saturitas quem in altum evexisset sobrietas & inedia. Unde cum publicis & extraordinariis precibus indici quoque & conjungi solent jejunia: Est enim, *Chrysostomo* teste, *oratio sine jejunio miles sine gladio.*

(7) *Jejunium præsenti hominis conditioni est accommodatissimum.* Siquidem *Natura* paucis, imo paucissimis est contenta. Pulchre *Seneca*: *Parvo fames constat, magno fastidium. Infelices vos estis, qui existimatis vos famem majorem habere quam ventrem. Venter non est molestus creditor: parvo dimittitur, si modo das illi, quod debes, non quod potes.* Epist. 17. & 21.

Cumque in statu peccati & miseriæ jam versemur, exules & cœlo extorres fastidium terræ & desiderium patriæ, hoc est, cœli par est omnibus modis conciliare, perpetuo pœnitentiæ occupati exercitio: cui nihil accommodatius, quam Jejunium & sobrietas, quæ tantopere nobis à Christo commendatur, cujus ad judicium adventum singulis exspectare momentis debemus, Lucæ 21. v. 34. 35. Væ omnibus qui cœlum extra cœlum sibi fabricant, qui patriam in terra quærunt, qui bona sua cum divite Epulone accipiunt, dum vivunt & quicquid adversi est lascivia hilaritate concoquunt! *ventrem*, inquit *Chrysostomus*, *accepisti, non ut nutrias, non ut distendas, non ut dominum habeas, sed ut illi domineris, ut tibi inser-*

viat ad cæteras partes alendas: non ut illi inservias, non ut fines transilias: homil. 10. in epist. ad Philipp.

§. 30. (8) *Jejunium sanctissimorum hominum usu confirmatissimum est.*

Omnes sanctos, inquit *Basilius* M. de laud. Jejun. *quotquot fuerunt, ad vitam Deo dignam per Jejunium fuisse institutos, reperies.* Et Cyprianus: *quotquot virtutum vidimus viros, sine Jejunio non legimus ascendisse, neque aliquid magnum moliti sunt, nisi abstinentia præcessisset.* Testes in veteri testamento *Moses*, *Elias*, *Juditha*, *Esther regina*, *Sara*, *Jobus*, *Esdras*, *David*, *Tobias*, *Ezechiel*, *Daniel*, &c. In novo Testamento *Christus*, *Johannes* & reliqui Apostoli, Petrus teste *Gregorio Nazianzeno*, fere semper jejunavit. Sequentibus seculis abstinentissimi fuerunt patres Theologi. Reliquos taceo Pontificiorum sanctos sanctasque quos jejuniorum observantissimos fuisse constat; quamvis opinione singularium meritorum & satisfactionum omnia contaminaverint.

§. 31. (9) *Jejunium vitiosæ cupidinis exterforium est medicamentum.*

Ardentes Dæmonum sagittæ, de sententia *Hieronymi*, jejuniorum frigore sunt restinguendæ: quando gula omnibus vitiis viam sternit & plenus venter in libidines facillime despumat. *Nullus sine jejunio vicit Diabolum*, inquit *Augustinus*. Hæc libidinibus occasio per abstinentiam unice præciditur. Satanas hospitio sicco non delectatur: suavissime habitat, ubi in madido est. Anima sicca Diabolo inimica. *Ferdinandus* I. defuncta conjuge, reliquum vitæ in toro exacturus viduo solum sibi prandium voluit permissum, ut carnis stimulos tanto valentius posset reprimere. Nemo unquam carnis nequitias & fraudes indulgentia correxit.

§. 32. (10) *Jejunium omnigenæ virtutis optimum est adjumentum.*

Contrariorum contrarii sunt effectus. Ut igitur omnium vitiorum nutricula est gula & luxus, sic virtutum sobrietas & abstinentia. *Jejunium*, inquit *Hyeronimus*, non solum perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est & sanctificatio. Pertinent huc veteres trochaici:

Abstinentia opitulatur omnibus virtutibus.
Flagitia interdicit omnia, qui indicit jejunia.

§. 33. Ita igitur ex iis, quæ de sobrietate hactenus dicta sunt, constat, *officium* sobrietatis primarium esse, homini mediocritatem circa cibi potusque usum præscribere. *Præceptis* exercitium virtutis hujus moderantibus peculiaribus non est opus, modo in ge-

in genere officium hujus observetur: naturæ ductum si sequamur, sobrietati locum facile dabimus: Est enim natura paucis contenta.

Salutare est *Socratis* monitum, *ut caveamus à cibis, qui non esurientes ad edendum invitant, & potu, qui non sitientes ad bibendum pellicit.* Docuit *Socrates*, cibis potuque utendum esse cum est necesse, voluptate. quæ inde percipitur, ad necessitatem accommodata. *Plutarch.* de sanit.tuend. ubi & hoc monet: *summopere cavendum esse, ne, cum pro natura modo satis accepimus ac saturi sumus, bellaria appetamus.* Item. *Cum vescendum offertur rarum aliquid aut nobile, abstinendo potius, quam fruendo querendam esse gloriam.* Item: *vulgaribus esse acquiescendum cibis, qui appetitum intra naturæ modum continent; contra vero coquorum & opificum artes & callidissima ista aromatibus condita cupedia semper fines voluptatum proferunt, utilitatemque supplantant.*

Plato ebriis suasit, ut in speculo se contemplarentur; sic enim futurum judicavit, ut adspectus sui fœditate à tam deformi vitio deterreantur. Nec absimile consilium *Anacharsis*, qui interrogatus, *quomodo ebrietas evitari possit?* Respondit: *Si ebriorum truculenti vultus & turpissimi mores continuo apud animum volvantur.* Plutarch.

Sic & *Lacedæmonii* pueris suis fœditatem ebrietatis demonstrabant exemplis servorum ebriorum in publicum productorum.

Ut circa cibum sis & habearis sobrius, cavenda *voracitatis* macula & suspicio. Variis autem modis contra sobrietatis hujus leges peccari potest.

(1) *Quantitate*: Si plus ingeras cibi, quam ferre possis, adeoque stomachi tui mensarum vel ignores, vel non cures.

(2) *Qualitate*: si nimis delicatos & exquisitos cibos desideres & secteris: vel cibos natura sua vitiosos, præpingues, præsalsos, maligne crassos, plus æquo duros nimis vel calefacientes, vel frigefacientes in ventrem dejicias. Inter frigidissimæ gulæ irritamenta sunt pepones, fungi, cucumeres.

(3) *Tempore*: Si vel horam prandio & cœnæ destinatam præstolari non possis vel per integrum diem aut noctem epuleris: ut fieri in nonnullis *Germaniæ* locis assolet.

(4) *Festinatione*: Si primus in patinas irruas, ut canis in ollam, & apposita omnia raptim abligurias, sine justa masticatione, quæ prima est cibi digestio in ore facta: cujus vitium nec in secunda nec in tertia plane plenèque emendatur.

(5) *Rusti-*

(5) *Rusticitate:* Si optima quæque aliis præripias: si ingentibus bolis os repleas, & buccas distendas: si solas carnes sine pane, instar lupi vel canis, deglutias.

Pleraque hæc cavenda monet *Ecclesiast.* cap. 31. unde sequentes regulas colliges.

1. *Ad mensam magnificam assidens ne aperias fauces tuas in ea; neque dicas, multa certe sunt imposita ei:* v. 12. 13.

2. *Quocunque inspexeris, ne extendas manum tuam* v. 16.

3. *Ne cum alio in patina collidas.* v. 17.

4. *Comede ut homo, quæ apposita sunt tibi, neque devora: ne odio habearis.* v. 18.

5. *Desine primus, civilitatis causa: neque esto insatiabilis, ne forte offendas.* v. 19.

6. *Si inter plures consederis, ne primus eorum extendas manum tuam.* v. 20.

§. 35. Hæc in conviviis maxime sunt attendenda. Nuspiam tam accurata sobrietatis habenda est ratio, quam ubi ad voracitatem & ebrietatem invitat occasio: quæ in conviviis potissimum se offert. In quibus, ut obiter hoc moneamus, *Bacchilides* quatuor requirit. (1) *Modicum cibi potusque apparatum.* 2. *suave colloquium.* 3. *veram convivarum benevolentiam.* 4. *bonum vinum.*

Varro apud *Gellium*, lib. 13. cap. 11. Convivium numeris suis absolutum esse ait, si 1. *homunculi belli sint collecti.* (2) *Locus sit bellus.* (3) *Tempus sit bellum.* (4) *Apparatus non sit neglectus.* Idem convivas requirit neque *loquaces*, neque *mutos*. Quia *eloquentia in foro, silentium in cubiculo esse debet.*

Numerum convivarum, ait, incipere oportere à *numero Gratiarum*, & progredi ad *numerum Musarum*: hoc est, non vult esse pauciores tribus, neque plures quam novem.

§. 36. Quæritur (1) *An is etiam sit temperans & sobrius qui bis de die comedit?*

Resp. *Plato* in epistola ad amicos *Dionis* scribit: *non posse apud eos prudentiam esse, qui quotidie bis saturi fierent:* existimat enim geminam illam saturitatem multorum morborum esse causam. Sic & *Thomas Aquinas* necessarium esse temperantiæ & jejunii requisitum statuit, ut de die semel tantum comedatur.

Nobis *contrarium* videtur: nempe temperantem esse posse etiam qui bis de die comedit, & intemperantem quoque, qui non nisi semel comedit. Præscribit enim temperantia mediocritatem in cibo & potu, quam observare potest etiam is, qui singulis diebus, exigente ita natura, bis comedit: Et è contrario negligere, qui semel tantum comedendo naturam cibo & potu obruit.

§. 37. Quæ-

§. 37. Quæritur (2) *An veteres semel tantum in die cibum sumserint?*

Resp. *Affirmativam* ex doctis nonnullis adstruunt, secuti *Servium*, in lib. 4. Æneid. ubi apud veteres prandia in usu fuisse negat: cui adstipulatur *Isidorus* lib 2. cap. 20. *Cassiod.* in Psal. 14. *Alexand. ab Alex. Haymo*, Dom. 2. post Trinit. *Pomponius Sabinus:* quam in sententiam quoque *Seneca* trahitur. epist. 122. *Salvian.* lib. 1. de provid. p. 11. *Boethius* lib. 2. de consolat. Philosoph. Met. 5. *Lambinus.*

§. 38. Contra vero *negativam* plurimi & maximi Autores amplectuntur, unde inscitiæ *Servium* arguunt *Bodinus*, *Beroaldus*, *Bisciala*, *Cæl. Rhodig.* & alii, qui & prandia & cænas veteribus *Græcis* & *Latinis* in usu fuisse ex gravissimis autoribus probant, inter quos à *Beroaldo* laudantur *Cicero*, *Plautus*, *Terentius*, *Macrobius*, *Plinius*, *Herodotus*, *Cornelius Celsus*, *Hippocrates*, *Juvenalis*, *Valer. Max.* Quos ut & alios ex professo quoque allegant *Stuckius*, Antiquit. Couviv. lib. 1. cap. 11. & *Tobias Magirus*, in Polym. tit. *Cibus.*

§. 39. Itaq; procul omni dubio, falsa est *affirmativa*, nisi certa cum limitatione admittatur, 1. de aliquibus, non omnibus priscis tum *Græcis*, tum *Romanis:* quamvis vix ulla nominari possit Respub. cui nullo modo in usu fuerint prandia, 2. de cibo ad satietatẽ singulis diebus bis sumto, ita ut sensus sit, aliquos ex veteribus *Græcis* & *Romanis* semel tantum diebus singulis ad saturitatem sumsisse cibum. Unde quod *Plato* miratus est, *Siculos* atque *Italos* bis in die cibis impleri, *Muretus* & *Mercurialis* ita interpretantur, quod rari tunc essent, qui ad satietatem usque bis cibum de die acciperent. Quod & *Celsus* l. 1. c. 1. de Romanis notat. Fuerunt enim *Græcorum* prandia parca atque tenuia: etsi interim non plane nulla, ut allegati autores testantur. *Alex. Magn.* ajebat, ad prandii condimenta nocturnas profectiones optimas esse, ad cænæ autem, prandii parcitatem.

§. 40. Objicitur quoque *Plutarchus*; qui, allegante *Stuckio* ex *Sympos.* 8. q. 6. tradit, *olim infames fuisse, qui ante cænam quicquam edebant.* Non tamen *Plutarchi* videntur verba, sed *Soclari* filiis *Plutarchi* patrocinantis. *Antiquitus*, inquit, *prandium vitio vertebatur, & ideo acratisma dictum ajunt ab incontinentia ducto vocabulo*; (ita habet interpres latinus: sed Plutarchi textus nihil de prandio: verba ejus sunt: τὸ μέν τοι πρότερον δειπνεῖν ὄνειδος ἦν πάλαι, καὶ τὸ ἀκράτισμα, &c.

Illico autem interpellans *Theo. Nequaquam*, inquit, sed fides adhibenda est iis, qui vitæ rationem, qua prisci usi sunt, memo-

riæ

riæ prodiderunt. Hi docent illos, cum & laboribus dediti & temperantes essent, mane panem edisse mero intinctum, aliud nihil: itaque hoc dictum fuit ἀκράτισμα, cum *acraton* sit merum: putant nonnulli, litem hanc componi posse, si dicamus, prandia non omnium omnino civium fuisse, sed lautiorum tantum, qui pransuri & ipsi sine ulla ferculorum pompa, aut apparatu splendido, privatæ mensæ accubuerint. Item si dicamus, eandem rem cænæ prandiique nomine significari, *Festo* teste.

§. 41. Non placet *prior* conciliatio. Solis lautioribus civibus prandia veteres nuspiam vendicant: Sed absque discrimine, *Romanis* & *Græcis* usitata fuisse scribunt: quamvis parciora fuisse haud obscure innuant. Et vero probabile est, mechanicos potius & agricolas iis indulsisse, quam cives lautiores: quia laboribus potius, quam quiete, prandendi desiderium excitatur. Omnium vero minime posterior arridet: quia & prandia & cænas distincte veteribus tribuunt historiæ: quibus interdiu, vel etiam sæpius sumtos esse cibos testantur, quamvis bis saturari non adeo frequens apud Græcos fuerit.

Xenophon, lib. 8. παιδ. Cyri, veterum Persarum mores cum novis conferendo, *erat*, inquit, *apud illos olim hoc institutum, ut semel tantum pascerentur*, quo tam ad expedienda negotia, quam ad laborum excercitationes die toto fruerentur. Jam restat quidem ut semel duntaxat cibum capiant: sed cum eo tempore vesci incipiant, quo solent, qui maxime matutino prandent, tamdiu comedere & bibere perseverant, quam diu solent, qui sero admodum cubitum abeunt. En *Persis* simillimos è *Germanis* nostris nonnullos: quorum laudari possit μονοσιτία (μονοσιτεῖν enim semel tantum in die pasci reddit interpres) nisi per integrum ea diem & noctem continuaretur.

§. 42. Quæritur (3) *An per sobrietatem liceat quoque interesse conviviis?*

Resp. Convivii etymon eleganter exprimit *Cicero* de senectut. *Bene majores nostri accubationem epularem amicorum, quia vita conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius quam Græci*, qui hoc item tum *compotationem* (συμπόσιον) *tum concœnationem* (σύνδειπνον) *vocant*. Idem ad *Pætum*: *Sapientius nostri, quam Græci illi συμπόσια & σύνδειπνα, id est, compotationes aut concænationes, nos convivia, quia tum maxime simul vivitur.* Ut autem antiquissima est conviviorum origo, sic & magna eorum varietas, quam in antiquitatibus convivialibus persequitur *Stuckius*, ubi convivia recensentur *fœderalia*, *hospitalia*, *exequialia*, *connubialia*, *prytanensia*, *vindemialia*, *inaugura-*

auguralia, *puerilia*, *servilia*, *sacra*, *regalia*, *militaria*, *consularia*, *decurionalia*, *rectoralia*, *doctoralia*, *Magistralia*, *judicialia*, *quæstoria*, &c.

§. 43. *Conviviis* hodie inimici sunt *Anabaptistæ*, quia sanctimoniæ singularis præ se speciem ferentes à conviviali consuetudine alienos esse *Christianos* volunt, quasi conviviis male conveniat cum religione & sobrietate.

Quod si non de omnibus, sed aliquibus tantum conviviis sentirent, facile assentiremur: siquidem apud veteres male audiunt convivia *Persica*, *Medica*, *Sybaritica*, *Syracusana*, *Sicula*, *Italica*, *Syra*, *Lydia*, *Tyrrhena*, *Agrigentina*, *Cyrenensia*, *Chia*, *Tarentina*, *Ægyptia*, *Babylonica*, *Japygia*, *Massiliensia*, *Mylesia*, *Scythica*, *Abydona*, *Ephesia*, *Samia*, *Colophonia*, *Jonia*, *Byzantina*, *Thessala*, *Ætholica*, *Arycandia*, *Zacynthia*, *Campana*, *Cumæa*, *Asiatica*: quæ per summam gentium harum luxuriam famosa fuerunt, quibus similes & famosiores quoque fuerunt *mensæ Antoniana*, *Cleopatrica*, *Neroniana*, *Diocletiana*, *Domitiana*, *Vitelliana*, *Apitiana* &c. Contra vero sunt & convivia sobria atque frugalia; quo nomine apud veteres celebrantur *cœnæ Deorum*, *cœnæ Saturniæ*, *Philosophicæ*, *Platonicæ*, *Laconicæ*, &c. quibus quarumque similibus interesse per sobrietatem omnino licet. Finis enim hujusmodi conviviorum est honesta recreatio & jucunda atque liberalis amicorum conversatio, in quibus nulli invito obtruduntur pocula, nullus cibo potuque obruitur, & sua cuivis libertas permittitur: quo nomine laudatur *Agesilaus*, rex Spartanorum, qui forte in convivio magisterium nactus pincernæ interroganti, *quantùm cuique convivarum vini juberet apponi*, respondit: *Si multum vini in promptu est, cuivis quantum poscet, fundito: si parum, æqualiter inter omnes distribue. Hac dexteritate*, inquit Plutarchus, *mire prospexit*, *ne vini copia deesset*, *quibus placeret largior potatio*, *vel ad bibendum cogerentur*, *quibus placeret sobrietas.* Utinam vero talia quoque essent *Germanorum* convivia, talesque eorum magistri & moderatores! Non quales olim inter *Græcos* & *Romanos*, ubi convivii Dominus certam poculorum mensuram singulis convivis præscripsit & importune à singulis exegit. Ipsi etiam convivæ diris imprecationibus se invicem ad bibendum invitarunt & coegerunt, Deorum minitati iram atque indignationem iis, qui bibere recusarent! Iidem inter initia cœnæ minoribus biberunt poculis: tandem saturi & uvidi majoribus se provocarunt: quod erat *more græco bibere*, & ut facete loquitur *Stuckius*, *methodo Synthetica* à minoribus ad majora progrediente. Barbarum hunc morem perstringit

ſtringit *Philo* de ebrietate, & *Ambroſius* de Hælia & jejunio, cap. 13. qui apud *Indos* quoque receptus fuit, teſte *Philoſtrato*, lib. 2. Eadem & *Germani* noſtri utuntur methodo.

§. 44. Hujuſmodi conviviis uti interdicit nobis ſobrietas: Sic ad frugalia & ſobria nos facile admittit: quæ ſanæ mentis Theologi & Philoſophi nunquam improbarunt, neque averſati ſunt ſancti veteris & N. T. qui & alios ad ſe invitarunt, & ab aliis invitati ſe ſtiterunt. Quin & ipſe Chriſtus convivio alios excepit & ad aliorum convivia acceſſit, teſte hiſtoria Euangelica. De conviviis *Chriſtianorum* in Eccleſia Veteri ita *Tertullianus* in Apol. 39. *Comeditur quantum ad famem valet depellendam: tantum bibitur, quantum ſatis eſt pudicis & caſtis: oratio auſpicatur & claudit: confabulantur inter ſe, quaſi Dominum præſentem habeant, qui audiat.*

Contraria μονοφαγία olim probroſa fuit tanquam aliena ab hominis natura. Eſt enim homo animal ἀγελαστικὸν, ſocietatis tam in vita, quam in victu amans. Ἔῤῥ' ἐς κόρακας μονοφάγε: inquit Poeta.

§. 45. Objicitur (1) *Jeremiæ à Deo præceptum fuit, ne domum convivii ingrederetur*, cap. 16. *Ergo conviviis intereſſe non licet.*

Reſp. Negatur *conſequentia*: Quia prorſus ſingulare & extraordinarum illud in Jeremia fuit: quod futuræ cladis & calamitis eſſe ſignum debuit.

§. 46. (2) *Satius eſt domum luctus, quam convivii frequentare*, Eccl. 7. v. 2. *E. fugienda ſunt convivia.*

Reſp. Negatur *conſequentia*: Non improbat *Eccleſiaſtes* convivia ſimpliciter: ſed intempeſtiva & nimis frequentia.

§. 47. Quæritur (4) *An licitus ſit vini uſus?*

Reſp. Inter objecta ſobrietatis præcipuum eſt *vinum* tanquam potus maxime inebrians, adverſus quem ſobrietas ſe quaſi armat. Unde non immerito quæritur, *an uſus ejus in communi vita ſit licitus?* cum non deſint, qui contradicant.

Et olim quidem *Encratitæ*, qui à temperantia & continentia, quam profitebantur, ſic dicti, diſcipuli *Tatiani*, vinum docuerunt eſſe quiddam abominabile & diabolicum; omneſque vino utentes ἀνόμους eſſe & ἁμαρτάδας, legis tranſgreſſores & peccatores, quibuſcum nihil commercii habere pii debeant: vitem non à Deo, ſed à ſerpente, diabolo, terræ commixto productum, indeque in vino *Draconis* venenum latere & ad innumera mala hominem extimulare. Hos ſecuti *Manichæi*, circa annum Chriſti 280. qui vinum dicebant *fel* eſſe *principum tenebrarum*, teſte

Auguſt.

August. lib. ad *Quod vult Deum.* Idem & *Severiani* docuerunt. *Turcæ* quoque ex præcepto *Mahomedis* vino abstinent, illicitum ejus ducentes usum: quibuscum hodie plerique *Judæi* sentiunt, ex Præcepto non *Mosis*, sed quorundam *Rabbinorum* suorum. Olim in *Massilia* & *Mileto* vini usus plane interdictus erat fæminis. Apud *Romanos* vino abstinere debuit fæmina libera, *Plini.* lib. 14. cap. 13.

Item servus & Ephebus, ad annum ætatis usque 30. In universum *Italas* mulieres nescivisse vinum, scribunt nonnulli, teste *Cal. Rhodig. Malorum omnium metropolim* vinum appellat Græcus quidam eodem teste, lect. Antiq. lib. 28. cap. 28. ubi & *Aristophanes* allegatur, qui οἶνον ἀφροδίτης γάλα, *vinum* appellat *lac veneris*: Ibidem plurima & maxima vini incommoda recenset. Est quoque vino iniquior *Hermolaus Barbarus*, qui vituperationem ejus scripsit è multis consutam ebrietatis damnis.

§. 48. His non obstantibus, licitum vini usum affirmamus & probamus.

(1) Quia ut vitis; ita & fructus vitis, unum est inter creaturas Dei: quas omnes bonas in usum hominis Deus condidit. Genes. 1. v. 12. unde *Paulus*, 1. Tim. 4. *Quicquid creavit Deus, bonum est, nec quicquam rejiciendum.*

(2) Quia inter quotidiana Dei beneficia numeratur Psal. 104. v. 15. *Hos.* 2. v. 9. *Jerem.* 31. v. 12. *Eccles.* 31. v. 31. 32.

(3) Quia usum ejus modicum Apostolus præcipit, 1. Tim. 5. v. 23.

(4) Quia vini modice sumti usus est maximus: unde οἶνος Græcis dici creditur ἀπὸ τῆς ὀνήσεως, ab emolumento. *Dioscorides* lib. 5. de vini usu hæc sunt: *vinum omne, quod purum &c. communiter hæc præstat: calefacit, facillime digeritur, stomacho utile est, cibi appetentiam excitat, corpus alit, somnum conciliat, vires firmat & amabili colore cutis bonitatem commendat.* Plin. lib. 23. cap. 1. *vino aluntur vires, sanguis colorque hominum. Asclepiades* vini utilitatem tantam esse prædicavit, *ut vix Deorum potentia æquari possit.* De vini usu multiplici & magno disserentem vide *Janum Cornarum*, de re vinitoria lib. 1. cap. 20. Et *Bruierin.* de re cibaria, l. 17. c. 8. & passim Medicos. Prolixiore vini commendatione opus non est: quia, qui id vituperent, paucissimi sunt: nihil in eo, præter abusum, reprehendi potest.

Objicitur in contrariam sententiam.

§. 49. (1) *Apostolus expresse dicit, bonum esse vinum non bibere*: Rom. 14. 21. *E. abstinendum est à vini potu & usu.*

Resp. Negatur *consequentia*: ratio est, quia Apostolus non ab-

 solute

solute dicit, *bonum esse vinum non bibere!* sed cum conditione: *si bibatur cum infirmi fratris offensione!* ibidem ait, *bonum esse carnibus non vesci*, sed cum eadem conditione. Neque de vino tantum Apostolus loquitur, sed & de quovis alio potu: cujus usu offendi infirmus frater possit. Abusi sunt olim hoc loco *Encratitæ* & *Manichæi* teste *Augustino* de morib. *Manichæor.* c. 13. & 14. vinum Christus bibit, biberunt & Apostoli. *Ignatius*, auditor Johannis, scribit, ad *Heronem* Diaconum *Antiochenum*; οἴνου καὶ κρεῶν μὴ πάντῃ ἀπέχου, οὐ γάρ ἐστι βδελυκτά.

§. 50. (2) *In vino est ἀσωτία h. e. luxus, ut interpretantur,* Eph. 5. v. 18. *E. ab eo est abstinendum.*

Resp. *Antecedens* negatur. Apostolus non ait, in vino esse ἀσωτίαν, sed *ἐν τῷ μεθύσκεσθαι οἴνῳ, si quis inebrietur vino.*

Observandum hoc loco, ἄσωτοι ratione originis suæ significare perditum & deploratum, de cujus salute spes nulla est, quales sunt ebriosi. Vino malum hoc tribui non nisi per accidens potest, nempe non usui, sed abusui ejus.

§. 51. (3) *Usus vini impedit sapientiam. Ergo est illicitus. Antecedens* prob. ex Eccles. 2. *cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut transferrem animum meum ad sapientiam.*

Resp. *Antecedens* negatur: non usus sed abusus vini sapientiam impedit: Modicus vini usus subtiles reddit spiritus, & ad sapientiam investigandam acuit. *Probatio* ex allegato loco nulla est, quia vitiosa est vulgata versio, ex qua objectionem hanc format *Thomas*: eandem versionem sequitur quoque *Lutherus*: longe alia est *Piscatoris*. Da forschet ich in meinem Hertzen/ wie ich meinen Leib mit Wein möchte zart machen: also daß mein Hertz sich zur Weisheyt gewehyete. Ita vero contrarium hic locus adstruet. Textus hebraicus difficilior est: videantur notæ *Junii*.

§. 52. (4) *Vini usum dissuadet Hermolaus ex effectis ejus. Non est quicquam*, inquit, *unde plus flagitiorum & scelerum fit. Nam quod pedes, quod lingua nutent, quod furimus, quod mente movemur, quod denique unus omnium animantium homo libidine & rei venereæ semper indulgeat, vino acceptum ferre par est. Jam assiduos morbos, repentinas mortes & venena epota cui verius adscribat? ut arcana per hac prodita & animi secreta prolata & testamenta tunc maxime taceam.*

Resp. Non fluunt hæc mala ex vini usu, sed ex abusu & ebrietate.

Atqui

Atqui propter abusum rei bonæ non est tollendus usus. Eadem ratione ferri & omnium metallorum usus quoque prohiberi posset: quia abusus eorum quoque magnus est. Imo nullus in universum est potus vel cibus, cujus abusus non sit noxius.

§. 53. (5) *Magna aquarum copia nobis prospexit natura. Ergo vino opus non habemus* Unde *Pescennius Niger* militibus in Ægypto vinum petentibus respondit: *Nilum*, hoc est, *Nili aquas habetis, & vinum petitis?*

Resp. *Consequens* assertioni nostræ non contradicit: Nam & ejus, quo opus non habemus, licitus esse usus potest: Neque *consequentia* est ulla. Non enim frustra vitem Deus condidit & per eam vinum dedit: uti non unam vel alteram animantibus plantam vescuam dedit, sed species propemodum innumeras: quas variis instruxit viribus: ut, quod uni deesset, per aliam suppleretur. Ita peculiaribus quoque vinum viribus instruxit; quæ in aquis non deprehenduntur: Deditque præter vinum aquas varias, quarum in vino vires non sunt. Sunt qui, propter caloris nativi imbecillitatem, ferre aquam non possunt: quibus per vina succurritur. Vini in Medicina usum multis commendant Medici.

§. 54. (6) *Terra sua sponte vinum non profert, sed coacta magno labore. Ergo naturale, non est, adeoque non expetendum. Unde gentes multæ vini usum consensu rejecerunt: multis etiam ad malorum remedia vites ademtæ.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: Nam & sponte sua sine laboriosa cultura uvas producunt vites; quamvis minus eæ sunt durabiles. 2. *Consequentia* nulla est: Etenim naturale vinum esse non desinit; etiamsi cultura hominum indiget. Non enim cultura vitem facit, aut vim gignendi uvam ei confert, quam à creatore habet: sed conservat saltem & vim insitam excitat. Eodem tendit cultura plurimarum plantarum frugiferarum, quæ cibos homini subministrant. Neque si naturale vinum non esset, ideo expetendum non esset; cum & panis plane naturalis non sit: siquidem non paratur sine arte, uti & alii cibi: neque medicamenta composita sola nobis natura subministrat: quæ tamen nihilominus expetimus: illos quidem famelici: hæc vero ægri. Gentium nonnullarum consuetudo legem aliis non dat.

§. 55. Hactenus tractata quæstio de licito vini usu. Tu vero noveris, amice lector, de vini generosi, puri, meraci, etiam modice sumti usu à vulgo & doctis multis dissentire quoque doctos haud paucos: qui generosum & meracum vinum quamvis modice sumtum plus incommodare naturæ, quam commodare, asseverare scribunt & contendunt. Tractat hoc argumentum *Drexelius*

xelius lib. 1. de Jejun. cap. 4. *Opinio*, inquit, *est vulgatissima vires prostratas & stomachum officii sui immemorem vino nobili & generoso plurimum juvari posse. Hic orbis scopulus, imo hic tumulus est, in quem quotidie innumera præcipitantur funera.* Vinum meracum, *ajunt*, si moderate ac modice bibatur, perditas vires reficit, stomachum frigidum calefacit, conducit mirifice. *O boni erratis amplissime & quidem toto cælo!* Hoc ajo: *Stomachus vel natura, vel senio vel morbo debilitatus ac frigidus vino nobili non tantum non juvatur, sed multum affligitur, violatur depravatur, perditur.* Rationem reddit è doctissimorum suffragiis hanc: *quia inter stomachum hujusmodi & vinum hujusmodi nulla est proportio, non vult à suo hospite stomachus superari calore. Conjugium nimis dispar est stomachus malus & vinum bonum, hoc est, generosum, meracum, seu aqua non dilutum: quod incredibiliter stomacho imbecillo officit. Junge pares & sanitati consules Stomacho debili vinum debile aut lymphatum convenit.* Repetit idem: *stomachus vel à natura, vel à senio vel à morbo debilis à vino nobili noxam trahit certissimam: nobilitas vini fractas stomachi vires non tam reficit, quã opprimit. Ita ipsi nos sæpissime perdimus beneficiis. Vinum generosum inter prima morbi pharmaca numeramus. Sed heu quantum erramus & venenum bibimus pro alexipharmaco! corpus fovere cupimus, quod ignorantia miserabili destruimus. Nimirum suaviter perire juvat. Licet dicere: Intelligite insipientes & stulti aliquando sapite. Vinum generosum ac nobile iis, (notate dicta) qui stomachum aut natura, aut senio, aut morbo debilem & enervum habent, non tam fomentum, quam exitium est.*

§. 56. *Sed unius*, inquient vini potores & amatores, *monachi hæc sententia est.*

Resp. Non unius monachi, sed doctissimorum quoque Medicorum, quos ille duces sequitur: quia rationem illi & experientiam sequi ducem videntur.

Vallesii, Philippi II. Hispani regis, medici memorabilia sunt verba, sacræ philosoph. c. 29. *Nihil arbitror stultius, quam sene caloris augendi gratiâ, vino abundanter, meraco præcipue indulgere. Quanto enim vinum calidius est per se, tanto majori ventris ac viscerum omnium calore opus est, ut superetur: alioqui à minori acescit crudumq; succum auget, unde & calorem naturalem suffocat & morbos innumeros parit, ac mortem properat. Quare vinum esse lac senum non valde probo. Censeo potius senibus sensim esse dandum dilutius, usque dum in extremo senio constitutis toto vino detracto detur pro eo mulsa aut decocta aqua:*

satius

satius enim est permittere calori naturali sensim venire ad naturalem interitum, quam vino obruere & senectam facere miserabilem & breviorem.

Thomas Mrmannus Ducum *Bavariæ* medicus celeberrimus dicere solitus est. *Vinum bonum non minus difficulter digeri, quam bubali carnis prægrande frustum.* Unde *vinum potens vinũ nocens* appellatum: ut veteribus Græcis, *vinum bonum, caput malum.*

Cardanus de sanitat. tuend. lib. 3. cap. 87. *vinum potens*, inquit, *longo usu ventriculum enervat & ex toto destruit, aquâ etiam crudâ deterius existens: primum quod jecur excalefaciendo cogit cibum crudum trahere & ipsum inflammando sitim exacuit & obstructiones parit: deinde quod crudos humores, qui in ventriculo sunt, celerius, quam oporteat, faciat penetrare: quodq́; omnium pessimum, cum ventriculus natura frigidus sit, ab his confirmatur, quæ nutriendo similia sunt, à contrariis substantia illius extenuatur. Unde qui potenti utuntur vino omnes brevi, nisi prapinguem habeant ventriculum, tabescunt* &c. Item: *vinum potens exurit jecur: quo malo nihil est dirius: quod enim semel ustum est, nunquam magis restituitur, quam caro, quam lignum, quam panis adustus: deinde vinum viribus pollens humores crudos deducit, ad intima & ex iis lapides generat. Jam vero si copiosum aut potens vinum bibas, idq́; non mutetur, urit ventriculum & jecur: Si mutetur, cerebrum petit, furorem gignit atq́; incontinentiam, aut certe acescit debilitatque non solum stomachum, sed & hepar: pituitam deducit ad nervos & bilem flavam exacuit*, &c. Hanc ob causam *Cardanus* vino tenui & valde diluto est usus.

Johannes Zechius, Medicus & Professor Bononiensis: *Illud unum*, inquit, *hic silendum non est, vinum vinosum & potens languenti ventriculo nocentissimum esse, si largius potetur: ægre enim admodum superatur,* Consult. 71.

Alexander Petronius, *Gregorii* XIII. Medicus vinum potens improbans dilutum seni bibendum judicat: quod homines & animantia cætera, præcipue vero pisces, qui aqua passim utuntur, fere perpetuo sani degant: longioremque vitam homines, qui aquam, quam qui vinum potant, plerunque sortiantur.

Julius Alexandrinus, *Maximiliani* II. medicus lib. 16. Salubrium, cap. 9. docet vinum aqua semper esse diluendum, quæcunque tandem humani corporis, & valetudinis sit constitutio, idque etiam frigidæ corporis affectioni convenire, *Thomas Thirmaier* ducis *Bavar.* Medic. addit, si duo adolescentuli optimæ naturæ & sanitatis pari lege una educarentur, omnibus paribus, solo potu dispari, ita ut alter vinum biberet meracum, alter

alter aqua dilutum, juraturum se aliquot annis diutius victurum eum, qui dilutum, quam qui merum bibit. Hactenus medicorum judicia: Interim & facile omnes consentiunt, licitum esse & salutarem vini usum, si modicum sumatur & aqua temperatum, si fortius & generosius sit.

§. 57. Quæritur (5) *Quibus potissimum competat modicus vini usus & quos maxime deceat sobrietas?*

Resp. Omnes quidem homines decet sobrietas: quæ in modico vini usu consistit: præ aliis tamen *Magistratus*, *sacerdotes*, seu *verbi ministros*, *mulieres* & *adolescentes*.

Magistratus & *sacerdotes*, propter officii dignitatem.

Mulieres, propter sexus imbecillitatem.

Adolescentes, propter ætatis lubricitatem.

§. 58. Nullibi periculosior est ebrietas, & magis necessaria sobrietas, quam in *Magistratu*, præsertim *Monarchico*, Rege & principe. Quo enim major est ebrii potestas, eo periculosior & atrocior ejus est abusus. Armat enim ebrium principem & regem adversus subditos & divina atque humana jura immodicus vini usus, qui comites in multis habet blaspemias, cædes, adulteria &c. Hinc *Carthaginenses* toto Imperii tempore magistratibus suis vinum interdicebant: quia abstemios & frugales principes Reip. prodesse, temulentos autem & luxuriosos obesse putabant: *Alex. ab Alex. l.* 4. cap. 6. Apud *Troglodytes* Reges, privilegio quodam, non nisi mulsum biberunt. *Cæl. Rhodig.* A. L. lib. 18. cap. 31. Sic & *Plato* Magistratibus, donec in honore essent, vinum prohibuit: *Alex.* ab *Alex.* lib. 3. cap. 11. vide supra ἐκϑ. 2. Ex *Solonis* lege princeps ebrius morte erat multandus. *Carthaginensium* lege vinum gustare nefas erat iis, qui in castris essent. Vini parcissimus *Romulus* ad cænam vocatus non multum bibit: quia postridie negotium haberet. Dicenti vero, *Romule, si isthoc omnes homines faciant, vinum vilius sit:* respondit: *Imo vero carum, si quantum quisque volet, bibat: nam ego bibi, quantum volui. Gell.* lib. 11. cap. 14.

§. 59. *Sacerdotes* quoque & verbi divini ministros, propter officii dignitatem, sobrietas inprimis decet: Nulla enim officii sacri parte recte fungi possunt ebrii vel publice, vel privatim: neque magis profanari mysteria regni cœlorum possunt, quam ab anima ebria & vinolenta. *Siccam animam requirit sapientia.* Unde Episcopum Apostolus requirit sobrium, non vinosum 1. Tim. 3. v. 2. 3. Aaroni & Filiis ejus reliquisque sacerdotibus præcepit Deus, Levit. 10. sub pœna mortis, *ut tabernaculum testimonii ingressuri vino & inebriante potu abstinerent:* Rationem

nem addit: *ut possint discernere inter sacrum & profanum, inter mundum & immundum, & docere Filios Israëlis statuta Dei.* v. 10. 11. cum sacerdotibus conjungit *Plato consiliarios*, quos & ipsos vino abstinere vult.

§. 60. *Mulieribus* sobrietatem suadet sexus imbecillitas: quia vino turbari facile possunt & inde suæ oblivisci modestiæ atque verecundiæ. Unde *Massiliensium lege* fœminis vini usu prorsus interdictum. Et *Romanis* mulieribus olim ex instituto vini usus plane ignotus fuit, ne in aliquid prolaberentur dedecus. Credebant enim proximum à *Libero Patre* gradum intemperantiæ ad inconcessam esse *Venerem*. Utque an vinum bibissent, ex odore deprehendi posset, cognatis osculum jussæ sunt ferre. *Marcus Cato* scripsit, *licere viro uxorem multare, si vinum bibisset.* Digna observatu sunt *Plinii* verba lib. 14. cap. 13. *Non licebat vinum fœminis Romæ bibere. Invenimus inter exempla Egnatii Mecennii uxorem, quod vinum bibisset è dolio, interfectam fuisse à marito, eumque cædis à Romulo absolutum.* Fabius Pictor in annalibus suis scripsit, *matronam quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, à suis inedia mori coactam.*

Vide & *Gellium*, lib. 10. cap. 23. *Valerium Max.* lib. 2. cap. 1. *Athenæum*, lib. 10. & *Ambros.* in lib. de *Helia* & Jejunio cap. 18. ubi sapientis laudat sententiam. *Mulier ebriosa ira magna.*

§. 61. Denique & *Adolescentes*, propter ætatis lubricitatem, à nimio vini usu maxime arcendi: quia, propter judicii imbecillitatem, animi plerunque sunt impotentes & à vino turbati, quod fieri per ætatem facillime potest, ad quævis induci possint flagitia. Hinc apud *Romanos*, etiam ante trigesimum annum vinum bibere viris probrosum fuit. Scribit *Heraclides* in Politiis, olim pueros puellasque, donec ad conjugium accederent, aquam bibisse. *Plato* in LL. lib. 2. adolescentibus ante 18. æt. annum prorsus vino interdixit, postea usum ejus moderatum concessit, sed ne ante 40. ann. liberalius se invitarent.

§. 62. Quæritur (6) *An per sobrietatem liceat in alterius salutem bibere?*

Resp. Antiquus est *pro salute bibendi* mos, qui etsi apud *Germanos* modo est receptissimus, tamen *Germanos* habere autores non videtur. *Fuit hic mos*, inquit *Lambinus* in Plaut. *antiquorum Græcorum & Romanorum in propinationibus, bene precari sibi & suis. Est enim Græca loquendi consuetudine dictum à Plauto*, Bene vos, bene vos: *& subintelligitur* εὔχομαι, id est, *precor, seu opto, quod latine diceremus, precor ut vobis bene sit, bene*

nobis, *bene mihi* &c. *vel*, *bene vos vivere precor* &c. Idem propter suos & amicorum successus bibere consueverunt: quo illud *Horatii* spectat. *Da puer, auguris Murenæ:* ubi græco more subintelligendum *causa*, hoc est, *da ut bibamus propter auguratum Murenæ.* Olim in *liberalibus*, tot exhauserunt Romani cyathos, quot alicui annos precabantur. Unde *Ovidius* lib. 3. Fastor.

Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
Quot sumunt cyathos ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.

Sic quoque in honorem & pro salute bibebant cum præsentium, tum absentium, quos amabant, & venerabantur. Quam propinandi consuetudinem suis quoque temporibus usitatam fuisse docet & dolet *Ambrosius*, in lib. de *Helia* & *Jejunio* cap. 17. *Quid autem obtestationes*, inquit, *potantium loquar? quid memorem sacramenta? quæ violare nefas arbitrantur. Bibamus*, inquiunt, *pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro salute ejus non biberit (pia devotionis obsequium!) Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant: Sicut illi, qui calices ad sepulcra Martyrum deferunt, atque illic ad vesperam bibunt, & aliter se exaudiri non posse credunt. O stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placari, qui jejunio passiones sustinere didicerunt. Quos de intemperantia convivii novimus ad tormenta venisse*, &c.

Apud *Moscovitas* hodie eadem obtinet consuetudo, de qua *Sigismundus Baro* oculatus testis ita scribit. *Sciunt pulchre homines invitare ad bibendum, & cum nullam aliam habent propinandi occasionem, incipiunt tandem bibere pro sanitate Cæsaris, fratris ejus Principis, aliorum denique incolumitate, quos videlicet in aliquo dignitatis & honoris gradu constitutos esse existimant Illorum nomine quenquam recusare poculum non debere, nec etiam posse existimant.* Bibendum igitur in alterius salutem de sententia *Græcorum*, *Romanorum*, *Moscovitarum* & inprimis *Germanorum*; quibus est nulla paratior sobrietatis profligandæ occasio, quam hæc propinandi consuetudo, quæ apud *Gallos* quoque obtinet, longe tamen cautior & moderatior, & fere absque damno sobrietatis, quæstionem igitur *affirmamus*, cum limitatione. *Licet bibere in alterius salutem quatenus fieri id nullo sobrietatis detrimento potest:* ratio est: quia hoc modo in alterius salutem bibere est veluti manifesto lætitiæ signo testari, gratam esse

esse nobis alterius incolumitatem, de ea nos lætari & sincere eam exoptare. Quod si sobrie nullo incolumitatis nostræ damno fiat, uti certe potest fieri, non magis improbari potest, quam si quovis alio externo signo lætitiam de alterius incolumitate nostram contestemur.

§. 63. Quod si vero propinantis intentio sit, sanitatis propinatæ poculis alios obruere & de sanæ mentis statu deturbare: respondentis vero implere votum propinantis, uti fieri hodie in *Moscovia* & *Germania* amat; *negativam* amplectimur, ob evidentem rationem, quia sobrietati studere omnes tenemur. *Cavete vobis*, exclamat Christus, Luc. 21. v. 34. *ne quando graventur corda vestra crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & repente vobis superveniat dies ille. Nam ut laqueus invadet omnes, qui habitant in superficie hujus terræ: Excubate igitur.* & *Petrus*, epist. 1. c. 3. v. 7. *Omnium finis imminet: estote igitur temperantes & sobrii, ad preces*: & cap. 5. v. 8. *Sobrii estote, vigilate, nam adversarius ille vester, ut leo rugiens obambulat, quærens quem absorbeat.* Cogitent hoc *Aulæ* & *Aulici*, qui ita aliorum propinant & bibunt salutem, ut suæ jacturam faciant. *O te beatam regionem*, exclamat Ecclesiast. cap. 10. v. 14. *cujus Rex natus est clarissimus, & cujus principes suo tempore comedunt ad robur non autem ad compotationem.*

§. 64. Quæritur (7) *An etiam carnis usus sit licitus?*

Resp. Alterum sobrietatis objectum primarium est *Caro*, cujus fere tam frequens, quam vini, est abusus. Unde quæsitum olim, *an fas sit carnibus vesci?* Scribit in antiquitatum libris *Dicaarchus*, *Saturni* temporibus, rejectis carnibus, omnes frugibus & pomis vesci solitos. Unde illud *Ovidii* profectum.

At vetus illa ætas non polluit ora cruore.

Triptolemi præcepta circumferuntur tria: *Honorandos parentes: venerandos Deos: carnibus non vescendum.* Unde carnium esum in carmine detestatur *Orpheus*. Pythagoricos omnium animalium esu abstinuisse in sympoliacis tradit *Plutarchus*, ex quorum mente *Ovid* lib. 15. Metamorph. exclamat.

Heu quantum scelus est, in viscere viscera condi!

In eadem hæresi ex veteribus Philosophis multi fuerunt; quam Ecclesiæ quoque obtrudere conati sunt *Encratitæ* & *Manichæi*. Fundamentum ejus præcipuum fuit μετεμψύχωσις *Pythagorica*: ut patet ex *Plutarchi* orationibus: quibus crudelitatis, intemperantiæ & damnorum plenas esse dapes è brutorum mactatorum carnibus constructas probare nititur: περὶ σαρκοφαγίας. Vide & *Porphyrium*, de *Abstinentia*.

§. 65. Quicquid vero Philosophi & heretici olim delirarint, certum est, carnis usum humauo generi post *diluvium* ab ipso Deo concessum est Gen. 9. v. 3. *omne reptile, quod vivum est, vobis ad comedendum esto: ut viridem herbam illis, sic illa omnia dedi vobis.* Facessant igitur interdicta hominum, ubi expressum est Dei dictum.

§. 66. *An vero ante diluvium quoque licitus & usitatus fuerit carnium esus*, in controversiam vocatur: ita ut alii *affirment*, alii *negent*. Eorum qui *affirmant*, nonnulli promiscuum usum fuisse ajunt: alii pios concessione illa usos negant, quos sobria frugalique victus ratione contentos carnibus abstinuisse opinantur. Qui *negant*, hac potissimum nituntur ratione: quod post diluvium demum legatur permissus carnis esus, etiam per comparationem cibi ante usitati; qui exprimitur Gen. 1. v. 29. *Dederat Deus homini omnes herbas seminantes semen, quæ sunt in superficie totius terræ, omnesque arbores fructiferas, ut de eis comederet.*

§. 67. De concessione animalium ante diluvium nihil legitur. Cur autem post diluvium demum data homini in escam animantia credant, hanc rationem adferunt, quod per diluvium major sit facta hominis indigentia: unde largiore & validiore cibo opus habuerit.

Causas indigentiæ majoris assignant (1) quod post diluvium influxus astrorum humanæ naturæ minus fuerit propitius & benignus. (2) quod salsis *Oceani* aquis perfusa terra multo sterilior sit facta, & sic plantarum vires fractæ. (3) Quod imbecillior hominum sit valetudo, & vita paucorum annorum circumscripta spacio, alimentis fulcienda efficacioribus. (4) Quod hominum in idololatriam & brutorum quoque cultum futura proclivitas hoc modo refrænanda fuerit. Non enim sana mens pro Numine habet, quod in cibum sibi destinatum novit. Unde *Ægyptiorum* veterum à Poëtis derisa stoliditas. Ad carnis esum necessitate & indulgentia aliorum alimentorum olim compulsos esse homines, pluribus edisserit *Plutarchus*; Oratione περὶ σαρκοφαγίας.

§. 68. Hæc *negantium* sententia fundamento solido non nititur.

Concessio carnium post diluvium demum exprimitur: quia tum demum legem de sanguine & suffocato non comedendo sancire Deus voluit. *Consequentia*, quod ante diluvium concessus carnium usus non legatur, nulla est; quia neque panis & potus expressa fit mentio. Sufficit prohibitionem fuisse nullam, si concessionis probabiles adferri possint causæ; quæ non desunt: ut mox

mox videbimus. Ratio, de majori indigentia, *inconsequens* est. Non enim, si major hominis post diluvium facta est indigentia, ante diluvium plane nullum aut illicitum fuisse carnium usum sequitur. Prospexit divina bonitas homini de alimentis non ad necessitatem tantum, sed ad jucunditatem & suavitatem quoque. Quod dicitur de influxu astrorum debilitato & sterilitate terræ per diluvium inducta incertum est. Si carnes vitæ hominum brevi fulciendæ serviunt, quid ni & longiori producendæ. Ratio, de idololatria præcavenda, magni momenti non est; Qui legem Dei & sanam rationem contemnunt, facile quodvis sibi numen fingunt.

§. 69. *Ante diluvium quoque licitum fuisse carnium usum, sequentibus probatur argumentis.*

(1) Quia ad vestitum homini post peccatum concessæ fuerunt exuviæ seu pelles animantium. Non autem est vero simile carnes, tanquam inutiles aut prohibitas fuisse abjectas: cum pleræque pellibus sint præstantiores.

(2) Quia primi homines ante diluvium ex animalibus obtulerunt sacrificia. Atqui ex sacrificatis animalibus pars aliqua in cibum cessit sacrificantibus, quod lege postmodum est promulgatum.

(3) Quia nullo modo probabile est tantam volatilium gressilium & natatilium multitudinem à Deo primum creatam & deinceps, per benedictionem divinam, multiplicatam sine destinatione ad usum esumque humanum: præsertim cum alendo homini pleraque sint accommodata: cujus etiam dominio subjecta ab initio sunt omnia.

(4) Quia curam pastoralem, ante diluvium, viguisse certum est, exemplo *Abelis* Genes. 4. v. 4. Unde pecorum esum, qui præcipuus eorum est usus, fuisse illicitum à ratione prorsus alienum est. *Nisi tunc agni hominibus fuissent ad esum*, inquit *Cajetanus*, in 4. Gen. *nulla fuisset laus Abelis ex eo quod primogenitos pingues elegisset ad divinum sacrificium: perinde enim fuisset Abeli, pingues & macilentos sacrificare, si non propter esum carnium, sed propter solum pellium usum, gregem pascebat.*

§. 70. Quæritur (8) *Utrum præstet carnibus vesci, an abstinere.*

Resp. Supponimus jam licitum esse vesci carnibus etiam per sobrietatem: quia carnium usum esumque homini Deus concessit: qua usi sunt concessione sanctissimi & temperantissimi *Patriarchæ*, *Prophetæ*, *Apostoli*: qui frugalitate & sobrietate nec *Pythagoræ*, nec *Empedocli*, nec *Platoni*, nec *Socrati* cesserunt. *Plutarchus*

tarchus existimat, optimum esse, ita corpus assuefacere, ut nullum requirat carnium esum. *Ratio* ipsius præcipua est; *quia maxime metuendæ sunt cruditates ab esu carnium*, cum ab initio statim valde prægravent & reliquias post se malas relinquant: In lib. de sanit. tuen.*rationem* & hanc subjungit: *Quia non tantum ad nutriendum largiter sufficientia tellus producit, sed etiam ad delectationem voluptatemque facientium copiam*: quibus partim nullum apparatum alium requirentibus vesci possis, partim sexcentis modis miscere & suavia reddere: quibus citra intemperantiæ suspicionem non videntur posse adjungi carnes.

§. 71. Dissentiunt heic à *Plutarcho* Theologi, Philosophi & Medici cum veteres tum recentes, plerique etiam temperantissimi, qui si præstare credidissent carnibus abstinere, quam vesci, dubio procul abstinuissent & naturæ potius rationem habuissent quam appetitus: quin & ipse Deus humi nascentia potius, quam animalium carnes, homini commendasset: quod tamen fecisse nusquam legitur.

Ratio *Plutarchi*, de cruditatibus malisque reliquiis, de omnibus promiscue carnibus recte præparatis & modice comesis, non admittitur. Ut vescuæ plantæ multæ carnibus multis salubriores sunt: sic & carnes multæ multis plantis. An vero una aliqua planta omnibus carnibus sit salubrior, incertum esse & nondum probatum arbitramur. Contra vero probabile est carnes exquisito judicio delectas & probe apparatas modiceque sumtas melius alere, quam plantas. Unde *Georgius Bertinus*, Medicinæ lib. 9. cap. 8. *Carnes cum probe coctæ fuerint, optimum & uberrimum sanguinem præbent, veluti animantium, quæ bono succo constant. Inest autem plus alimenti in carnibus, quam in ullo alio cibo: quandoquidem vicinia & affinitate ad nostram naturam magis accedunt, copiosumque alimentum suppeditant.* Hæc minime contemnenda ratio: quam inculcat quoque *Cæl. Rhodig.* A. L. lib. 2. cap. 17. ubi affirmat quoque *facilius percoqui carnem, quam panem.*

De carnium delectu & differentiis idem eodem modo plura tradit: vide & *Brujerinum*, de re cib. lib. 12. cap. 4. *Hieronym. Mercur.* lect. Antiquit. lib. 1. 2. 3. *Stuckium* Antiq. Conviv. part. 2. cap. 8.

III.

Sobrietati opponitur voracitas *&* ebrietas: *illa in cibo, hæc in potu modum ignorat.*

Ἔκθεσις.

Ἐκθέσις.

§. 1. INCOMMODA *voracitatis* & *ebrietatis* supra recitavimus: hic observanda insignia quædam *voracitatis* & *ebrietatis* exempla: Inter gulosos apud *Romanos* celeberrimus fuit *Apitius*, qui *altissimus nepotum gurges* à *Plinio* vocatur, qui in delicatos & transmarinos cibos omnes suas facultates impendit, cumque de luxu suo ad finem continuando desperaret, per inopiam tandem veneno haustu se interemit. Convellit cænas ejus supercilio Stoico *Seneca*. Imperatori *Aureliano* in delitiis fuit voracissimus & bibacissimus quidam, qui ad mensam Imperatoris uno die edit aprum integrum, centum panes, vervecem & porcum, bibit autem infundibulo ori apposito plus orca. *Milo Crotoniensis* in *Olympico* certamine bovem à se ictu pugni interfectum uno die integrum devoravit. *Astydamas Milesius* ab *Ariobarzana*, Persarum satrapa, invitatus novem convivis paratas epulas solus absumsit. *Horodorus Megarensis*, tibicen, brevi corpore, voracitatis tantæ fuit, ut siliginei panis canistros sex, carnium vero 20. libras solus devorarit. *Clodius Albinus*, Imperator, in *Gallia* uno accubitu solitus fuit comedere quingentas ficos, centum Persica Campana, melones decem, uvas viginti, ficedulas centum, ostrea quadraginta, capones decem. *Maximinus* Imperator, uno die esitavit quadraginta libras carnis, potavitque vini amphoram, adeo ubertim sudante corpore, ut calice sudor colligeretur. *Firmus*, *Ægypti* præfectus, uno die struthionem integrum comedit & duas vini situlas bibit. De *Alexand. Magn.* bibacitate vide *Plutarch.* lib. 1. Sympos. q. 6. Meminit *Plinius* lib. 14. cap. 54. cujusdam vinipotoris *Siracusani*, qui potare tam diu solitus est, donec ova ab ipso terra cooperta fœtum ederent.

§. 2. Quæritur (1) *An ebrietas excuset delictum?*

Resp. Ebrietas est *actualis*, qua quis præter intentionem cum imbecillitatis suæ, tum potus inebriantis naturæ nescius, inebriatur: vel *habitualis*, quæ proprie vocatur ebriositas, qua quis ebrietate delectatur, & sciens ac volens se inebriat.

Prior ebrietas delictum aliquo modo excusat, vel certe pœnam mitigat: *posterior* non excusat: atque huc respexit *Pittacus* quando lege sua sanxit, ut dupla pœna afficeretur, qui per temulentiam aliquid committeret. Quod Aristoteles meminit. 2. Polit. cap. 10. *Thomas* ad hanc quæstionem expediendam in ebrie-

in ebrietate duo considerat & distinguit, *defectum consequentem*, & *actum antecedentem*. Respectu *defectus consequentis*, quo rationis impeditur usus, ebrietas aliquo modo excusat: Quia delictum per eam commissum ex parte involuntarium est, & cum ignorantia conjunctum. Respectu *actus praecedentis* iterum distinguit. *Actus praecedens*, quem sequitur ebrietas, est vel *sine peccato:* ut si quis, urgente siti, bibat liberalius suæ imbecillitatis sibi non conscius, aut potus inebriantis nescius: vel *cum peccato:* Si quis suæ imbecillitatis sibi sit conscius & potus inebriantis naturam probe cognitam habeat: *Priori modo* totaliter excusare; *posteriore* non item, affirmat: quia ex actus præcedentis voluntate peccatum redditur voluntarium, quando sciens illicitæ rei operam dans in peccatum incidit. Interim pro ratione diminuti voluntarii ipsum quoque peccatum diminui arbitratur. Unde *Augustinus* ait, *culpandum esse Loth*, *non quantum incestus*, *sed quantum ebrietas meruit*. Ad *Pittaci* legem respondet *Aristoteles*: *Pittacum* respexisse *utilitatem*, quia plures temulenti, quam sobrii contumeliam inferunt: non *veniam:* quæ potius danda temulentis.

§. 3. Quæritur (2) *Utrum vitium sit deterius*, *voracitas*, *an ebrietas?*

Resp. *Ebrietas*, ob sequentes rationes.

(1) Quia ebrietas hominem reddit furibundum, voracitas non item.

(2) Ebrius ad omnes actiones laudabiles redditur ineptus, vorax non item.

(3) Ebrietas plurium peccatorum & morborum est causa. Hinc in libro, qui inscribitur, *Theatrum Diabolorum*, ater Diabolus ille, qui ebrietatis præses est, (Sauff teuffel) agmen & familiam ducit aliorum.

CAPUT

CAPUT XVII.

De

CASTITATE.

THESIS I.

CASTITAS *est continentia ab amore illegitimo.*

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM castitatis est amor erga sexum femininum & virilem. *Officium* ejus est, modum in amore præscribere & ab excessu affectum hominis retrahere. Commendant autem nobis castitatem *rationes* & *exempla*.

Rationes inter alias, hæ sunt:

(1) Quia insigne hominis est ornamentum. Nam ex Poetæ *Bacchylidis* sententia; *ut egregius pictor vultum speciosum effingit: ita pudicitia celsius consurgentem vitam exornat.* Pertinet huc illud *Melanchthonis:*

Ut cum de statua facies formosa revulsa,
Non decus in reliquo corpore truncus habet.
Sic reliqui mores spreti sine honore jacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiæ.

Pro *dote* pudicitia est sexui fœminino: unde virgo *Lacæna* inops interrogata, *quid dotis esset sponso allatura? Paternam* inquit *pudicitiam:* Et *Bias* apud *Ausonium:*

Quæ dos matronæ pulcherrima? vita pudica.
Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.

Et Horat. Od. lib. 3. Od. 24.

Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

Spontanea vero heic commendatur castitas, quæ sincera & mentem quoque servat illibatam: coacta minus est tuta, minus laudata: De *sententia* Ovidii lib. 3. Amor. Eleg. 4.

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo est.
Si qua, metu demto, casta est: ea denique casta est:

Quæ,

Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus: adultera mens est:
Nec custodiri, ni velit ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas.
Omnibus exclusis intus adulter erit.

(2) Quia castitate ad Deum quam proxime accedit homo: Est enim casta Deus mens, & non nisi casti à Deo exaudiuntur. Unde pulchrum illud *Melanchthonis* distichon.

Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,
Et castas jussit pondus habere preces,
Πνεῦμα ἐὼν Θεὸς ἀΐδιος καθαρόντε καὶ ἁγνόν.
Τῶν ἁγνῶν δέχεται ἱερὰ μοῦνα φρενῶν.

Nec non illud *Scaligeri* lib. 4. Epid.

Cui pura manus, puraque mens, linguaque pura:
Exuit hominem: quin hominem induit Deumque!

Huc pertinet illud *Tibulli:*

Vos quoque abesse procul jubeo, discedat ab aris
Cui tulit hesterna gaudia nocte venus.
Casta placent superis.

(3) Quia castitati contraria libido æternis & temporalibus pœnis afficitur. De æternis pœnis res manifesta est: Siquidem scriptura *scortatores* æternis flammis diserte devovet 1. Cor. 6. v. 9. Gal. 5. v. 19. 20. 21. Eph. 5. v. 5. Heb. 13. v. 4.

Temporales variæ sunt.

(1) Ignominia coram hominibus.

(2) Nefandi & contagiosi morbi.

(3) Exilia: quæ pœna fuit *Davidis Uriæ* conjugem vitiantis.

(4) Excidia populorum, regnorum, urbium, &c. quorum in historiis frequentissima sunt exempla:

1. *Sodomitæ* igni cœlitus delapso conflagrarunt, propter libidinem.

2. *Persarum* legati in Regis *Amyntæ* aula propter eandem confodiuntur.

3. *Xerxes*, qui cum uxore fratris rem habuit, sanguine pœnas dedit.

4. *Lacedæmonii* ad *Leuctra Boeotiæ*, ubi *Spartani* adolescentes *Scedasi* filias corruperant, regnum amiserunt.

5. Reges *Romæ* ejecti sunt à *Bruto* ob *Lucretiam* à *Tarquinii* filio violatam.

6. *Assyrii* regno spoliati, ob effœminatam *Sardanapali* luxuriam.

7. Con-

7. *Constantinopolis* in servitutem redacta est propter effrænatas civium cupiditates.

8. *Gothi* ob libidinem regno sunt exuti.

9. Urbs *Sichemorum* eversa est: urbis principes & omnes incolæ sunt trucidati, *Genes.* 34. v. 25.

10. E *Benjamitis* viginti quinque millia, *ex Israëlitis* quadraginta millia virorum in prælio ceciderunt: *Judic.* 20.

11. Fornicantis populi in *Moab.* 24000. sunt perempta. *Num.* 25. v. 9.

Egregia castitatis commendatio occurrit apud *Zenonem Veronensium* Antistitem: *Pudicitiam qui colit, quanta nobilitatis sit, facillime cognoscit. Est enim tanta virtutis, ut sit honorabilis etiam hostibus suis. Hæc totius humani generis fundamenta confirmat: hæc nominum proprietates universis affectibus præstat: hæc parentum, conjugum, liberorumque sacra jura custodit: hæc in utroque sexu conspicua, in omni ætate miranda, in quavis conditione non dubia, soli sibi devota, semper conscia, prorsus nulli rei subjecta*, &c.

Contra vero ex sententia *Plauti* in Mercat.

Amorem hæc cuncta vitia sectari solent:
Cura, ægritudo, dolor, nimiaque elegantia,
Insomnia, ærumna, error, terror, fuga,
Ineptia, stultitiaque adeo & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas & malevolentia.
Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria,
Inopia, contumelia & dispendium.

Videatur idem in *Cistell.*

§. 2. Hactenus *rationibus* commendata castitas: Suadent eandem *exempla* quoque:

1. In sacris celebris est castitas *Josephi*, qui ab heri sui uxore ad exercendam libidinem se trahi non est passus.

2. Tantam castitatis rationem olim *Athenienses* habuerunt, ut mulieres minus verecunde in publico incedentes mille drachmis multaverint.

3. Apud *Spartanos* olim inaudita fuerunt adulteria. Unde *Geradas* roganti, *quam pœnam apud Spartanos adulter lueret?* respondit: *Bovem dabit, qui, porrecto ultra Taygetum montem collo, bibat ex Eurota fluvio.* Tum alter arridens; *At unde tantus*, inquit, *bos?* Cui Gerades; & *unde apud Spartanos adulter?* *Plutarch.* in Lycurg.

4. *Scipio* præstantes fœminas bello captas & ad se adductas custodiri jussit & intactas reddi.

5. *Cyrus Pantheam Susianam* ab adulatore *Araspo* commendatam aspicere noluit.

6. *Alexander Magnus* ab inspectu uxoris *Darii* captivæ abstinuit, ejusque præconia audire recusavit.

7. *Pausanias* captivam *Coam*, à qua tamen sollicitabatur, contemsit.

8. *Pompeius* pulcherrimam servi sui conjugem nunquam humaniter allocutus dicitur.

In veterum *Germanorum* fœminis castitatem maxime commendat *Sabell.* lib. 2. En. 6. profligatæ apud ipsos pudicitiæ nulla fuit venia, unde & rarissima inter ipsos fuerunt adulteria. Adulteram resectis capillis nudatam coram propinquis domo exegit maritus & toto vico verberibus egit: vide *Tacitum* de morib. Germ. & *Cæsar.* lib. 6. de bello Gall. *Chiorum* fœminæ castissimæ prædicantur: unde adulterium aut concubitus illegitimus inter *Chios* nunquam auditus: *Cœl.* A. L. lib. 13. cap. 7.

Plane heroica fuit castitas Ægyptii adolescentis, *Nicetæ*, cujus mentionem faciunt *Hieronymus*, tom. 1. de vita *Pauli Eremitæ: & Nicephor.* hist. Eccl. lib. 7. cap. 12. Unde libello suo de triumphata incontinentia, *Drexelius* titulum fecit, *Nicetas*. Dedit hoc specimen *Nicetas* sub *Decio* & *Valeriano*, persecutoribus Ecclesiæ. Breviter & eleganter *Nicetæ* hujus de incontinentia triumphum descripsit *Hieronymus:* prolixe, pathetice & elegantissime sacerdos ille pontificius:

Lectus erat supra omnem Sardanapali plumam & Heliogabali olorinam culcitram mollis & delicatus: in hunc abjectus juvenis non ferreis, sed bombycinis vinculis ligabatur. Jam actum esse dixisses de retinenda pudicitia inter tot insidias. Circum circa voluptas sua invitamenta disponebat, quibus pudica mens suæ castitatis propositum vix potuit non vendere. Stabant foliorum germine renidentes arbores, quæ cum hilari odore gratas diffundebant umbras & clementi brachiorum motu dulces susurros obsibilabant. Has inter loquax rivulus & omni Crystallo nitidior errantibus ludebat aquis & querulo rore lapillos vexabat; unde pene musico concentu pulsabatur: utrinque flores & copiosa Zephyri familia. Hinc è viridi prato argentea ridebant lilia, illinc purpurascentes rosæ promicabant: isthinc narcissorum nivem & ebur, hyacinthorum sanguis & aurum acuebat: ventulus ab omni parte placidissimus adspirabat. Heu! quid facies Christiana libertas? Undique ad voluptatem invitaris,

in tot

in tot florum lascivia, in tanta odoris fragrantia, & invitatrici huic voluptati resistes? & quomodo tot pedicas abrumpes? En adrepit etiam petulanti vultu fœmina, quæ tot in te jaciet vincula, quot verba, &, ut basiliscus, solis oculis necabit. Heu! miserande juvenis, quomodo ab hac te vipera servabis illæsum? Nulli unquam sua magis captiva fuit libertas, quam tibi. Oculos aperis? à forma tibi laqueus est: hos claudes? aures patent, per quas veneni satis instilletur. Sed neque manus pugnis, neque pedes calcibus castitati tuæ succurrere queunt. Ah! amissa videtur integritas & expugnatum tot machinis pudicum pectus. Credibilius videtur, Romanum parricidam in culleum cum cane, serpente, gallo gallinaceo atque Simia insutum à vulnere servari posse innoxium, quam te, ô juvenis miserande, à libidinis peste immunem. Quid agas, constrictus teneris, nec patet vel spes evadendi ulla. Lascivus cupido ab omni parte tibi imminet, atque jam jam, quod in te venenavit telum, emittet. At, at, ante victoriam cecinit triumphum venus! Reperit consilium Christianus hic athletes in lethali hac arena. Invenit sibi viam, qua victrix castitas hostem suum triumpharet. Nam dum sic undique oppressus juvenis vicinissimum periculum contuetur, quin ait ipse secum, exurgis, læse pudor, & quibuscunque potes armis, te ipsum defendis? sola lingua vinculum non sentit. Recte est: Lingua mihi telum erit: malo esse mutus, quam parum castus. Dixit, & generosissimo vulnere mediam sibi linguam præmordit, eamque in frontem lupæ, quæ fronte caruit, sanguinolentam ejaculatus est. O Niceta, ô macte virtutis & animi juvenis, qui tot ex orco compedes rupisti & virginei pudoris libertatem in tutum asseruisti, fauce pro pharetra, lingua pro sagitta fortissime usus.

Exempla varia eorum, qui, quod libidinosis mulierculis gratificari recusassent, vel interfecti sunt, vel capitis discrimen adierunt, videantur apud *Muretum* variar. Lect. 1. cap. 12. & *Wilhelm. Cantherium*, novar. lect. lib. 6. cap. 2.

§. 3. Ad castitatem colendam tria imprimis observanda sunt præcepta.

(1) Cum fomentum libidinis sit *otium*, instar pestis fugiendum id fuerit: unde illud *Ovidii*:

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

& alterum illud:

Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter?
In promtu causa est, desidiosus erat.

Pulchre *Bernhardus*, serm. de S. Andrea: *sicut per rimam*

 sentina,

sentinæ, inquit, *aqua latenter intrat & excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergatur: ita ex otio atque ignavia cogitationes pravæ & concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur.*

(2) Si voluptatis imaginem animo conceperis, moderare tibi, nec ab ea movearis. Sed & te examina, & tibi ipsi deliberandi spacium præbe. Est hoc *Epicteti* præceptum.

(3) Memento tibi omnes impudicitiæ occasiones esse vitandas, quales sunt *oculi vagi*, *scurriles sermones*, *joci illiberales*, *ludi scenici & cynici*, *imagines impudicæ*, *cogitationes inhonestæ*, &c. Ex hisce enim plerunque scaturit externus libidinis actus. Plura de his vide, cap. 36. th. 5. q. ult.

Quæritur (1) *An castitas sit virtus.*

§. 4. Castitas à *Cesto* hoc est cingulo virgineo, nonnullis dicitur: aliis à castigo, aliis ab hebræo עשי sanctus fuit: quia castitas est quasi sanctitas animi & corporis: etsi aliis magis arridet radix רשש, quæ *Chaldæis* ornare significat: præ aliis nobis arridet origo græca à verbo κάζω, hoc est, orno, à cujus præterito passivo κέκεσαι regulariter est κασὸς ornatus: quia insignis ornatus est castitas: quam virtutem esse facile est probare: Quia constans est animi propositum vivendi secundum legem, quæ amorem prohibet illegitimum.

§. 5. Objicitur tamen pro *negativa*.

1. *Castitas ad corpus pertinet: Ergo non est virtus animæ* Antecedens prob. *Quia castus aliquis dicitur, quod moderate se habeat ad usum quarundam corporis partium.*

Resp. *Antecedens* exclusive verum non est: etiamsi enim castitas pertinet ad corpus, in quo *materiam* suam & *objectum* habet: tamen ad animam quoque tanquam *subjectum* pertinet: Quia, secundum rationis judicium & voluntatis electionem, aliquibus corporis membris moderate homo utitur.

§. 6. (2) *Virtus est habitus voluntarius, lib. 2. Eth. cap. 4. 6. At castitas non est aliquid voluntarium. E. virtus non est:*

Assumtio probatur: *Quia per violentiam auferri potest fœminis per vim compressis.*

Resp. *Assumtio* negatur: *Probatio* falsa est: Quia violenta corporis passio, quamdiu voluntas in eam non consentit, castitatem non aufert. Hinc *Augustin.* lib. 1. de C. D. cap. 18.

Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis aliena: quam servat perseverantia continentiæ sua.

§. 7. (3) *Virtus non est in infidelibus: Castitas etiam est in infidelibus*

infidelibus. E. castitas non est virtus. Propositio prob. ex *Augušt.* lib. 4. cont. Juli. cap. 3. *Absit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus; absit autem, ut sit justus vere, nisi vivat ex fide.* Assumtio *patet exemplis gentilium.*

Resp. *Propositio* non est simpliciter vera. Contradicit *Paulus.* Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis sunt, faciunt.* Atqui factum legi conforme virtuosum est.

Neque *Augustini* assertio simpliciter vera est, si euangelice justum intelligat; nisi per virtutem veram intelligat perfectam.

§. 8. Quæritur (2) *An castitas sit virtus specialis?*

Resp. *Affirmatur* de castitate proprie dicta, quam in thesi definivimus; ratio est: quia speciale habet *objectum*, nempe voluptatem *veneream*, quam nulla alia virtus in specie moderatur.

§. 9. Excipitur pro contraria sententia (1) *ordinatus animi motus non subdens majora minoribus est virtus generalis. Ast castitas est ordinatus animi motus non subdens majora minoribus. E. castitas est virtus generalis.* Propositio per se manifesta est. Assumtio est *Augustini* in lib. de mendacio cap. 27.

Resp. *Assumtio* non datur, nisi de castitate improprie dicta: quæ versatur circa delectationem in spirituali conjunctione cum eo, cui debet conjungi. Unde *castitas* appellatur *spiritualis*: quæ virtus est generalis: quia per quamlibet virtutem humana mens retrahitur à delectabili conjunctione cum rebus illicitis.

§. 10. (2) *Castitas per rationem castigat quemlibet motum partis appetitivæ: Siquidem à castigando dicitur.* E. *virtus generalis est.* Ratio conseq. *Quia quælibet virtus moralis aliquem motum appetitivum refrænat.*

Resp. *Antecedens* non conceditur nisi de castitate improprie dicta. Castitatem à castigando doctiores *grammatici* non deducunt.

§. 11. Quæritur (3) *An castitas cum conjugio possit consistere?*

Resp. Veterum Theologorum nonnulli & Pontificii hoc *negant*: nos *affirmamus* ob sequentes *rationes.*

(1) Quia Deus per matrimonii institutionem noluit homini præcludere viam ad castitatem, ad quam omnes in verbo suo hortatur.

(2) Quia iis etiam, qui in vita conjugali vivunt, castitas in sacris literis præcipitur, quod citra contradictionem fieri non posset, si cum conjugio pugnaret castitas. Unde recte castitas distinguitur in *virginalem* & *conjugalem:* quibus *vidualem* quoq; *Thomas* adjicit.

§. 12. Excipitur 1. *Ubi desideria carnis explentur, ibi non est castitas. Atqui in conjugio, seu conjugali vita, desideria carnis explentur. E. in vita conjugali non est castitas.*

Resp. *Propositio* distinguenda est: ubi desideria carnis moraliter mala & illicita explentur, ibi non est castitas: Cum hac limitatione accepta *Assumtio* falsa est. Desiderium conjunctionis carnalis per se moraliter malum non est, quamdiu intra metas à Deo præscriptas se continet & ad illicita non fertur. Hoc desiderium ipse Deus humanæ indidit naturæ, quando dixit *fatificate & augescite & implete terram* Gen. 1. v. 28.

Quod & *Adam* agnovit, quando dixit: *relicturus est vir patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, erunt in carnem unam:* Gen. 2. v. 24. vide 1. Cor. 7. v. 9.

§. 13. (2) *Ubi castitas est, ibi continentia est: Atqui in conjugio non est continentia. E. in conjugio non est castitas.*

Assumtio prob. *Quia conjugium contrahitur ex conscientia incontinentiæ*, 1. Cor. 7. v. 5. 9.

Resp. *Assumtio* simpliciter vera non est. *Probatio* est inconsequens.

Incontinentia, de qua Apostolus loquitur, simpliciter non pugnat cum continentia & castitate in genere, sed tantum cum continentia in specie: quæ est abstinentia voluntaria à consuetudine carnali etiam licita.

§. 14. Quæritur (4) *An virginitas sit licita?*

Resp. *Affirmativa* probatur sequentibus argumentis.

(1) Quia voluntaria & minime coacta virginitas ex animo profluens casto, secundum rectam rationem est, & ad vitam contemplativam maxime idonea.

(2) Quia bonum est cœlibibus, si maneant in cœlibatu. 1. Corinth. 7. v. 8.

(3) Quia, qui continentiæ dono sunt præditi, abstinere matrimonio possunt. ibid. v. 9.

(4) Quia cœlibes curant ea, quæ sunt Domini. ibid. v. 32.

(5) Quia consistit cum sanctitate corporis & spiritus ib. v. 34.

(6) Quia, qui servat suam virginitatem, bene facit. ibid. v. 37.

(7) Quia, pro ratione certarum circumstantiarum, melius facit qui nuptum non dat, quam qui dat. ibid. v. 38.

In contrarium objicitur.

§. 15. (1) *Quod adversatur præcepto legis naturæ, id est illicitum. Atqui virginitas adversatur præcepto legis naturæ. Ergo virginitas est illicita.* Propositio prob. *Quia lex naturæ est lex Dei, ab ipso*

ab ipso Deo inscripta natura: Assumtio prob. *Quia lex natura ad conservationem speciei tendens ponitur* Genes. 1. *Crescite & multiplicamini &c. veluti lex natura ad conservationem individui tendens ponitur* Gen. 2. *De omni arbore, qua est in paradiso, comedito. Cui adversari & à cibo prorsus abstinere illicitum est.*

Resp. *Assumtio* negatur: *probatio* est inconsequens: Quia lex naturæ ad conservationem speciei tendens non obligat omnia & singula individua, sed multitudinem. Atqui multa multitudini sunt necessaria, quæ implere singuli non tenentur, sed sufficit, si ex multis aliqui impleant. Sic ad speciem humanam conservandam non requiritur ut omnes & singuli dent operam generationi: sufficit, si ex omnibus aliqui. Alia est ratio legis naturæ ad conservationem individui pertinentis; qualis est de cibo capiendo, quæ omnes & singulos homines concernit & obligat.

§. 16. (2) *Quod recedit à medio virtutis, id est vitiosum. Atqui virginitas recedit à medio virtutis. E. vitiosa est.*

Assumtio prob. *quia non tenet medium in appetenda voluptate venerea: siquidem eam prorsus fugit: Unde Aristoteles intemperantem appellat, qui omni voluptate potitur, & à nulla recedit: Contra agrestem & ἀναίσθητον qui omnes fugit.*

Resp. *Propositio* hypothesin includit: *quod omnis virtus in mediocritate inter duo extrema sit constituta:* quam omnes non admittunt: unde *propositionem* negant universaliter esse veram. Est aliqua virtus in mediocritate posita: non tamen illico vitiosum est, quod mediocritatem excedit, ut supra vidimus. Deinde nec *assumtio* simpliciter est vera. Etiamsi enim virginitas voluptate *venerea* prorsus abstinet, tamen potest esse aliqua ipsius circa consuetudinem carnalem moderatio, non quidem ratione *fruitionis*, quæ pugnat cum virginitate: sed ratione *judicii* & *affectus:* quando ita eligitur & amatur virginitas ut consuetudo carnalis simpliciter in aliis non damnetur, in quod extremum impingunt *Encratitæ*, *Tatiani*, *Manichæi*, qui conjugium damnant: & *Abetonitæ*; qui conjugium quidem concedunt, usum vero damnant.

§. 17. (3) *Quod secundum leges punitur id illicitum est. Atqui virginitas perpetua, seu calebs vita continuata, olim secundum leges fuit punita; teste Valer. Max. unde & Plato sacrificasse natura dicitur: ut perpetua ejus continentia, tanquam peccatum, aboleretur: August.* de vera Relig. cap. 3.

Resp. *Propositio* distinguitur, quod punitur secundum leges divinas.

 Cum

Cum hac limitatione & distinctione accepta *assumtio* negatur. Leges illæ priscæ non fuerunt *Dei*, sed *Romanorum*: quibus non simpliciter damnata virginitas: sed impedita tantum conjugum paucitas, non ex odio virginitatis per se, sed ex amore sobolis; quam requirebat Reipubl. conservatio & amplificatio.

§. 18. Quæritur (5) *An virginitas sit virtus?*

Resp. Virginitas κατ' ἐξοχὴν dicta *Thomæ* definitur, *specialis virtus, qua aliquis se immunem ab experimento venereæ voluptatis conservat, & se perpetuo conservare proponit.* Etiamsi vero *viri* consortium refugit *virgo*, tamen à *viro* dicta est: Siquidem à *vir* est *vira*, à *vira virago*: inde *virgo*: ex solo *viro* traducta est prima *virago*.

Pro *affirmativæ* confirmatione hæc pugnat ratio: Ubi specialis est materia specialem habens excellentiam, ibi invenitur specialis ratio virtutis. Atqui in virginitate specialis est materia specialem habens excellentiam. Ergo &c.

Assumtio prob. Quia materia ejus est immunitas ab experimento voluptatis *venereæ*. Est igitur virginitas species castitatis.

Excipitur pro contraria sententia.

§. 19. (1) *Nulla virtus moralis inest à natura. Aristot. 2. Eth. At virginitas inest à natura. Ergo virginitas non est virtus moralis.*

Resp. In virginitate duo sunt distinguenda: *materiale*, quod est immunitas carnis ab omni experimento venereo: & *formale*, quod est propositum servandi hanc immunitatem ad Dei gloriam. Est igitur virginitas naturalis, quoad *materiale*, non quoad *formale*. Unde *Augustin.* de virginitate cap. 3. & 11. *Non hoc in virginibus prædicamus, quod virgines sunt: sed quod Deo dicata pia continentia virgines sunt.*

§. 20. (2) *Si virginitas virtus moralis esset, sequeretur virginem esse, quacunque virtute una moralis est prædita. Atqui falsum consequens. Ergo & Antecedens.* Connexi ratio est: *quia Ethicum est axioma: quicunque virtutem unam habet, omnes habet.* Assumtio manifesta est: *quia etiam conjuges præditæ sunt virtutibus moralibus.*

Resp. *Connexum* negatur. *Probatio* est inconsequens: virtutes sunt connexæ secundum *formale*, hoc est, prudentiam & dispositionem ad actus omnium: non secundum *materiale* & actus cujusque proprios. *Nihil enim prohibet*, inquit *Thomas*, *alicui virtuoso suppetere materiam unius virtutis, non autem materiam alterius: uti pauper habet materiam temperantiæ, non materiam*

materiam magnificentiæ. Ita deesse alicui potest *materia virginitatis*, nempe carnis integritas & immunitas ab experimento venereo: cui tamen adsit *formale virginitatis*: nempe in præparatione mentis ad propositum conservandæ integritatis, si sibi competeret. Virtus autem in utroque consistit: unam qui habet, secundum totam prudentiæ perfectionem omnes habere dicitur, *quoad animi dispositionem*: quas etiam exereret, si occasio & materia suppeteret. Attamen pauci sunt, in quibus tota prudentiæ est perfectio.

§. 21. (3) *Omnis virtus restituitur per pœnitentiam; est enim virtutis jactura reparabilis. At virginitas non restituitur per pœnitentiam. Ergo virginitas non est virtus.* Assumtio *manifesta est*: *irreparabilis est jactura virginitatis.*

Resp. *Propositio* non datur nisi de *formali virtutis*: quod reparari potest, si detur *materiale*: quod in virginitate semel amissa restitui non potest. Sic magnificus ad ultimam redactus paupertatem & ab omni dejectus spe recuperandi divitias non restituitur per pœnitentiam, propter defectum *materialis*, etiamsi *formale* per pœnitentiam restitui potest.

§. 22. (4) *Nulla virtus amittitur sine peccato: Virginitas amittitur sine peccato. Ergo virtus non est*: Assumtio constat, *de matrimonio.*

Resp. *Assumtio* negatur: Virginitas, quatenus est virtus in specie sic dicta, & quidem principaliter à suo *formali*, conjuncta est cum voto continuandi saltem aliquo usque: quod sine omni peccato per matrimonium non violatur. *Per virginitatem*, inquit Augustinus, *integritas carnis, ipsi creatori animæ & carnis vovetur, consecratur, servatur.* lib. de Virg. cap. 8.

§. 23. (5) *Virtus est habitus doctrina & exercitatione acquisitus. Atqui Virginitas non est hujusmodi habitus.*

Resp. *Assumtio* de *formali* virginitatis negatur, de *materiali propositio* negatur.

§. 24. (6) *Habitus in volentibus omnibus fieri potest. Atqui dici hoc de virginitate nequit; quæ datur ex speciali gratia.*

Resp. *Propositio* universaliter vera non est. Sunt ingenia nonnulla adeo stupida & inepta, ut ad omnes acquirendos habitus minime sint idonea. Unde tritum illud: *Non ex quovis ligno fit Mercurius.*

§. 25. Quæritur (6) *An virginitas excellentior sit conjugio?*

Resp. Citra distinctionem affirmant hoc *Pontificii* Doctores. Unde laudibus in cœlum evehunt virginitatem eique singularis gloriæ meritum tribuunt; de matrimonio vero satis scabiose lo-

quuntur & sentiunt. *Pontificii* veteres quoque nonnulli Patres assentiuntur, inter quos *Tertullianus* & *Hieronymus*.

Nos cum distinctione respondemus: Matrimonium & virginitas tribus considerari & comparari modis possunt 1. quoad *meritum* in remissione peccatorum & actu justificationis. 2. quoad *dona specialia* subjectorum suorum singularium. 3. quoad *commoda* vel *incommoda* hujus vitæ. Quoad *primum*, nempe meritum in remissione peccatorum & actu justificationis, par est ratio virginitatis & matrimonii. Nam nec *matrimonium*, nec *virginitas* quicquam merentur apud Deum, siquidem gratis sine ullo nostro merito à peccatis absolvimur & justificamur.

Quoad *secundum*, si sancte & caste virginitas colatur, non negamus eam excellentiorem esse matrimonio, in quo plures peccati occasiones & plura etiam pietatis & devotionis impedimenta, quam in virginitate integra, illibata minimeque coacta. Quoad *tertium*, hoc est commoda vel incommoda hujus vitæ, virginitas matrimonio præferenda est temporibus persecutionum & calamitatum publicarum, quas longe facilius perferre possunt soluti, quam ligati matrimonio. Contra vero virginitati multis modis præferendum matrimonium respectu *boni publici*. Etenim humanam societatem conservat, adeoque terram & cœlum implet, non virginitas, sed conjugium.

§. 26. Quæritur (7) *An satis castitati conveniat illa nationum quarundam consuetudo, qua oscula peregrini quoque & ignoti figunt alienis uxoribus, viduis, virginibus, quando humanitatis causa eas salutant?*

Resp. Ut olim, sic & hodie apud aliquas nationes recepta est *osculandi consuetudo*: quam apud eas qui negligunt, agrestiores & inciviliores habentur. *Gallos* hoc nomine tanquam humanissimos laudat *Pierius*, lib. 2 Hieroglyph. Nos etsi nationibus illis laudem castitatis non denegamus, tamen castitati non satis cum illa consuetudine putamus convenire, idque de sententia sapientum: hinc apud Xenophontem *Socrates*. in Sympos. *Nihil est ad amorem incendendum acrius osculo: quippe satiari nequit, & spes quasdam jucundas prabet. Quamobrem ajo equidem abstinendum esse formosorum osculis illi, qui pudice ut vivere possit, expetit.* Multa ibidem in eandem sententiam videantur. Apud *Senecam* controv. 2. lib. 1. virginis sacerdotium petentis inde arguitur impudicitia, quod alicujus osculo & amplexu contrectata fuerit: veteres osculo pudicitiam virginum delibari credebant: unde illud *Ovidii*.

Oscula qui sumsit, si non & cetera sumsit,

Hæc quoque quæ data sunt, perdere dignus erat.

Oscula inquit Clemens Alex. *impudicitiæ sæpe virus immittunt*, 2. Strom. ubi *Socrates* præceptum à *Clemente*. laudatur. *Quicquid persuadet, aut ut edamus, quum non esurimus, aut bibamus, cum nondum sitimus, aut aspectus & osculationem formosorum, ita cave tanquam acrius venenum immittant atque Scorpii & aranea.*

Plautus suavia appellat *sagittata*: Trinum: act. 2. sc. 1.

Angelus J C. eadem appellat *adulterii proœmium* & *Libidinis antecœnia*. *Beroaldus* in Apul. *libidinis suscitabula & cubantes anteludia.*

P. Mœnii libertus, cum filiæ heri sui osculum dedisset, gravissimam dedit pœnam. *Existimavit enim pater*, inquit *Valer. Max.* lib. 6. cap. 1. *amaritudine pœnæ teneris adhuc puellæ sensibus castitatis disciplinam esse ingenerandam. Cui tam tristi præcepit exemplo, ut non solum virginitatem illibatam, sed & oscula ad virum sincera proferret.*

Othoni IV. Imperatori, inter *Florentinas* feminas maxime admiranti & laudanti *Gualdratam Bertham* cum puellæ pater *Bellincionus* osculandi eam faceret copiam; puella exaudiens respondit: *Nullius unquam, nisi ejus, qui vir suus foret, suavium accepturam.* Quod adeo placuit modesto principi, ut in matrimonium *Guidoni Germano* eam locarit, & pro dote comitatum dederit. *Fulg.* lib. 6. cap. 1. *Cato Manlium* senatu movit, quod uxorem, filia inspectante, osculatus fuisset. *Plutarch.*

§. 27. Quæritur (8) *An per castitatem fas sit fœminis in publico gestare nuda pectora?*

Resp. *Affirmativam* quæstionis dubio procul in nostra Germania principes, nobiles & civicæ fœminæ non paucæ amplectentur & maritæ & virgines, quæ castitatem profitentur hoc nostro seculo & nihilominus nuda in publico gestant pectora, mammillasque detectas & in occurrentium oculos undiquaque incurrentes ostentant, neque magis occultas & tectas habent, quam vacca ubera: imo tanto minus, quanto erectiores incedunt. Mirantur & obstupescunt seniores, qui priscæ verecundiæ & pudoris conscii ex inproviso in hæc talia incidunt spectacula & tam liberaliter & sincere exhiberi vident, quod nec prece, nec pretio, nec verberibus obtineri olim potuisset: mirantur in ea se incidisse tempora, quibus pudoris & impudentiæ, verecundiæ & inverecundiæ (si superiorum temporum heic standum sit judicio) tam prodige confundantur limites. Mori olim maluissent vir-

virgines & castæ uxores, quam pretiosas illas merces venales extrudere & prostituere, quam incontinentium in se libidines irritare & inflammare. *Flagitii principium est*, inquit *Cicero*, 4. quæst. Tuscul. *nudare inter cives corpora.*

§. 28. Negativam igitur sanæ castæque mentis nemo non amplectetur & propudiosam seculi nostri licentiam & insolentiam damnabit. Audiamus heîc concionatorem aulicum, quem attentissime nuper audivere principes viri & fœminæ, & forsan attentius etiamnum audient. *Cum à lapsu protoplasti*, inquit, *libido & omnis generis fœda concupiscentia in membris nostris jam ante nimium quantum, exardescant, nos infami huic incendio pabulum insuper sufficimus & ardenti camino prælarge oleum affundimus: colimus & comimus nos & sic cultos comtosque mutuis aspectibus propinamus, ut si forte sopita dormiat lascivia ad has illecebras reviviscat. Memini, etsi nondum senex, cum non tantum corpora, sed & vestes ipsæ honestissime tegerentur; viri suas promissiore nigro pallio, suas matronæ nigra & per totum corpus defluente palla tegebant.*

At nunc tantum abest ut vestes tegantur, ut penè etiam detegantur corpora & initium alicubi jam factum est, ritu plane non Germano, sed extero & inverecundo. Non satis est pompaticæ ostentationis, curiositatem omnium oculis ingerere, jam etiam, quæ olim velata, nudamus & paulatim pectus aperimus. Quod quid aliud est, quam pudicitiam aperto Marte oppugnare? Quid hoc aliud, quam irritare cupiditates hominum jam ante incitatas. Annon hoc nobile specimen est flagitiosæ stultitiæ & quæ primas mereatur?

Ex *Italia* in *Germaniam* non ita pridem migravit hæc lascivia: sed quod noveris, non ex honestioribus aulis & nobilium civiumque domiciliis, sed è prostibulorum collegiis & infamibus gurgustiis atque fornicibus. Hac enim esca publice exposita & objecta irritant libidines & è vulgatis nudatisq; corporibus quæstum faciunt. Hos si natales honestæ castæque nossent maritæ & virgines, porro ne credas aucupium hoc ipsis arrisurum.

Neque tamen primæ sunt Italicæ fœminæ, quæ corporum suorum arcana sic prostituerunt & vulgarunt:

Babylonis olim in conviviis à principio modestus fuit habitus: paulatim deinde pudore profanato summa velamenta exuerunt, & post epulas ultimis amiculis revelatis, pudibunda ostenderunt, pudoremque in omnem jocorum & lasciviarum licentiam abjecerunt: Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 22. Apud *Traxilos* & *Brachmanes* si qua virgo propter inopiam nancisci virum non posset, in

forum

forum producebatur, & turba per classicum convocata, corpore nudato cui placitura erat, nuptui dabatur: Idem lib. 1. c. 24. Apud *Tyrrhenos* non ducebatur turpe nudas fœminas vulgo conspici: in quorum conviviis & epularum apparatibus nudatis corporibus virgines discumbentibus ministrarunt convivis: quin & pudore deposito, in publicis Gymnasiis nudæ cum viris luctari & se exercere consueverunt, quod ex *Theopompo* & *Timæo* memoriæ prodidit *Athenæus*. Unum hoc Germanis nostris solatium est, quod non peccent sine exemplis.

Quanta vero *Milesiarum* virginum olim verecundia & castitas fuit! Furore animi correptæ cum passim se suspenderent & huic malo diu nullum inveniri remedium posset, quamvis ne fieret, horribilibus pœnis interdiceretur: tandem edictum, ut, quæ se occidisset, nuda per medium forum media luce traheretur. Hac demum pœna deterritæ sunt, ne nudæ cernerentur, quamvis exanimes. *Vives* de Christiana fœmin. cap. 1. Anne vero hodie putes nuditatem magis, quam mortem, formidaturas, quæ pro singulari corporis ornamento eam habent & de verecundia expugnata tam insolenter triumphant?

Apud *Persas* capitale olim erat nudum vidisse hominem: quæ si etiamnum in *Germania* vigeret lex, multis in locis periculosum foret prodire in publicum.

Interim videas interdum hypocritico velo tegi inverecundiam, quando pudorem dictat conscientia, quem tamen non admittit lascivia: Tegunt, quas prostare & exstare volunt, pectoris aperti partes pellucida tela nihil celante, in qua, ut *Seneca* loquitur, nullum est corpori, nullum pudori auxilium, *video*, inquit idem, *lib. 7.* de Benef. cap. 9. *sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumtis mulier parum liquide, nudam se non esse, jurabit. Hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant. Seneca* pater ait, *adulteram tenui veste perspicuam esse, & nihil in corpore uxoris suæ plus maritum, quam quemlibet alienum agnoscere.* Sed satis de his: antiqua est querela, *Quis credit prædicationi nostræ?*

§. 29. Quæritur (9) *An cum castitate probe conveniat choreis & an ferendæ sint inter Christianos choreæ?*

Resp. Multi distinguunt inter *choreas* seu saltationes lascivas & honestas, & ut illas minime admittendes judicant; sic has à Christianis quoque ad lætitiæ usum exerceri posse existimant.

Sed hoc

Sed hoc ipsum in controversia est. *An aliquæ choreæ juvenum cum virginibus, aut aliis uxoribus, vel maritorum etiam cum virginibus aliisque uxoribus sint honestæ & inter Christianos ferendæ?* quod multi magni nominis viri negant. Et gentilibus quoque sapientibus stultæ & lascivæ sunt visæ omnes saltationes, quas modo definivimus: eo quod sæpissime sint libidinum incentiva, & à longinquo spectantibus furibundorum speciem præbeant, & denique longe majora earum sint incommoda, quam commoda.

Sunt hic observanda memorabilia quædam dicta & facta cum gentilium, tum Christianorum adversus saltationes seu choreas. *Cicero* in oratione pro *Muræna*; *Nemo*, inquit, *fere saltat sobrius, nisi forte insanit, neque in solitudine, neque in convivio moderato & honesto. Tiberius*, Imperator, saltatores *Roma* expulit. *Domitianus* Imperator, saltationem honestis hominibus indecoram, atque chorearum studium optimo viro plane indignum judicavit. Inde *Cæcilium Rufum* Senatu movit, quod saltasse diceretur.

Albertus, Imperator, dicere solebat: *Venationem esse exercitationem virilem: saltationem autem muliebrem. Fridericus* Imperator dicere solitus est: *malle se febri teneri, quam saltationi operam dare. Alphonsus*, Arragonum Rex sapientissimus, *Gallos potissimum esse leves* dicebat: *qui, quo magis ætate provecti essent, eo magis saltationis insania se oblectarent. Ambrosius* de saltatione ita judicat: *Ibi exuta est verecundia, illecebra suscepta, ubi comes deliciarum est saltatio, cujus aut temulentia aut dementia auctor est*: ab hac virgines Dei procul esse desidero. *Chrysostomus* saltationes nominat *diabolicas*: alibi dicit: *Diabolum una saltare. Concilii Laodiceni* canon. 13. est. οὐ δεῖ χριστιανοὺς εἰς γάμους ἀπερχομένους βαλλίζειν, ἢ ὀρχεῖσθαι, ἀλλὰ σεμνῶς δειπνεῖν ἢ ἀριστᾷν, ὡς πρέπει χριστιανοῖς hoc est: *Non oportet Christianos euntes ad nuptias tripudiare vel saltare, sed honeste cænare, vel prandere, ut Christianos decet.*

Julius Cæsar Scaliger dixisse fertur: *se non vidisse majores ineptias in orbe, quam saltationes.*

Nos etsi tam rigidi in choreas publicas & moderatas non sumus, tamen ejusmodi hoc exercitii & delectationis genus esse judicamus, ut eo facillime carere possint Christiani, & hunc oblectationis defectum alio exercitio minus suspecto, minusque periculoso supplere.

§. 30. Patroni saltationis pro retinendis choreis has adducunt rationes:

(1) *Deus*

(1) *Deus non invidet hominibus lætitiam honestam, sed jubet potius juvenem in diebus juventutis suæ lætari. Ergo Saltationes inter Christianos sunt retinendæ.*

Ratio conseq. *Quia maxima lætitiæ pars in iis consistit.*

Resp. Nego *consequentiam: probatio* inconsequens est: permittit enim Deus homini lætitiam, quæ cum periculo lasciviæ non est conjuncta: hujusmodi vero lætitia non est in choreis.

§. 31. (2) *Saltatio est prima occasio ad conjugium, dum juvenes virginibus innotescunt & cum iis conversari discunt. Ergo inter Christianos est retinenda.*

Resp. Nego *conseq.* Sunt enim ad conjugium aliæ occasiones minus periculosæ magisque honestæ: Illæ igitur potius adhibendæ, quam choreæ. Saltatio sæpe quoque est occasio ad amorem impudicum.

§. 32. (3) *Etiam saltatio suum habere tempus dicitur. Ergo saltatio Christianis non est illicita.*

Resp. Ad *Antecedens: Ecclesiastes* non loquitur de saltatione virorum cum fœminis, adversus quam Theologi disputant, sed de saltatione vel solorum virorum, vel solarum fœminarum.

§. 33. (4) *David legitur saltasse in honorem Dei*, 2. Sam. 6. *E. saltatio non est aliena à piis.*

Resp. Ad *antecedens* per distinct. David saltavit in honorem Dei, non cum fœminis sed solus.

§. 34. (5) *Res bona propter abusum non est abroganda. E. nec saltatio propter abusum est damnanda.*

Resp. Ad *antecedens:* Res per se bona, necessaria, cujusque evidentior & major est usus, quam abusus, propter abusum non est tollenda: hujusmodi vero rem esse saltationem negant multi magni viri. De hac quæstione disputantem vide *Rivetum* in explicat. Decalogi in v. 13. cap. 20. p. 334. & *Amesium* de conscient. lib. 5. cap. 39. q. 6. Annuit quoque *Heiderus*, Philosoph. moral. part. 2. p. 569.

II.

Castitati adversatur in excessu libido & omnis impudicitia: in defectu omnis amoris conjugalis detestatio.

Ἔκθεσις.

§. 1. Libidinis & impuri amoris *effecta*, *concomitantia*, *consequentia*, paulo ante ex *Plauto* recensuimus. Ejusdem insignis est locus alius in *Cistellar.*

Credo

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum :
Hanc ego de me conjecturam domi facio , ne foris quæram ,
Qui omnes homines supero atque anteeo cruciatibus animi ?
Jactor , crucior , agitor , stimulor , versor in amoris rota miser.
Exanimor , feror , differor , distrahor , diripior : Ita nullam mentem
Animi habeo : Ubi sum , ibi non sum : ubi non sum , ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt : quod lubet , non lubet jam id continuo.
Ita me amor lapsum animi ludificat , fugat, agit, appetit,
Raptat , retinet , jactat , largitur , quod dat , non dat , eludit.
Modo quod suasit , dissuasit , quod dissuasit , id ostentat.
Ibidem.
Ecastor , amor melle & felle est fœcundissimus :
Gustu dat dulce , amarum ad satietatem usque aggerit.

§. 2. Interim omnibus seculis infamia libidinis exempla extiterunt & prostiterunt : quæ enumerare longum foret. Omnium mortalium libidinosissimi & effœminatissimi creduntur fuisse *Lydi*, qui, *Clearcho* teste, primi fœminas castrare instituerunt & spadonum iis uti loco. Habitare ii consueverunt in paradisorum hortorumque amœnitatibus , umbraculis undiquaque dispositis, tandemque in eam luxus & contumeliæ licentiam devenerunt potentiores , ut popularium suorum uxores & adultas filias ad se convocatas & in locum quendam , quem ob id *dulcem* vocabant *angulum*, deductas per vim & contumeliam turpiter constuprarint.

Hanc ulta injuriam *Omphale*, quæ contemta ipsorum mollitie imperium invasit , matronas & virgines illorum in *dulcem angulum* illum conjectas & conclusas omnium libidini exposuit & à servis constuprari jussit.

Tyrrheni quoque in omnium oculis nefarias suas libidines explere olim consueverunt. Quibus similes *Sybaritæ* , *Tarentini* , *Jazyges* & alii : de quibus *Nicolaus Leonicus* , histor. var. lib. 3. cap. 95. 96. 97. 98. 99.

Olim apud *Corinthios* in templo *Veneris* meretrices prostabant & in publicis precibus hoc addi solebat : *Ut Dii numerum meretricum augeant*. *Athen.* lib. 13. De remediis impuri amoris alio actum loco.

E contrario *Monachi* & *Moniales* in papatu suam ita extollunt

funt castitatem ut conjugium penitus deprimant. Sic & *Diogenes* optavit, ut omnes mulieres de arboribus suspenderentur: dignus certe, qui pro omnibus suspenderetur: castitatem suam deprædicant *Monachi*, ut jejunia plenis ventribus.

§. 3. Quæritur (1) *An incontinens circa amorem sit deterior incontinente circa cibum & potum* &c.

Resp. Quæstio eadem vulgo ita formatur: *An incontinens sit deterior intemperante? item: An intemperantia circa tactum sit magis noxia, quam quæ est circa gustum? Incontinentiam* & *intemperantiam* Aristot. 7. Eth. cap. 7. docet, convenire quidem *materia*, hoc est, *objecto*, quod constituit voluptates corporis, quæ percipiuntur ex gustu & tactu: & *actionibus*, in expetendis voluptatibus corporis. Differre autem natura: quod *intemperantia* sit habitus: *incontinentia* dispositio vel *affectus. Forma agendi:* quod intemperans agat ex plena voluntate: incontinens ex affectu & non plena voluntate. *Objecto* quod intemperantia sit circa voluptates & dolores simul: incontinentia circa solas voluptates:

§. 4. Nos quæstionis nostræ *affirmativam* defendimus. Ratio est: quia incontinentia circa amorem infamat & capitali supplicio punitur: non item incontinentia circa cibum & potum: Deinde incontinentia circa amorem ad majora audendum flagitia impellit, quam incontinentia circa cibum & potum. Unde ad vindicandam illam gesta legimus atrocia bella. Decennale bellum *Græciæ* contra Troianos *Paridis* adulterium concitavit. Propter *Levitæ* uxorem à Gabaënsibus violatam duobus prælиis à *Benjamitis* Israëlitæ fugati 40. millia suorum amiserunt. Jud. 19. 20. *Appianus* scribit lib. 1. à *Q. Sertorio Marianorum* militum, propter libidines, 4000. esse occisa. Idem *Sertorius* universam cohortem, propter unius militis lasciviam, ultore gladio delevit, quod, unius argumento in eâdem cohorte similes esse plures crederet. Apud *Ægyptios* ei, qui mulierem liberam violasset, virilia exsecabantur: quod uno crimine tria scelera atrocia esset complexus, *injuriam*, *corruptelam* & *liberorum confusionem*: *Diod. Sicul.* lib. 1. plura vide supra, capitis hujus §. 1. *in*§. 1. *tat.* 3.

Est & hoc nomine incontinens circa amorem deterior; quia singulis impuræ libidinis actibus non suum tantum, sed & alterius inquinat animam & corpus: Vorax & ebrius sibi soli nocet. Libidinosus magis ex proæresi & consilio peccat, quam ebriosus.

§. 5. Circa quæstionem. *An incontinens sit deterior intemperan-*

te? interpretes notant *Aristotelis* contradictionem, sive veram sive apparentem. lib. 7. Eth. c. 2. *incontinentem ait esse deteriorem intemperante*: ob quatuor causas, quas *Casus* ad hoc caput recitat:

(1) Quia incontinens scienter agit: intemperans non item.

(2) Quia incontinens magis persuasus & sponte agit, quam intemperans.

(3) Quia incontinens in pluribus peccat, quam intemperans.

(4) Quia incontinens difficilius ad honestatem vitæ revocatur, quam intemperans.

Quæ pro nostra assertione rationes militant.

§. 6. Ejusdem libri c. 8. Intemperantem statuit esse deteriorem. Pro qua assertione tres rationes adducit *Casus*.

(1) Quia intemperantia est habitus, incontinentia affectus.

(2) Quia intemperantia est semper voluntaria: incontinentia sæpe invita.

(3) Quia intemperantia conjungitur cum malitia & impœnitentia: incontinentia non item.

§. 7. *Contradictionem* alii aliter conciliant. *Burleus* ait, *Aristotelem*, in c. 2. procedere non *demonstrationis*, sed *inquisitionis* modo: quod displicet *Caso*: qui aliter excusat *Aristotelem*. Nempe, intemperans consideratur respectu *affectus* vel *habitus*. *Priori* respectu incontinens deterior est: *posteriori* intemperans. Nobis de conciliatione porro non laborandum: non enim oracula fuerunt omnia & singula *Aristotelis* dicta.

§. 8. Quæritur (2) *Quæ sint luxuriæ species?*

Resp. A scholasticis sex numerantur. (1) *Fornicatio simplex*, quæ est soluti cum soluta. (2) *Adulterium*, quod committitur cum fœmina in potestate viri seu mariti constituta. (3) *Incestus*, qui perpetratur cum fœmina sanguine vel affinitate juncta. (4) *Stuprum*, quod fit cum fœmina in potestate patris vel matris constituta, sine violentia. (5) *Raptus*, qui in eadem perpetratur fœmina, cum violentia. (6) *Vitium contra naturam*, quam *Sodomiam* in genere appellamus. Quibus ab aliis additur septima species, *Sacrilegium* contra personam cultui divino per votum castitatis consecratam. De singulis disputantem vide *Thomam*, 2. 2æ. q. 154. distincta in articulos XII.

§. 9. Quæritur (3) *Quæ filiæ sint impudicitiæ* seu *luxuriæ*, *quam in specie scholastici sic vocant?*

Resp. *Gregorius* filias luxuriæ numerat octo: quarum (1) *cæcitas mentis*. (2) *Inconsideratio*. (3) *Præcipitatio*. (4) *Inconstantia*.

stantia. (5) *Amor sui.* (6) *Odium Dei.* (7) *Affectus præsentis seculi.* (8) *Desperatio futuri.* Sententiam hanc *Gregorii* lib. 31. Moral. expressam probat *Thomas*, 2. 2æ. q. 153. art. 5.

§. 10. Quæritur (4) *An prostibula & lupanaria tolerari debeant?*

Resp. Habent prostibula & lupanaria publica patronos suos, Magistratus & doctores Pontificios: inter eos pontificem quoque *Romanum*, sanctissimum & castissimum Patrum patrem: quamvis de luxu saltem meretricum *Romæ* coercendo, *Paulus* III. cum cardinalibus suis anno 1538. deliberarit. In *Italia* & *Hispania* Magistratuum indultu ubique patent lupanaria & publica tolerantur prostibula, notante *Claudio Espensæo* lib. 3. de contin. cap. 4. & *Mariana* Jesuita de spectacul. cap. 16. Et *Beroaldeus* refert, tempestate sua *Bononiæ* observatum fuisse, quantum unaquæque meretrix concubitu mereret, ut per Magistratus exigi à meretricibus posset tributum menstruum quod hodieque fit. Nunc sub Christi vicariis, exclamat *Espensæus*, & Petri successoribus;

--- Urbs est jam tota lupanar,
Mater & Æneæ regnat in urbe sui.

§. 11. Nos quæstionis amplectimur *negativam*, sequentibus argumentis.

(1) Quia olim in veteri Judæorum populo nullæ exstiterunt meretrices, quæ quæstum ex corpore facerent, publicæ, idque per legem, *Deut.* 23. v. 7.

(2) Quia permissis lupanaribus, impuræ & execrabili libidini nullo malo occurri potest: unde scortorum & scortatorum greges in Italia & Hispania mirum in modum crescunt: ubi & mascula grassatur libido.

(3) Quia lupanarium fœtor *Christianismum* inficit: unde *Ludovici IX.* Regis *Galliarum*, lege meretrices publicæ regno sunt exactæ & lupanaria prohibita.

(4) Quia hujusmodi occasionibus adolescentia corrumpitur & enervatur.

(5) Quia copia & licentia impurarum voluptatum non restinguitur flamma libidinis, sed potius magis magisque irritatur & accenditur.

(6) Quia meretrices effœtæ & vetulæ à lupanaribus exeuntes mille nocendi artibus lenoniam exercent, aliasque inficiunt.

(7) Quia remedium hoc libidinis ipso peius est morbo.

(8) Quia execrabilis coram Deo est scortatio: ad quam evitandam à Deo institutum est matrimonium 1. Cor. 7. v. 2. 9.

 Objiciunt

§. 12. Objiciunt lupanarium & scortatorum publicorum patroni.

(1) *Respublica Christiana in tanta hominum colluvie à vitiis omnibus, præsertim libidinibus, in quas natura proclivis est, libera præstari nequit. E. ad evitanda majora incommoda permitti debent lupanaria publica, & tolerari prostibula.*

Resp. 1. *Antecedens* de libertate à vitiis & libidinibus impunè & publice grassantibus, negatur. Pœnarum severitate omnino occurri potest licientiæ peccandi & comprimi libido se publice in abominationes effundens: ut multarum regionum & rerump. docent exempla.

2. Et *consequentia* negatur: quia *justa est eorum damnatio, qui dicunt, faciamus mala, ut eveniant bona.* Rom. 3. v. 8.

§. 13. (2) *Per lupanaria & prostibula publica præcaventur adulteria & virginum ingenuarum violationes. E. permitti & tolerari debent.*

Resp. Et *Antecedens* & *consequentia* negatur: ob rationem allegatam. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Et adulteria & scortationes pænarum severitate coërceri & impediri debent, quantum fieri potest.

§. 14. (3) *Olim repudia sunt permissa ad evitanda uxoricidia: hodie usura, adservanda cujusque, atque etiam publica bona: & monomachia, ad præcavendas nobilium simultates, & militares seditiones, conservandamque pacem & tranquillitatem publicam. E. & lupanaria sunt concedenda.*

Resp. Negatur *consequentia*: ratio est: quia *divortia* non ita expresse fuerunt in lege *Mosis* prohibita, ut scortationes: neque *usura* simpliciter & absolute fuerunt prohibitæ, ut ostendimus cap. 25. q. 11. *Monomachia* in causis privatis permitti à Magistratu non debent.

(4) *Augustinus*, lib. de ordine cap. 4. *Aufer*, inquit, *meretrices de rebus humanis, turbabis omnia libidinibus. E. prostibula publica toleranda judicat.* Sic & *Thomas* lib. 4. de regim. princ. cap. 14. meretrices populis concedendas esse docet, *ut sentinæ instar in eas omnes sordes confluant. Id facit*, inquit, *in mundo meretrix, quod in navi sentina, in palatio cloaca: tolle hanc, & illa fœtore replebis.*

Resp. *Augustinum* hoc loco non audimus: fuit adhuc κατηχούμενος, cum librum de ordine scripsisset neque *Thomas* heic audiendus. Sunt quidem *sentinis* & *cloacis* similes meretrices: non tamen plane eadem utrarumque est ratio: tanta non est necessitas meretricum in repub. quanta cloacarum in aulis & senti-

narum

narum in navibus. *Augustin.* in allegato capite fatetur, *meretricibus nihil esse sordidius, nihil decoris inanius, nihil turpitudinis plenius.* Idem lib. 14. de C. D. cap. 18. ait, *terrenam civitatem usum scortorum fecisse licitam turpitudinem.*

§. 16. (5) *Patriarcharum tempore meretrices publicæ in locis publicis veluti sederunt & corporibus quæstum fecerunt, ut constat exemplo Thamaræ*, Gen. 38. *& duæ meretrices de filio coram Salomone litigarunt* 1. Reg. 3. *Ergo & hodie tolerari debent.*

Resp. Negatur *consequentia*: quæ à facto ad jus est nulla. Omnibus temporibus fuerunt meretrices: sed lex divina, de tolerandis illis, nulla fuit.

§. 17. (6) *Lupanaria conceduntur Jure canonico & civili Ergo in Rebuspub. tolerari quoque possunt & debent.*

Resp. Negatur *consequentia*: Jus humanum quando juri repugnat divino, non jus, sed injuria est.

§.18. (7) *Sunt nonnullæ gentes & nationes ad libidinem hanc ita proclives, ut nulla pœnarum pravitate se reprimi patiantur: Cujusmodi & civitates sunt, quæ peregrinis & Monachis abundant. Ergo concedenda iis publica lupanaria. Hinc Solon olim primus coëmtas meretriculas Athenis prostituit, ne stupris matronarum urbs pollueretur. Alex. ab Alex.* l. 4. c. 4. *& Veneti quotannis olim ex Germania meretriculas conducebant, quæ juxta carnificinam publ. ad Divi Marci fanum prostarent. Egnat.* l. 2. c. 1. *donec defectum hunc supplere de suis & domesticis Respubl. potuit.*

Resp. *Antecedens* negatur: reprimi libido hæc potest cum per legitimum conjugium, tum per severas pœnas: quibus etiam alia reprimuntur vitia. Quod si vero reprimi omnino non posset impura ista libido; ferenda potius, quam concedenda esset: uti & alia ferimus, quæ mutare non possumus. Unde patet, nullam quoque *consequentiam* esse. *Solonis* & *Venetorum* exempla nihil probant: quia minime sunt probanda.

§. 19. (8) *Qui sectatur meretrices, neminem afficit injuria, nec civili jure punitur. Ergo meretricularum conciliabula & greges permitti, sine culpa, possunt.*

Resp. *Antecedens* de injuria falsum est: de pœna civili jure non inflicta negatur *consequentia*. Scortator injuria Deum afficit, cujus legem violat: injuria patriam afficit, quam fœditate sua polluit: injuria familiam suam afficit, cui labem aspergit: injuria scortum afficit, quod impurius & abominabilibus reddit: injuria proximum afficit, quem exemplo pessimo offendit, & sæpe ad flagitii societatem pertrahit: injuria seipsum afficit, qui ex Christi membris facit scorti membra, 1 Cor. 6. v. 15.

Errant, qui negant, aliquem sibi ipsi, aut volenti posse injuriam facere.

§. 20. *(9) Hosea Deus mandat, ut cum meretrice consuescat, cap. 1. E. permittere idem Magistratus potest.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: Ducere meretriculam jubetur, & ea tanquam uxore uti. Nil hoc ad scortatores. Neque solida est *consequentia*. Quia plus Deo permittere licet, quam hominibus. Præceptum factumque illud non caruit mysterio.

§. 21. (10) *Res adiaphora permitti possunt. Scortatio est res adiaphora. E. Assumtio* prob. *quia* Act. 15. v. 29. *conjungitur cum adiaphoris, sanguine, suffocato, & idolothytis.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter non conceditur, nisi extra casum scandali. Deinde *assumtio* falsa est. *Probatio* inconsequens: possunt conjungi, certis de causis, etiam quorum ratio & natura est diversissima.

§. 22. Quæritur (5) *An simplex fornicatio excusari de peccato possit?*

Resp. *Negativam* amplectuntur saniores Philosophi & inprimis Theologi: ratio est; quia fornicatio directe adversatur castitati: Vitium igitur est, & proinde peccatum: Theologi expressas Dei allegant leges; ex vet. Test. Deut. 22. v. 28. & 17. v. 18. ex N. Test. 1. Corinth. 6. v. 18. &c. Heb. 13. v. 4. Apocal. 21. v. 8.

Patrum in eandem sententiam plura allegat testimonia *Rivetus*, explic. Decal. p. 326. 327.

§. 23. Non igitur audiendi gentium legislatores, qui, teste *Chrysostomo*, homil. 12. in 1. Cor. arbitrati sunt, *malum non esse scortari, neque pœna dignum.* Sic & *Hieronymus* in *Fabiola* Epitaphio. *Aliæ sunt leges Cæsarum aliæ Christi: apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur, & , solo stupro adulterioque condemnato, passim per ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas.* Neque rigidiores sunt infornicatores *Pontificiorum* multi, qui etiam *sacerdotes concubinarios* tolerant, præcipue vero *Canonistæ*. Atqui *neque fornicarii neq; adulteri regnum Dei possidebunt.* 1. Cor. 6. v. 18.

§. 24. Quæritur (6) *Quæ intemperantiæ in universum sint remedia?*

Resp. *Casus* ex *Boetio* remedia intemperantiæ recenset & distinguit in *divina* & *humana*. *Divina* sunt *Fides*, quæ vitæ sanctitatem inchoat: *Oratio*, quæ veniam pro naturæ lapsu impetrat: *Abstinentia*, quæ corporis petulantiam reprimit: *Gratia*,

Gratia, quæ inceptam vitæ integritatem perficit.

Humana sunt *interna* vel *externa*. *Interna* sunt *Sobrietas*, *Castitas*, *Pudicitia*, *Verecundia*. *Externa* sunt *Consilium* quod superbam & insolentem naturam imperio rationis subigit. *Jejunium*, quod voluptatum aculeos retundit. *Castigatio*, quæ concupiscentiæ flammas exstinguit.

Pulchra sunt illa *Casi*: *Si sit animus propensior in libidinem, adhibe jejunium: Si sit præceps & effrenis, adhibe consilium: si sit præcipitantior, adhibe flagellum. Consilium enim labentes: lapsos Jejunium: insanos & furentes flagellum sanat.*

CAPUT XVIII.

De

PARSIMONIA.

THESIS I.

HACTENUS prima temperantiæ species continentia: *Sequitur altera ejusdem species, Parsimonia: quæ est temperantia sumtuum.*

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM Parsimoniæ sunt sumtus, circa quorum prudentem moderationem Virtus hæc occupatur. Itaque *officium* Parsimoniæ est, moderari sumtus, & à prodigalitatis extremo hominem retrahere. *Seneca* definitur parsimonia *scientia vitandi sumtus supervacuos & ars re familiari utendi.*

Parsimoniam nobis suadent *rationes* & *exempla*.

Rationes hæ sunt.

(1) Quia *Parsimonia magnum est vectigal*, teste *Cicerone*. Unde & *Mecænas* ad *Augustum* ait: *Divitias magnas colligi, non tam multa accipiendo, quam non multos sumtus faciendo.* Pertinet huc Christi præceptum de *colligendis fragmentis*: Unde *Cic.* ait: *Parsimoniam esse optimum & in privatis familiis & in Republ.*

(2) Quia *genitrix virtutum est frugalitas*: Justin. lib. 20.

(3) Quia *ut animum luxu solvitur: ita frugalitate firmatur*: Seneca.

(4) Quia moderatus opum usus cum magna sapientiæ laude est conjunctus, secundum illud *Thomæ Mori.*

Utere divitiis tanquam moriturus & idem
Tanquam victurus parcito divitiis.
Parcere divitiis, qui tempore novit & uti,
Ille modum servans inter utrumque sapit.

§. 2. (5) Quia contraria prodigalitatis adjuncta concomitantia & consequentia sunt pessima. Concomitans est *turpido:* Nam, *Cicerone* teste *turpissimum est sinere Remfamiliarem dilabi.* Consequentia sunt: *Paupertas, rapina, furta, honoris jactura.* Unde *Tiberius Cæsar* prodigos Senatores cum ignominia ab officiis publicis removit. Pertinet huc vetus illud:

Ædificare domos & pascere corpora multa
Ad paupertatem proximus est aditus.

Nec non illud *Horatii.*

Serviet æternum, qui parvo nesciet uti.

Omnia prodigalitatis mala complectitur *æs alienum*, quod contrahit prodigalitas. Unde *Persæ* olim locum in peccatis secundum tribuerunt *mendacio:* primum *æri alieno.* Hinc enim mendacium & omnia alia flagitia. *Herod.* lib. 1. vide *Plutarch.* in lib. de *ære alieno vitando.*

§. 3. *Exemplum* Parsimoniæ insigne habetur in *Pomponio Attico*, quo, cum opulentia afflueret, nemo minus fuit emax, nemo minus ædificator. *Cato* senior ajebat, *duobus proventibus se rem familiarem regere & augere, Parsimonia & agricultura, quarum altera fructus præbet, altera modum usui adhibet. Seneca* amorem & rationem parsimoniæ suæ elegantibus describit verbis:

Tenet me, inquit *summus amor parsimoniæ, fateor, placet non in ambitionem Cubile compositum, non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa: sed domestica & vilis, nec servata nec servanda solicite. Placet cibus, quem nec parent familiæ, nec spectent, nec ante multos paratus dies, nec multorum manibus ministratus sed parabilis facilisque, nihil habens accersiti pretio sive, ubi libet, non defuturus, nec Patrimonio gravis, nec corpori, nec rediturus, qua intraverat: Placet minister incultus & rudis vernula, argentum grave rustici patris sine ullo opere & nomine artificis, & mensa non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones civitati nota, sed in usum posita.* De *Tranquill. an.* cap. 1.

Epaminondas adeo frugali utebatur victus ratione, ut à vicino ad cænam aliquando invitatus cum invenisset ibi bellariorum, ob-

soniorum

soniorum & unguentorum apparatum, illico discesserit. *Ego*, inquiens, *sacrificare te putabam, non luxuriare*. Plutarch. *Alcamenes Telecli* F. objicienti, vivere ipsum contracte, satis alioquin opulentum, *praeclarum* esse, respondit, *eum, qui sit locuples, vivere secundum rationem, non secundum cupiditates*. Plutarch.

Attilius Crescens, inquit *Plinius* lib. 6. cap. 8. homo est alieni abstinentissimus, sui diligens, nullis quaestibus sustinetur, nullus illi, nisi ex frugalitate, reditus. De veterum parsimonia & antiquis legibus sumtuariis vide *Gellium* lib. 2. cap. 24. & *Macrob*. Saturn. lib. 3. cap. 17.

§. 4. De Parsimonia observentur sequentia *praecepta*:

(1) *Parsimonia in fundo nimis est sera*: Non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet: *Seneca* ep. 1. Hesiodi sententia est: *δειπνὴ ἐνὶ πυθμένι φειδώ*.

(2) *Parsimonia sit basis liberalitatis*. Ideo enim parce sunt administranda fortunae bona, ut exigente necessitate, liberales de iis esse possimus. Hinc tritum illud: *Bonus Servatius facit bonum Bonifacium*.

(3) *Cavendum, ne sordida sit parsimonia, & in avaritiam degeneret*. Hominis sordide parci elegantem, vide characterem apud *Theophrastum*, in charact. & apud *Plautum* in *Aulular*. Act. 2. sc. 4.

(4) *Parco honestum sequi lucrum fas est, turpem vero quaestum facere nefas*.

(5) *Parcus sit potius vendax quam emax; neque in res vanas nullamque frugem ferentes pecuniam expendat*.

§. 5. Quaeritur *An omnes homines deceat parsimonia?*

Resp. Quatenus luxui & prodigalitati opponitur, omnes omnino homines decet: quod probatur.

(1) Quia luxus & prodigalitas omnes homines dedecet; est enim - - - *Dissuasor honesti*
Luxus. *Claud*.

(2) Quia de administratis, quae vulgo sic vocamus, fortunae bonis omnes homines nullo excepto, rationes Deo reddituri sunt, & coram tribunali ejus absolvendi, vel damnandi. *Quid vero*, inquit *August*. Psal. 38. *exspectare debent, qui cum luxuria consumserunt, si damnantur, qui cum pigritia servarunt*.

§. 6. Objicitur. *Quos magni decent sumtus, eos dedecet Parsimonia. Atqui magnificos magni decent sumtus: Ergo magnificos dedecet parsimonia*.

Propos. prob. *Quia parsimonia parcit sumtibus*.

Assumt. prob. *ex natura magnificentiae ab Ethicis praedicata*.

Ee 5 Resp.

Resp. *Propositio* negatur: *probatio* est inconsequens. Quia, etiam qui magnos faciunt sumtus, parcere aliquo modo possunt & debent sumtibus, ne modum in faciendis iis excedant & majores, quam par est, faciant.

I I.

Parsimoniæ adversatur in excessu profusio, luxus & prodigalitas: *in defectu*, sordida tenacitas.

Ἔκθεσις.

§. 1. PRodigalitatis nomine ex veteribus infames fuere multi: *Antonius* in una cœna mille apros divisit. *Vitellius* Imperator, in uno convivio duo millia piscium & septem millia avium apposuit. *Heliogabalus* pomis & floribus gemmas miscuit, totidemque ciborum *missus* per fenestras ejecit, quot amicis exhibuit. *Cleopatra*, Ægypti Regina, *Antonio* ferculum apposuit ducentorum quinquaginta millium aureorum. Luxum & prodigalitatem olim certis legibus constrinxerunt *Romani*: de quibus *Macrobius* lib. 3. Satur. cap. 17. Ansam præbere iis potuit portentosus *Apicii* luxus. Hic cum per immanem luxum in culinam congessisset & prodegisset X X V. auri tonnas, tandemque alieno ære premeretur, rationes suas tunc primum coactus inspicere deprehendit non nisi ducenta quinquaginta millia coronatorum sibi superesse: & veluti in ultima victurus fame veneno vitam ex desperatione finiit. *Quanta luxuria erat*, exclamat *Seneca*, *cui sestertium centies egestas erat?* *Nero* in omni parte vitæ, ut *Budæus* annotat, lib. 4. de Ass. prodigos omnes superavit, quatuordecim annorum spacio solis donationibus effudit quingenties & quinquagesies centena millia aureorum. Uxor *Neronis*, *Poppæa* delicatioribus suis jumentis soleas ex auro induere solebat. Auream domum *Nero* construxit incredibilis precii, ad cujus appendicem tantum faciendum insumsit duodecies centena & quinquaginta millia aureorum.

De *Neronis* successore, *Vitellio*, ita scribit *Suetonius*: *Præcipuè luxuriæ sævitiæque deditus epulas trifariam semper, interdum quadrifariam, dispertiebat, in jentacula & prandia, & cænas comessationesque facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud alii eadem die, nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus constiterunt. Tacit.* lib. 17. scribit

17. scribit. *Vitellium paucissimis mensibus novies millies sestertium intervertisse*, hoc est, secundum *Budæi* calculum, ducenties vicies quinquies centena millia aureorum. *Caligula* in unius diei cænam impendit centies sestertium, hoc est, ducenta quinquaginta millia coronatorum.

Nepotinus sumtibus, inquit *Tranquillus*, *omnium prodigorum ingenia superavit : preciosissimas margaritas aceto liquefactas sorbuit : convivis ex auro panes & obsonia apposuit*, &c.

Totum Tiberii Cæsaris, vicies & septies millies sestertium, (hoc est sexcenties, septuagesies quinquies centena millia aureorum) *non toto vertente anno, absumsit.* Vide *Meursium* de luxuria *Romanorum*. *Antiochi Epiphanis* profusissima quoque fuit prodigalitas : siquidem *Polybio* teste, immensos pecuniarum thesauros in comessationibus & symposiis prodegit, solitusque interdum ludibundus & ebrius grandiusculos nummorum sacculos in viis publicis abjicere & dictitare : *Isthæc accipiant ii, quos sors fortunaque huic commoda jam pridem destinavit. Demetrius Poliorcetes* 250. *talenta* h. e. 150000 Coronatos *Lamiæ* & reliquis cum ea meretriculis ad smegma dari jussit, Plut. Egregie luxuriam describit ab effectis & adjunctis *Claudianus*, de laudibus : *Stilicon.* l. 2.

Luxuries prædulce malum ! quæ dedita semper
Corporis arbitriis, hebetat caligine sensus,
Membraque Circæis effœminat acrius herbis :
Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior ulla
Interius : fucata genas & amicta dolosis
Illecebris torvos auro circumlinit hydros :
Illa voluptatum multis innexuit hamis.

§. 2. Contra prodigalitatem paratum est remedium *crebra & seria cogitatio de futura inopia atque mendicitate eamque secuturo contemtu*. In memoriam heic revocandum & sæpe inculcandum exemplum *Filii prodigi* Luc. 15. *Socrates* cum videret helluonem prodigum atro vesci pane, risit eum, *si ita*, inquiens, *cænasses, jam non ita pranderes.*

CAPUT

CAPUT XIX.

De COMITATE Et URBANITATE.

THESIS I.

HACTENUS de probitate ad nos relata: *sequitur probitas ad alios relata, quæ cum nostra potissimum laude, aut cum aliorum fructu est conjuncta.*

II.

Quæ cum nostra laude est conjuncta vel in externorum morum, vel in quorundam animi affectuum moderatione est conspicua.

III.

Moderatio externorum morum dicitur civilitas, *quæ omnes mores ac gestus ad naturæ convenientiam exigit.*

IV.

Civilitas vel in sermone, vel in gestuum compositione versatur.

V.

In sermone vel faciendo vel continendo.

VI.

In sermone faciendo versatur Comitas vel Urbanitas.

Ἔκθεσις

ARISTOTELES virtutes, quæ conversandi præscribunt modum, una voce appellat ὁμιλητικὰς, quarum tres constituit: *Comitatem*, *Urbanitatem* & *Veracitatem.*

VII.

Comitas est civilitas sermonis, per quam nos aliis affabiles præbemus: alias Affabilitas dicta.

Ἔκθεσις

Ἔκθεσις.

§. 1. Comitatis *objectum* est sermo: *officium*, ita sermonem moderari, ut aliis reddamur grati, accepti & affabiles habeamur, hoc est, ut non tantum faciles in aliis compellandis simus, sed & compellari nos ab aliis facile patiamur. *Comitas* & *affabilitas* synonyma nobis sunt. *Thomæ* 2. 2æ. q. 114. *Affabilitas* est species amicitiæ & pars justitiæ: Unde definitur *specialis virtus justitiæ cognata*, ad cujus munus officiumque pertinet dicta atque facta omnia alios attingentia, præsertim illa, quæ sub nullam legem expresse cadunt, ad decori honestique regulam prudenter atque laudabiliter moderari. Nos vero cum aliis Ethicis aliter hoc loco *affabilitatem* accipimus; quam cum amicitia & justitia speciali non confundendam arbitramur.

Utimur enim *affabilitate* etiam ad ignotos, qui amici proprie dicti non sunt: neque magis cum Justitia est conjuncta affabilitas quam aliæ etiam virtutes morales, quæ proximo debitum præstant honestatis ad quod humanitatis jure omnes obligamur.

Cernitur *comitas* in *admittendo*, *retinendo* & *dimittendo*. In *admittendis* aliis nos faciles oportet esse: in *retinendis*, hilares & liberales: in *dimittendis*, humanos.

§. 2. Distingui solet comitas in *privatam* & *publicam*. *Privata* est erga absentes, quæ per literas innotescit: vel *præsentes*, quæ ex alloquiis & colloquiis manifesta fit. *Publica* appellatur *popularitas*, qua quis populo se accommodat.

§. 3. Comitatem nobis suadent *rationes* & *exempla*.

Rationes sunt:

(1) Quia nihil tam est dignum odio, quam eorum mores, qui compellantibus se difficiles præbent. *Plutarch.* quique in compellandis aliis difficiles & morosi sunt. Unde *Augustinus* dixit:

A viatoribus non haberi hominem, sed truncum, lapidem aut Mercurium, qui hominem sibi obvium non salutaverit aut salutanti non reddiderit salutem.

(2) Quia comitas amorem gignit & admirationem vulgi in principibus præsertim: quam ob causam *Vespasianus* Imperator, dictus est *amor & deliciæ humani generis*. *Telecrus* fratri suo querenti, *quod cives erga se non perinde afficerentur, atque erga illum* respondit: *Tu extra omnem comitatem positus injuriam ferre nescis, ego autem scio.* Plutarch.

Exem-

§. 4. *Exempla* comitatis inter magnates etsi rara sunt: tamen insignia nonnulla sunt.

Antigonus, cum sentiret filium erga subditos insolentius se gerere: *An nescis*, inquit, *ô fili, regnum nostrum nihil aliud esse, quam splendidam servitutem?*

Parisatis Cyri & *Artaxerxis* mater præcipere solebat, ut *byssinis* rex uteretur verbis: hoc est: magnificis & mollibus: quo sermonis blandities rei mitigaret asperitatem.

Augustus, Imperator, cum videret quendam trepidantem, dum libellum supplicem offerret, *bono animo esse jubet: Non enim decere Imperatores literas & supplicationes excipere veluti leones & Elephanti cibum cum exhibentium periculo excipiunt. Titus*, *Imperator* dicere solitus est: *Non oportere quenquam à Cæsaris colloquio tristem recedere. Adrianus* eos detestabatur, qui hanc humanitatis ipsi invidebant voluptatem, quam ex humillimorum colloquiis percipiebat.

Trajanus, Imperator, amicis suis incusantibus, quod imperatoriæ Majestatis parum esset memor omnibusque nimis esset expositus, respondit: *Talem me præstabo privatis, qualem optarem ipse privatus. Cyri* frater, *Artaxerxes* cognomento *Mnemon*, non tantum compellantibus liberalissime vacabat, sed & uxorem suam jubebat pilenti aulæa dimovere, ut posset ab iis, qui vellent, compellari in via. *Plutarch. Alexander Severus* neminem alloquio prohibuit, omnibus se blandum affabilemque exhibuit: amicos ægrotantes, etiam inferiores, invisit. *Maximilianus Secundus* infimum quemque non solum placide audivit, sed etiam satis amice respondit: unde *humanissimus* est dictus. Specimen comitatis, facilitatis & humanitatis erga servos suos Romani singulis annis dederunt in *Saturnalibus*: quibus Domini servos excipiebant convivio & accumbentibus ministrabant. Ubi servis impune licuit in dominos, quicquid liberet conviciorum jactare, testibus *Varrone*, *Macrobio*, *Athenæo*, *Justino*.

§. 5. *Præcepta* de comitate exercenda ab *Aristotele* traduntur sequentia.

(1) Viro comi in conversatione habenda personarum ratio, ut singulis pro dignitate & tempestive tribuat, quod ipsis competit, secundum illud *Terentii*: *Ut homo est, ita morem geras.*

(2) Viri comis est oblectare, sed & honestatis & utilitatis rationem habere. Unde *Antalcidas* rogatus; *quo pacto quis maxime placere possit hominibus?* si inquit, *loquatur illis jucundissima, præstet autem utilissima.*

(3) Viri comis est, coram pluribus ea interrogare, quæ interrogato

terrogato responsu sunt facilia, & quæ scit illum sedula exercitatione didicisse. Tradit hoc præceptum *Eustathius* apud *Macrob.* Saturn. lib. 7. cap. 2. cujus rationem hanc reddit: *Quia gaudet quisquis provocatur ad doctrinam suam in medium proferendam: siquidem nemo vult latere, quod didicit: maxime si scientia, quam labore quæsivit, cum paucis illi familiaris & plurimis sit cognita. Tunc enim videtur consequi fructum laboris cum adipiscitur occasionem publicandi, quæ didicit sine ostentationis nota, qua caret, qui non ingerit, sed invitatur ut proferat. Contra vero magnæ est amaritudinis, si coram multis interroges aliquem quod non optima scientia quæsivit. Cogitur enim aut negare se scire: quod extremum verecundiæ damnum putatur; aut respondere temere, aut fortuito se eventui veri falsive committere: unde sæpe nascitur inscitiæ proditio, & omne hoc infortunium pudoris sui imputat consulenti.*

(4) Viri comis est, modeste amicum admonere, ut à decore & damno sibi caveat, si maxime offensionis nonnihil inde secuturum prævideat. Nam, ut *Cicero* in *Lælio*: *Nulla in amicitia major pestis est, quam assentatio, quæ vitiorum adjutrix est.*

§. 6. Quæritur *An comitati repugnet libera & seria amici delinquentis admonitio & reprehensio?*

Resp. *Affirmativam* videtur ratio suadere. Comitatis & humanitatis est cum amicis agere *suaviter* & *humaniter*, eosque minime offendere. Atqui seria admonitio & reprehensio offendit & à suavitate atque humanitate aliena ducitur. Attamen *negativæ* firmiter inhærendum, hac tamen observata cautione ut *modeste* & *φιλανθρώπως* amicus erroris admoneatur, & comiter reprehendatur, idque eum in finem, ut ex via erroris in viam virtutis revocetur. Hujusmodi enim reprehensio libera & modesta, eaque privata, pars est humanitatis & excellentissimus comitatis affectus. Est enim, ut omnis virtutis, ita & comitatis, prodesse. Atqui errantibus maxime prosumus, si per amicam reprehensionem in viam revocemus exorbitantes.

§. 7. *Attamen, offenduntur*, inquis, *reprehensi.*

Resp. 1. Non omnes offenduntur: sed pro insigni humanitatis præstito officio multi è vestigio gratias agunt: unde *David*, ps. 141. v. 5. *Retundat me justus, benignitas erit, & corripiat me, unguentum erit præstantissimum* &c.

(2) Qui offenduntur, injuste offenduntur, & tandem culpam agnoscunt, si boni sunt. Unde *Aristotel.* lib. 4. Eth. cap. 6. ex offensionis metu à castigatione non esse abstinendum, docet: quia fructuosa est, etiamsi ad tempus ingrata est: quam in sententiam

tentiam *Apostolus*, Heb. 12. v. 11. *Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed tristitiæ: at postea fructum tranquillum justitiæ reddit iis, qui per eam fuerint exercitati.*

VIII.

Comitati adversatur in defectu morositas, quæ difficilis est in aliis compellandis, aliorumque compellationibus admittendis, dicta etiam & facta aliorum facile improbat & sugillat: In excessu ἀρέσκεια, seu nimium placendi studium, quod præter modum per omnia quibuslibet obsequitur, nulla honestatis aliqua interdum utilitatis ratione habita.

Ἔκθεσις.

§. 1. Cujusmodi morosus & difficilis homo fuit *Nero*, qui nec cum servis, nec cum liberis hominibus sermones contulit; sed omnia mandata in libellis scribere consuevit, neminē salute vel resalutatione dignatus; testibus *Suetonio* & *Xiphilino*. Talis & *Timon* fuit: unde & *μισάνθρωπος* est dictus, qui omnium hominum fugit commercia & colloquia. uno saltem excepto *Alcibiade*, quem magno *Atheniensibus* malo futurum prospexerat. Interdum tamen & *Apemantum* admittebat. Hi duo cum aliquando soli convivarentur; *Apemantus*, *quam egregium*, inquit *ô Timon est nostrum hoc convivium! Certe*, inquit *Timon*, *si tu quidem abesses.* Idem cum in concionem aliquando prodiisset, facto, propter rei novitatem silentio; *Est mihi*, inquit, *Athenienses, domi mea ficus, è qua multi se cives suspenderunt: eam exscindere cupio, quod vobis denunciandum fuit, si forte quis esset, qui se prius de illa suspendi vellet.* Hac contumelia irritati cives lapidibus ipsum obruerunt. Ut vero mortuus quoque extra hominum esset consortium, sepulcrum ejus mare à continenti avulsit, & circumfluum atque in accessum reddidit. Epitaphium ipse sibi scripsisse dicitur:

Hic sum post vitam miseram mentemque sepultus.
Nomen ne quæras: Dii, lector, te male, perdant Plut.

Tiberius hominum tristissimus, ut à *Plinio* lib 28. cap. 2. vocatur, incedebat cervice rigidâ ostipâ, adducto vultu, plerumque tacitus, nullo aut rarissimo cum proximis sermone. *Domitianus* in occursu visuque terribilis, autore *Plinio* in Paneg. *Trajani* fuit,

fuit, ſuperbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore; in ore impudentia multo rubore ſuffuſa! non adire quiſquam non alloqui audebat, tenebras ſemper ſecretumque captantem, nec unquam ex ſolitudine ſua prodeuntem, niſi ut ſolitudinem faceret.

Plus quam barbara quorundam barbarorum Regum eſt moroſitas, qualis illa magni *Sinarum Regis*, cujus regia aulas continet LXXIX. ampliſſimas. Rex nullo ſolis lumine ſe ſpectandum præbet; qui ei adſtant miniſtri, perpetuo faces accenſas manibus tenent. Colloquii, vel audiendorum legatorum, cauſa, ſi adeatur, ſerpentem ingreditur ingentem miro factum artificio in Palatina area, & ſex ingredi ſecum neceſſarios jubet. In ſerpentis, cujus tanta, quanta cubiculi, eſt capacitas, pectore feneſtella eſt: unde loquentes ipſe videt, ab iis vero non videtur. *Anton. Pigafet.* Ita *Deioces*, primus *Medorum* Rex, cavit, ne cui ad regem ingredi liceret, adeo ut ne conſpici regem à quoquam fas eſſet. *Herodot.* in Clio.

Agatarchides ſcribit lib. 1. de Mari Rubro cap. 50. Regi *Sabæ* accepta regni cura, nefas fuiſſe regale egredi palatium: ſecus ſi fieret, lapidibus à populo obrutum. Idem, teſte Athenæo, lib. 12. ignavus, negligens & luxurioſus in balneis ſemper verſabatur, ſummoque ſumtu mollem agebat vitam. Paucos in ſui conſpectum & familiaritatem admiſit.

§. 2. Ἀρέσκεια, ſeu nimium placendi ſtudium idem eſt cum adulatione quæ honeſtatis ſepoſita cura, etiam utilitatem quandoque negligit, etſi ſæpe eam quoque venatur: unde κόλακες & ἄρεσκοι appellantur.

Γλωσσογάστορες, qui verba fundunt μαγγανικὰ, habentque linguam venalem, ut paſcat ventrem. Cujuſmodi homines in aulis tam ſunt frequentes, quam in culinis muſcæ, *Menandro teſte*. De adulatione plura vide cap. 25. quæſt. 32.

IX.

Urbanitas eſt civilitas ſermonis, qua in ſalibus lepidis, jociſque liberalibus modeſtam dexteritatem uſurpamus.

Ἔκθεσις.

§. 1. Objectum urbanitatis ſunt *ludi* & *joci* in ſermonibus, circa quos occupata hæc eſt virtus, quatenus inde animi quædam petenda eſt medicina & relaxatio, ad res ſerias

promtius obeundas, curasque & cogitationes molestiores pellendas, in quibus cum facilis sit excessus, virtutis hujus moderamine omnino opus est. Magnam virtutis hujus necessitatem esse *Aristoteles* judicavit. *Nisi enim*, inquit 8. Polit. *à primis annis honestis jocis assueveris, nunquam legitimus probusque vir evadere poteris.*

§. 2. Excelluerunt in jocorum honestorum genere *Græci* Principes & Philosophi. Excelluerunt & *Romani*, quorum apud *Plutarch.* in Apophthegmatibus fit mentio. Exempli gratia.

Chrysanti interroganti: *qualem sibi uxorem putaret convenire*, *Cyrus* respondit: *Parvam, quia & ipse parvus esset: Nam si magnam*, inquit, *duxeris, assilire te necesse fuerit, catulorum instar, si quando osculari eam volueris. Agis* cuidam quærenti: *quis Spartanorum esset optimus?* respondit: *qui tibi dissimillimus.* Malus quidam Orator, cum in epilogo Orationis misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit *Catulum*: *videreturne misericordiam movisse? At magnam*, inquit *Catulus*. *Neminem enim puto esse tam durum, cui non tua oratio miseranda visa sit.*

Excelluit in hisce facetiarum & jocorum generibus *Iulius Cæsar*, excelluit quoque *Henricus* IV. *Galliarum* Rex. *Macrobius* scribit, 2. Saturn. cap. 1. duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit; Comicum *Plautum* & Oratorem *Tullium*, jocorum venustate cæteris præstitisse. Idem sequentibus capitibus pluribus veterum jocos & dicteria colligit & recitat. De jocis *Ciceronis*, *Tiro* tres libros scripsit: quamvis sine judicio, ut nonnulli judicant. *Ciceronis* gener erat *Lentulus*, exiguæ staturæ homo, quem cum longo accinctum gladio vidisset: *Quis*, inquit, *generum meum ad gladium colligavit?* Neque fratri suo *Quinto*, qui & ipse fuit parvæ statuæ, pepercit. Cum enim in provinciâ, quam ille regebat, clypeatam imaginem ejus ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam vidisset: *Frater meus*, inquit. *dimidius major est, quam totus.* Plurima doctorum virorum jocosè dicta libro satis spisso de *Iocoseriis* recitat *Melander*. Videatur & *Plutarch.* lib. 2. Sympos. q. 1. Coram *Friderico*, Rege *Arragoniæ*, Physicis aliquando quærentibus: *quid maxime acueret oculos?* aliis fæniculum, aliis vitrum, aliis aliud commendantibus; tandem facetus homo, *Actius* Poëta, inquit: *Invidiam oculis plurimum conferre ajo: quia facit, ut omnia multo quam revera sunt, majora videantur.* Pontanus.

Rudolphus I. Imperator nasum habuit magnum & aquilinum. Huic aliquando in angusta semita obviam factus homo dicaculus (moli-

(molitorem fuisse aliquot agentem asinos ajunt) & à satellitibus Imperatori cedere jussus: *Quo*, inquit, *cedam, cum imperatoris nasus ita viam occupet, ut praeterire non possim.* Cui Imperator subridens, flexo in alterum latus naso, *progredere* inquit, *Fili: nasum meum amovi, ne sit tibi impedimento.* Justinianus.

Ad jocos pertinent quoque ænigmata recreationis causa proposita.

§. 3. Virtutis hujus exercitium magnam requirit prudentiam ut intra mediocritatem se contineat & laudem mereatur.

Habitus ejus potissimum acquiritur ex lectione veterum historiarum & consideratione exemplorum laudatorum ac prudentum imitatione, ut scias, quo illi loco, quo tempore, quibus, ad quos, facetiis & jocis sint usi. Interim sequentia observentur præcepta.

(1) Ludi & joci non sint turpes & futiles, sed honesti & liberales ad honestam & decoram conversationem spectantes. Tradit hanc joci distinctionem *Cicero* lib. 1. Off. *Duplex omnino est jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscænum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum: quo genere non modo Plautus noster & Atticorum antiqua comœdia, sed etiam Philosophorum Socraticorum libri referti sunt.* Præceptum *Ambrosii* est: *Caveamus ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam & quasi concentum quendam bonorum operum.*

(2) Dicteriorum urbanitate nullius lædenda fama, nemo offendendus: sed honestæ tantum recreationis habenda ratio. Facilis & frequens heic est lapsus. Unde *Chrysostom.* in cap. 5. ad Ephes. *Necesse est*, inquit, *urbanis deditum facetiis minimè in se recipere immicitias eorum, quos salibus temere lædit, sive præsentes sint, sive absentes hoc audiant.*

Innocuos censura potest permittere lusus: inquit *Martial.*

(3) Non multi nimis & frequentes spargendi joci: uti & salis in condendis cibis abusus cavendus. Igitur vel imprimis locum habet tritum illud: *μηδὲν ἄγαν*: *Ne quid nimis:* adeoque jocaliter, sed temperanter & moderatè; & docente *Tullio*, cum gravibus seriisque rebus satis fecerimus. *Sapientem interdum*, inquit Augustinus, *remittere aciem rebus agendis intentam decet.*

(4) In jocis proferendis maxima *temporis*, *loci* & *personarum* habenda ratio: Nec enim ad *quosvis* uti jocis fas est, nec quovis *tempore*, nec quovis *loco*: Monent prudentes, non esse jocandum in *templo*, in *curiâ*, in *senatu*, in *scholis* aut aliis locis, ubi res agendæ sunt seriæ, sed in *conviviis*, *nuptiis*, *festivitatibus* & a-

liis congressibus animi reficiendi causâ institutis. Apud *Gell.* lib. 13. c. 11. Varro in conviviis sermones esse habendos censet, non de rebus anxiis & tortuosis, sed jucundos & invitabiles & cum illecebrâ quâdam & voluptate utiles. Hi verè sunt urbani. Interim *Plutarcho* præcipiente, apud ebrios abstinendum jocis. Quia joci conjuncti sunt cum *παρρησίᾳ*, quâ facile irritari possunt ebrii. Requirunt joci judicium in *loquente* & *audiente*. Atqui judicium in ebriis sincerum non est: vide *Macrob.* Saturn. l. 7. c. 3.

(5) Quem natura ad jocos non finxit, caveat sibi, ne jocos fingat ex tempore, sed ab aliis ante usitatos opportune adhibeat, vel iis plane abstineat. *Plutarch.* lib. 2. Sympos. q. 1. *σκώμματος τῷ μὴ δυναμένῳ μετ' εὐλαβείας καὶ τέχνης κατὰ καιρὸν ἅπτεσθαι, πάντα πᾶσιν ἀφεκτέον*: plura vide ibidem de jocandi opportunitate & dexteritate.

Eodem tendit *Ciceronis* præceptum. *Non ita generati à natura sumus, ut ad ludum & jocum facti esse videamur: sed ad severitatem potius & ad quadam studia graviora & majora. Ludo autem & joco uti quidem licet: sed sicut somno & quietibus cæteris, tum, cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus.*

(6) Jocum æquo ferre animo debet, qui jacere in alios consuevit. Hinc cum *Ptolomæus Lagi* Grammaticum ob inscitiam subsannans interrogasset, *quis Pelei fuisset Pater?* & ille respondisset: *Tu prius dic, quis Lagi fuerit Pater* (quo obscuritatem generis Regi exprobraverat) idque indignantibus omnibus non impune ferendum videretur: Excepit Rex: *Si non regium est, salse in se dicta ferre, ne salse dicta quidem in alium jacere regium est. Plutarch.* Consulenda heic *praxis jocandi*, edita *Francof.* Anno 1602.

§. 4. Quæritur (1) *An Urbanitas etiam habenda sit in numero virtutum?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur sequentibus argumentis.

(1) Quia competit ei definitio virtutis: Nam & urbanitas est constans animi propositum vivendi secundum legem prudentiæ suavitatis salem in sermone requirentem.

(2) Quia in se habet formam virtutis à *Peripateticis* laudatam, nempe mediocritatem inter extrema moralia.

(3) Quia fluit ex mentis judicio, voluntate, consultatione & prælectione hominemque insigniter ornat.

§. 5. Pro *contraria sententia* sequentia videntur militare argumenta.

(1) *Paulus*, Eph. 5. v. 4. *vitiis accenset εὐτραπελίαν, quæ latinè*

latinis urbanitas dicitur: Ergo non est ferenda in virtutum numero.

Resp. Ad *antecedens*: ambigua vox εὐτραπελίας, quæ quandoque in bonam, quandoque in malam accipitur partem, idemque significat, quod μωρολογία seu βωμολογία *stultiloquium*, *scurrilitas*. Apostolus igitur quando εὐτραπελίαν damnat, *scurrilitatem* indigitat, oppositam urbanitati.

§. 6. (2) *Virtuti premium est constitutum. Urbanitati nemo constituit præmium. Ergo urbanitas non est virtus.*

Resp. Si præmium late accipiatur, ita ut sub se laudem & prudentum approbationem & amorem complectatur, *Assumtionem* negamus: Nam & urbanitas in laude ponitur, prudentumque judicio probatur & magni fit.

§. 7. (3) *Veræ virtutes interna respiciunt & perficiunt: εὐτραπελία tantum consistit in externo. Ergo non est vera virtus.*

Resp. *Propositio* exclusive vera non est: non enim interna tantum, sed & externa respiciunt veræ virtutes.

Assumtio quoque falsa est: Etenim habitus εὐτραπελίας interne animum & conceptum mentis disponit, ut urbanus inde sermo possit profluere: Idem de liberalitate & aliis virtutibus judicandum.

§. 8. (4) *Virtutes versantur περὶ τὰ χαλεπώτατα. Urbanitas non versatur περὶ τὸ χαλεπώτατον E. urbanitas non est virtus.*

Resp. Ad *majorem* per distinct. χαλεπώτατα cum quadam latitudine sunt intelligenda pro χαλεποῖς, quorum varii dantur gradus, ita ut alia aliis magis minusque sint difficilia. Hoc igitur modo etiam urbanitas circa χαλεπὸν versatur; quia non quivis modum servare in jocis potest: non est hoc nisi prudentium.

§. 9. Quæritur (2) *An liceat jocari?*

Resp. *Affirmativa* defenditur de jocis liberalibus:

(1) Quia jocus est actus urbanitatis, quam virtutem esse ostendimus.

(2) Quia usus jocorum liberalium est multiplex.

Sæpe maximarum rerum momenta vertunt: tristes affectus solvunt, odium & iram frangunt: sæveritatem mitigant: tædia diluunt; odiosa usu dissolvunt: in congressibus amorem & benevolentiam conciliant. Unde *Martialis*:

Innocuos censura potest permittere lusus.

(3) Quia à sanctis quoque adhibita urbanitas: Exempla videantur, Reg. 18. v. 27. Jer. 14. v. 11. Job. 12. v. 2. 1. Cor. 4. v. 1. 2. Cor. 11. v. 8.

§. 10. Excipitur *in contrarium*: (1) *Plato* lib. 11. LL. *damnat jocos & facetias. Quintilianus* ait, *non esse indolis bonæ signum, si quis jocetur.*

Resp. Non damnant jocorum liberalium usum modicum, sed abusum, & præcipue illiberalium usum: qui scurrilitatis veniunt nomine. *Quintilianus* eos reprehendit, quæ in jocis suis nihil nisi risum quærunt.

§. 11. (2) *Si joci tanquam actus virtutis essent liciti, certa eorum tradi posset ratio. Atqui falsum consequens Ergo & Antecedens.*

Assumtio prob. *Quia, testibus Quintiliano* lib. 6. cap. 4. & *Cic.* lib. 2. de Orat. *Qui eorum rationem & artem tradere conati sunt, ita extiterunt insulsi, ut illorum aliud nihil, nisi ipsa insulsitas, rideatur.*

Resp. *Assumtio* simpliciter vera non est: etiamsi enim in specie certa tradi singulorum jocorum ratio & ars non potest, tamen in genere tradi certæ & utiles præceptiones possunt. Videatur *praxis jocandi*, quam supra allegavimus· Qui infelices in hac institutione fuerunt & insulsi, doctioribus nihil præjudicant.

Observetur illud *Ciceronis*, 1. Off. *Ludo & joco uti quidem illo licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tum cum gravibus seriisque rebus satis fecerimus. Ipsum genus jocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet.* Ibidem ita porro scribit: *ut pueris non omnem licentiam damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena: sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.* Locum jam ante allegavimus.

§. 3. Quæritur (3) *Quæ in jocis observandæ sint circumstantiæ.*

Resp. Sex potissimum. Ut enim liberalis, oportunus, ingeniosus, gratusque sit jocus, habenda ratio.

1. *Rerum* non sunt adhibendi joci in rebus magnis & arduis, in religione, legibus, calamitatibus publicis vel privatis: ubi animi opus devotione, attentione, submissione &c. neque in flagitiis & sceleribus: ubi indignatione opus.

(2) *Quantitatis*: Non debent esse nimis frequentes, quia mimicum hoc est & scurrile à gravitate alienum.

(3) *Qualitatis*: verecundi sint, liberales & modesti non obscœni illiberales & scurriles: qui castas aures delectent, non offendant.

(4) *Personarum*: non est utendum jocis erga calamitosos, quales egeni, exules, ægroti: corporibus mutili: ne videamur iis insultare vel calamitatibus ipsorum non moveri: neque erga Magistratum

gistratum & superiores, quos venerari par est: arguit enim contemtum jocus, & indignationem provocat.

(5) *Temporis*: Non tum jocandum, quando seria sunt tractanda & ad tristitiam potius, quam hilaritatem, invitat tempus.

(6) *Loci*: Non denique adhibendi joci in consessu gravium virorum, in Ecclesia, in curia, in domo luctus &c.

§. 13. Quæritur (4) *An jocus sit species mendacii?*

Resp. Jocus, quatenus est actus urbanitatis, mendacium non est, quia, quod res est, cum gratia & suavitate eloquitur, absque intentione fallendi, seu contrarium ejus, quod cogitas, alteri persuadendi: veluti si quis servi aut famuli expressurus requisita dicat, *oportere famulum habere rostrum suillum, aures asininas, dextram explanatam, pedes cervinos*: quibus famuli indigitatur *laboriositas, attentio ad jussa Domini, promtitudo & celeritas*. Talis de famulo quoque jocus est: *Qui unum habet famulum, integrum habet: qui duos, dimidium: qui tres, nullum.* Sensus hic est: quo plures sunt famuli, eo negligentiores sunt singuli. Interim in speciem absurda & impossibilia quandoque proferuntur, ut eruendi sensus veri ingeniosis materia subministretur: quod & in fabulis atque ænigmatibus fieri solet.

§. 14. Excipitur 1. *In jocis verborum seu signorum est abusus, & tanquam vera recitantur, quæ esse per naturam non possunt. Ergo jocus mendacii est species*: Antecedens probant *jocorum exempla: inter quæ & illud de famulo habente rostrum suillum, aures asininas & pedes cervinos.*

Resp. De jocis ab urbanitate profectis negatur *antecedens*, nisi per abusum vocabulorum intelligatur translatio à significatione propria ad impropriam: quæ frequentissima est & omnium sapientum judicio permissa. Etiam simile significatur per simile, sine vocabulorum abusu, ut in fabulis: non enim abutimur signis, quando absque fallendi intentione, vera & utilia iis significamus: etsi cujusvis ea captui non sunt accommodata, & impossibilia videri possunt. Talia sæpe ex hypothesi possibilitatis dicuntur. Neque omnes joci verbis efferuntur impropriis, sed plurimi propriis. Unde patet, *consequentiam* quoque firmam non esse.

§. 15. (2) *Jocus & mendacium jocosum synonyma sunt. Ergo jocus est species mendacii.*

Resp. *Antecedens* de joco urbanitatis negatur. Virtus hæc ita suos instruit jocos, ut mendacii non possit insimulari. Itaque jocos cum mendacio conjunctos ab urbanitate alienos esse dicimus.

§. 16. Quæritur (5) *Quotuplices sint joci liberales?*

Resp. Sunt *verborum* vel *rerum*. Joci in *verbis* sunt tropicis aut figuratis, vel etiam ambiguis. Frequentes heic sunt *metaphora* & *paronomasia*: quibus litera vel syllaba additur, detrahitur aut mutatur. Ut si versutum & fallacem dicas esse *vulpem*, crudelem *Leonem*. Si eum, qui promtior est in criminibus objiciendis, quam repellendis, dicas esse *promtiorem dextra*, *quam sinistra*. Ita *arator* potius, quam *orator* aliquis dicitur: *merdicus* potius, quam *Medicus*: *Polycaprus* potius, quam *Polycarpus*. *Turbanus* potius, quam *urbanus*. Ita *Verrem* Cicero dixit ex homine factum esse *Verrem*.

§. 17. Pertinent huc quoque ænigmata, quæ pleraque verbis sunt concepta impropriis, quibus omnibus seculis se oblectarunt ingeniosi & docti in congressibus ad hilaritatem spectantibus. Unde *Clearchus* apud *Athenæum* ait, *Griphorum* (sic ænigmata quoque appellantur) *perscrutationem non esse alienam à philosophia, & sapientiæ his specimen veteres statuisse propositis inter convivendum.*

Hujusmodi est illud:

Dum caput est, currit: ventrem conjunge, volabit:
Adde pedem, comedes: & sine ventre bibes.

Solut: *Muscatum* est: cujus *caput* est MUS: venter CA; qui si capiti jungatur, erit MUSCA: *Pes* est TUM quem si *capiti* & *ventri* addideris, erit Muscatum: *ventrem*, CA, si exemeris, erit Mustum. *Mus currit; Musca volat: Muscatum editur: Mustum bibitur.*

Tale & hoc est:

Est fera aquis constans, reserat quam lignea clavis:
Venator capitur: libera casse fera est.

Sol. *Mare rubrum, quod aperitur baculo Mosis:*
Pharao mergitur: Israel transit.

Item. Quinam illi sunt? *primus non est natus & mortuus*: *secundus est natus & non mortuus*: *tertius neque natus neque mortuus*: *quartus natus & mortuus?*

Sol. *Adam*, *Enoch*, *Angelus*, *alii homines*.

Octo recensentur Thaletis ænigmata?

Quid omnium antiquissimum? Deus.
Quid robustissimum? Necessitas.
Quid pulcherrimum? Mundus.
Quid sapientissimum? Tempus.
Quid communissimum? Spes.
Quid maximum? Locus mundi.

Quid

Quid utilissimum? Virtus.

Quid damnosissimum? Vitium.

Griphi olim in convivio propositi & non soluti pœna erat haustus meri vel etiam muriæ: Soluti vero præmium, vel osculum vel carnis ferculum: *Athenæus*, *Julius Pollux*.

§. 18. Joci in *rebus* sunt, in quibus solarum rerum principaliter habetur ratio: Cujusmodi ille *Ciceronis*: *Vatinii anno magnum fuit ostentum: quia, eo consule, nec bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit.* Quia paucis tantum diebus consul fuit. Idem de *Marino* dixit. *Consule Marino, neminem pransum cœnatumq; fuisse, aut dormivisse.* Quia sex tantum horis antemeridianis consul fuerat. *Dionysius*, Siciliæ tyrannus cum *Jovi Olympio* aureum amiculum detraxisset, laneum imponi jussit & dixit: *æstate grave esse aureum; hyeme frigidum: laneum vero utrique tempori accommodatum.* Cum *Xantippe*, uxor *Socratis*, post multa maledicta & convitia, tandem quoque urinam in eum effudisset: facete *Socrates* excepit: *Notum mihi erat, post tonitrua tandem secuturam pluviam.*

§. 19. Quæritur (6) *An in aulis principum vel Rebuspublicis sint ferendi histriones, comœdi & tragœdi?*

Resp. Posse ferri plerorumque est sententia: sequentibus tamen observatis *cautionibus*:

(1) Ne jocis utantur illiberalibus, verbisque aut gestibus admisceant obscænitatem.

(2) Ne nimii in eos fiant sumtus, nec nimium temporis hujusmodi spectaculis tribuatur.

(3) Ne otio sint dediti, aut solos sectentur jocos.

Interim religiosi viri justis momentis rem ejusque usum ponderantes exesse principum aulis & Rebuspubl. jubent *histriones*, *Comœdos* & *Tragœdos*, una cum *ludis scenicis*, quales jam in usu vulgari habentur, idque sequentibus de causis. (1) Quia ad vivum in iis vitia & scelera exprimuntur, mente primum accuratissime concepta, inde voce & gestibus repræsentata, qua ratione aures, oculi & mentes non actorum tantum sed & spectatorum implentur. (2) Quia hac ratione ipsa vitia quasi exercentur: imo nonnulla vere exercentur, ut *stultiloquia*, *turpiloquia*, *execrationes* &c. (3) Quia mulieres in scenam producuntur ad impudicitiam cum impudicitia repræsentandam: viri etiam, contra Dei legem, muliebria vestimenta, facies & gestus induunt, magno impudicitiæ incentivo. (4) Quia etiam, qui modestiores sunt auditores & spectatores, vix effugere possunt impudicas cogitationes: alii vero discunt facere, quæ sine verecundia consueve-

ſueverunt audire & videre : unde *Seneca : Nihil eſt tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia ſurrepunt.* (5) Quia ſumtus facti in ludos hujuſmodi inutiliter longe utilius in pauperes conferri poſſunt. (6) Quia pii reges V. T. ineptias hujuſmodi in aulas ſuas non admiſerunt. (7) Quia Eccleſia primitiva hiſtriones ab Eccleſiaſtica communione excluſit : qui etiam de jure civili ſunt infames. (8) Quia olim ſolemne fuit votum baptizatorum : *Abrenuncio Diabolo, pompis & ſpectaculis* &c. Vide *Rivetum* de hac quæſtione prolixe diſputantem, in explic. Decalogi : pag. 339. & ſeqq.

X.

Urbanitati adverſatur ruſticitas & ſcurrilitas, quæ jocos minus honeſtos & liberales profert.

Ἔκθεσις.

URbanitati quandoque etiam opponitur Incivilitas in cibo & potu capiendo, quo ſenſu in quendam urbanum minus urbanè luſit Poëta :

Diceris Urbanus, ſed non urbanus haberis,
Cum ceu vacca bibas, & ſuis inſtar edas.

Sed proprie urbanitati opponitur *ſcurrilitas*, quæ ſales inſulſos, nugas aniles, facetias invenuſtas, urbanitatem ſtultam & frigidam, dicta illiberalia, & ſordida largo ſpiritu miſcet & vomit. Dicta ſcurrilitas à ſcurra : quæ vox originem trahit ex Græco σκῶρ quod latinis *fimus, ſtercus, excrementum*, unde Latinis *Scoria*, Græcis σκωρία, quaſi excrementum metallorum, fæx, ſordes. Eſt igitur ratione originis *Scurra*, qui ſpurca, ſordida & quaſi ſtercorea effutit. Alias Græcis appellatur βωμολόχος : quæ vox proprie *ſacrilegum* ſignificat, ex βωμὸς *ara*, & λόχος, *inſidiæ*. Scurra enim ſermonem, qui ſacer & pudicus atque religioſus debebat eſſe, profanat & caſtis auribus inſidiatur : Unde excuſatione illa ; *ſit honos caſtis auribus*, non utitur. Scurra quoque, ſeu βωμολόχος verbis ſacris ad profaniſſimos quoſque ſermones abutitur : quæ maxima impietas & profanitas.

Putat *Turnebus* olim ſynonyma fuiſſe, *Scurram & urbanum* : Sed Ethici exquiſite modo diſtinguunt. Non contemnendum videtur *Scurræ* etymum ex Hebraico שָׁקַר *mentiri*, & metaphorice, ſcurriliter agere ; ſunt enim ſcurris familiaria mendacia.

Scurriles

Scurriles linguas ita depingit *Plautus*, Trinum. Act. 1. sc. 2.

Nil est profecto stultius, neque stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.
Atque egomet me adeo cum illis una ibidem traho:
Qui non illorum verbis falsis acceptor fui:
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Id quod in aurem Rex Regina dixerit,
Sciunt: quod Juno fabulata est, cum Jove,
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen ii sciunt.
Falso ne an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud, quod lubet, sciant.

Illota & putrida hominum horum dicuntur ora & linguæ: unde sermones putridi, fœtidi. Unde pulchre recteque monet *Anshelmus*, linguam sale adspergendam esse, ne putrescat fæteatque, ne vermiculis mendaciorum & turpium facetiarum ebulliat. *Thomas*, 2. 2. q. 148. art. 6. Inter *Gulæ* filias numerat scurrilitatem. *Chrysostomo* oriri videtur scurrilitas ex immoderato risu, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio turpis actio. Cave igitur ab immoderato risu, qui stultitiæ fœtus est.

CAPUT XX.

De DECENTI SILENTIO SEU TACITURNITATE.

Thesis I.

Fuit civilitas in sermone faciendo: *Civilitas in sermone continendo est decens silentium seu taciturnitas.*

II.

Decens silentium est Civilitas, per quam ab intempestivo sermone abstinemus.

Ἐκθεσις.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM taciturnitatis seu silentii est sermo opportune promendus vel continendus: Unde patet *officium* ejus esse linguam quasi freno compescere, ne sermonem proferat intempestivum.

Est autem *sermo intempestivus*, *vel* quo arcana propalantur, *vel* quo alii offenduntur, quique damnum parit, *vel* denique qui personam proferentis minus decet, aut tempore locoque minus opportuno profertur. De quo plura in præceptis silentii decentis.

§. 2. Silentium seu taciturnitatem nobis suadent ***rationes*** & ***exempla***. *Rationes* sunt:

(1) Quia *tempestivum silentium est res sapientissima*: Plutarch. *Loquendi magistros habemus homines, tacendi Deos*: Idem.

Σοφὸν ἔυκαιρος σιγὴ, ϗ παντὸς λόγυ κρείττων. Idem τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐςὶ σοφώτατον. *Pindarus*.

(2) Quia multa declinat corporis pericula. Nam *ubique innoxium est silentium*, *& ob linguæ licentiam in gravissimas calamitates multi inciderunt*. Plutarch. Quo pertinet tritum illud Græcorum: Ἀχαλίνυ σόματος τέλος δυςυχία. Monet idem Plutarch. oportere linguam obthuratam habere, & ratione, velut obice linguæ apposito: identidem fluxum ejus lapsusque cohibere: ne stultiores anseribus videamur esse, qui cum è *Cilicia* montem *Taurum* aquilarum plenum transvolant, dicuntur singuli; recepto in os lapide, quo tanquam frœno aut claustro vocem compescant, noctu latentes tacite transire.

Rationem hanc secundam ut & tertiam egregie illustrant *Ambrosii* verba lib. 1. off. cap. 12. *Quid præ ceteris debemus discere, quam tacere, ut possimus loqui? ne prius me vox condemnet mea quam absolvat aliena. Scriptum est enim: ex verbis tuis condemnaberis: Quid opus est igitur, ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quendam tacendo; ideoque tacere nosse, quam loqui, difficilius est. Scio namque loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens ergo est, qui novit tacere.*

(3) Quia nunquam nos ejus pœnitet, *si quidem tacuisse neminem*

minem pœnituit, dixisse plurimos. Plutarch. Pertinet huc illud Græcorum: Σιγῆς γέρας ἀκίνδυνον: *Est & fideli tuta silentio merces:* Horat.

(4) Quia *optimum & tutissimum rerum administrandarum vinculum est taciturnitas.* Valer. Max. lib. 2. c. 1. *Res magnæ,* inquit *Curtius*, lib. 4. *Non possunt sustineri ab eo, cui tacere grave* est.

(5) Quia taciturnitati adversa garrulitas *stultitiæ* & *maledicentiæ* crimen incurrit: *Stultitiæ*, quia nemo stultus tacere potest: *Solon. Maledicentiæ*, quia, *Plutarcho* teste, *fieri non potest; ut garrulitatem non comitetur maledicentia.*

§. 3. *Exempla* eorum, qui taciturnitatem sanctè coluerunt, in historiis multa occurrunt:

Inprimis necessariam eam esse discipulis ostendit *Pythagoras*, qui per integrum quinquennium discipulis suis ἐχεμυθίαν hoc est, *silentium* indixit. Sic & *Socrates* suos admonuit Discipulos, tria præcipue in omni haberent vita: *in animo prudentiam, in vultu verecundiam, in lingua silentium. Socratis* Discipulus *Æschines* de silentio reprehensus, cum *Socratem* præceptorem habuisset: *Non loqui solum*, inquit, *à Socrate sed etiam tacere didici. Stoba. Isocrates* duplex à discipulis minerval exegit: unum, quod docuisset illos prudenter tacere: alterum quod à se loqui etiam didicissent. Unde *Bias* immodicæ linguæ juvenem facete notans: *Mi juvenis*, ait, *ecquis fandi magister te docuit tam copiose loqui. Isocratis scholam non videris obiisse: ille alioquin & tacere te docuisset. Catoni* cum vitio verteretur taciturnitas, *carpant*, inquit, *taciturnitatem, modo vitam probent. Tum demum rumpam silentium, cum ea loqui potero, quæ silentio indigna sunt. Plutarch.* in *Catone. Harpocrates*, Philosophus Græcus, *silentii Deus* est dictus. Unde proverbium: *Reddere Harpocratem* hoc est, *silentium imponere. Agathon* Abbas cum illud *Salomonis* legisset: *qui custodit os suum, custodit animam suam:* toto triennio silicem ore circumtulit, ut hac ratione taciturnitatem disceret.

Pambo Ægyptius eremita, cum legere disceret initium lectionis suæ factum à psalmo 39. *Dixi, observabo vias meas, ne peccem lingua mea.* Quem ipsi versiculum cum eruditus vir quidam explicasset, *satis est*, inquit, *postquam hoc calluero, plus discam.* Longe post reversus ad *Pambonem* doctor quærit, cur non pergeret & alteram à prælectore præceptionem posceret? *Primam* inquit, *nondum perdidici*: quo minus autem progrediar Apostoli facit præceptum jubentis, *Estote factores verbi, & non auditores tantum*

tum. Post plures annos ab alio rogatus, an psalmi illius primum versiculum didicisset? Respondit: *Quadraginta novem annis hunc versum discere conatus, vix demum exactiorem illius notitiam assecutus sum.* Silentium maxime amarunt *Lacedæmonii*, cujus magistrum habuerunt *Lycurgum*: ex cujus instituto, qui natu maximus in domo erat, stans ad ostium, ingredientibus ad convivium, ostensis foribus dicebat: *διὰ τῦ τῶν ὁ λόγος ὐκ ἐκπορεύεται*: hoc est, *per hasce non egreditur sermo.* Rex ipsorum, *Demaratus*, in consessu quodam interrogatus. *Utrum ob stultitiam, an ob sermonis inopiam, taceret? Si*, inquit, *stultus essem, tacere non possem.* Hinc *Spartanorum* responsa & scripta fuere brevissima: Hodieque *Laconice* dicuntur loqui, qui breviloquio student. *Plutarchus* ait, *Laconicam orationem carere cortice & supervacaneorum remotione acui. Philippo Macedoniæ* Regi, aliquando scribenti ad se hæc verba: *Si exercitum duxero in fines Laconicos, devastabo vos*: rescripserunt: *Si Demetrio* Regi indignanti & clamanti: *unum ad me legatum misere Spartani:* Nihil territus legatus respondit: *Unum ad unum.* Eidem per literas sciscitanti, *An se in urbem admissuri essent?* per epistolam responderunt, in qua unica vox. NON, magnis literis erat scripta. *Ephori* graviter aliquando adolescentem corripuerunt, quod viam nosset, quæ ad portam ducit, ubi in trivio colloqui homines solebant; *Persæ* arcana Regum suorum mira celabant fide: non metus, non spes elicere vocem poterat, quâ proderentur occulta. Vetus enim disciplina Regum silentium vitæ periculo sanxerat: lingua apud eos gravius castigabatur, quàm ullum aliud malum. *Curtius.* Coluerunt iidem *Silentii Numen* ut & *Ægyptii Harpocratem*, *Romani Angeronam*, *Hispani* sæpe tormentis sunt immortui pro silentio rerum creditarum: *Trogus Pompejus. Zeno Eleathes* cum arcanum aliquid enunciare cogeretur, nihil confessus tormentis restitit, tandemque linguam erosit & in Tyrannum exspuit.

§. 4. *Præcepta* de silentio decenti sequentia observentur.

(1) Sermonem ne præcipitato, sed præmeditatus loquitor: ne locutum esse pœniteat. *Est enim mors & vita in manibus linguæ* Prov. cap. 18. Unde Syrach. cap. 28. *Sepem prætexis prædio tuo, cur non potius ori tuo obdis ostium & repagulum? Aurum & argentum expendis librâ, cur non trutinas verba tua aurificis staterâ*: volat irrevocabile verbum. *Navim à vento correptam*, inquit Plutarchus, *funibus & anchoris inhibent, ejusque velocitatem frangunt. Orationi tanquam è portu semel egressæ nulla statio, nullus ancoræ jactus est reliquus: sed magno cum sonitu & fragore*

gore vecta autorem in grave magnumque aliquod conjicit ac dimergit periculum. Hinc *Vlyssem* sapienti facundia præditum virum, *Homerus* ait, vocem mittere non ex ore; sed ex pectore: *quod scil.* Gellii sunt verba, *non ad sonum magis habitumq; vocis, quam ad sententiarum penitus conceptarum altitudinem pertineret, petulantiaque verborum coërcendæ vallum esset oppositum dentium* (ἕρκος ὀδόντων) *ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia atque vigilia cohibeatur, sed & quibusdam quasi excubiis in ore positis sepiatur.*

Sunt igitur probe omnes ponderandæ *circumstantiæ: Quis* loquaris, *quid: ad quos: Quo loco: quo tempore:* primi hujus præcepti memor *Augustus* sermones cum singulis atque etiam cum *Livia* sua graviores non nisi à scriptis & libello habuit: ut ne plus minusve, ex tempore loqueretur. Et monet apud *Macrobium* l. 8. cap. 1. *Eustathius*, Philosopho convivarum inprimis esse spectanda ingenia, & pro horum qualitate nunc tacendum, nunc loquendum esse. Distinguit ibidem Oratorem à Philosopho: quorum ille non nisi *orando* probatur: hic vero non minus *tacendo* pro tempore quam *loquendo*, philosophatur.

(2) Raro & parce loquitor cum fatuis, iracundis, malitiosis, hypocritis, observatoribus & inimicis.

(3) Amici arcana nunquam evulges, si maxime inimicus ipsi reddaris. Hujusmodi & illud *Isocratis* est: μᾶλλον τήρει τὰς τῶν λόγων, ἢ τὰς τῶν χρημάτων παρακαταθήκας.

Simile illud *Periandri* apud *Laërtium:* λόγων ἀποῤῥήτων ἐκφορὰν μὴ ποιοῦ. *Cave ne secreta pronuncies.* Euripidi secretorum tenacissimo cum fatentem animam quidam exprobraret; *Ne mireris*, inquit, *vir bone*, *multum arcani in hoc ore computruit.*

Præcepti hujus gravissimæ sunt rationes. Qui enim secreta enunciat & prodit; 1. Magnam animi levitatem & puerilem simplicitatem suam prodit. 2. Amittit fidem: nemo enim est, qui se & sua illi velit committere; Ecclesiastici 27. v. 17. 3. Non fidem tantum, sed & amicum perdit: Ecclesiast. 22. v. 25. 4. non tantum fidem & amicum perdit, sed ita etiam perdit, ut nunquam recuperari queant: Proverb. 25. v. 8. Causa prodendi arcana est vel *adulatio*, vel *avaritia*, vel *jactantia*, vel *loquacitas*, vel *odium*.

(4) In consessu gravium virorum aut seniorum si juvenis admittaris, loquentibus illis ausculta, nec prius loquere, quam vel interrogato, vel provocato loquendi potestas tibi fiat. Cogitan-

gitandum enim juveni auribus frequentius, quam lingua utendum esse. Hinc pulchre veterum quidam dixit: *In conviviis senes debere esse vocales: eos, qui ætatis sunt mediæ & virilis, semivocales: juvenes autem mutas. Cum ubique Adolescenti,* (inquit Plutarchus) *silentium tutum sit ornamentum, maxime tum prodest, cum audiens dicentem non perturbat, neque ad singula oblatrat.* Interim viros etiam, in convivio si sint, præstat tacere, si imperiti sint, quam loqui: De sententia *Theophrasti*: peritorum vero silentium imprudentiæ arguebat, quod tamen laudi sibi *Zeno* ducebat: qui cum in legatorum regiorum convivio tacitus sedisset, tantum ab hospitibus comiter interrogatus: *De te vero quid dicemus Regi?* Respondit: *Aliud nihil, quam esse senem Athenis, qui inter pocula silere sciret. Bianti* in convivio tacenti cum stoliditatem objiceret garrulus quidam: *Quis vero*, dixit, *stultus inter pocula posset tacere?*

(5) Memineris, alio interrogato, responsum non esse præripiendum, vel præoccupandum. Hoc enim qui facit & *interroganti* & *interrogato* molestus est. *Interroganti*, quasi nescierit, quem interrogare debuerit: *interrogato*, quasi is interroganti non possit satisfacere.

(6) Interroganti apte respondeto, ne arrepta levi occasione in sermonem alienum evageris.

(7) Nemini dixeris, quod vis taceri: *Quomodo enim ab alio postulabis silentii fidem, quam tute tibi non præstitisti;* Plutarchus: cujus pulchra, ex interpretatione, verba. *Quod tacitum & ignoratum oportuit, male alteri fuit indicatum. Si vero rem arcanam ex te dimittens in alio continere vis, jam tum proditor in alterius confugisti fidem: qui si tui similis est, jure peris: si melior, præter rationem servaris, invento qui tibi sit, quam tu ipse fidelior: Chilon* tria esse dixit difficilia: *arcana reticere, otium recte dispensare: injurias tolerare.*

- - - citius flammas mortales ore tenebunt
Quam secreta tegant. Petron. Arbit.

Simile est *Isocratis* præceptum: ὧδε ἰδὼν ἀπόρρητον μηδενὶ λέγε. Memorabile est illud *Metelli*, qui interrogatus à quodam Centurione Juvene, *quid facturus esset*: respondit: *se tunicam suam, si sui eam consilii consciam putaret exuturum & crematurum.* Plutarch.

(8) Nec responde cuivis, quidvis interroganti; sed cum interrogantis mores, tum responsionis necessitatem & utilitatem probe perpende. Quia sapientum est aures ad audiendum patulas, linguas ad loquendum vinctas habere. *Etiam cum maledictis impetimur*

petimur, silentium adhibitum gravitatem habere & Socraticum quidpiam, vel potius Herculeum; videtur esse. Plutarch.

(9) Loquentem, nisi necessitas urgeat, ne interpelles. Hinc pulchrè *Plautus* in Milit:

Neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio.
In commoditate abstinere me apud convivas commode
Commemini, & meæ orationis justam partem persequi.
Et meam partem itidem tacere, cum aliena oratio est.

(10) Memineris rumpendum esse silentium, quando vel cum contemtu Dei, vel cum damno publico aut privato est conjunctum. *Isocrates* duo ait esse tempora loquendi tempestivè. ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν; ἢ περὶ ὧν οἶδα σαφῶς In cæteris ἄμεινον σιγᾶν ἢ λέγειν. Quo pertinet illud *Sidonii. Non major est gloria dixisse, quod noveris, quam siluisse, quod nescias.*

Breviter: cui curæ est loquendo non errare, is loquatur 1. *Recta intentione.* 2. *circumspecte.* 3. *verecunde.* 4. *Accommodate.* 5. *Submissa voce.*

§. 5. Quæritur (1) *An tacere simpliciter sit melius quam loqui?*

Resp. *Nego:* ratio *negationis* est, quia *sermo hominis est scutum & propugnaculum fortissimum, character animi, remedium perturbationum, levamen curarum, doctrina & morum Magister.* Hæc encomia non competunt silentio: interim melius est tempestive quam intempestive loqui. Observetur illud *Apuleii. Utrumque meditationibus academicis didici; &, cum dicto est opus, impigre dicere: &, cum tacito opus est, libenter tacere: qua moderatione videor haud minus opportuni silentii laudem, quam tempestivæ vocis testimonium consecutus.* Interim judicat *Seneca* ep. 105. Sapientis hoc sapientibus observandum. *Minimum cum aliis loquamur, cum nobis plurimum.* Quam in sententiam *Thales* apud *Laertium: non multa verba prudentis animi indicium sunt.* Et *Epictetus: silentium sit plurimum: loquere necessaria & paucis & raro.* Minus est periculosum tacere, quam loqui; quia, *quod tacitum est, aliquando tamen dici potest: Non item; quod dictum est, taceri: cum jam effusum & diditum sit.* Plutarch.

Simonides dixit: μηδέποτε αὐτῷ μεταμελῆσαι σιγήσαντι, φθεγξαμένῳ δὲ πολλάκις. *Nunquam silentii, se pœnitentiam egisse, sæpe vero sermonis.* Veteres dicebant, *nos loquendi Magistros habere homines, tacendi Deos*: quia ad sacrificia & ad arcanos ritus silentium adhibebatur. Imperitis silentium plus conciliat autoritatis, quam sermo; quo prodere imperitiam solent. Accidit

 hoc

natura. Tantæ sunt vires tantillæ carnis nostræ particulæ. vide *Drexelium* in Phaët. orb. cap. 57.

§. 8. Quæritur (4) *An recte fecerit Laurentius, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, quod vitam maluerit perdere, quam Ecclesiæ thesauros ipsius fidei creditos præfecto imperatoris nomine postulanti prodere?*

Resp. Cum fidem promissi silentii servare taciturnitatis sit, non aliena ab hoc loco est quæstio, de facto *Laurentii*: cui Episcopus, cum propter fidei confessionem ad supplicium raperetur, Ecclesiæ thesauros concredidit, accepta ab ipso fide, quam adeo constanter *Laurentius* servavit, ut Imperatoris nomine petenti eos præfecto intrepide negaverit: & craticulæ impositus assari morique maluerit, quam thesauros prodere: quod sub *Decio*, persecutione septimâ, Anno Christi 250. factum: an rectè factum quæritur?

§. 9. *Videri possit non recte factum. Quia ex duobus malis minus est eligendum: Atqui majus elegit Laurentius: quia minor videtur thesaurorum, quam eximii Ecclesiæ Doctoris, jactura.* Aliter tamen docti judicant: quia ex thesauris *Laurentio* creditis ministri Ecclesiæ & pauperes alebantur: quorum jactura plus Ecclesiæ incommodasset, adeoque gravior fuisset, quam *unius Diaconi*, quamvis eximii doctoris: siquidem periculum fuisset, ne totus Ecclesiæ cœtus dilaberetur. Alimenta qui subtrahit, vitam ipsam subtrahit. Et hoc agebat Tyrannus, ut ecclesiam everteret; cui mascule obviandum fuit. Opes sacras inhianti tyranno, *frustra es*, inquit Laurentius; *nam facultates Ecclesiæ, quas requiris, jam manus pauperum in cœlestes thesauros deportaverunt.*

§. 10. Q. (5) *An secreta credita nullo modo liceat effari?*

Resp. Secreta attingunt rem *publicam* vel *privatam*.

Secreta rempubl. attingentia, si periculum ei minentur, non sunt reticenda: quia magis patriæ & Reip. sumus obligati, quam cuiquam privato.

Cum Republica pari passu ambulant magistratus & superiores, à quibus, vel cum vitæ nostræ periculo, amoliri tenemur pericula, si in nostra id sit potestate.

Secreta rem *privatam* attingentia vel homines privatos, reticenda sunt, nisi vitam famam & facultates proximi concernant: Tenemur enim ex divina lege proximum æque atque nos ipsos diligere, & vitæ, famæ atque facultatum pericula, quantum in nobis, ab ipso avertere: præsertim si ejus vel probabiliter constet innocentia: aliter sentiendum, si justa & merita sit pœna à Magistratu decreta.

§. 11. Quæritur (6) *Quotuplex sit taciturnitas?*

Resp. Triplex esse statuiter.

(1) *Modestiæ*: quando tacemus, cum loqui non convenit vel ob ætatem, vel ob sexum, vel ob interdictum.

(2) *Prudentiæ*: quando tacemus invidiæ, inimicitiæ vel alterius periculi declinandi causa.

(3) *Necessitatis*: quando tacemus propter gloriam Dei, bonum publicum: aut datam silentii fidem. Quæ requiritur taciturnitas in *consiliariis* & *ducibus*.

III.

Taciturnitati in defectu *adversatur loquacitas seu garrulitas, in* excessu *nimia taciturnitas.*

Ἔκϑεσις.

§. 1. GARRULITATEM Dei spiritus graviter perstringit *Proverb.* 10. v. 19. *In multiloquio non deerit peccatum.*

Ecclesiast. 10. v. 11. *Stultus multis utitur verbis, nescit quid dicat:*

Ecclesiast. 9. v. 22. *Formidabilis est in civitate sua vir verbosus & qui præceps est sermone suo, odio futurus est.*

Solonem cum taciturnitatis quidam accusaret, *stultorum*, inquit, *nullus tacere potest.* Annuit Hieronymus, in Ecclesiast. cap. 20. *Stultus*, inquit, *cum neque præteritorum meminerit, neque futura cognoscat & ignorantiæ tenebris volutetur, falsam sibi scientiam promittens in eo doctum se putat & sapientem, si verba multiplicet.* Vetus est verbum: *Ubi multum loquentiæ, ibi parum sapientiæ.*

Loquaces pulchrè describit *Gellius* lib. 1. c. 15. *quod sint leves, futiles, & importuni locutores, qui nullo rerum pondere innixi verbis tumidis & lapsantibus diffluant; quorum oratio in ore nascatur, non in pectore: quos videas sic scatere verbis sine ullo judicii negotio, cum securitate multâ & profundâ, ut loquentes plerunque videantur loqui sese nescire.* Et apud *Gellium M. Cato, Nunquam,* inquit, *tacet, quem morbus tenet loquendi, tanquam veternosum bibendi atque dormiendi. Quod si non conveniant, tamen cenvocari jubet. Ita est cupidus orationis, ut conducat, qui auscultet. Itaque auditis, non auscultatis, tanquam pharmacopolam. Nam ejus verba audiuntur, verum ei se nemo commit-*

committit, si æger est. Favorinus ait, *loquaces stulta & immodica loqui, eorumque linguam tam prodigam & infranem esse ut fluat semper, æstuetque colluvione verborum teterrimâ.* Græcis loquax significantibus verbis appellatur ἀμετροεπὴς, ἀκριτόμυθος, ἀθυρόστομος, αὐθαδόστομος, ἀγελοποιὸς, ἀπειελάλητος, κομποφακελορρήμων. Quos veteres *latini* appellarunt *in verba projectos, locutuleos, blaterones, linguacis seu linguaces.* Veteri verbo garrulus appellatur *Æs dodonæum*: pelvis enim ænea fuit in *Dodona*, quam vehementiori vento flante, pueri simulacrum æneâ verberavit scuticâ & tinnitum excitavit diu resonantem: Ita garrulo, ut cum *Iuvenali* loquamur, Satyr, 6.

- - - Verborum tanta cadit vis:
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari - - -

Ut taciturni oloribus, ita garruli hirundinibus comparantur: quo sensu *Pythagoram* prohibuisse putant. *Hirundines tecto excipere.* Pertinet huc illud *Nicostrati*:

Si continuo & multa celeriterque loqui
Signum esset prudentiæ, tum hirundines
Dicerentur multo sapientiores nobis.

Stobæus scribit, *in garrulo verborum esse flumen, mentis guttam. Plutarchus* in eo garrulos infelices esse ait, quod neque audiant, neque audiantur. Unde *Aristoteles* garrulo post multa verba dicenti: *Molestus tibi mea loquacitate fui, Philosophe?* respondit: *Non me hercule, non enim adverti animum. Garrulis enim* inquit Plutarchus, *cum vi obtinuerunt, ut dicant, natura hoc concessit, ut alienas aures circumfundant vocibus: animus interim audientis alias intus secum explicat atque persequitur curas, ut neque attentorum, neque credulorum auditorum copia loquacibus fiat.* Scribit idem Plutarchus: *Garrulitatem, morbum curatu difficilem admodum atq; molestum, in curam recipi à Philosophiâ.* Rationem, cur difficilis curatu sit, hanc reddit: *quia oratio, quæ adversus illum morbum valet medicina audientium est: garruli vero neminem audiunt, semper loquuntur: idque adeo primum mali iis, qui tacere nesciunt, adest; quod nihil audiant. Zeno* Citticus audiens adolescentem nimis garrulum, *aures*, inquit, *in linguam defluxere.* Quam in sententiam Plutarchus; *In eam venire possis cogitationem; auditus foramina garrulis non in animum sed in linguam desinere: cum aliis perdurent audita voces, garrulis autem effluant, & vasa tanquam mente vacua, sono plena obambulent. Garrulus*, inquit idem Plutarchus

περὶ ἀδολεσχίας, proditor est nullo conductus precio, ultroque suam offert operam: non equos prodens aut munitiones: sed arcana publicans dicta in judiciis, in seditionibus, in certaminibus de Repub. nemine ipsi agente gratias, quas ipse ultro debet, si audiatur. Quæ aliis insunt vitiis seorsim in garrulitate omnia conjuncta sunt; sunt enim vitiorum alia cum *periculo* conjuncta, alia *odiosa*, alia *ridicula*. Omnia *garrulitati* congruunt, inquit Plutarch. *subsannantur enim, cum narrant communia: in odium incurrunt, mala annunciantes: in periculum veniunt, arcanorum incontinentes. Orationi, levissimæ rei*, inquit Plato, *gravissima apud Deos, & apud homines pœna est proposita:* quod pluribus exemplis *Plutarchus*, de garrulitate, comprobat. Efficacia hinc peti possunt argumenta garrulitatem dissuadentia. Alias garrulæ & imprudentis linguæ hæc traduntur insignia: *Nullam in dicendo loci, personarum & temporis rationem habere: priusquam interrogeris vel audias, respondere: loquentem alium temere interpellare: proferendum sermonem nihil examinare: obvia quævis narrare; aut omnibus obvius, quicquid occurrerit, commemorare: nulli loquendo decedere: in omnibus controversiis uni sibi victoriam poscere: decorum, quod sermonis regula est, penitus non curare: nihil meditate dicere.* Garrula & imprudens lingua plerunque comitem habet importunitatem, per quam omnis garrulus est importunus, cujus insigne exemplum dat *Horatius*, lib. 1. Satyr. 9. ejusque elegantem paraphrasin exhibet *Drexelius*, in Phaëtont. orb. cap. 25. *Character garrulitatis* videatur apud *Theophrast.* & *Horat.* Sat. 9.

§. 2. Cum garrulitate plerunque conjuncta est *curiositas*: Multa enim audire volunt garruli, ut multa habeant, quæ dicant; & maxime arcana atque abscondita scrutantur atque investigant. De *curiositate* differentem vide *Plutarchum* in libello *περὶ πολυπραγμοσύνης*: quam definit *cupiditatem cognoscendi aliorum mala, morbum invidiæ & malignitatis participem:* cujus *characterem* pulchre ibi pingit & jubet fenestras, quibus in viciniam prospicis, & diverticula curiositatis occludere, aliaque aperire, quæ in conclave tuum, quæ in gynæceum, quæ in familiæ ducunt cellas, ubi negotium inveniet, non inutile, non malignum, sed conducibile & salutare ista sciscitandi & agendi cupiditas, quovis ita se compellante:

Quid prætergressus, quid feci, quidq; reliqui
Infectum, facto quod opus fuit?

Præcepta

§. 3. Præcepta seu monita de fugienda garrulitate & adversus eam remedia à *Plutarcho* traduntur sequentia.

(1) Quando ex iis, qui una sunt, aliquid quæritur, tacere assuescito donec omnes respondere abnuerint. Si recte aliquis responderit, satisfuerit collaudando & adstipulando candidi hominis opinionem reportasse.

(2) Maximopere cavendum, ne alio interrogato, ipse respondere occupes.

(3) Seriò iis ne responde, qui risus aut contumeliæ causa ad loquendum te provocant.

(4) Adhibe cautionem, ne celeriter ad dicendum veluti gratiam acturus ob verba faciendi ansam oblatam prosilias: Sed mores interrogantis usumque loquendi considera, interque interrogationem & responsionem aliquid interjice intervalli, ut tanto accuratius sententiam & institutum interrogantis percipias.

(5) Ad garrulitatem proclivis sermones vita, ad quos cum voluptate fertur animus & in quibus solet esse nimius. Veluti *bellicosi* in bellis narrandis multi solent esse: qualis apud *Homerum Nestor*. Sic qui multæ sunt lectionis, historias; *Grammatici* artificia sermonis ad nauseam solent inculcare. Inescata enim garrulitas familiaribus studiis & rebus tanquam animal ad usitata sibi pascua fertur. Unde *Cyrus* cum æqualibus contentiones suscepit non earum rerum, in quibus excellebat, sed quarum imperitior erat; & sic à garrulitate se alienissimum esse ostendit.

(6) Si garrulitatis te vitio obnoxium senseris, adsuesce aliquid scribere & seorsim disserere, contraque adversarium calamo vociferari. Umbratilis enim illa scribendi concertatio & vociferatio à multitudine te abducet & consuescentibus paulatim tolerabiliorem reddet; veluti canes, ubi in ligna aut lapides desævierunt, minus adversum homines ferociunt.

(7) Cum præstantioribus & senioribus conversari stude, ut silentium tibi verecundia indicat.

(8) Quando ad os procurrunt verba, reprimenda sunt & cogitandum prius: Quis nam sit sermo, qui instat & urget? quorsum tendat lingua? quid boni dicendo, quid mali tacendo sis consecuturus?

(9) Memoria tene sententiam *Simonidis* dicentis, *sæpe pœnitentia se ductum, quod locutus esset, nunquam, quod tacuisset.* Illudq;tritum: *Magnam in omnibus rebus esse vim assuefactionis.*

Docet in eodem libello *Plutarch.* tria esse genera respondendi ad interrogata; ἀναγκαῖον, φιλάνθρωπον & περιττόν: hoc

est, *necessarium, humanum & superfluum* garrulorum. Exempli gratia interrogatus aliquis: *Intusne est Socrates?* Primo utetur respondendi genere, si dixerit: *Non est intus*: aut *Laconice* tantum uno verbo; *Non*, responderit. Morosorum hoc est, qui minus respondere non possunt: unde *necessarium* appellatur. Secundo utetur, nempe *humano*, si dixerit: *non est intus, sed in mensa*: additamenti quoque loco, si visum ita fuerit, adjecerit: *ad mensam eum esse & hospites quosdam præstolari.* Tertio *superfluo* & *garrulo*, si dixerit: *Non est intus, sed ad mensas, hospites expectans Jones, pro quibus ad ipsum scripsit Alcibiades apud Miletum degens cum Tissapherne, Satrapa Regis Persiæ, qui ante Lacedæmoniis, nunc propter Alcibiadem Atheniensibus opitulatur. Nam Alcibiades conficiendi in patriam reditus gratia Tissaphernem suis conciliat* &c.

§. 4. Hactenus de *garrulitate*: Est & in vitio nimia *taciturnitas*, qua perperam tacemus, quando honeste, utiliter & decore loqui possumus & debemus. Perstrinxit olim vitium hoc *Simonides* in hospite, cui in convivio assedit, plane muto: *Si* inquit, *stultus es, bene facis: sin sapiens, male. Plutarch.* Eadem & *Theophrasti* fuit censura. *Si indoctus es, prudenter facis, sin doctus, imprudenter. Apollonius Tyanæus* annis quinque ne verbulum quidem locutus est. *Diogenes Laërtius* perpetuum tenuit silentium: quod loquendo matri causa mortis fuisset. Quem nec *Hadrianus*, indicta mortis pœna, loqui cogere potuit. Tandem in tabella manu respondere jussit: quod haud gravatim fecit, & gratiam impetravit.

§. 5. Quæritur (1) *Quæ præcepta sint linguæ vitiosæ remedia?*

Resp. Philosophi & Theologi practici XII. potissimum nominant & numerant: quæ totidem sunt *linguæ garrulæ* remedia: quia garrulitas omnia involvit linguæ vitia. Sunt igitur remedia illa.

(1) Oratio devota: Monstrat remedium hoc *Augustinus*, serm. 3. de verb. Dom. *Intelligamus, charissimi, si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram.* Et ibid: *Homo domat feram, non domat linguam: domat leonem & non refrenat sermonem: domat ipse, & non domat seipsum. Domat, quod timebat, & ut se domet, non timet, quod timere debebat* &c. *ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo: Ergo Deus quæratur, ut dometur homo. Ergo, Domine, refugium tu factus es nobis: conferimus nos ad te, & bene nobis erit de te: malum*

lum enim est nobis de nobis &c. Et lib. 10. confess. cap. 37: *Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Imperas nobis, Domine, & in hoc genere continentiam. Da, quod jubes; & jube, quod vis.*

(2) Assidua cogitatio Dei ubique præsentis. *Hominum vaniloquiis ita Deus offenditur, ut, si posset, in tristitiam daretur*, inquit, *Gregorius Neocæsariensis.* Hæc reprimendæ verborum levitati efficacissima cogitatio est; de DEO ubique nobis præsente, omnia vidente, omnia audiente, omnia ad ultimum examen atque judicium reservante. Alias ad omnem vitæ licentiam & improbitatem multis expedita est via, hæc unica cogitatio, *Solus sum, nemo me videt*: tum enim nil non audere improbi solent. Cessaret illico hæc cogitatio, si Deum ubique præsentem & omnia videntem, audientem, observantem cogitarent, veteris Philosophiæ præceptum refert *Macrob.* lib. 1. Saturn. *sic loquendum cum hominibus, tanquam Dii audiant: Sic cum Diis, tanquam homines audiant.* Quod repetit *Seneca*, epist. 10. *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

(3) Animi ad loquendum præmunitio & provisio. Hinc Ambrosius, *sapiens*, inquit, *priusquam loquatur, multa considerat, quid dicat, cui dicat, quo loco, quo tempore dicat.* Hæc prius animo cogitanda, quam lingua laxanda. *August.* in Psal. 51. *sicut eligis*, inquit, *quod vescaris, sic elige, quod loquaris. Cibum per os ingressurum examinas, cur non etiam egressurum per os verbum? quod sæpe graviores tragœdias excitat in tuâ domo, quam cibus in tuo stomacho.* Pulchra est illa *Bonaventuræ* comparatio. *Sicut propugnaculi portæ non nisi cautissime & post omnia solerter exploratæ reserantur; ita nec os arcis animatæ ostium, prius pandendum, quam vigilanter omnia circumspiciantur.*

(4) Mulctæ dictatio, & à seipso exactio. Omnes vitiosos habitus à se removere non defficile erit illi, qui in se ipsum capitalem egerit Triumvirum: Egregiæ virtutis est, se ipsum apud seipsum accusare, reprehendere, mulctare & sibi nihil condonare. Unde *Seneca, de nullo*, inquit, *conqueri possum alio, quam de me: Ego mihi irascar: Ego à me pœnas exigam.* Hoc modo multi vitiosæ linguæ morbos sanarunt. Meminit *Drexelius* opulenti cujusdam civis *Memmingensis*, qui in execrandi consuetudinem prolapsus hanc sibi mulctam dictavit, ut quoties Dei nomen minus reverenter appellaret aut aliter lingua delinqueret, eo die vino genium fraudaret & fontem biberet, idque sine ullâ exceptione aut veniâ. Effecit hæc pœna, ut diu aquam non biberit, linguam

domuerit & à consuetudine improbâ penitus destiterit. Alius hanc sibi pœnam dixit, ut, quoties verba funderet impia, cultello sanguinis guttam è manu vel brachio eliceret: qui & ipse, sanguine non multo fuso, improbam consuetudinem feliciter vicit.

(5) Propositum quotidianum de viis tuis custodiendis & custodiâ ori tuo ponenda, de lingua coercenda. Hoc qui quotidiè animi decretum innovat & in recenti circumfert memoria, quin linguam tandem ex voto domet; nequit fieri si sibi ipsi quotidie quasi exprobret, quod toties fuerit mentitus, toties calumniatus, toties lasciva locutus &c.

(6) Colloquia pia, præsertim de futurâ vel proborum gloriâ, vel improborum ignominiâ. Crebra enim æternæ gloriæ cogitatio, ejus in nobis accendit desiderium & mundi gignit contemtum peccatorumque odium: crebra gehennæ recordatio incidere in eam haud sinit, inquit *Chrysostomus.*

(7) Fuga occasionum. *Juxta præcipitium vadens*, inquit *Chrysostomus*, *quamvis non decidat, tremit tamen, & sæpenumero ab ipso subversus tremore decidit: ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens cum timore vivit & in ipsa labitur sæpius.* Vitanda igitur loca, vitanda conciliabula nugatorum, scurrarum & blasphemorum. *in judicio peccatorum ne consideas*, Ecclesiast. 11. v. 9.

(8) Moderatio sermonis, seu pauciloquium. Unde sapientum monitum: *Auribus utere frequentius quam linguâ.* Et illud *Syracid.* cap. 11. v. 8. *Prius, quam audiveris, ne respondeas: & in medium sermonem ne immittas verbum.* & cap. 32. v. 10. *Summatim sermonem contrahe, paucis multa.* Laudabilior est verborum parsimonia, quàm pecuniæ.

(9) Silentium. Hinc veteres Iambi:

Aut dic aliquid melius silentio, aut sile:
Expers periculi est præmium silentii:
Obfuit multis loquela, nemini silentium.
Ahenea turris omnibus silentium est.

Socrati olim silentium sapientiæ signum visum est certissimum.

(10) Fuga ebrietatis. Hæc enim loquacissima est & per jugulum redituras voces mittit. Hinc *Tarentini* juvenes multa inter cœnandum de *Pyrrho* locuti, cum pœnas daturi ad Regum vocarentur, unus ex iis, *Imo*, inquit, *nisi lagena defecisset occidissemus te.*

(11) Damnorum, quæ à linguâ sunt, attenta consideratio.

Nullum

Nullum in orbe damnum est, cujus magna primaque causa non sit lingua, damnorum & calamitatum fœcundissima mater. *Lingua*, inquit *Chrysostomus*, *omnium malorum est causa si negligatur: quemadmodum omnium bonorum, si in ea studium & cura ponatur.* Idem; *Dæmon undique nobis insidias præparare consuevit, sed facilius lingua & ore peccante: nullum enim æque congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati. Inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur.*

(12) Christi patientis quotidiana contemplatio.

Ad maxima enim illatas sibi injurias solemne ipsi fuit tacere, vel paucissima & mitissima verba reponere: ut testatur historia Evangelica: quod & Propheta olim prædixit; cap. 53. v. 7. *Ipse affligitur, neque aperit os suum: ut parva pecus ad mactationem ducitur & velut ovis coram tonsoribus suis obmutescens, neque aperit os suum.*

(13) Tremendi ac divini judicii profunda meditatio.

Ex verbis enim quisque suis justificabitur, vel condemnabitur: Matth. 12. vers 37. *Quodcunque otiosum verbum locuti fuerint homines, de eo reddituri sunt rationem in die ultimo*: v. 36. Quod si vero etiam otiosa verba ad censuram vocabuntur, quid de impudicis, mendacibus, blasphemis, injuriosis &c. futurum putes?

Quæritur (2) *Quibus artificiis vitiosa & maledica lingua tolerari possint?*

Resp. A Sapientibus traduntur sequentia;

(1) *Si te ipsum accuses, & æquum judices, similia facientem pati similia*, cogita, annon & tu similibus dictis alios quoque confixeris: Annon & tua alios sauciaverit lingua: & tolerandum tibi memineris, quod fecisti.

Mutuum bona fide & aliquando cum fœnore restituitur. Non tam maledictum est, quod te petit, quam responsum.

§. 6. (2) *Si te submittas, & deinceps emendare constituas.*

Pulchra est *Drexelii* similitudo: *Sicut tormenta bellica majora saxeas turres perrumpunt & commoliunt, saccos autem laneos vix offendunt: ita submissio linguam protervam frangit, enervat, dejicit: Superbia vero attollit, animat & impellit.* Quam multos alienæ linguæ protervia cautiores reddidit, & ad virtutem incitatiores! ex hoc plumbo hoc aurum est eliquandum.

(3) *Si Deum adeas, eique contumelias conqueraris.*

Artificium hoc præscribit David, Psalm. 27. vers. 5. *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo, nam ipse efficiet:*

efficiet: Proferens tanquam lucem justitiam tuam & jus tuum, tanquam meridiem. Acquiesce JEHOVÆ & indesinenter exspecta eum. Vide Syracid. cap. 28. v. 19. &c.

(4) *Si tuam ad exempla bonorum & sapientium virorum patientiam erigas.*

Cato probris cujusdam vexatus respondisse fertur: *Impar mihi tecum certandi conditio est: Nam ut male dicere & male audire tibi facillimum est: Sic mihi male dicere insuave & male audire insuetum est.*

Tiberius Imperator maledicorum lacessitus convitiis, & ad ultionem ab aliis incitatus, *In civitate libera*, ajebat, *liberas esse linguas oportere.*

Admodum memorabile est *Theodosii* Imperatoris exemplum. *Si quis*, inquit, *modestiæ nescius & pudoris ignarus petulanteque maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporis fuerit eum pœna nolumus subjacere, neque durum aliquid, neque asperum sustinere: quoniam, si id ex levitate processit, contemnendum: Si ex insania, miseratione dignissimum: Si ab injuria, remittendum.*

Tu cogita, amice lector, quam in hac fortuna paucos habeat æmulos *Theodosius!* vindiciarum atrocitas linguarum quidem comprimit proterviam, sed cogitationum & execrationum irritat vehementiam.

(5) *Si hac linguarum & calamorum vulnera comtemnas.*

Contemne & vicisti. Similis est calumnia fœtidæ cloacæ, quæ quo plus movetur, eo plus fœtet, Magnus ille & generosus censetur, qui more magnæ & generosæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit & contemnit. *Vis vincere*, inquit quidam? *Vis hostem frangere? de inimico triumphum agere? contemne: certa est victoria in solo contemtu. Vis adversarium mœroribus exedi? ride. Vis indignationibus lancinari? Nec verbo dignare. Vis videre supplicem? beneficiis cumula.*

(6) *Si taces.*

Pulchre *Seneca*: *Qui primis defungi malis potuimus, in majora devolvimur: Quosdam unius verbi contumelia non æquo animo lata in exilium projecit: & qui levem injuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt, indignatique aliquid ex plenissima libertate diminui, servile in se attraxerunt jugum.* Et *Plinius* lib. 7. epist. 20. *Nulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur.* Tu igitur silendo reprehensionem admitte, illamque in laudem tuam taciturna patientia converte.

(7) *Si præ-*

(7) *Si premium cæleste suspicias.*

Nihil tam est in orbe sanctum, cui vitiosa lingua parcat. Per aspera tendendum ad ardua. Luctam, qui detrectat, gloriam recusat, coronam abjicit. Non obtingit hoc præmium nisi adversa multa patienter tolerantibus. *Beati eritis*, inquit Christus, *cum convitiati fuerint vobis & persecuti fuerint & dixerint quidvis mali adversus vos mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra multa est in cælis &c.* Actor. 14. v. 22. *Oportet per multas oppressiones nos ingredi in regnum Dei.* Rom. 8. v. 17. *Si simul cum eo patimur, etiam simul grorificabimur.*

CAPUT XXI.

DE VERECUNDIA.

THESIS I.

SIc de civilitate in sermone: *Civilitas in gestuum, affectionumq́; externarum compositione est* Verecundia & Gravitas: *illa juvenili, hæc virili potissimum ætati convenit.*

II.

Verecundia est civilitas, per quam infamiam aut dedecus metuimus, conjuncta cum expresso amore honesti.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBJECTUM verecundiæ sunt res externæ in sensus incurrentes, ex quibus infamiæ vel dedecoris adspergi nobis potest macula: hujusmodi sunt corporis motus, situs, vestitus, variique membrorum gestus; item dicta & facta. *Officium* verecundiæ est in omnibus hisce externis vitare & fugere quicquid dedecus aut infamiam creare potest. Unde ab *Aristotele* definitur αἰδώς, φόβος τῆς ἀδοξίας *metus infamiæ.* Index ejus plerunque rubor est: Unde *Diogenes* cum adolescentulum rubore perfusum videret: *Confide*, inquit, *fili: hujusmodi est virtutis color. Laërtius.* Notum illud *Terentii*: *Erubuit sal-*

gitandum enim juveni auribus frequentius, quam lingua utendum esse. Hinc pulchre veterum quidam dixit: *In conviviis senes debere esse vocales: eos, qui ætatis sunt mediæ & virilis, semivocales: juvenes autem mutos. Cum ubique Adolescenti,* (inquit Plutarchus) *silentium tutum sit ornamentum, maxime tum prodest, cum audiens dicentem non perturbat, neque ad singula oblatrat.* Interim viros etiam, in convivio si sint, præstat tacere, si imperiti sint, quam loqui: De sententia *Theophrasti*: peritorum vero silentium imprudentiæ arguebat, quod tamen laudi sibi *Zeno* ducebat: qui cum in legatorum regiorum convivio tacitus sedisset, tantum ab hospitibus comiter interrogatus: *De te vero quid dicemus Regi?* Respondit: *Aliud nihil, quam esse senem Athenis, qui inter pocula silere sciret.* *Bianti* in convivio tacenti cum stoliditatem objiceret garrulus quidam: *Quis vero*, dixit, *stultus inter pocula posset tacere?*

(5) Memineris, alio interrogato, responsum non esse præripiendum, vel præoccupandum. Hoc enim qui facit & *interroganti* & *interrogato* molestus est. *Interroganti*, quasi nescierit, quem interrogare debuerit: *interrogato*, quasi is interroganti non possit satisfacere.

(6) Interroganti apte respondeto, ne arrepta levi occasione in sermonem alienum evageris.

(7) Nemini dixeris, quod vis taceri: *Quomodo enim ab alio postulabis silentii fidem, quam tute tibi non præstitisti;* Plutarchus: cujus pulchra, ex interpretatione, verba. *Quod tacitum & ignoratum oportuit, male alteri fuit indicatum. Si vero rem arcanam ex te dimittens in alio continere vis, jam tum proditor in alterius confugisti fidem: qui si tui similis est, jure peris: si melior, præter rationem servaris, invento qui tibi sit, quam tu ipse fidelior:* *Chilon* tria esse dixit difficilia: *arcana reticere, otium recte dispensare: injurias tolerare.*

- - - *citius flammas mortales ore tenebunt*
Quam secreta tegant. Petron. Arbit.

Simile est *Isocratis* præceptum: περὶ τῶν ἀπορρήτων μηδενὶ λέγε. Memorabile est illud *Metelli*, qui interrogatus à quodam Centurione Juvene, *quid facturus esset*: respondit: *se tunicam suam, si sui eam consilii consciam putaret exuturum & crematurum.* Plutarch.

(8) Nec responde cuivis, quidvis interroganti; sed cum interrogantis mores, tum responsionis necessitatem & utilitatem probe perpende. Quia sapientum est aures ad audiendum patulas, linguas ad loquendum vinctas habere. *Etiam cum maledictis impetimur*

petimur; silentium adhibitum gravitatem habere & Socraticum quidpiam, vel potius Herculeum, videtur esse. Plutarch.

(9) Loquentem, nisi necessitas urgeat, ne interpelles. Hinc pulchrè *Plautus* in Milit:

Neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio.
In commoditate abstinere me apud convivas commode
Commemini, & mea orationis justam partem persequi.
Et meam partem itidem tacere, cum aliena oratio est.

(10) Memineris rumpendum esse silentium, quando vel cum contemtu Dei, vel cum damno publico aut privato est conjunctum. *Isocrates* duo ait esse tempora loquendi tempestivè. ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν; ἢ περὶ ὧν οἶδα σαφῶς In cæteris ἄμεινον σιγᾶν ἢ λέγειν. Quo pertinet illud *Sidonii. Non major est gloria dixisse, quod noveris, quam siluisse, quod nescias.*

Breviter: cui curæ est loquendo non errare, is loquatur 1. *Recta intentione.* 2. *circumspecte.* 3. *verecunde.* 4. *Accommodate.* 5. *Submissa voce.*

§. 5. Quæritur (1) *An tacere simpliciter sit melius quam loqui?*

Resp. *Nego*: ratio *negationis* est; quia *sermo hominis est scutum & propugnaculum fortissimum, character animi, remedium perturbationum, levamen curarum, doctrina & morum Magister.* Hæc encomia non competunt silentio: interim melius est tempestive quam intempestive loqui. Observetur illud *Apuleii. Utrumque meditationibus academicis didici; &, cum dicto est opus, impigre dicere: &, cum tacito opus est, libenter tacere: qua moderatione videor haud minus opportuni silentii laudem, quam tempestiva vocis testimonium consecutus.* Interim judicat *Seneca* ep. 105. Sapientis hoc sapientibus observandum. *Minimum cum aliis loquamur, cum nobis plurimum.* Quam in sententiam *Thales* apud *Laertium: non multa verba prudentis animi indicium sunt.* Et *Epictetus: silentium sit plurimum: loquere necessaria & paucis & raro.* Minus est periculosum tacere, quam loqui; quia, *quod tacitum est, aliquando tamen dici potest: Non item; quod dictum est, taceri: cum jam effusum & diditum sit.* Plutarch.

Simonides dixit: μηδέποτε αὐτῷ μεταμελῆσαι σιγήσαντι, φθεγξαμένῳ δὲ πολλάκις. *Nunquam silentii, se pœnitentiam egisse, sæpe vero sermonis.* Veteres dicebant, *nos loquendi Magistros habere homines, tacendi Deos*: quia ad sacrificia & ad arcanos ritus silentium adhibebatur. Imperitis silentium plus conciliat autoritatis, quam sermo; quo prodere imperitiam solent. Accidit

ratura. Tantæ ſunt vires tantillæ carnis noſtræ particulæ. vide *Drexelium* in Phaët. orb. cap. 57.

§. 8. Quæritur (4) *An rectè fecerit Laurentius, Eccleſiæ Romana Diaconus, quod vitam maluerit perdere, quam Eccleſiæ theſauros ipſius fidei creditos præfecto imperatoris nomine poſtulanti prodere?*

Reſp. Cum fidem promiſſi ſilentii ſervare taciturnitatis ſit, non aliena ab hoc loco eſt quæſtio, de facto *Laurentii*: cui Epiſcopus, cum propter fidei confeſſionem ad ſupplicium raperetur, Eccleſiæ theſauros concredidit, accepta ab ipſo fide, quam adeo conſtanter *Laurentius* ſervavit, ut Imperatoris nomine petenti eos præfecto intrepide negaverit: & craticulæ impoſitus aſſari morique maluerit, quam theſauros prodere: quod ſub *Decio*, perſecutione ſeptimâ, Anno Chriſti 250. factum: an rectè factum quæritur?

§. 9. *Videri poſſit non rectè factum. Quia ex duobus malis minus eſt eligendum: Atqui majus elegit Laurentius: quia minor videtur theſaurorum, quam eximii Eccleſiæ Doctoris, jactura.* Aliter tamen docti judicant: quia ex theſauris *Laurentio* creditis miniſtri Eccleſiæ & pauperes alebantur: quorum jactura plus Eccleſiæ incommodaſſet, adeoque gravior fuiſſet, quam *unius Diaconi*, quamvis eximii doctoris: ſiquidem periculum fuiſſet, ne totus Eccleſiæ cœtus dilaberetur. Alimenta qui ſubtrahit, vitam ipſam ſubtrahit. Et hoc agebat Tyrannus, ut eccleſiam everteret; cui maſcule obviandum fuit. Opes ſacras inhianti tyranno, *fruſtra es*, inquit Laurentius; *nam facultates Eccleſiæ, quas requiris, jam manus pauperum in cœleſtes theſauros deportaverunt.*

§. 10. Q. (5) *An ſecreta credita nullo modo liceat effari?*

Reſp. Secreta attingunt rem *publicam* vel *privatam*.

Secreta rempubl. attingentia, ſi periculum ei minentur, non ſunt reticenda: quia magis patriæ & Reip. ſumus obligati, quam cuiquam privato.

Cum Republica pari paſſu ambulant magiſtratus & ſuperiores, à quibus, vel cum vitæ noſtræ periculo, amoliri tenemur pericula, ſi in noſtra id ſit poteſtate.

Secreta rem *privatam* attingentia vel homines privatos, reticenda ſunt, niſi vitam famam & facultates proximi concernant: Tenemur enim ex divina lege proximum æque atque nos ipſos diligere, & vitæ, famæ atque facultatum pericula, quantum in nobis, ab ipſo avertere: præſertim ſi ejus vel probabiliter conſtet innocentia: aliter ſentiendum, ſi juſta & merita ſit pœna à Magiſtratu decreta.

§. II. Quæritur (6) *Quotuplex sit taciturnitas?*

Resp. Triplex esse statuiter.

(1) *Modestiæ*: quando tacemus, cum loqui non convenit vel ob ætatem, vel ob sexum, vel ob interdictum.

(2) *Prudentiæ*: quando tacemus invidiæ, inimicitiæ vel alterius periculi declinandi causa.

(3) *Necessitatis*: quando tacemus propter gloriam Dei, bonum publicum: aut datam silentii fidem. Quæ requiritur taciturnitas in *consiliariis* & *ducibus*.

III.

Taciturnitati in defectu *adversatur loquacitas seu garrulitas, in* excessu *nimia taciturnitas.*

Ἔκθεσις.

§. I. GARRULITATEM Dei spiritus graviter perstringit *Proverb.* 10. v. 19. *In multiloquio non deerit peccatum.*

Ecclesiast. 10. v. 11. *Stultus multis utitur verbis, nescit quid dicat:*

Ecclesiast. 9. v. 22. *Formidabilis est in civitate sua vir verbosus & qui præceps est sermone suo, odio fututus est.*

Solonem cum taciturnitatis quidam accusaret, *stultorum*, inquit, *nullus tacere potest.* Annuit Hieronymus, in Ecclesiast. cap. 20. *Stultus*, inquit, *cum neque præteritorum meminerit, neque futura cognoscat & ignorantiæ tenebris volutetur, falsam sibi scientiam promittens in eo doctum se putat & sapientem, si verba multiplicet.* Vetus est verbum: *Ubi multum loquentiæ, ibi parum sapientiæ.*

Loquaces pulchrè describit *Gellius* lib. 1. c. 15. *quod sint leves, futiles, & importuni locutores, qui nullo rerum pondere innixi verbis tumidis & lapsantibus diffluant; quorum oratio in ore nascatur, non in pectore: quos videas sic scatere verbis sine ullo judicii negotio, cum securitate multâ & profundâ, ut loquentes plerunque videantur loqui sese nescire.* Et apud *Gellium* M. *Cato*, *Nunquam*, inquit, *tacet, quem morbus tenet loquendi, tanquam veternosum bibendi atque dormiendi. Quod si non conveniant, tamen cenvocari jubet. Ita est cupidus orationis, ut conducat, qui auscultet. Itaque auditis, non auscultatis, tanquam pharmacopolam. Nam ejus verba audiuntur, verum ei se nemo commit-*

committit, si æger est. Favorinus ait, *loquaces stulta & immodica loqui, eorumque linguam tam prodigam & infranem esse ut fluat semper, æstuetque colluvione verborum teterrimâ.* Græcis loquax significantibus verbis appellatur ἄμετρος ἐπής, ἀκαιτόμυθος, ἀθυρόστομος, αὐθαδόστομος, ἀγελοποιὸς, ἀπεραλάλητος, κομποφακελορρήμων. Quos veteres *latini* appellarunt *in verba projectos, locutuleos, blaterones, linguacis seu linguaces.* Veteri verbo garrulus appellatur *Æs dodonæum*: pelvis enim ænea fuit in *Dodona*, quam vehementiori vento flante, pueri simulacrum æneâ verberavit scuticâ & tinnitum excitavit diu resonantem: Ita garrulo, ut cum *Iuvenali* loquamur, Satyr, 6.

- - - Verborum tanta cadit vis:
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari - - -

Ut taciturni oloribus, ita garruli hirundinibus comparantur: quo sensu *Pythagoram* prohibuisse putant. *Hirundines tecto excipere.* Pertinet huc illud *Nicostrati*:

Si continuo & multa celeriterque loqui
Signum esset prudentiæ, tum hirundines
Dicerentur multo sapientiores nobis.

Stobæus scribit, *in garrulo verborum esse flumen, mentis guttam. Plutarchus* in eo garrulos infelices esse ait, quod neque audiant, neque audiantur. Unde *Aristoteles* garrulo post multa verba dicenti: *Molestus tibi mea loquacitate fui, Philosophe?* respondit: *Non me hercule, non enim adverti animum. Garruli* enim inquit Plutarchus, *cum vi obtinuerunt, ut dicant, natura hoc concessit, ut alienas aures circumfundant vocibus: animus interim audientis alias intus secum explicat atque persequitur curas, ut neque attentorum, neque credulorum auditorum copia loquacibus fiat.* Scribit idem Plutarchus: *Garrulitatem, morbum curatu difficilem admodum atq; molestum, in curam recipi à Philosophiâ.* Rationem, cur difficilis curatu sit, hanc reddit: *quia oratio, quæ adversus illum morbum valet medicina audientium est: garruli vero neminem audiunt, semper loquuntur: idque adeo primum mali iis, qui tacere nesciunt, adest; quod nihil audiant. Zeno* Citticus audiens adolescentem nimis garrulum, *aures*, inquit, *in linguam defluxere.* Quam in sententiam Plutarchus; *In eam venire possis cogitationem; auditus foramina garrulis non in animum sed in linguam desinere: cum aliis perdurent audita voces, garrulis autem effluant, & vasa tanquam mente vacua, sono plena obambulent. Garrulus*, inquit idem Plutarchus

περὶ ἀδολεσχίας, proditor est nullo conductus precio, ultroque suam offert operam: non equos prodens aut munitiones: sed arcana publicans dicta in judiciis, in seditionibus, in certaminibus de Repub. nemine ipsi agente gratias, quas ipse ultro debet, si audiatur. Quæ aliis insunt vitiis seorsim in garrulitate omnia conjuncta sunt: sunt enim vitiorum alia cum *periculo* conjuncta, alia *odiosa*, alia *ridicula*. Omnia *garrulitati* congruunt, inquit Plutarch. *subsannantur enim, cum narrant communia: in odium incurrunt, mala annunciantes: in periculum veniunt, arcanorum incontinentes. Orationi, levissimæ rei*, inquit Plato, *gravissima apud Deos, & apud homines pœna est proposita:* quod pluribus exemplis *Plutarchus*, de garrulitate, comprobat. Efficacia hinc peti possunt argumenta garrulitatem dissuadentia. Alias garrulæ & imprudentis linguæ hæc traduntur insignia: *Nullam in dicendo loci, personarum & temporis rationem habere: priusquam interrogeris vel audias, respondere: loquentem alium temere interpellare: proferendum sermonem nihil examinare: obvia quævis narrare; aut omnibus obvius, quicquid occurrerit, commemorare: nulli loquendo decedere: in omnibus controversiis uni sibi victoriam poscere: decorum, quod sermonis regula est, penitus non curare: nihil meditate dicere.* Garrula & imprudens lingua plerunque comitem habet importunitatem, per quam omnis garrulus est importunus, cujus insigne exemplum dat *Horatius*, lib. 1. Satyr. 9. ejusque elegantem paraphrasin exhibet *Drexelius*, in Phaëtont. orb. cap. 25. *Character garrulitatis* videatur apud *Theophrast.* & *Horat.* Sat. 9.

§. 2. Cum garrulitate plerunque conjuncta est *curiositas*: Multa enim audire volunt garruli, ut multa habeant, quæ dicant; & maxime arcana atque abscondita scrutantur atque investigant. De *curiositate* differentem vide *Plutarchum* in libello *περὶ πολυπραγμοσύνης*: quam definit *cupiditatem cognoscendi aliorum mala, morbum invidiæ & malignitatis participem:* cujus *characterem* pulchre ibi pingit & jubet fenestras, quibus in viciniam prospicis, & diverticula curiositatis occludere, aliaque aperire, quæ in conclave tuum, quæ in gynæceum, quæ in familiæ ducunt cellas, ubi negotium inveniet, non inutile, non malignum, sed conducibile & salutare ista sciscitandi & agendi cupiditas, quovis ita se compellante:

Quid prætergressus, quid feci, quidq; reliqui
Infectum, facto quod opus fuit?

Præcepta

§. 3. Præcepta seu monita de fugienda garrulitate & adversus eam remedia à *Plutarcho* traduntur sequentia.

(1) Quando ex iis, qui una sunt, aliquid quæritur, tacere assuescito donec omnes respondere abnuerint. Si recte aliquis responderit, satisfuerit collaudando & adstipulando candidi hominis opinionem reportasse.

(2) Maximopere cavendum, ne alio interrogato, ipse respondere occupes.

(3) Seriò iis ne responde, qui risus aut contumeliæ causa ad loquendum te provocant.

(4) Adhibe cautionem, ne celeriter ad dicendum veluti gratiam acturus ob verba faciendi ansam oblatam prosilias: Sed mores interrogantis usumque loquendi considera, interque interrogationem & responsionem aliquid interjice intervalli, ut tanto accuratius sententiam & institutum interrogantis percipias.

(5) Ad garrulitatem proclivis sermones vita, ad quos cum voluptate fertur animus & in quibus solet esse nimius. Veluti *bellicosi* in bellis narrandis multi solent esse: qualis apud *Homerum Nestor*. Sic qui multæ sunt lectionis, historias; *Grammatici* artificia sermonis ad nauseam solent inculcare. Inescata enim garrulitas familiaribus studiis & rebus tanquam animal ad usitata sibi pascua fertur. Unde *Cyrus* cum æqualibus contentiones suscepit non earum rerum, in quibus excellebat, sed quarum imperitior erat; & sic à garrulitate se alienissimum esse ostendit.

(6) Si garrulitatis te vitio obnoxium senseris, adsuesce aliquid scribere & seorsim differere, contraque adversarium calamo vociferari. Umbratilis enim illa scribendi concertatio & vociferatio à multitudine te abducet & consuescentibus paulatim tolerabiliorem reddet; veluti canes, ubi in ligna aut lapides desævierunt, minus adversum homines ferociunt.

(7) Cum præstantioribus & senioribus conversari stude, ut silentium tibi verecundia indicat.

(8) Quando ad os procurrunt verba, reprimenda sunt & cogitandum prius: Quis nam sit sermo, qui instat & urget? quorsum tendat lingua? quid boni dicendo, quid mali tacendo sis consecuturus?

(9) Memoria tene sententiam *Simonidis* dicentis, *sæpe pœnitentia se ductum, quod locutus esset, nunquam, quod tacuisset.* Illudq;tritum: *Magnam in omnibus rebus esse vim assuefactionis.*

Docet in eodem libello *Plutarch.* tria esse genera respondendi ad interrogata; ἀναγκαῖον, φιλάνθρωπον & περισσὸν: hoc

 est,

est, *necessarium*, *humanum & superfluum* garrulorum. Exempli gratia interrogatus aliquis: *Intusne est Socrates?* Primo utetur respondendi genere, si dixerit: *Non est intus*: aut *Laconice* tantum uno verbo; *Non*, responderit. Morosorum hoc est, qui minus respondere non possunt: unde *necessarium* appellatur. Secundo utetur, nempe *humano*, si dixerit: *non est intus, sed in mensa*: additamenti quoque loco, si visum ita fuerit, adjecerit: *ad mensam eum esse & hospites quosdam præstolari*. Tertio *superfluo* & *garrulo*, si dixerit: *Non est intus, sed ad mensas, hospites expectans Jones, pro quibus ad ipsum scripsit Alcibiades apud Miletum degens cum Tissapherne, Satrapa Regis Persiæ, qui ante Lacedæmoniis, nunc propter Alcibiadem Atheniensibus opitulatur. Nam Alcibiades conficiendi in patriam reditus gratia Tisaphernem suis conciliat*, &c.

§. 4. Hactenus de *garrulitate*: Est & in vitio nimia *taciturnitas*, qua perperam tacemus, quando honeste, utiliter & decore loqui possumus & debemus. Perstrinxit olim vitium hoc *Simonides* in hospite, cui in convivio assedit, plane muto: *Si* inquit, *stultus es, bene facis: sin sapiens, male. Plutarch.* Eadem & *Theophrasti* fuit censura. *Si indoctus es, prudenter facis, sin doctus, imprudenter. Apollonius Tyanæus* annis quinque ne verbulum quidem locutus est. *Diogenes Laërtius* perpetuum tenuit silentium: quod loquendo matri causa mortis fuisset. Quem nec *Hadrianus*, indicta mortis pœna, loqui cogere potuit. Tandem in tabella manu respondere jussit: quod haud gravatim fecit, & gratiam impetravit.

§. 5. Quæritur (1) *Quæ præcepta sint linguæ vitiosæ remedia?*

Resp. Philosophi & Theologi practici XII. potissimum nominant & numerant: quæ totidem sunt *linguæ garrulæ* remedia: quia garrulitas omnia involvit linguæ vitia. Sunt igitur remedia illa.

(1) Oratio devota: Monstrat remedium hoc *Augustinus*, serm. 3. de verb. Dom. *Intelligamus, charissimi, si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram.* Et ibid: *Homo domat feram, non domat linguam: domat leonem & non refrenat sermonem: domat ipse, & non domat seipsum. Domat, quod timebat, & ut se domet, non timet, quod timere debebat* &c. *ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo: Ergo Deus quæratur, ut dometur homo. Ergo, Domine, refugium tu factus es nobis: conferimus nos ad te, & bene nobis erit de te: ma-*

lum

lum enim est nobis de nobis &c. Et lib. 10. confess. cap. 37: *Quotidiana fornax nostra est humana lingua. Imperas nobis, Domine, & in hoc genere continentiam. Da, quod jubes; & jube, quod vis.*

(2) Assidua cogitatio Dei ubique præsentis. *Hominum vaniloquiis ita Deus offenditur, ut, si posset, in tristitiam daretur*, inquit, *Gregorius Neocæsariensis*. Hæc reprimendæ verborum levitati efficacissima cogitatio est; de DEO ubique nobis præsente, omnia vidente, omnia audiente, omnia ad ultimum examen atque judicium reservante. Alias ad omnem vitæ licentiam & improbitatem multis expedita est via, hæc unica cogitatio, *Solus sum, nemo me videt*: tum enim nil non audere improbi solent. Cessaret illico hæc cogitatio, si Deum ubique præsentem & omnia videntem, audientem, observantem cogitarent, veteris Philosophiæ præceptum refert *Macrob.* lib. 1. Saturn. *sic loquendum cum hominibus, tanquam Dii audiant: Sic cum Diis, tanquam homines audiant.* Quod repetit *Seneca*, epist. 10. *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

(3) Animi ad loquendum præmunitio & provisio. Hinc Ambrosius, *sapiens*, inquit, *priusquam loquatur, multa considerat, quid dicat, cui dicat, quo loco, quo tempore dicat.* Hæc prius animo cogitanda, quam lingua laxanda. *August.* in Psal. 51. *sicut eligis*, inquit, *quod vescaris, sic elige, quod loquaris. Cibum per os ingressurum examinas, cur non etiam egressurum per os verbum? quod sæpe graviores tragœdias excitat in tua domo, quam cibus in tuo stomacho.* Pulchra est illa *Bonaventuræ* comparatio. *Sicut propugnaculi portæ non nisi cautissime & post omnia solerter explorata reserantur; ita nec os arcis animatæ ostium, prius pandendum, quam vigilanter omnia circumspiciantur.*

(4) Mulctæ dictatio, & à seipso exactio. Omnes vitiosos habitus à se removere non defficile erit illi, qui in se ipsum capitalem egerit Triumvirum: Egregiæ virtutis est, se ipsum apud seipsum accusare, reprehendere, mulctare & sibi nihil condonare. Unde *Seneca, de nullo*, inquit, *conqueri possum alio, quam de me: Ego mihi irascar: Ego à me pœnas exigam.* Hoc modo multi vitiosæ linguæ morbos sanarunt. Meminit *Drexelius* opulenti cujusdam civis *Memmingensis*, qui in execrandi consuetudinem prolasus hanc sibi mulctam dictavit, ut quoties Dei nomen minus reverenter appellaret aut aliter lingua delinqueret, eo die vino genium fraudaret & fontem biberet, idque sine ullâ exceptione aut veniâ. Effecit hæc pœna, ut diu aquam non biberit, linguam

domuerit & à consuetudine improbâ penitus destiterit. Alius hanc sibi pœnam dixit, ut, quoties verba funderet impia, cultello sanguinis guttam è manu vel brachio eliceret: qui & ipse, sanguine non multo fuso, improbam consuetudinem feliciter vicit.

(5) Propositum quotidianum de viis tuis custodiendis & custodiâ ori tuo ponendâ, de lingua coercenda. Hoc qui quotidiè animi decretum innovat & in recenti circumfert memoria, quin linguam tandem ex voto domet; nequit fieri si sibi ipsi quotidie quasi exprobret, quod toties fuerit mentitus, toties calumniatus, toties lasciva locutus &c.

(6) Colloquia pia, præsertim de futurâ vel proborum gloriâ, vel improborum ignominiâ. Crebra enim æternæ gloriæ cogitatio, ejus in nobis accendit desiderium & mundi gignit contemtum peccatorumque odium: crebra gehennæ recordatio incidere in eam haud sinit, inquit *Chrysostomus.*

(7) Fuga occasionum. *Juxta præcipitium vadens*, inquit *Chrysostomus*, *quamvis non decidat, tremit tamen, & sæpenumero ab ipso subversus tremore decidit: ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens cum timore vivit & in ipsa labitur sæpius.* Vitanda igitur loca, vitanda conciliabula nugatorum, scurrarum & blasphemorum. *in judicio peccatorum ne confideas*, Ecclesiast. 11. v. 9.

(8) Moderatio sermonis, seu pauciloquium. Unde sapientum monitum: *Auribus utere frequentius quam linguâ.* Et illud *Syracid.* cap. 11. v. 8. *Prius, quam audiveris, ne respondeas: & in medium sermonem ne immittas verbum.* & cap. 32. v. 10. *Summatim sermonem contrahe, paucis multa.* Laudabilior est verborum parsimonia, quàm pecuniæ.

(9) Silentium. Hinc veteres Iambi:

Aut dic aliquid melius silentio, aut sile:
Expers periculi est præmium silentii:
Obfuit multis loquela, nemini silentium.
Ahenea turris omnibus silentium est.

Socrati olim silentium sapientiæ signum visum est certissimum.

(10) Fuga ebrietatis. Hæc enim loquacissima est & per jugulum redituras voces mittit. Hinc *Tarentini* juvenes multa inter cœnandum de *Pyrrho* locuti, cum pœnas daturi ad Regum vocarentur, unus ex iis, *Imo*, inquit, *nisi lagena defecisset occidissemus te.*

(11) Damnorum, quæ à linguâ sunt, attenta consideratio.

Nullum

Nullum in orbe damnum est, cujus magna primaque causa non sit lingua, damnorum & calamitatum fœcundissima mater. *Lingua*, inquit *Chrysostomus*, *omnium malorum est causa si negligatur: quemadmodum omnium bonorum, si in ea studium & cura ponatur.* Idem; *Dæmon undique nobis insidias praeparare consuevit, sed facilius lingua & ore peccante: nullum enim æque congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati. Inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur.*

(12) Christi patientis quotidiana contemplatio.

Ad maxima enim illatas sibi injurias solemne ipsi fuit tacere, vel paucissima & mitissima verba reponere: ut testatur historia Evangelica: quod & Propheta olim prædixit; cap. 53. v. 7. *Ipse affligitur, neque aperit os suum: ut parva pecus ad mactationem ducitur & velut ovis coram tonsoribus suis obmutescens, neque aperit os suum.*

(13) Tremendi ac divini judicii profunda meditatio.

Ex verbis enim quisque suis justificabitur, vel condemnabitur: Matth. 12. vers 37. *Quodcunque otiosum verbum locuti fuerint homines, de eo reddituri sunt rationem in die ultimo*: v. 36. Quod si vero etiam otiosa verba ad censuram vocabuntur, quid de impudicis, mendacibus, blasphemis, injuriosis &c. futurum putes?

Quæritur (2) *Quibus artificiis vitiosæ & maledicæ linguæ tolerari possint?*

Resp. A Sapientibus traduntur sequentia;

(1) *Si te ipsum accuses, & æquum judices, similia facientem pati similia*, cogita, annon & tu similibus dictis alios quoque confixeris: Annon & tua alios sauciaverit lingua: & tolerandum tibi memineris, quod fecisti.

Mutuum bona fide & aliquando cum fœnore restituitur. Non tam maledictum est, quod te petit, quam responsum.

§. 6. (2) *Si te submittas, & deinceps emendare constituas.*

Pulchra est *Drexelii* similitudo: *Sicut tormenta bellica majora saxeas turres perrumpunt & commoliunt, saccos autem laneos vix offendunt: ita submissio linguam protervam frangit, enervat, dejicit: Superbia vero attollit, animat & impellit.* Quam multos alienæ linguæ protervia cautiores reddidit, & ad virtutem incitatiores! ex hoc plumbo hoc aurum est eliquandum.

(3) *Si Deum adeas, eique contumelias conqueraris.*

Artificium hoc præscribit David, Psalm. 27. vers. 5. *Devolve super Jehovam viam tuam, & confide in eo, nam ipse efficiet:*

(7) *Si premium cœleste suspicias.*

Nihil tam est in orbe sanctum, cui vitiosa lingua parcat. Per aspera tendendum ad ardua. Luctam, qui detrectat, gloriam recusat, coronam abjicit. Non obtingit hoc præmium nisi adversa multa patienter tolerantibus. *Beati eritis*, inquit Christus, *cum convitiati fuerint vobis & persecuti fuerint & dixerint quidvis mali adversus vos mentientes propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra multa est in cælis &c.* Actor. 14. v. 22. *Oportet per multas oppressiones nos ingredi in regnum Dei.* Rom. 8. v. 17. *Si simul cum eo patimur, etiam simul glorificabimur.*

CAPUT XXI.

De VERECUNDIA.

Thesis I.

Sic de civilitate in sermone: *Civilitas in gestuum, affectionumq; externarum compositione est* Verecundia & Gravitas: *illa juvenili, hæc virili potissimum ætati convenit.*

II.

Verecundia est civilitas, per quam infamiam aut dedecus metuimus, conjuncta cum expresso amore honesti.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBJECTUM verecundiæ sunt res externæ in sensus incurrentes, ex quibus infamiæ vel dedecoris adspergi nobis potest macula: hujusmodi sunt corporis motus, situs, vestitus, variique membrorum gestus; item dicta & facta. *Officium* verecundiæ est in omnibus hisce externis vitare & fugere quicquid dedecus aut infamiam creare potest. Unde ab *Aristotele* definitur αἰδὼς, φόβος τῆς ἀδοξίας *metus infamiæ.* Index ejus plerunque rubor est: Unde *Diogenes* cum adolescentulum rubore perfusum videret: *Confide*, inquit, *fili: hujusmodi est virtutis color. Laërtius.* Notum illud *Terentii*: *Erubuit sal-*

buit salva res est. Pythias, *Aristotelis* filia, interrogata, *Qui color esset pulcherrimus?* Respondit: *Qui per verecundiam ingenuis oboritur.* Stobæus.

§. 2. Verecundiam nobis commendant & suadent *rationes* & *exempla*. Rationes sunt:

(1) Quia comico autore *Plauto*, *periit, cui pudor periit*. Eadem *ad salutem parandam principium est*. Plutarch. *verecundantium virorum*, inquit Homerus, *plures salvi, quam occisi sunt: Pudere, quam pigere præstat*, Plaut.

(2) Maxima rationum momenta ex verecundiæ adjunctis & effectis petita continentur in aurea hac *Bernhardi* sententia. *Quid amabilius verecundo adolescente? quam pulchra & quam splendida morum gemma est verecundia, in vita & vultu adolescentis! quam vera & minime dubia bonæ spei nuncia! bonæ indolis index: virga disciplinæ: expugnatrix malorum: propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ: famæ custos: vitæ decus: virtutis sedes: virtutum primitiæ: naturæ laus & insigne totius honesti. Timotheus* apud *Plutarchum*, appellat eam *adjutricem virtutis bellicæ*: Cicero, *Custodem virtutum omnium*. Ambrosius, *dotem naturæ*: Hesiodus, *divinam*.

§. 3. *Exempla* verecundiæ frequentia fuere apud *Lacedæmonios*, quos accuratos & severos verecundiæ magistros laudat *Xenophon*. Etenim in institutis suis voluerunt, ut pueri in publico agentes manus intra vestes continerent, nec vagos ab iis, quæ ante oculos erant, distractosque oculos haberent. Addit idem, duo fuisse hæc *Lacedæmoniorum* instituta, ut juventus à primis annis verecundiæ & modestiæ assuefieret. Apud *Romanos* per verecundiam cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavabantur. *Cicero* lib. 1. Off. *Persarum* pueri tam erant verecundi, ut in publico nec spuerent, nec nasum emungerent. *Archytas Tarentinus* adeo verecundus erat, ut, si quid absurdi vel obscœni proferendum esset, non diceret id, sed parieti inscriberet. *Ælian.* lib. 14.

§. 4. Cum verecundia in motu, situ & vestitu corporis, nec non in vultu, ore & sermone conspicua esse debeat, de singulis observanda sunt sequentia præcepta.

(1) Nihil fiat cum nimio impetu, sed quodlibet corporis membrum sedate moveatur, sine ulla levitatis aut impudentiæ suspicione.

(2) In corporis denudatione, quod tempus & locus patitur, sequamur. Unde *Cicero*: *quæ natura occultat, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis.* Exaudiat peccatum hoc seculum

cultum nostrum *Almodicum*, quod partes corporis nudat, & ad irritandas libidines omnium oculis objicit, quas occultas esse natura & honestas volunt. Multis in locis videas juvenes ventribus, virgines & uxores pectoribus mammillisque nudatis incedere, more *Babylonico*. Nudationem hanc partium tegendarum, tanquam gravissimam & ignominiosissimam pœnam, olim virginibus & uxoribus Israeliticis minatus est Deus Ezech. 17. v. 34. &c. 23. v. 28. 29. *Sic ait dominus Jehova: Ecce ego trado te in manus eorum, quos odisti, in manum eorum, à quibus luxata est anima tua: ut agant tecum odio & accipiant totum laborem tuum, & derelinquant te nudissimam & retectissimam: retecta nuditate scortationum tuarum & scelere tuo, cum scortationibus tuis.* Et Hos. 2. v. 2. 3. *Amoveat* (Gens Israelitarum) *scortationes suas à conspectu suo, & adulteria sua è medio uberum suorum: ne denudem eam plane, & statuam eam, ut die, quo genita fuit.* Arrige aures Germania.

(3) In corporis situ quod naturæ convenit, observetur. Non igitur supinum aut pronum esse decet, quem natura rectum finxit. Peccant contra præceptum hoc & ineptissimæ κακοζηλίας se reos faciunt *Almodici histriones*, qui natura recti flexis ad exteriora cruribus curvi modo incedunt, magni cujusdam principis, ut ajunt, naturale vitium imitantes: quod & *Alexandri Magni* aliorumque principum adulatores olim fecerunt, de quo suo loco.

(4) In corporis vestitu vel inprimis quoque habenda honestatis & mediocritatis ratio. Vestitus nec *Rhodius*, nec *Lacedæmonius* esto, hoc est, nec nimis splendidus, nec nimis sordidus; nec affectatæ & stultæ *Almoditatis*: quam præ omnibus aliis nationibus *Germania* profitetur juventus utriusque sexus. Utinam sola juventus! Pellucidæ & presse corpori hærentes vestes à pudenda nuditate nihil differunt: de quibus *Clemens* lib. 1. strom. *Non est amplius tegumentum mollis & delicata vestis quæ nudam figuram non potest occulere. Ejusmodi enim vestis in corpus incidens mollius ipsi corpori imprimitur & applicatur figura, carnis instar adhærens & mulieris typum ita exprimit, ut vel non videnti manifesta sit tota constitutio corporis.*

Et *Seneca* ep. 90. *Quod si contigisset illi videre has nostri temporis telas quibus vestis nihil celatura conficitur: in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est. Similibus telis multis in locis fœminæ pectora superioribus annis velarunt, quæ plane nuda jam gerunt, contra sexus verecundiam.*

(5) Oculi,

(5) Oculi, quia animi sunt indices & quasi cordis fenestræ, ne sint vagi aut libidinosi.

(6) Os non sit hians & distortum.

(7) Impudica vel ab honestis auribus aliena vel plane *non* proferantur, vel verbis honestioribus quasi involvantur.

(8) Denique frequentem & effusum risum non admittit verecundia. Singula fere hæc præcepta *Cicero* complectitur, dum ait: ***Nos autem sequamur naturam, & ab omni, quod abhorret ab ipsa, oculorum auriumque approbatione fugiamus: Status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi manuumque motus teneant illud decorum.*** Verecundia alias in specie appellatur *civilitas*, quæ curat mundiciem corporis, externarum corporis partium ornatum, decentem vestitus elegantiam, debitam externarum corporis partium, præsertim capitis, oculorum, manuum, pedum compositionem, vocis & risus moderationem, convenientem honoris exhibitionem & in sumendo cibo potuque modestiam.

§. 5. Quæritur (1) *An verecundia sit virtus?*

Resp. Nos *affirmamus:* Est omnino virtus; quia definitio & requisita virtutis non minus ei competunt, quam aliis virtutibus moralibus, neque minus hominem ornat & commendat, quam ulla alia virtus: quod vel ex adverso ejus, *impudentia*, manifestum est. Siquidem impudenti homine nihil magis exosum inter homines. Facit verecundia, ut non tantum ipsam turpitudinem, sed & omnes ejus occasiones, signa & irritamenta fugiamus: quo nomine virtutum aliarum conciliatrix merito appellatur & in virtutibus moralibus numeratur. Videatur *Bernhardi* sententia paulo ante laudata.

§. 6. *Aristoteles* negat, verecundiam esse virtutem. Assentiuntur alii *Peripatetici*, inter quos *Thomas* 2. 2æ. q. 44. art. 1. *Piccol.* Grad. 4. cap. 32. *Keckerm.* Eth. lib. 3. cap. 1. *Casus*, specul. moral. lib. 4. c. 9. Argumenta *Aristotelis* & aliorum sunt sequentia.

(1) *Virtus est habitus longo usu acquisitus & firmiter animo impressus. Atqui verecundia non est hujusmodi habitus? Ergo verecundia non est virtus.* Assumtio prob: *Quia verecundia est affectus, qui subito ortus statim evanescit.*

Resp. *Assumtionem* nego: *probatio* simpliciter vera non est: Non enim principaliter hoc loco nobis verecundia est ille pudor, qui post peccatum vel dedecus manifestum in facie plerunque se prodit per rubedinem: Sed constans est animi propositum omne fugiendi dedecus, quod incutere nobis pudorem possit.

§. 7. (2) *Vir-*

§. 7. (2) *Virtus moralis cadit in omnem hominis ætatem, & laudatur in omnibus. Atqui verecundia non cadit in omnem ætatem, nec laudatur in omnibus. Ergo non est virtus moralis.*

Assumtio prob. *Quia non laudatur in senibus, qui nihil debent admittere, cujus pudere eos possit.*

Resp. 1. *Propositio* simpliciter vera non est: sunt enim multæ virtutes, quæ in ætatem puerilem non cadunt, sed adultius & confirmatius judicium requirunt ut; *urbanita, magnificentia, gravitas, patientia, fortitudo* &c.

2. *Assumtio* simpliciter vera non est. Siquidem verecundia, quæ nobis est pudor, non tam post peccatum & dedecus, quam ante id in omnem cadit ætatem, & in ipsis quoque senibus commendatur. Quin nec pudor post admissum dedecus alienus esse à senibus debet imo tanto major, quanto plura illi habent ad fugiendum dedecus præsidia. Interim negari non potest, frequentiorem esse verecundiæ usum in adolescentibus, quam in senibus: Unde *Ambrosius* 1. Off. *ut in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur natura.*

De verecundia & pudore etiam senes decente audiatur *Plato*, qui in *Pythagora* inquit: *Iustitiam & pudorem esse munera Iovis per Mercurium tributa hominibus, quæ civitates ornarent, & mutua benevolentia cives conciliarent.* Unde subjicit: *Omnes horum particepes esse debent: Legem propterea meo nomine condas, qua quisque omnino vel justitiæ vel pudoris est expers, tanquam civitatis pestis quadam ultimo supplicio afficiatur.* Et lib. 5. de L L. *Sapiens legislator senioribus præcipiet, ut sint coram junioribus verecundi.*

§. 8. (3) *Virtus per se & absolute est laudabilis. Atqui pudor per se non laudabilis, sed tantum ex hypothesi, quatenus est pœnitentia quadam ob admissum peccatum.*

Resp. *Assumtio* simpliciter vera non est: pudor enim ante admissum dedecus, non ex hypothesi, sed per se laudabilis: qui vero post admissum dedecus sese exerit. etsi ex hypothesi commendatur, tamen virtutis nomen propterea plane non amittit.

§. 9. (4) *Virtus moralis non competit pueris. Verecundia competit pueris Ergo non est virtus moralis.* Ita *Piccolom.* argumentatur.

Resp. De virtute, quatenus est dispotio virtuosa, negatur *propositio*: De verecundia perfecta *assumtio*. Ut dispositio ad virtutem moralem esse in pueris potest, ita ad verecundiam quoque. Ut perfecta in pueris non est virtus moralis: ita nec verecundia: uti hoc loco à nobis accipitur & accipi debet.

§. 10. (5) *Virtus est perfectio. Verecundia non est perfectio, Ergo non est virtus. Propositio* prob. c. 7. Phys. t. 17. 18. *Assumtio* prob. *Quia repugnat perfectioni, siquidem metus est alicujus turpis, quod exprobrabile est.* Ita *Thomas* argumentatur.

Resp. *Assumtio* negatur una cum *probatione*. Verecundia formaliter metus non est, sed virtus fugiens turpitudinem & dedecus, ut supra ostendimus: etsi improprie metus appellari solet φόβ@ ἀδοξίας.

§. 11. Quæritur (2) *An verecundia sit virtus imperfecta?*

Resp. *Negatur*: Perfecta nobis est virtus, quia perfectæ virtutis definitio ipsi competit: ut supra ostendimus!

Contra imperfecta esse virtus *Peripateticis* dicitur. Rationem reddit *Keckerman: Quia est passio quædam, & ex passione levis impressio, seu dispositio voluntatis & affectuum, quæ subinde desinit in hominibus certis, & facile mutatur in contrarium.*

Resp. Principii hæc est petitio. Verecundia nobis est firmum & constans animi propositum infamiam & omne dedecus fugiendi: quod in senioribus maxime confirmatum esse debet: etiamsi virtutis hujus exercendæ uberiorem præstat materiam adolescentia, quam senectus.

§. 12. Quæritur (3) *Cur verecundiæ adolescentes potissimum & fœminæ debeant operam dare.*

Resp. *Adolescentes*: quia per naturam ignei & proclives sunt ad peccata; à quibus per verecundiam, tanquam frænum, sunt retrahendi.

Fœminæ: quia dotem suam amittit, quæ pudorem exuit, fœmina. Hinc ut intra verecundiæ limites fœminas olim *Ægyptii* retinerent, & intra tecta cohiberent, calceorum usu eis interdixerunt: *Pier. Valer.* lib. 28.

§. 13. *Thomas* 2. 2æ. q. 144. art. 4. asserit: *nec senes, nec sceleratos, nec probos, seu virtuosos, moveri verecundia. Non sceleratos: quia peccata & turpia ipsis non displicent: non senes & virtuosos: quia turpitudinem non apprehendunt ut possibilem, vel quasi non facile vitabilem.*

De nullis *Thomæ* assentimur. Non de *sceleratis*: quia testatur experientia. Verecundia eos quandoque moveri & sceleribus valedicere, seriam agentes pœnitentiam. Itaque verecundiæ vel maxime operam dare scelerati debent; uti & aliis studere virtutibus, qui vitiis infames sunt.

Non de *senibus*; quia & hi quandoque turpia committunt, vel certe ne committant, maximopere debent cavere.

Non

Non de *virtuosis*: quia & hos quandoque exorbitare contingit: vel certe, ne exorbitent, cavere decet.

Sic igitur arguimus contra *Thomam*: Qui ex honesti amore infamiam aut dedecus debent metuere, omnique studio declinare, iis necessaria est verecundia. Atqui *senes*, *scelerati* & *probi* ex honesti amore infamiam aut dedecus debent metuere, omnique studio declinare: Ergo: *Propositio* manifesta est ex definitione verecundiæ: *Assumtionem* res ipsa comprobat: quam qui negat, contrarium oportet admittat nempe, *senes*, *scelerati* & *probi ex honesti amore infamiam non debent declinare: adeoque dedecus & infamiam ambire.*

III.

Verecundia adversatur impudentia, & pudor vitiosus qui rusticus appellatur: Græcis δυσωπία.

Ἔκθεσις.

§. 1. ELegantem libellum scripsit *Plutarchus* περὶ τῆς δυσωπίας; de quo suo loco. Sic rusticus censetur pudor, si amicus delinquat & tu rubore prohibitus reprehendere eum non audeas.

Item si ad convivium te invitet occultus inimicus qui insidias inter pocula tibi cupiat struere, & tu pudore prohibitus non ausis recusare, vel præsentiam tuam negare.

Aristoteli impudentia definitur, φαῦλον καὶ τὸ μὴ αἰδεῖσθε τὰ αἰσχρὰ πράττειν. *Malum, cum quis turpia agere non verecundatur.* Ab hoc nos dehortantur gravissima prudentum judicia.

(1) - - Ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων πασῶν ἀναίδεια: h. e.

Gravissimus inter homines morborum omnium est impudentia: Euripid.

(2) *Supra omnem monstruosi piaculi execrationem est, scelus summum admittere, & pudorem sceleris non habere.* Salvian. de gubernat Dei.

(3) *Dux est ad turpissima quaque:* Xenophon: Unde à Prosper. Aquit: appellatur *hortatrix licentiosæ turpitudinis.*

Interim impudentiæ *Athenis* altare erexit *Epimenides.* Forte quia pro Dea olim habita. *O maxima*, exclamat Menander apud Stobæum, *Dearum hoc tempore impudentia! Si modo te*

Deam vocare oportet. Sed oportet. Nam quod imperat, pro Deo nunc habetur. Quantum progredieris? quousq; perventura mihi videris?

Characterem impudentiæ vide apud *Theophrastum.*

Impudentiæ nomine olim infamis fuit *Diogenes*, qui & *Cynicus*, seu caninus, fuit dictus: quia impudens animal est canis. *Canis*, inquiunt Grammatici, *verbum est, quo impudentibus inimicis convitium fieri solet.*

Imperator *Caligula* tam nihil in natura sua probare solebat, quam impudentiam. *Sueton: Stoici* olim ajebant, *nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu; & crepitus æque liberos ac ructus esse oportere:* Cicero lib. 9. Epist. famil ep. 174. *Atticorum* quoque impudentia olim famosa fuit. Unde *ἀττικὸν βλέπειν* idem est, quod *os impudens.*

CAPUT XXII.

De

GRAVITATE.

THESIS I.

GRAVITAS *est civilitas, per quam decoram & convenientem dignitatem in totius vitæ ratione præ nobis ferimus.*

Ἔκθεσις.

§. 1. GRAVITATIS *objectum* sunt externi corporis gestus & actiones, ut, *sermo incessus, vultus*: quo pertinent quoque *vestitus* & similia alia, quæ conveniente & decora dignitate exornare hujus est virtutis.

Gravitatem nobis commendant *rationes* & *exempla. Rationes* sunt.

(1) Quia est parens autoritatis: Etenim gravitate veluti tacite obligamus alios ad nostri reverentiam cum amore conjunctam: quæ obligatio autoritas dicitur.

(2) Quia viri graves à Magnatibus amantur gerendisque rebus præficiuntur.

(3) Quia levem hominem nemo facile ad seriarum rerum tractationem admiserit. Hinc *Sigismundus* Imperator beatos futuros censuit Reges & Principes, si, exclusis à gubernatione hominibus

nibus fastuosis, mansuetudinis gravitatisque cultores in curiam adsciverint.

§. 2. Cadit gravitas in viros potissimum, qui in aliquo dignitatis gradu sunt constituti, quales sunt Principes eorumq; consiliarii, viri consulares, Senatorii, Theologi, Politici &c. Quorum frequentia sunt in Magnatum aulis & præclaris Rebuspub. exempla.

§. 3. *Præcepta* de exercitio gravitatis sequentia observentur.

(1) Vir gravis non sit vultu torvo. *Non enim gravitas*, inquit Isocrates, *in vultus consistit torvitate; sed is gravis est, qui in omni vita statu nihil inconstanter, nihil leviter agit.*

(2) Vir gravis vultum, in quo virilis lucet dignitas, non negligat; diligentiorem tamen ejus cultum mulieribus relinquat.

(3) Vir gravis vestitum necessitati & honestati, ostentationi nunquam tribuat.

(4) In omni actione id det operam vir gravis, ut sive stet, sive incedat, sive accumbat, sedeatve corpus universum & singula membra recta quadam virili, naturalique dispositione & ordine conformentur.

(5) Lingua viri gravis non sit vaga aut præceps, verba non inconsiderata, adeoque res ponderibus quasi liberatas sapientiæ sale conspergat. Ex gestu motuq; corporis & partium ejus indecoro & gravitati adverso de variis affectibus & vitiis conjectura sumi potest: Unde *Nazianzenus* de *Juliano Apostata. Fecit me vatem gestuum ipsius deformitas: ut colli crebra conversiones, humeri inquieti, oculi torvi & vagabundi, furibundũ quiddam contuentes, pedes instabiles, crebra gesticulationes, nasus contumeliam & contemtum spirans, cachinni* crebri &c. Vir gravis non debet esse instar *statuæ* immobilis, neque instar *simiæ* instabilis.

(6) Inprimis decet virum gravem honesti propositi tenacem esse.

(7) Vir gravis temere ne assumat vel mores novos, vel vestes novas, præsertim vario colore pictas.

(8) Vir gravis sit quoque affabilis. Facile enim in vitium degenerat gravitas, nisi affabilitate & humanitate temperetur.

§. 4. *Modum* in gravitate servare difficilimum. Attamen levitatis crimen facilius declinat, quam morositatis, tetricitatis & superbiæ. Hinc *Plinius* lib. 4. cap. 3. Severitatem istam pari jucunditate condire summæque gravitati tantum comitatis adjungere non minus difficile, quam magnum est. Gravem virum eleganter describit. *Lucanus* ad Pison.

- - Movet plenus gravitate serena
Vultus & insigni præstringuit imagine visus:

 Talis

Talis inest habitus, qualem nec dicere mœstum,
Nec fluidum, læta sed tetricitate decorum
Possumus: ingenita stat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna suis natalibus ora.

Itaque quoque Silius de Bruto:

Læta viro gravitas & mentis amabile pondus
Et sine tristitia virtus, non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat,
Nec famam lævo quærebat limite vitæ.

§. 5. Quæritur (1) *An in adolescentes quoque cadat gravitas?*

Resp. Non prorsus aliena ab adolescentibus & juvenibus hæc virtus est: Quia contrarium, ejus levitas, abesse ab iis debet. Interim confirmata in iis non est: unde ad gravitatem dispositio potius, quam perfecta gravitas in ætatem juvenilem cadit: in qua maxime commendatur verecundia & modestia quę ad gravitatem via est. In sola igitur ætate provecta perficitur gravitas, quæ conjungi amat cum autoritate & aliquo dignitatis gradu, qui ætatis est provectioris.

II.

Gravitati adversatur levitas animi, sermonis, gestuum, vestitus: nec non morositas & μισαντρωπία.

Ἔκθεσις.

SENIBUS maximè ignominiosa est levitas; quos potissimum decet gravitas.

Qui ergo loquuntur ut senes, vivunt ut juvenes, autoritatem nec inter senes, nec inter juvenes obtinent: utrisque leves æstimantur. Hinc *Annius Priscus*, senex, cum raso capite & barba in senatum veniret, etsi vocem adferret senis, tamen quia juvenis videri corporis habitu voluit, capitolio ejectus & omni honore privatus in exilium est missus. Rogantibus, *quis esset & cur capitolium ingredi ausus fuisset*, cum responderet: *Ego Annius Priscus senex sum, qui fit, quod me non agnoscitis.* Responsum ipsi: *Si Annius Priscus, esses, non ita rasus venires. Nemini enim in senatu hoc sacro sancto ad gubernandam rempubl. adesse fas est, nisi, præter vitæ honestatem, cano capite sit conspicuus.*

CAPUT

CAPUT XXIII.

De

MANSUETUDINE.

THESIS I.

HACTENUS prima species probitatis ad alios; cum laude potissimum nostra, relatæ: *sequitur altera in quorundam animi affectuum moderatione conspicua, quam modestiam appellamus, quæ est probitas, qua internos affectus gubernamus.*

II.

Species modestiæ sunt duæ: Mansuetudo & Humilitas.

III.

Mansuetudo & modestia, qua ab omni inordinata ira nobis temperamus, & excitatatam subito refrenamus.

IV.

Mansuetudo in privatis hominibus lenitas & placabilitas: *in viris principibus* clementia *appellatur.*

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM Mansuetudinis internum est ira; quæ affectus est cum vindictæ cupiditate, ex contemtu nostri aut nostrorum ortus. Affectus hic, quia omnium turbulentissimus & violentissimus est, fræno maxime eget, quod regitur à mansuetudine.

Externum objectum sunt omnia, quæ iram & indignationem in animo hominis concitare possunt, ut sunt: *injuriæ, damna, offensiones, contumeliæ, convitia*, &c. & horum omnium *Pœnæ*, quas moderari est mansuetudinis.

§. 2. *Officium* mansuetudinis est iram convenienter moderari seu medium in irascendo à recta ratione definitum servare. Quomodo autem servari possit hoc medium, ex præceptis patebit:

Casus officium mansuetudinis triplex ait esse : *ægre irasci* : *raro ulcisci* : *nemini injuriam facere.* Iram vero dum nominamus, includimus quoque actiones, quæ ex ira plerunq; proficiscuntur, quales *punitio*, *ultio* &c. quibus modum præscribit mansuetudo. Comitem ira habet *linguam tumultuosam*, quæ modò altum clamat & vociferatur, modò furit & bacchatur & verborum agmina veluti fluctus magno cum fragore evomit : quæ loquendi & clamandi ratio ab homine mansueto est alienissima.

Quin & rigidum mandatum, sine verborum tumultu & fremitu, dari debet sereno que vultu & placidis verbis temperari.

Hinc, qui mores informant, inter prima vitia tumultuosas & clamosas linguas damnant : qua disciplina olim alumnos suos *Plato* imbuit, apud quem educatus puer cum ad parentes relatus vociferantem videret patrem : *nunquam*, inquit, *hoc apud Platonem vidi* : *Senecæ* præceptum est : *vox sit sine clamore* : *Basilii* monitum, *interrogatus de re aliqua, gravi & submissa voce responde.* *Theophrastus* insignem ait esse rusticitatis notam, *voce magna & contenta loqui.* De servatore nostro *Jesaias* c. 42. v. 2. tanquam singulare hoc prædicat, quod non sit clamaturus: quod repetitur Matth. 12. v. 19. Unde *Hieronymus* in Jesaiæ cap. 42. non *clamabit*, ait: *erit enim mitis atque mansuetus & non levabit in altum vocem suam.* Clemens Alexandrinus, *modesti est*, inquit, *in voce moderatio, à magnitudine simul & prolixitate, celeritateque & multitudine coërcens suam orationem.* Ambrosius *ipsum*, inquit, *vocis sonum libret modestia, nec cujusquam offendat aurem vox fortior.*

§. 3. Placabilitatem & clementiam cum omnibus, tum inprimis viro principi suadent *rationes* & *exempla*. *Rationes* sunt.

(1) Quia hæc vera est fortitudo, se ipsum vincere & ab ira cohibere. Hinc ille: *Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum.* Et alius: *Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit.*

(2) Quia *divinæ auræ particula est clementia, quam Deus ostendit* : Plutarchus. Nec ulla re ad Deum proprius accedunt Principes, quam clementia & beneficentia.

(3) Quia *nihil magnum, quod non idem est placidum* : Seneca. Et viro *magno & præclaro nihil est dignius placabilitate & clementia.* Cicero. Pertinet huc illud :

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.

(4) Quia principibus ex mansuetudine certior est securitas. Ut enim crudelem omnes oderunt; Ita clementem & mansuetum omnes amant.

(5) Quia

(5) Quia contrariæ crudelitatis *effecta* sunt pessima & pœnæ gravissimæ. *Effecta* ejus ab *Aristotele* narrantur : *Est causa calamitatis, socia jacturæ & dedecoris conciliatrix, pecuniarum pernicies, perditionis origo.* Unde *Seneca* scribit. *Nullam pestem generi humano pluris stetisse, quam iram.* Accinit Poeta.

Ira Thyesten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ultimæ
Stetere causæ cur perirent
Funditus, inprimeretq; muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Pœnæ crudelitatis duæ potissimum sunt maximæ.

(1) *Odium*, quod ne per mortem quidem extinguitur. Hinc de *Tiberio* Imperatore legimus, ejus morte tam insolenter exultasse Romanos ; ut diras & imprecationes in eum vulgo jactarent, essentque etiam cives, qui palam orarent *Terram matrem, Deosque Manes, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios, darent.*

(2) *Exitus Tragici & horribiles.* Hinc *Juvenalis* :

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges & sicca morte Tyrrani.

Hinc *Hannibal* postquam in *Romanorum* sanguine oculos pavisset, ad voluntariam mortem à Senatu compulsus fuit. *Valer.* Max. *Mithridates*, qui una epistola octuaginta millia civium Romanorum in Asia interemit, mortem ipse suam bibere exco-actus. *Nero* in sanguine suo volutatus expiravit. *Caracalla* gladio centurionis confossus periit. Similium *exemplorum* plenæ sunt historiæ.

§. 4. *Exempla* clementiæ inter viros principes passim laudantur : *Quinctius Crispinus Badio Campano* hospiti ad pugnam se provocanti, respondit : *Aliam, qua occidas, dextram quære, quoniam mea te servare didicit.* *Paulus Macedonicus* regem *Macedonum* ultimum *Persem*, bello *Macedonico* secundo devictum sibi supplicem ita humaniter tractavit, ut nemo ipso reverentior esset captæ majestatis : quin & liberos ea occasione de inconstantia fortunæ diligenter admoneret. In bello *Mithridatico*, *Sylla Athenienses*, quos subegerat hominum, ut ipse dicebat, ingratissimos, in honorem mortuorum, sacris suis famæque donavit : *Florus* lib. 2. cap. 12. *Metellus* à *Centobrica Hispaniæ*, urbis obsidione recessit, cum *Centobricenses Rhotogenis*, qui ad *Metellum* transierat, filios machinæ ictibus objecissent. Cum *Scipione Antoninus Pius*, Imperator, maluit unum aut paucos è suis servare, quam mille hostes occidere. *Theodosius* junior rogatus : *Cur neminem eorum, à quibus læderetur, supplicio capitis afficeret?*

respondit: *Se quidem justitia bonis gratum esse, malis autem clementia.* *Agathocles* Rex ab obsessis conviciis impetitus æquo tulit animo, & quodam dicente, *Figule, unde mercenariis persolves stipendia:* respondit: *Ubi hanc urbem cepero.* *Antigonus*, de muro quibusdam deformitatem ei exprobrantibus. *Atqui*, inquit, *videbar mihi facie esse honesta*: Capta deinde urbe irrisores istos vendidit, protestatus, si denuo conviciarentur, apud Dominos ipsorum se acturum. Cujus quæso πολιπόρθυ hodie tanta esset mansuetudo? Injuriam levissimam etiam infimi ordinis *officiarii* ut loquuntur, quam atrociter vindicant, ubi possunt! *Lysander* cum plurimis contumeliis à quodam afficeretur, hoc unum sereno vultu respondit. *Dic, ô amicule, dic, dic, & nihil omittas, si qua forte tuum animum malis, quibus videtur plenus, exonerare possis.* Plutarchus.

Marco Catoni Romano causam agenti cum in frontem mediam, attracta pingui saliva *Lentulus* homo factiosus & impotens, inspuisset, faciem abstersit *Cato*, & *Affirmabo*, inquit, *omnibus, ô Lentule, falli eos, quia negant os habere*: vulgo enim ob impudentiam dicebatur *os & frontem non habere.* Imperator *Constantinus*, cum susurrones nonnulli statuam ejus violatam, vultumque saxis fœdè vulneratum dicerent, ille manu faciem oberrans, *Ego vero*, inquit, *nihil sentio.*

Philippus Macedoniæ Rex, abeuntes *Atheniensium* Legatos, quos benigne exceperat, dicere jussit, *qua re gratum Atheniensibus facere posset.* Cui *Demochares; si te*, inquit, *suspendas.* Indignantibus cæteris, *Philippus* ad legatos versus, *renunciate*, inquit, *Atheniensibus, multo superbiores esse, qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt: Cœl. Rhodig.* L. A. lib. 1. c. 8. Eundem *Philippum* cum *Peloponesii* in ludis publicis exsibilarent, monentibus amicis, ut injuriam hanc ulcisceretur: *si*, inquit, *bene meritum irrident, quid facturos ei putabis, qui damnum dederit*: Plutarch. *Pericles* cum maledicum quendam in foro totum diem sustinuisset, vesperi domum regressus, eodem insectante, famulo mandavit, *ut & ipsum cum face domum deduceret*, Plutarch.

§. 5. *Præcepta*, de clementia & placabilitate exercenda iraque coercenda & temperanda maxime sunt necessaria quia ira affectus nullus est violentior & perniciosior, nullus familiarior & communior omni ætati & nationi. *Seneca* lib. 3. de ira cap. 2.

Observentur igitur sequentia.

(1) Si quando te ira invaserit, cave dixeris aut feceris quicquam prius, quam aliquod inter iram & dictum factumve intercessert

cesserit spatium. Hinc *Octavio Augusto*, Imperatori, *Athenodorus* Philosophus suasit, si iratus esset, ne quid diceret aut faceret priusquam Graecarum literarum viginti quatuor nomina apud se recensuisset. Sedulo cavit *Plato*, ne quid in primo irae aestu faceret, cujus postmodum poenitere ipsum posset; unde cum iratus aliquando in servum irruisset retracta manu, *vapulares*, dixit, *nisi iratus essem*. Idem cum baculum coram puero levasset, diu stetit, & iram se domare dixit; teste *Plutarcho*, in lib. de Sera Numin. vind. *Architas Tarentinus* ad villicum dixit: *ô te infelicem, quam te afflictarem, nisi iratus essem! Amb.* lib. 1. off. cap. 21. *Socrates* ajebat, Plutarcho teste, *minus esse malum si quis incidens in aquam turbidam prae incontinentia non expectet, donec pura redditur: sed statim bibat: quam si ira & furore perturbatus poenam ab homine sumere non differat, donec animus subsistat & purus denuo fiat*. Tendit huc quoque illud *Statii* praeceptum.

- - - *Ne fraena animo permitte calenti,*
Da spatium tenuemq; moram: mala cuncta ministrat
Impetus.

(2) Si ad iram te praecipitem esse noveris, materiam irae tibi mature praeripiendam esse noveris. Unde *Cotus*, *Thraciae Rex*, crudelis eorum, qui in ministerio deliquissent, castigator, cum hospes multa ipsi obtulisset vascula fragilia, sed scite elaborata: Hospiti quidem dedit munera, sed illico omnia confregit vascula. Demirantibus cur id faceret? *ne*, inquit, *saeviam in eos, qui fracturi sunt*.

§. 6. (3) Ut modum in ira serves, nihilque mansuetudini adversum committas, quatuor potissimum circumstantiarum habenda est ratio. 1.*Causarum*.2.*Personarum*.3.*Modi*.4.*Temporis*.

Causas quod attinet, non est irascendum nisi ob justas & graves causas, pertinentes nempe ad vindicationem honoris & cultus divini, legum, parentum, liberorum, conjugum, famae & existimationis &c.

Circa *Personas* observandum, ut non irascamur cuivis, non superioribus & bene de nobis meritis, quales sunt: Magistratus, Parentes, Praeceptores: Non veniam deprecantibus: non brutis aut infantibus: non amicis, fratribus aut sororibus; sed sceleratis & improbis qui malefacta defendunt.

Circa *modum* observandũ, ne nimium ira perturbemur & commoveamur, aut indecorum quiddam per errorem committamus.

Circa *tempus* observandum: (1) ut tum demum irascamur, cum maxime decet. Exulare enim debet ira ab honestis congressibus,

ſibus, à conviis & ſeriis conſultationibus: (2) Ne iram nimis diu alamus; ſiquidem cor corrumpit ſi in alium diem duraverit, teſte *Auguſtino* & *Ariſtoteles* dicere ſolitus eſt: ***admodum inconveniens eſſe, ut, cum homo ſit mortalis, immortalem gerat iram.***

(4) Memineris ſemper præſtare modum in clementia, quam in ira & ſævitia excedere. Unde illud: ***Malo rationem miſericordiæ quam crudelitatis reddere. Iræ*** inquit Plutarchus, ***neque inter jocos dandus eſt locus:*** amicitiam enim in odium mutat: ***neque in diſputatione:*** nam ſtudium cognoſcendi in libidinem contendendi vertit: ***neq; in judicio:*** poteſtati enim inſolentiam addit: ***neque in inſtitutione liberali:*** animo enim mœſtitiam ingerit, odiumque diſciplinæ gignit: ***neq; in rebus ſecundis:*** quia invidiam auget: ***neque in adverſis:*** nam miſericordia ſe privant, qui miſerantibus infenſi ſunt & cum iis litigant.

§. 6. Quæritur (1) ***An manſuetudo ſit virtus moralis?***

Reſp. ***Affirmativa*** defenditur hoc argumento.

Quod ſecundum rationem rectam moderatur affectum, & medium eſt inter duo extrema, id eſt virtus moralis. Atqui manſuetudo ſecundum rectam rationem, moderatur iram, & medium eſt &c. Ergo manſuetudo eſt virtus moralis.

Propoſitio manifeſta eſt: quia virtus eſt ſecundum rectam rationem moderari affectum & eſſe medium. &c. ***Aſſumtio*** patet ex ſuperioribus.

Objicitur in contrarium.

(1) ***Virtus una non eſt contraria alteri: At manſuetudo eſt contraria virtuti alteri, nempe ſeveritati: E. non eſt virtus.*** Aſſum. prob. ***Quia manſuetudo minuit pœnam, ſeveritas non minuit.***

Reſp. ***Aſſumtio*** negatur. ***Probatio*** eſt inconſequens: quia utraque agit ſecundum rectam rationem: Manſuetudo minuit pœnam quando & quibus oportet: Severitas non minuit, ſed infligit totam, quando & quibus oportet: unde idem judex ſimul manſuetus & ſeverus eſſe poteſt, etiamſi eodem tempore, & circa eoſdem non exercet virtutem utramque. Sic & Deus circa hominum alios juſtitiam, circa alios miſeircordiam exerit: & in Deo miſericordia non eſt contraria juſtitiæ.

§. 8. (2) ***Virtus non conſiſtit in defectu: Manſuetudo conſiſtit in defectu: Ergo manſuetudo non eſt virtus. Aſſumtio prob. Quia iram diminuit, & pœnam.***

Reſp. ***Aſſumtio*** negatur: ***Probatio*** eſt ***inconſequens:*** Moderatio & imminutio iræ, quæ eſt à manſuetudine, non impedit mediocritatem manſuetudinis, ſed eam potius arguit: quia eſt à recta ratione exceſſum & defectum iræ prohibente eamque temperante.

Aliud

Aliud igitur est defectus, aliud moderatio iræ: quia ille est contra rectam rationem: hæc secundum rectam rationem. Non deficit mansuetudo in temperanda ira, sed ad virtuosam mediocritatem eam redigit.

§. 9. Instantia: *Aristoteles ait lib. 4. Eth. cap. 5. nonnunquam deficientes laudari & mansuetos perhiberi. Agnoscit igitur mansuetudinem indefectu consistere.*

Resp. Negatur *consequentia*: Aristoteles in ipso illo capite mansuetudinem docet consistere in moderatione iræ: etsi fatetur, non esse facile definire, quo pacto & quibus, & quas ob res, & quamdiu irascendum, neque quousque progredi rectum pravumve esse videatur. Itaque deficientes, quos laudari & mansuetos perhiberi ait, non sunt qui à mediocritate hujus virtutis deficiunt, sed qui in ira quandoque remissiores videntur, ob certas tamen circumstantias, quibus se mansuetudo, ex præscripto rectæ rationis, accommodat: etsi aliis minus accurate omnia ponderantibus à mediocritate videntur discedere.

§. 10. (3) *Virtus versatur circa objectum, quod est in potestate agentis. Atqui mansuetudo non versatur circa objectum quod est in potestate agentis.* Ergo &c.

Assumtio probatur: *Quia ira objectum mansuetudinis est naturalis & usum rationis tollit.*

Resp. *Assumtio* negatur: *Probatio* est inconsequens: irascibilis facultas etsi naturalis est homini: tamen rationis & voluntatis subest imperio: usum rationis etsi quandoque tollit ira: quando habenæ nimis ei laxantur: tamen imperium rationis & voluntatis absolute & simpliciter non excutit: uti imperio hominum non desinunt illico subjici feroces & indomiti equi; etiamsi interdum per imperitiam vel oscitantiam equitis, fræna excutiunt & præcipites feruntur. Per mansuetudinem reprimi iram testatur experientia.

§. 11. Quæritur (2) *An in bonum & virtuosum virum cadat ira?*

Resp. Omnino cadit: si quatuor in ea observentur circumstantiæ, quas modo recensuimus. Etenim penitus non irasci, licet justæ sint irascendi causæ, hominis est stolidi, nec ægre ferentis injurias sibi illatas, suamque & suorum existimationem parvi facientis. Unde *Zeno* olim dixit: *eum non sentire laudes, qui æquo animo fert convitia.* Sic servilis & abjecti ingenii est, quasvis injurias & contumelias æquo animo tolerare: quin & molles, effæminati, rebusque gerendis inepti censentur, teste *Aristotele*. 1. Polit. qui ab omni prorsus ira abhorrent: Unde tritum illud:

Non

Non cadit in molles nobilis ira viros.

Eadem vulgo *cos fortitudinis* appellatur, cujus laudata in sanctis etiam viris exempla legimus: ut in *Jacobo*, *Mose*, *Elisæo*, *Davide* & aliis. Accedunt & hæ *rationes*: quia per iram homo mala odit & aversatur, sceleribusque infensus redditur: Unde *Basilius* ait, *debere iram rationi accubare tanquam canem pastori, quo increpet allatretq; vitium & vitiosos veluti lupos.*

Quia etiam per iram homo, ad obeunda munera, quæ excitatum requirunt animum, fit alacrior. Siquidem sanguinem attenuat spiritusque per totum corpus diffundit, & sic omnia membra vegetat viresque instaurat. Interim catholicum πάθος est ira. *Nullam transit ætatem*, inquit Seneca lib. 3. de ira, *nullum genus hominum excipit. Quædam gentes beneficio egestatis non novere luxuriam: quædam, quia exercitæ & vagæ, effugere pigritiam. Nulla gens est, quam non ira instiget, tam inter Græcos, quam barbaros potens.*

Et *Scaliger* lib. 8. Epidorp.

Irascitur & sapiens, & fortis & excors,
Et stultus, & insanus, & imbellis & audax:
Quis conveniens tot pedibus calceus hic est?

Sed pro contraria sententia excipitur:

(1) *Quod inimicum est rectæ rationi, id alienum esse à viro bono debet. Atqui ira inimica est rectæ rationi. Ergo aliena esse à viro bono debet.*

§. 12. Assumtio probatur: quia, *Gregorio teste, tranquillitatem mentis diverberat & dilaniatam quodammodo scissamq; perturbat. Sic & autore Cassiano, iracundiæ motus effervens oculum cordis excæcat. Iram esse furorem & insaniam, vel certe similem furori & insaniæ, magno consensu autores testantur, Seneca, Arnobius, Horatius, Themistius, Cicero, Macrobius, Clemens Alexandrinus* &c.

Resp. *Assumtio* negatur, de quavis ira: siquidem vera tantum est, de ea ira quæ rectam rationem & deliberationem antecedit; non vero de ea, quæ eandem sequitur, & ex justarum causarum consideratione tempestive oritur, nec non intra mediocritatis terminos se continet.

§. 13. (2) *Quod natum est in alterius interitum & excidium, id non cadit in virum bonum & virtuosum. Atqui ira est nata in alterius interitum & excidium, teste Seneca: Ergo ira non cadit in bonum & virtuosum virum.*

Propositio probatur *quia homo natus est ad alterius subsidium.*

Resp. *Propositio* est distinguenda: quod per se natum est in alterius

terius innocentis interitum & excidium, id non cadit in virum bonum & probum. Cum hac limitatione accepta *assumtio* negatur. Non loquitur *Seneca* nisi de ira immoderata rationis imperium detrectante. Ira moderata & rationis imperio subjecta in bonorum & innocentium virorum nata est subsidium & defensionem. Adversus nocentes justa & necessaria est ira: Siquidem Reipublicæ interest ut contra malos boni defendantur, &, pro ratione culparum, excidantur quoque mali: non contradicente mansuetudine: quæ ipsa quoque iram induit, ubi necesse est.

§. 14. (3) *In specie vero à viro forti alienam debere esse iram, multis probat Plutarchus in libello de ira coercenda: ubi docet, eos qui iræ æstu perciti ad arma ruunt, plerunque adverso Marte, infeliciter pugnare: quia furiosi impetus iræ nulla ratione nulloque judicio reguntur: Quæ & Scaligeri Sententia, Exercit.* 208.

Resp. Distinguenda est ira ab excessu & defectu iræ: excessus & defectus iræ à viro forti, & bellicoso potissimum, alienas esse debet: quia per *defectum* remissus & timidus fit: per *excessum* furiosus redditur, & cum ratione desinit agere. Interim ira carere non potest, ob *rationes* ante allegatas. Distinguendum quoque inter *iram* & *iracundiam*: quarum illa est affectus, hæc habitus: illa viri fortis comes esse potest &, in actu fortitudinis, debet: hæc exulare ab ipso debet.

§. 15. Quæritur (3) *An cum mansuetudine etiam vindicta possit consistere.*

Resp. Potest consistere, si intra justitiæ & æquitatis se limites contineat.

Est enim *duplex vindicta: divina* & *humana*: illam juste exercet Deus, nullo misericordiæ & bonitatis suæ damno. *Exempla* sunt *diluvium, conflagratio Sodomorum, submersio Pharaonis* &c. de quorum justitia nemo pius dubitet: ista est *publica* vel *privata. Publicam* exercet Magistratus legitime vocatus quæ justa est si ad leges potissimum divinas conformetur, exemplo *Mosis, Iosue*, aliorumque piorum ducum & Regum. *Privata* est vel *simpliciter* priuata, ut, cum quis furem nocturnum occidit, aut liberos, aut vitam contra vim latronis defendit. Vel *secundum quid privata*, ut cum Pater familias tanquam familiæ Rex, vindicat peccata domesticorum: utraque est licita per divinas & humanas leges.

§. 16. Objicitur.

(1) *Mansuetudinis est pœnam condonare: Ergo ejus non est culpam vindicare.*

Resp.

Resp. *Antecedens* simpliciter & absolute verum non est. Pœnam legibus denominatam mansuetudinis est mitigare potius, pro ratione circumstantiarum, quam plane condonare: etsi interdum etiam condonare potest, certis de causis: nisi culpa sit nimis atrox & scandalosa: vel citra limitationem ullam lex, præsertim divina, pœnam jubeat infligere. Contra divinam legem non dispensat mansuetudo vel clementia, sed impietas.

§. 17. (2) *Scriptura jubet diligere inimicos nostros & bene precari iis, qui nobis maledicunt, Matth. 5, v. 44. Jubet te cadenti in dextram maxillam ob vertere & alteram & malo non resistere: v. 37. 39. tunicam capienti dimittere & pallium 40.*

Ergo vindictam omnibus hominibus prohibet.

Resp. Negatur *consequentia*: Certe vindictam Magistratui, quem clementia decet, Deus in in verbo suo, non prohibet: sed præcipit, & hanc in rem gladio eum armavit: Rom. 13. v. 4. *Si feceris quod malum est, metue: non enim temere gladium gestat: nam Dei minister est ultor ad iram ei; qui, quod malum est, fecerit.* Itaque Magistratum tum non obligant allegata ex Matthæo verba: alias enim scriptura scripturæ contradiceret: neque subditos simpliciter & sine ullâ limitatione obligant: quia subditos iniqua patientes defendere contra improbos tenetur Magistratus. Igitur & opem ejus implorare contra vitæ famæ & facultatum suarum hostes licet subditis, adeoque vindicta iis simpliciter non est prohibita. Quid igitur prohibet, inquias, servator? Resp. *vindictam privatam*, ne de gloria Dei, nec de emendatione proximi solicitam Ipse Christus à servo pontificis in maxillam unam percussus non porrexit alteram, sed contra injuriam protestatus est: quia patientiam illam vidit nec divinæ inservire gloriæ, nec emendationi percussoris improbi. Cum *Augustino* olim objiceretur: *Religionem Christianam parum facere ad Rempublicam Romanam:* Respondit: *quòad animi præparationem oportere pios ita esse affectos, ut velint perferre omne genus injuriarum pro Christi nomine: modo videant id expedire ad honorem Dei & salutem proximorum; quod si non cedat ad gloriam Dei, & illi noxium sit, qui facit injuriam, non necesse ut perferatur.*

§. 18. Quæritur (4) *An simpliciter verum sit illud*: Vir magnus facile quidem irascitur, sed cito injuriæ obliviscitur?

Resp. *Distinguendum* est inter temperamenta: Nam qui temperamento sunt *bilioso*, hoc est, in quibus redundat bilis flava & subtilis, ii ad iram proclives sunt, & injuriæ cito obliviscuntur. *Melancholici* vero, in quibus flavæ bili melancholiæ multum est mistum,

mistum, tardiores ad iram sunt, iidemque & injuriarum tenaciores sunt.

§. 19. Quęr. (5) *An mansuetudo virtus destincta à clementia?*

Resp. *Specie* & *formaliter* à clementia non distinguitur: Quia & pœnam tam mansuetudo, quam clementia, moderatur: illa internum utriusque *objectum* est, hæc externum. Quod pro objecto, *pœnam* clementia habeat extra controversiam est: quod vero eandem & mansuetudo habet pro objecto, nonnulli negant, inter quos *Thomas:* nos affirmamus & probamus: Quia etiam privato in privatum jus pœnæ competit, ut hero in servum, patri in filium: pœnam vero dum moderatur privatus, dicitur mansuetus & facilis.

Quod iram quoque pro *objecto* clementia habeat, & commune cum mansuetudine, patet ex illo *Tullii*, 2. Rhetor. cap. 5. ubi clementia definitur *virtus, per quam animus temere concitatus in odium alicujus, benignitate retinetur:* quæ & mansuetudinis possit esse descriptio.

§. 20. Interim *clementia* distingui à *mansuetudine* solet per *subjectum:* Siquidem, mansuetudo privatis, clementia magistratui tribuitur: unde Principes clementes potius, quam mansuetos, appellamus, & ut in inferioribus mansuetudinem, sic in superioribus clementiam prædicamus. Ut igitur mansuetudo in privatis, sic clementia in Magistratu & superioribus iram & pœnam moderatur: adeoque formaliter non differunt. *Seneca* clementiam definit *lenitatem superioris adversus inferiorem:* Mansuetudo & lenitas cujuslibet erga quemlibet.

§. 21. Quæritur (6) *Quo ordine inter virtutes morales, secundum præstantiam æstimatas, collocanda sit mansuetudo?*

Resp. Controversiam, de pręstantia virtutum moralium, earumque comprobatione, prolixe tractat *Piccolomineus*, Grad. 4. cap. 47. 48. 49. 50. 51. ubi variæ Philosophorum recitantur, & explicantur ex parte quoque refutantur sententiæ. Omnibus autem ultro citroque pensitatis, de ordine & præstantia virtutum moralium ita pronunciat.

(1) *Diverso respectu singulas virtutes aliquo modo principatum obtinere.*

Magnanimitatem, ratione externæ materiæ, in qua versatur: quorum externorum bonorum optimum est *Honor;* circa quem eminentissime versatur, maximeque fulget magnanimitas: quam in rem alias quoque præsupponit virtutes

Fortitudinem, ratione ardui & difficilis, in quo refulget: quia circa ultimum omnium terribilium versatur.

Temperantiam, ratione necessitatis & fundamenti reliquarum virtutum.

Liberalitatem & *magnificentiam*, ratione affinitatis & similitudinis cum charitate, virtutum Theologicarum principe:

Mansuetudinem, ratione affinitatis cum humana conditione, quatenus homo à feris discernitur.

Colligitur hinc magnanimitatem *esse omnium virtutum eminentissimam:* fortitudinem *potentissimam:* magnificentiam *splendidissimam:* temperantiam *maxime necessariam*: mansuetudinem *homini accommodatissimam*: Justitiam *regiam & utilissimam*.

(2) *Eam absolute censendam esse optimam, cujus præstantissimæ sunt actiones: quæ virtutum finis sunt.* Unde hoc eas ordine collocat, ut prima sit *justitia*; secunda *fortitudo*; tertia *temperantia*; quarta *liberalitas*; quinta *mansuetudo*. Omnia hæc suo loco relinquimus: quia periculosus heic error non est.

§. 22. Quæritur (7) *Cur juvenes facilius ignoscant quam senes.*

Resp. (1) Quia temperamenti sunt calidi & humidi, adeoque per spirituum abundantiam sunt mobiliores & mutabiliores; unde tam facile iram ponunt quam sumunt: *Senes* contra sunt sicci & frigidiores minusque mobiles, & iram, ut non facile sumunt, ita nec ponunt.

(2) Quia minus sunt suspicaces quam *senes*, adeoque ad spem proniores, quam *senes*. Dum igitur meliora facilius sperant & præsumunt, facilius quoque ignoscunt, quam *senes*.

(3) Quia autoritatis suæ & existimationis tantam non habent rationem quantam *senes*: unde læsionem quoque minus ferunt graviter, ejusque memoriam minus retinent tenaciter.

(4) Quia judicii sunt imbecillioris, quam *senes*, propter defectum experientiæ & affectuum intemperiem.

§. 23. Objicitur: *Juvenes sunt scciores, quam senes: Ergo tenacius retinent memoriam injuriæ, quam juvenes, minusque sunt mobiles.*

Antecedens probatur: *quia sunt calidiores: Quo quid vero calidius, eo est siccius.*

Resp. *Antecedens* negatur: *Probatio* est inconsequens. Sunt enim *juvenes* temperamenti calidi & humidi: *senes* frigidi & sicci: Regula, *quo quid calidius, eo siccius:* vera tantum est de eo, quod per calorem est siccum: Atqui senum siccitas non est à calore.

Adver-

THESIS V.

Adversatur mansuetudini in defectu ἀοργησία, quæ iræ est vacuitas, qua quis, ne ob justas quidem causas irascitur: in excessu crudelitas, iracundia & rixandi libido.

Ἔκθεσις.

§. 1. Ἀοργησίαν in vitio esse Theologi & Philosophi judicant. Ex theologis *Bernhardus* est, cujus Epist. 69. hæc est sententia. *Dilectissime, irascere & noli peccare. Peccabis autem non minus nimis irascendo, quam omnino non irascendo: siquidem non irasci, ubi irascendum est, & nolle emendare peccatum, peccatum est*:

Ex *Peripateticorum* sententia, optimum est temperare iram, non tollere, eoque detracto, quod exundat, ad salutarem modum cogere: id vero retinere, sine quo langueret actio & vis & vigor animi resolveretur. Interim *Seneca* putat, quod modum sibi adhiberi patitur, desinere iram esse, & alio nomine appellandum esse.

Cui non assentimur.

Ἀοργησία latinis *lentitudo* appellatur, quod admodum noxium est vitium, cum *utilitati publicæ*, tum *illi ipsi*, qui obnoxius est ei. *Utilitati publicæ*: quia à lentitudine nec severæ proficiscuntur leges, nec legum executio justa: quæ duo sunt Reipublicæ fulcra. *Et ipsi*, qui huic obnoxius est vitio: Quia lenti pro fatuis habentur & omnibus contemtui sunt, tanquam servilia ingenia, quibus curæ non est fama & existimatio.

§. 2. *Iracundiæ species* ab Aristotele tres numerantur: ἀκροχολία, πικρότης & χαλεπότης. A κροχόλια excandescentia est, qua quis ob leves causas facile irascitur & subito rursus placatur: qualis in *Alexandro Magno* fuit, qui *Clytum* amicum ab assentandi studio alienum & *Philippi* Patris res gestas prædicantem, arrepto satellitis telo, in convivio trucidavit, illaque cæde exultavit: statim vero, cum deferbuisset ira, ita facti ipsum pœnituit, ut manus ipse sibi inferre voluerit: *Justin.* lib. 12. cap. 6.

Πικρότης amerulentia est, qua quis tarde quidem irascitur, sed conceptam semel iram diu fovet & ultionem meditatur:

Χαλεπότης crudelitas est, qua sævi homines intumescunt & non nisi

non nisi vindicta extraordinaria placantur. De ultione, quæ fluit ex amurulentia & crudelitate, *Syracides* loquitur cap. 28. v. 1. *Qui se ulciscitur, in eo Dominus ulciscitur.* De qua & illud *Pittaci* accipiendum: *Venia melior est vindicta; hæc enim belluini est ingenii, illa mansueti.*

§. 3. *Frenandam esse iram* multis argumentis docent *Plutarchus* & *Seneca* peculiaribus libris: quorum summa huc redit: quia affectus est;

(1) *Evidentissimus*, qui celari non potest, vel in brutis, vel in hominibus. lib. 1. cap. 1.

(2) *Violentissimus.* Alia enim vitia impellunt animos, ira præcipitat: *Seneca*, lib. 1. cap. 1. & 2. cap. 26. &c. cap. 1.

(3) Quia *teter* & *deformis*. Seneca, lib. 1. cap. 25. & 3. cap. 4.

(4) Quia *nocentissimus* est cum animo tum corpori. Est enim furor: morbosque corpori accersit periculosissimos: de quibus passim autores.

(5) Quia *plenus stultitiæ:* ut ostendit *Seneca* lib. 2. cap. 34.

(6) Quia *degener* & *ignobilis*, puerorum & muliercularum potius, quam virorum.

(7) Quia *alienus ab æquitate.* Seneca lib. 2. c. 27. 28.

(8) *Quia alienus est à communi hominum imbecillitate.* Seneca, lib. 3. cap. 6. & 2. cap. 21.

Etsi cum nullo mortalium lis temere miscenda & ubique declinanda contentio: tamen sex potissimum sunt hominum genera, quibus cum in contentionis arenam non est descendendum: Sunt ii;

(1) *Potentiores*, præcipue qui magistratus sunt. Unde *Siracides: non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius*: Et pulchre *Seneca* lib. 2 de ira, cap. 34. *cum pari*, inquit, *contendere, anceps est: cum inferiore, sordidum: cum superiore, furiosum.* Qui sumtuose perire vult, contra magistratum controversias alat.

(2) *Divites:* eodem monente *Siracide: Non contendas cum homine locuplete, ne forte contra te constituat litem tibi.* cap. 8. v. 2.

(3) *Garruli*: eodem autore: *Ne contendas cum homine verboso, ne aggeras ad ignem illius ligna* v. 4.

Contra verbosos noli contendere verbis: ait Cato.

(4) *Iracundi*: ibid. v. 19.

Quibus cum si contendas, oleum flammæ affundis.

(5) *Fatui*: Qui tanti non sunt faciendi, ut in certamen cum iis descendatur.

(6) *Uxor:* Quia *stilla continua sunt jurgia mulieris*: Proverb.

verb. 19. v. 13. *Et melior buccella cibi ficci, quicum est tranquillitas, quam domus plena mactatis animalibus in qua fit contentio.* Summa: *Honorificum est viro abstinere à lite: quisquis autem stultus est, immiscebit se*: Proverb. 20. v. 3. *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnia*: 2. Timoth. v. 25. *Malum hominem,* inquit Chrysostomus, *tacendo & locum dando melius vincis, quam respondendo: quia malitia non instruitur sermonibus, sed exoptatur.* Homil. 38. in Matth. *vincis, dum cedis,* inquit *Ambrosius.*

Quæritur (1.) *An iracundia magis sit contraria mansuetudini, quam lentitudo?*

Resp. *Affirmatur*: *Ratio* est: quia *mansuetus* ad iram est tardus eamque frænat: Quo nomine ad lentitudinem accedit propius, quæ iram plane fugit eamque frænare non habet necesse. Contra *iracundus* ad iram est præceps, eique frena laxat, unde à mansuetudine longius recedit, quam lentitudo. Accedit quod plura & graviora privatim sint damna ab iracundia, quam à lentitudine: Et citra controversiam, iracundus se ipsum lædit sæpius & gravius, quam lentus: qui ab omni abstinendo, ira valetudinem suam non affligit; quam iracundus sæpe & graviter affligit. Interim negari non potest, publica damna à Magistratus lentitudine esse plura & graviora, quam ab iracundia: Quia justitiæ vindicantis cursum plane remoratur lentitudo: non item iracundia: præstatque in vindicando quandoque modum excedere, quã prorsus non vindicare: quia illud delinquendi consuetudinem abolet, per pœnæ gravioris metum: hoc conservat, per spem impunitatis. Unde *Aristoteles*, lib. 7. Polit. cap. 7. ὀργὴν docet esse τῶν ἀρχόντων, hoc est, iram esse imperantium: & θυμὸν esse ἀρχικόν τι, iram esse *imperatorium* quid.

§. 5. Quæritur (2) *Cur mulieres maxime laborent vitio iracundiæ?*

Resp. Gemina reddi potest *ratio*: *una* ethica, *Plutarchi*: Quia animi impotentia & judicii imbecillitas in fæmina major est, quam in viro. Unde affectibus & perturbationibus imperare, easque temperare & moderari difficilius potest. Hoc enim judicii est exquisitioris & rationis magis confirmatæ. *Altera* magis Physica: quia corpore est laxiore magisque fluido fæmina, quam vir: unde leviter irritata & accensibilis facile & subito totum pervadit corpus & sanguinis circa cor fervorem excitat: veluti rariora ligna citius flammam concipere, quam densiora, experimur.

§. 6. Quæritur (3) *An excusari debeat, qui injuriam infert per iracundiam?*

Resp. *Negatur. Ratio* est.

(1) Si iracundia excusaret injuriam, plurima & gravissima delicta, præsertim homicidia, puniri non deberent: quæ sæpe ex ira perpetrantur. Atqui falsum consequens: *Interest enim reipublicæ ne maleficia maneant impunita:* L. ita vulneratus 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.

(2) Quia per iracundiam qui delinquit, sciens volensque delinquit: Unde est quod per calorem iracundiæ delinquentes excusari negent LL. ut l. si non convicii. 5. C. de injuriis. & L. lex Julia 7. §. vult. de L. Julia repetund.

(3) Quia frænare iracundiam tenetur quisque.

Interim mitigari solet pœna, quando *justus* dolor iracundiæ calorem excussit: quia *difficilimum justum dolorem temperare:* ut Papianus monet in l. si adulterium. 38. §. Imperator ff. ad. Jul. de adult.

§. 7. Objicitur.

(1) *Quæ ab irato dicta & facta sunt, perinde habentur, ac si ab insano profecta essent: Unde insanire dicimur, quando irascimur: quia ira est furor brevis, teste Horatio. Ergo excusari possunt & debent.* Ratio consequent. *Quia delicta per insaniam commissa excusantur.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: Etiamsi enim ira insaniæ similis est: tamen insania proprie dicta non est: non ita pugnat cum ratione, ut insania, quæ rationis usum prorsus excludit. Unde iratos, non insanos, leges obligant. Iratus novit se delinquere, insanus non novit:

§. 8. (2) *Quicquid calore iracundiæ fit vel dicitur, non prius ratum est, quam si ex perseverantia apparuit, judicium animi fuisse.* l. 48. *Quicquid calore:* ff. de R. J. *Ergo, excusabilia sunt delicta per iracundiam perpetrata, nisi postmodum approbentur.*

Resp. Negatur *Consequentia:* Quia lex non loquitur de delictis, sed de contractibus.

CAPUT

CAPUT XXIV.

De

HUMILITATE.

THESIS I.

HUMILITAS *est modestia, quâ nostra conscii infirmitatis nemini nos temere anteponimus.*

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM humilitatis sunt animi, corporis & fortunæ bona, quibus plerunque insolescunt mortales: quorum spiritus comprimere & ab aliorum contemtu arcere humilitatis est: ut è præceptis patebit pluribus.

§. 2. Humilitatis studium nobis commendant *rationes* & *exempla*.

Rationes sunt:

(1) Quia *non omnia eidem dedere Dii:* Livius. Non est igitur quod alios præ te superbe contemnas: Nam & tibi plurima deesse memineris.

(2) Quia nihil æque commendat in scripturis Spiritus Sanctus, quam humilitatem, ad quam insigni exemplo nobis præivit, ipse Dei Filius. Pertinet huc illud *Aristotelis* ad *Alexandrum: Humilitas vas est, quo dona Dei excipimus.*

(3) Quia *thesaurus est bonorum omnium: absque quo fieri nullo modo potest, ut homo vel bonus esse perseveret vel bonus omnino fuit: Manuel* Imperator: orat. 7. Imo per humilitatis gradum ascenditur ad celsitudinis fastigium. Unde *Augustinus. Si delectat celsitudo, humilitas ad eam gradus est. Cadere non vis, sed ascendere? A gradu incipe & ascendisti. Si cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.*

(4) Quia omnibus ornamentum humilitatis convenit: *Ea comite, continentia in admiratione est, & fides fit amabilior & justitia purgatior, & verior misericordiæ fructus &c.* Basil.

(5) Quia *splendor & gloria humilitatem comitatur, ut calamitas insolentiam:* Nazianzenus.

§. 3. (6) Quia omnia humana sunt fluxa, vel certe minuta; Non est igitur quod insolentem te reddat & superbum faciat:

1. *Ætas florida*. Flos enim iste, dum loquimur, arescit. Petrarch.

2. *Corporis forma:* Quia nihilo firmior est illa, quam tempus: cum eo veniens cum eodem fugit *Plutarch.* Princeps *Domitianus* ad amicum, *Scias*, inquit, *nec gratius quicquam decore, nec brevius: quamvis, etiamsi durabile perpetuumque naturæ donum esset, non intelligo quid tantopere habeat expetendum iste non solidus, nec in ipso homine nisi superficie tenus fulgens decor, multaque fœda & horrenda contegens.* Tempus veniet, quo te in speculo non agnoscas. Testes oculi dicent; *aut alius es aut tibi ipsi dissimilimus es.* Formam Nazianzenus appellat *χρόνου καὶ νόσου παίγνιον*, h. e. *Temporis & morbi ludibrium.* Socrates, *modici temporis tyrannidem.* Theophrastus, *tacitam deceptionem.* Theocritus *ἐλεφαντίνην ζημίαν*, h. e. *eburneum detrimentum.* Fastum ex corporis pulchritudine conceptum cogitatio variorum defectuum facile potest reprimere. Hinc *mulus lydus* suam in flumine contemplatus imaginem & pulchritudinem atque magnitudinem corporis admiratus, cum ferocire & equi in morem procurrere intenderet, mox recordatus asini se filium esse, inhibuit cursum ferociamque & spiritus repressit: *Plutarch.* De veterum sententia rara est formæ & pudicitiæ concordia: rara formæ & sapientiæ mixtura.

3. *Sapientia aut doctrina:* Nam si sapiens esses nunquam diceres: Sapiens enim, quantum sit, quod sibi desit, intelligit. Non gloriatur itaque sed suspirat. Primus ad stultitiam gradus est, *se sapientem credere*: proximus est, *se sapientem profiteri.* Vide *Drexel*, in Phaëth. orb. cap. 44.

4. *Divitiæ:* quia caducæ sunt & mobiles, non virtutis atque ingenii, sed fortunæ ac temporum munera: *Cicero.* Quid? quod *Stoico* Philosopho judice, omnes sunt divites, qui cœlo ac terra frui possunt. Quas vulgo appellant divitias, plurimos faciunt non divites, sed occupatos: non dominos, sed custodes & servos. Unde multo plures sunt, qui habentur à divitiis, quam qui eas habent. Plurimis non sunt dona, sed vincula & compedes, nec tam ornamenta corporis, quam impedimenta animi, & solitudinum atque formidinum acervi.

5. *Honores:* Namque

Ima permutat brevis hora summis:
Quem dies vidit rediens superbum
Hunc dies vidit veniens jacentem. Seneca.

6. *Regna.* Etenim

Quicunque regno fidit & magna potens

Domina-

Dominatur aula, nec leves metuit Deos
Animumque rebus credulum latis dedit,
Me videat, (inquit Hecuba) *& te Troja: Non-*
unquam tulit
Documenta fors majora, quam fragili loco
Starent superbi.

7. *Slpendor generis* & *nobilitas*. Quia nobilitas sine propria virtute, aut virtutis spe, dedecori est. Vere nobilis est, qui strenue agendo nobilitatem peperit, non qui nascendo tantum accepit.

Nam & majores, ad quos provocari vulgo solet, nisi aliquid laude dignum fecissent, nobiles nunquam fuissent. Itaque veræ nobilitatis laudem nisi de proprio sumseris, ab alio non expectes. Neque virtus cum genere conjuncta justam superbiendi causam præbet: quia veræ virtutis fundamentum est humilitas: neque tanta est ulla claritas, quam non obscuret elatio: tanta nullius sublimitas, quam non præcipitem agat superbia.

(7) Quia superbiæ molitiones pestiferæ & exitus tristissimi sunt. *Molitiones* sunt bella & dominandi libido. Hæc *Alexandrum* in *Asiam*, *Xerxen* in *Graciam*, *Cyrum* in *Ioniam* expulit: *Lacedæmonios* cum *Atheniensibus Athenienses*, cum *Corinthiis*, *Carthaginenses* cum *Romanis* collisit & commisit. *Exitus* tristes & ignominiosos videmus in *Herode*, qui cum Deum se proclamari passus esset, à vermibus erosus exspiravit: In *Caligula*, *Domitiano*, *Heliogabalo*, qui quod divinos sibi honores sumsissent, crudelissime sunt trucidati: Denique in *Xerxe*, qui cum æterna ignominia fugam piscatoria scapha paravit.

§. 4. *Exempla* humilitatis insignia sunt:

Philippus Macedo puerum aluit, qui singulis diebus ter ei occineret, *ut se hominem esse recordaretur*, ne nimium se extolleret. *Agathocles*, Rex *Siciliæ*, patre figulo natus, inter aurea & argenta pocula semper figulina miscuit, ut hisce admonitus, extra humilitatis septa ne erumperet. De quo *Ausonius*:

Fama est fictilibus canasse Agathoclea Regem &c.

Cui hanc tandem subjicit παιδείαν.

Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Trajanus cum reprehenderetur, quod immemor majestatis nimis familiariter cum subditis ageret, respondit: *Talem me imperatorem præstabo privatis, qualem privatus mihi ipsi optarem.* Humilitas quoque Philosophi nomen induxit, quod primus omnium *Pythagoras* usurpavit, qui non σοφὸς, hoc est sapiens, sed φιλόσοφος, hoc est sapientiæ studiosus appellari voluit; quod sapientem

 pientem

pientem non nisi Deum esse crederet. *Laertius* in vita ejus.

Observandum, quod idem tradit *Laertius* in *Thalete*. Adolescentes Ionii, jactu retis à piscatoribus Milesiis emto tripodem æneum cum cæpissent & oborta lite, sapientissimo dare ab oraculo juberentur, *Thaleti* eum misere, qui *Bianti* cessit, *Bias Pithagora*, is protinus aliis; donec per septem sapientum orbem ultimo ad *Solonem* pervenisset: qui amplissimæ sapientiæ & titulum & præmium ad Apollinem transtulit, quod absolute σοφὸς nemo nisi Apollo esset.

Humilibus accenseri quoque volunt *Pontifices Romani*: Unde *servorum* se *servos* appellant. Interim quam hæc sincera sit humilitas, Mundus novit. Patiuntur se appellari *DEOS omnipotentes*, sibique vendicant *cœli & inferni claves*. Dominium exercent in summos dominos, Imperatores & Reges, quos ad pedum suorum admitunt oscula: neque, pedibus insultare iis, olim religioni sibi duxerunt. Unde humiles rectius dixeris Imperatores & Reges, quam pontifices Romanos. Nota est constitutio *Bonifacii* VIII. qua *Romano Pontifici* uterque gladius & imperium in Reges orbis terrarum adscribitur. *decret. Georg.* lib. 1. tit. de Majorit.

§. 5. *Præcepta* de humilitate observentur duo sequentia.

(1) Ut ne nimium tibi tribuas, quam multo tibi desint, cogita: Semper autem hominem te esse cogita: Unde *Curtius* lib. 8 *Si homo es, id quod es, semper te esse cogita;* quid vero homo? Respondet *Aristoteles* apud *Stobæum* Serm. 98. *Imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusus, inconstantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliquum pituita & bilis.* breviter *Solon.* apud *Herodot. Totus homo nil nisi calamitas est.*

(2) Ut ne contemnas inferiores, quam variæ & lubricæ sint fortunæ vices, tecum expende. Elegantibus eas versiculis inculcat nobis *Seneca*, in Thyeste.

Ima permutat levis hora summis,
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem:
Nemo confidat nimium secundis
Nemo desperet meliora lapsus.
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam; Rotat omne fatum.
Nemo tam Divos habuit faventes
Crastinum ut possit sibi polliceri.
Res DEUS nostras celeri rotatas
Turbine vertit.

Et in Troad: *Que-*

Quoque fortuna altius
Evexit atque levavit humanas opes;
Hos se magis supprimere felicem decet.

Notum illud Pauli.

Quid habes, ô homo, quod non acceoisti? Si vero accepisti, quid gloriaris?

§. 6. Quæritur (1) *An per humilitatem etiam liceat honores appetere?*

Resp. Licet, si appetitus sit moderatus & honor conditione ac virtute appentis non major; Probamus hoc sequentibus *argumentis.*

(1) Quia honor aliud nihil est, nisi fama bona: Atqui famam bonam cuivis bono licet appetere.

(2) Quia ipse DEUS præcepit honorem in Præcepto quinto.

(3) Quia honor est virtutis præmium: Atqui meriti præmium petere nemini vertitur vitio.

Pulchre & concise casus: *Honorem ut magistratum licet appetere, si absit ambitio: Si prioris status nostri habeatur consideratio si Reipubl. solius causa fiat petitio.*

§: 7. In contrariam sententiam militant hæc *argumenta:*

(1) Honor est bonum fragile *& inconstans. E. non debet appeti.*

Resp. 1. Ad *Antecedens* per negationem. Non adeo fragilis & inconstans est honos, quia etiam post funera bonorum superstes manet.

Unde illud Virgilii Æneid: 1.

In freta dum fluvii current, dum montibus umbra
Lustrabunt, convexa polus dum sidera pascet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

1. *Consequentia* quoque nulla est: Nam & fragilia multa sine vitio possunt appeti.

§. 8. 2. *Non licet appetere ut magni fias ab aliis: Ergo nec honores licet appetere.* Ratio consequentiæ: *quia appetere honores est cupere aliis magni fieri.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est, nisi quis se expetat magnifieri, præter & supra sua merita, & nisi impotenter ac insolenter expetat. 2. *Consequentia* ratio non est satis firma; quia honores appetere proprie & primario non est petere ut manifias, sed ut pro meritis legitimis offeratur debitum. Quæstionem hanc plenius tractatam vide cap. 32. de *observantia.*

§. 9. Quæritur (2) *An homo per humilitatem omnibus se debeat subjicere?*

Resp. Quæstionem ita informat *Thomas.* Est autem *subjicere se alteri,*

tici respondit per servulum, *ut dies septem exspectaret.* Tandem tamen ultus est fastum hunc *Tiberius.* Cum enim Romæ pro foribus adstaret salutandi Imperatoris causa *Diogenes :* hoc ab Imperatore accepit responsi, *ut post septem annos rediret.* Idem *Tiberius* cum *Grammaticis* familiariter conversari solitus est. *Platoni* in *Siciliam* venienti *Dionysius* tyrannus vittatam navem misit obviam, & egredientem in littore quadrigis albis excepit: quin & in currum imposuit & ipse aurigam egit, testibus *Plutarcho* & *Plinio. Alexander* M. quasi cohortes doctissimorum virorum secum duxit, & pro dignitate liberalissime eos habuit. *Ptolomeus Philadelphus* rex *Ægypti* cum LXXII Bibliorum interpretes seniores a summo *Iudæorum* Pontifice impetrasset, iique *Alexandriam* venissent, illico ad proximos quinque dies demissis potentissimorum regum, maximarumque Rerumpublicarum legatis, ad se seniores illos honorifice produci jussit, & præ nimio gaudio in lacrymas prorumpens, venerandos viros osculatus est, singulisque in *Pharo* insula peculiarem ædiculam curavit exstrui. *Pompejus Magnus Possidonium Stoicum* philosophum ægrotantem invisit, ejusque domum ingressurus fores pulsari vetuit: contra morem apud *Romanos* observatum: ubi cum lictores jussu consulis aliquem è domo evocarent, fores ædium virga percutere sunt soliti: quo signo publicam adesse personam innotescebat. Ita *Pompejus* coram Philosopho fasces submisit, quibus se totus *Oriens* submiserat, testibus *Strabone* & *Plinio.* Caj. Jul. Cæsar frequentare Aristonis januam solitus est.

Augustus Cæsar in publicis auditoriis frequentissimus fuit, sive carmina & historiæ, sive orationes & dialogi recitarentur. *Alexander Severus* literatos consiliis suis semper interesse voluit. In maximo pretio literatos habuit *Constantinus Magnus*, *Andronicus Comnenus* prope solium suum eruditos collocavit & frequentibus fovit muneribus. In hunc quoque merito referuntur censum *Carolus M. Carolus IV. Sigismundus* Imperator, & *Alphonsus Aragonum & Siciliæ* Rex, ut recentiores taceam. Quamvis hac nostra tempestate pene in desuetudinem abierit laudatissima illa consuetudo. Quotus quisque Magnatum ad Philosophorum descendit subsellia & de humilitatis laude cum priscis monarchis certat! in tanta tamen paucitate de illustri hoc favore gratulari sibi merito potest illustris hæc schola *Anhaltina*, quę illustrissimos Mecęnates suos & oratores & auditores vidit & audivit.

§. 11. (2) *Si, qui superiores sunt, inferioribus per humilitatem se subjicerent, contra veritatem facerent. Atqui contra veritatem nihil faciendum: Et in specie humilitas, teste Augustino, collo-*

no, collocanda in parte veritatis, non in parte falsitatis. Ergo superiores per humilitatem inferioribus se non debent subjicere.

Connexum prob. *Quia superiores inferioribus se subjiciendo inferiores se fingerent: Siquidem non nisi inferiori nos subjicimus.*

Resp. *Connexum* negatur. *Ratio* falsa est. Qui enim certo respectu superiores sunt, alio respectu inferiores sine fictione & mendacio, se possunt agnoscere: ita ut superiores certo respectu inferiores, & inferiores superiores vere possint esse. Veluti principes nonnulli, respectu certarum virtutum & prærogativarum, subditis suis sunt inferiores, nempe respectu eruditionis, pietatis, probitatis, prudentiæ &c. quibus tamen, qua magistratus sunt, superiores & eminentiores esse non desinunt. Observetur illud *Augustini*, de virginit. cap. 52. *Existimate aliquos in occulto superiores quibus estis in manifesto meliores.*

§. 12. Quæritur (3) *Qui gradus sint humilitatis?*

Resp. A. B. *Benedicto* duodecim humilitatis gradus nominantur & numerantur.

(1) Ut homo, defixis in terram oculis, animi demissionem præ se ferat.

(2) Ut pauca verba, eaque cum ratione & sine clamore loquatur.

(3) Ut ne facile in risum prorumpat.

(4) Ut sit taciturnus, & non facile nisi interrogatus loquatur.

(5) Ut si sit Monachus, studiose servet, quæ habet communis monasterii regula.

(6) Ut in se considerans proprios defectus, & similes defectus in aliis non cernens, sese credat & profiteatur ex ista parte omnibus aliis esse viliorem.

(7) Ut in se, quod ex se habeat, considerando, se omni honore indignum & ad omnem honorificam functionem inutilem aperte fateatur.

(8) Ut sua peccata ingenue confiteatur.

(9) Ut obediendi animo in asperis & duris patientiam amplectatur.

(10) Ut cum demissione animi se suo superiori subjiciat eique obtemperet.

(11) Ut voluntati propriæ inservire vel obsequi non quærat.

(12) Ut Deum timeat, ejusque præcepta perpetuo, quantum per humanam imbecillitatem licet, ante oculos mentis obversantia habeat.

Anshelmus

Anshelmus septem humilitatis gradus numerat:

(1) Se contemtibilem esse cognoscere:

(2) De hoc dolere:

(3) Hoc confiteri.

(4) Hoc, ut credatur, aliis persuadere.

(5) Hoc dici patienter ferre.

(6) Pati se contemtibiliter tractari.

(7) Hoc amare.

Inter gradus à *Benedicto* assignatos sunt nonnulli, qui humilitatis *theologica* potius quam *politica* sunt: plerique tamen isti gradus liberalium artium & inprimis *Theologia* studiosos decent. Quæ excipi contra gradus illos possunt, à *Thoma* dissolvuntur, 2. 2æ. q. 161. art. 6. Quotus vero quisque hodie humilitatem tam sincere colit & ingenue profitetur!

II.

Humilitati adversatur superbia.

Ἔκθεσις.

§. 1. SVperbia est vel in *corporis habitu*, cum quis supra sortem suam se vestit: vel in *gestu*, potissimum vero *incessu*: vel in *sermone*, cum quis alium & sibi non naturalem affectat sermonem, vel cum virtutes, merita, divitias & similiter insolenter prædicat, vel denique in *animo* cum quis seipsum admiratur, sibique plura quam aliis, vel paribus vel majoribus tribuit. De superbia ita sentit *Augustinus*: *Humilitas homines sanctis Angelis similes facit: Et superbia ex Angelis Dæmones facit, & ut evidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, & finis, & causa: Quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit majus esse superbia.*

Pulchra est *Hugonis* sententia: *Quatuor sunt, quæ trahunt elationis currum: Amor dominandi, amor propriæ laudis, contemtus & inobedientia. Rotæ vero sunt; jactantia mentis & arrogantia: verbositas & levitas. Auriga in hoc curru est spiritus superbiæ. Amatores mundi sunt qui feruntur in hoc curru. Infrenes sunt equi, volubiles rotæ, auriga perversus, &, qui portatur, infirmus.*

Oritur superbia ex inconsiderato & nimio sui amore qui potissimum cadit in stupidos, rudes, stultos & præcipites, unde illud: *omnis stultus est superbus, & omnis superbus stultus.*

Habent quoq; comitem superbiam *res secundæ* ex animi sententia fluentes. Unde *Plautus* in Sticho. *Secundas fortunas decent superbia:*

superbia: Et *Cicero* in Lælio: *Non solum ipsa fortuna cæca est, sed eos etiam plerunque efficit cæcos, quos complexa est. Itaque illi efferuntur fastidio & contumacia, nec quidquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest.*

§. 2. Cavenda & fugienda modis omnibus superbia, ob *rationes* & *exempla*.

Rationes sunt:

(1) Quia Deus arrogantiam & superbiam detestatur, Proverb. 8. v. 13. & cap. 16. v. 5. *Superbis Deus resistit.* 1. Pet. 5. v. 5. Hinc *Chilo* interrogatus, *quid Jupiter ageret*: *Excelsa*, inquit, *humiliat & humilia tollit*. Et *Seneca*:

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Apud *Herodotum Artabanus* ad *Xerxem*: *Gaudet Deus eminentissima quæque deprimere.*

(2) Quia *effectus* ejus sunt pessimi: de quibus Hugo lib. 2. de an. *cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut luxuria pudicitiam: ira patientiam: sola vero superbia contra cunctas animi virtutes se erigit & quasi generalis & pestifer morbus omnes corrumpit.*

(3) Quia adjuncta ejus sunt impudentia, injustitia, stultitia, odium bonorum, de quibus passim Autores.

§. 3. *Exempla* in historiis occurrunt plurima, exitu tristia. In urbe *Capua* olim superbiæ domicilium fuisse, scribit *Cicero*, in orat. post redit.

Apryes Ægyptiorum Rex neminem Deorum aut hominum sibi regnum eripere posse existimavit: Tandem vero ab *Amasi* captus & à suis strangulatus erat. *Herodot.* lib. 1.

Inter gloriabundos Gigantes fuit Rex *Nabuchdonosor. Nonne*, inquit, *hæc est Babylon, civitas magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ & gloria decoris mei!* Daniel 4. v. 30. tristissimus exitus describitur, v. 31. 32. In hunc censum referendus quoque *Herodes Agrippa*, qui pro tribunali cum concionaretur & Tyriorum atque Sidoniorum acclamationem; *vox Dei & non hominis*, lubens admitteret, ab Angelo Domini percussus & à vermibus erosus atque exanimatus est: Actor. 12. v. 21. &c. vide *Eusebium* quoque hist. Eccl. l. 2. c. 10. *Xerxes* mari verbera & carceres minatus, miserrima fuga non ita longe post pene solus ex hostium manibus est elapsus.

Cyrus in expeditione *Babylonica* maximum flumen *Gangem* in 260. alveos divisit, quod eques Persa in eo cum equo absorptus esset; & ita se amnem diminuturum minatus est, ut prægnans

etiam

etiam fæmina fine labore eum trajectura esset: propterea quod equiti suo se pervium facere noluerit. *Ptolomæus* Ægypti rex secundus perpetuo se victurum opinatus à se uno immortalitatem inventam gloriabatur: mox autem podagra infestante Ægyptios ad fluvium incuriosius discumbentes intuitus, *ô me miserum*, inquit, *ex iis saltem unus qui non fuerim. Cœlius* A. L. lib. 22. cap. 20.

Mundo quoq; innotuit fastus *Pontificum Romanorum*. Historiæ veterum quorundam Philosophorum & Sophistarum perstringunt fastum. *Empedocles* cum *Panthiam Agrigentinum* gravi morbo liberasset, & propterea se pro Numine coli animadvertisset, *Ætnam* insiluit, ut plane Deus videretur de quo *Horatius* in act.

- - Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem fervidus Ætnam
Insiluit.

Gorgias Leontinus in maximo Græcorum conventu omnes provocavit, ut, quicquid vellet quisque audire, quæreret. Idem in ludis *Olympicis Hippias* quoque fecit, & post eum omnes propemodum *Sophistæ*, teste *Platone* & *Ludovico Vive*. Superiori seculo in aula *Caroli* V. *Bruxellis* gloriosulus quidam ad aulæ valvas chartam affixit, qua in literarium certamen omnes provocavit & responsurum se promisit ad omnem cujuscunque juris quæstionem, vel quicquid demum in quacunque humanæ literaturæ scientia proponeretur. Erat dum in aula *Thomas Morus*, regis *Angliæ* legatus, qui audacissimam repressurus jactantiam hanc è jure *Britannico* quæstionem proposuit. *Utrum animalia capta in Withernamia sint irreplegibilia?* Addidit: in familia Legati Anglici esse, qui ea de re disputare cupit.

Hæsit jactatori aqua & non titubavit tantum sed & obmutuit lingua ostentatrix. Miser enim nec verba quidem, nedum quæstionem, intellexit: & tandem omnium risu & sibilis exceptus se subduxit.

Intolerabilis fuit *Menecratis* Medici fastus: Hic cum desperatos quosdam valetudini restituisset, se *Jovem* appellavit in literis ad *Philippum*, Macedoniæ Regem, scriptis in hæc verba.

Menecrates Jupiter Philippo Salut.

Tu quidem Macedoniæ Rex es. Ego artis medendi. Tu potes, quando libet, interficere: Ego vero ægrotantes & sanos usque ad senectutem sine ægritudine servare, si mihi paruerint. Tu Macedonibus stipatus incedis: At ego omnibus, vel posteris. Siquidem ego Jupiter vitam illis præbeo.

Huic Philipus rescripsit

Philippus Menecrati sanitatem.

Consulo ut Anticyras te conferas. Innuens hominem esse insanum. Ath. lib. 7. cap. 13. *Ælian.* lib. 12. Neque tolerabilior est religiosorum, quos ita vocamus, insolentia & fastus: adversus quem recte aliis religiosior Iesuita *Drexelius: Etsi quis mille annis* inquit, *accurate Deo servierit; ubi se ipsum commendare, & virtutes suas, velut merces, proponere inceperit, omnem prioris obsequii gratiam corrumpit.* In Phaeth. cap. 43.

§. 4. Cum autem superbia per corporis ornatum & vestitum, prodere quoque soleat, ita ut *Augustus Cæsar* insigniorem corporis cultum & amictum plus æquo nitidiorem *superbiæ vexillum & luxuriæ nidum* vocaverit, teste *Suetonio*, de excessu hoc humilitati adverso paucula quoque sunt attingenda. Pretiosam & incredibilem varietatem vestium excogitavit superbia. Hinc videas in aulis potissimum, quorum exemplum Christus allegavit, Matt. 11. v. 8. nitere vestes *Attalicas, pictas, palmatas, cycladatas, polymitas, Phrygias, undantes, segmentatas fimbriatas, paragaudas, rasiles, conchiliatas, surculatas, auro virgatas sericas, subsericas, holosericas, byssinas, bombycinas, Cymatiles, prasinas, ruseas, xerampelinas, calculas, crocotulas, carbasinas* &c. neq; proh dolor, in aulis tantum; sed & in nobilium & civiũ multorum ædibus, neque divitum tantum, sed & pauperculorum quorundam. Adeo pestis hæc grassatur in omnes mortalium ordines. Habet insignia & quasi vexilla sua hæc superbia in omnibus corporis partibus peculiaria, in capite, in auribus, in collo, in pectore, in brachiis, in manuum digitis: in cruribus, in pedibus & pedum digitis &c. Nondum sunt deleti ex humano genere *Sybaritæ*, qui ad convivia fœminas anno ante invitabant, ne quid corporis cultui parando deesset temporis: velut & *Persici* reges fœminam non admittebant, nisi per annum prius totam comptam, politam, pumicatam, delibutam, exornatam. Vere ut *Comicus* dixerit *dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Ut olim, sic & hodie modum nescit luxus & fastus fœminini sexus; qui auro gemmis & unionibus fere opprimitur. Quamvis, proh dolor, in fœminas quoque viri modo abeant. Vide quæso contra insaniam hanc detonantem *Chrysostomum*, homil. 50. in cap. 14. Matth. & gravissime disserentem *Drexelium*, *Trismegisti* lib. 3. cap. 5. *Ego*, inquit Chrysostomus, *sic arbitror, Romanorum nunquam Imperatorem fuisse, qui se tantum propter tropæa sua jactaret, quantum luxu perditi adolescentes ob calceorum ornatum, ob vestes*

scite

ſtite conſtrictas, ob cæſariem in modum pilæ tonſoris opere circumductam. Sed gravius tonantem eundem audiamus. *Qui gloriam ſerici, qui florem coloris qui ad aureos intextus curioſe perſpicit; quando in cœlum ſuſpiciet, quando illam pulchritudinem admirabitur, qui tincturas iſtas reſpiciens & ad terram flexus altius ſe non poteſt erigere? Et Deus quidem cœlum extendit, ac ſolem accendit, ut oculos tuos ſurſum erigat: Tu vero ad terrena, quaſi porcus, diaboli artibus perſuaſus devolveris. Hæc enim omnia ille excogitavit, ut illa tu beatitudine privatus, ad hæc miſerrima detrudaris, ita Deus, qui cælum tibi offert, à diabolo ſerica tibi licia offerente ſuperatur.*

Imo vero nec iſta offert diabolus, opera enim hæc etiam Dei ſunt, ſed mollitiem, luxum atque maleficas artes, quibus oppreſſi adoleſcentes adſpicere terram coguntur, qui Cœlorum philoſophiæ ſtudere juſſi ſunt, magis calceis ſuis gloriantur, quam ſi novas res atque inauditas geſſiſſent. Digitis enim pedum ſublevatis deambulant in plateis, nimio plerunque inde mœrore confecti, ne cœno in hyeme, aut pulvere in æſtate calcei ſui maculentur.

Ecce! rem novam non moliuntur ſeculi hujus noſtri adoleſcentes nonnulli ſtulti, qui corpora per naturam recta modo incurvant, inflexis ac greſſus ſingulos cervicibus, non tam de cœlo, quam de harmonico pedum motu ſoliciti & ad lutum abjecti. Tantum non cum conditore ſuo expoſtulant infelices illi, qui

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit & erectos ad ſidera tollere vultus.

Omnes alias nationes inſolentia veſtium ſuperat *Germanica:* De vetere *Roma Leo* Pontifex, *Hæc civitas*, inquit, *ignorans ſuæ provectionis autorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus & magnam ſibi videbatur aſſumſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.* Idem de *Germania* verè poſſis dicere: quæ cum ſuos in omnium nationum terras emittat, omnium nationum ritus recipit, & magnum ſibi videtur adſciſcere ornamentum, ſi nullum reſpuat peregrinum habitum. Vis videre veſtitu *Gallos*, *Italos*, *Hiſpanos*, *Anglos*, *Polonos*; tantum *Germaniam* luſtra, & videbis. Quicquid levitatis & vanitatis circa veſtitum aliæ comminiſcuntur nationes, avidiſſimo arripit Germania & ita totius ſe mundi fæcibus inquinat. Annus vix ullus elabitur, quin novæ *almoditatis* ſpecimen exhibeat *Germania*, idque non ſuo excogitatum ingenio, cui diffidit, ſed à peregrino ſubminiſtratum

ſtratum faſtu. Pileus jam faſtigiatus caput circumtegit, jam acuminatus placet, jam in rotunditatem planus, jam cum ſpira, jam ſine Spira eleganter habetur, *Pallium* modo ſimplex, modo alatum eſt. Jurares; inquit Drexelius, *veſpertilionis exuvias* eſſe. *Thoracis* patriam qui facile inveſtigaverit? quem modo ex *Gallia*, modo ex *Italia*, modo ex *Hiſpania* petimus, jam diſſectum, jam inſtitis obductum, jam ad imum uſque ventrem productum, jam ad pectoris ſummitatem contractum gerimus. Caligarum quam ſtulta & ridicula varietas! Nunc ad genua, nunc ſupra genua, nunc infra clauduntur: Nunc laxæ, nunc adſtrictæ ſunt & ita preſſe poſterioribus hærent muſculis, ut exactam eorum figuram exhibeant, anteriora etiam ægre tegant: quo monſtroſo habitu jam pridem Satan deformavit *Sueviam*. Si ex villoſo caligæ hujuſmodi panno conficerentur, non jam homines, ſed hirſutos Satyros, Faunos & Sylvanos videres, præſertim ſi Suevis uſitati accederent *Priapi*, qui ſoli adhuc reliquis deſunt *Germanis*. Caligulæ breves nuper erant, jam à genibus ad ſummum uſque thoro pectus excurrunt, brevi, ut opinor, ad humeros excurſuræ & thoracem excluſuræ: eædem jam volitant & genibus illudunt, jam in globum aptantur: jam follicant, jam craſſa farctura intumeſcunt. Jam ad imos uſque pedes deſcendunt: quas ut ante centum fere annos ſubditis ſuis exoſas redderet laudatiſſimus princeps Wirtenbergicus, *Chriſtophorus*, ita porro carnificem veſtiri & omnes obire vicos voluit. Quis omnes enumeret ineptias? Olim ligularum erat uſus caligas thoraci nectere: nunc numeroſa earum agmina totis caligis ſparſa, & ad ſuras uſque promiſſa puerilem & ridiculam concinnitatem exhibent. In *collaribus* quam varia ſe prodit vanitas? cum luna ſe mutant, & ſingulis fere menſibus nova ſurgunt. Jam denſa videas, & multo ſindonis volumine impedita, jam è ſimplici tela collo affuſa, jam in orbem, jam in quadrangulum diſpoſita, jam contracta, jam per humeros explicata, tergum veſtientia & mantilium inſtar cervicibus circumpoſita. Taceo ad ſpeculi examen vibratos capillos; cirros, cincinnos; quibus materiem præbent, non tantum quos ſuum cuique caput fundit, ſed & quos raſa cadaverum ſubminiſtrant capita; quia vario picti fuco viventibus aptantur, & vel calvitiem, vel canitiem vel ſcabiem, vel minus gratos colores alios tegunt. Quamvis non nova ſit ſuperba illa & ſtolida capillorum cura. Jam enim *Seneca* Seculo multæ apud tonſorem tranſmiſſæ ſunt horæ, dum decerptum, quod proxima nocte ſuccrevit, dum de ſingulis capillis in conſilium itum, dum vel disjecta coma reſtituta,

restituta, vel deficiens hinc inde in frontem compulsa. *Quomodo*, inquit, *irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuit! quomodo excandescunt, si quid ex juba sua decisum est, si quid extraordinem jacuit, nisi omnia sua in annulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit rempublicam suam turbari, quam comam? Qui non solicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? Qui non comtior esse malit, quam honestior:* De brevit. vitæ, cap. 12. Taceo denique fucos, unguenta & odores. Testis est *Antiphanes* feminas olim Crocodili excrementis faciem poliisse. *Poppæa, Domitii Neronis* conjux, quingentas secum per omnia traxit fœtas asinas, quarum lacte corpus maceravit. Ajunt enim hoc lacte cutem reddi nitidam & teneram, faciemque erugari: Has ne in exilio quidem à se dimisit: quod ab aliis quoque fœminis Romanis factitatum *Plinius* meminit. Caji principis uxor, *Lollia Paulina* in mediocrium etiam sponsalium cœna muliebrem gestavit mundum è margaritis & unionibus 1000000. Philippicorum. Unde *Seneca, video*, inquit, *uniones non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt: junguntur inter se & insuper aliis boni superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis perpendissent. Nero* eandem vestem pretiosam non nisi semel induit. Olim *Persarum* & *Syrorum* reges uxoribus suis, quas plures habuerunt, civitates attribuerunt hoc modo. *Hæc civitas mulieri in redimiculum præbeat: hæc in collum: hæc in crines.* Quomodo populos habuerunt universos non tantum conscios suæ libidinis & fastus, sed etiam ministros *Cicero* 3. Verr.

Dissuadent hanc in nimio corporis cultu occupatam superbiam. (1) corporis humani consideratio. (2) Dei & sanctorum præcepta (3) Prisci nostrique ævi leges. (4) Principum virorum exempla. (5) Maxima, quæ eam comitantur & sequuntur, mala. De singulis paucula.

Corpus hominis, quod tam superbo, laborioso & sumtuoso exornatur cultu, de sapientum sententia, quid quæso est?

Sepulchrum est. Hinc quod Græcis σῶμα dicitur, σῆμα vocavit *Plato*, hoc est sepulchrum, quasi animus in corpore sepultus delitescat. Sepulchrum quid est nisi popina vermium, taberna serpentum, hospitium bufonum, sordium sentina, mephitim undique exhalans. Itane vero excoli & pingi tam superbe, laboriose & sumtuose rem tam fœdam par est?

Carcer est, quo veluti captiva continetur & torquetur anima, duris ligata vinculis: neque fere mitius tractatur, quam Jo-

ſeph in lacu, Jeremias in fovea, Daniel in Leonum ſpecu, Petrus in cuſtodia militari. Hinc corporeis exſolvi vinculis tanto deſiderio optavit Apoſtolus. Quis vero carcerem, quis vincula ſibi exoptet deaurata? Non definit eſſe mala manſio carcer etiam ex puro auro meriſve unionibus aut gemmis conſtructus.

Piſtrinum eſt, in quod ad ærumnas perpetuas damnatæ ſunt animæ.

Infernus, Tartarus, Acheron Phlegethon Cocytus & Styx eſt. Nihil aliud eſſe inferos, quam corpus, priſci Philoſophi crediderunt, teſte *Macrobio*, lib. 1. In ſomn. Scipion. cap. 10. 11. 12. ubi quæ de fluminibus infernalibus olim fabulati ſunt poëtæ, ad corpus humanum omnia referuntur. Vide quoque *Cœlium*, Lect. Antiq. lib. 3. cap. 9. Ubi in corporis laudes ita ſtylum ſtringit, ſuaque ei pigmenta conquirit. *In primis, inquit, quam circumfers veſtem* (corpus intelligit) *exuere oportet indumentum, inſcitia pravitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, vivam mortem, ſenſivum cadaver, ſepulchrum circumvertile, domeſticum furem: qui, dum blanditur, odit; dum odit invidet; umbraculum enim inimicum ad ſeipſum raptans deorſum, ne forte conſpicias veritatis decorem & ejus oderis pravitatem.*

Quis in hoſtis ſui ornatum & culturam ſuas impendat opes, quas domeſticis ſuis & pauperibus alendis debet, de quibus Deo tandem rationes reddendas noverit, rigido judici? Quantus vero noſter ſit hoſtis corpus noſtrum, copioſe docentem vide *Drexelium, Triſmeg.* lib. 3. cap. 3. *Hactenus humani corporis conſideratio.*

Quantopere Deo diſpliceat ſuperbia in inceſſu, geſtu nimioque corporis ornatu & cultu, ipſe teſtatur, Jeſaiæ 3. v. 17. 18. 19. 20. 21. &c. *Propterea ait Jehova, eo quod altæ ſunt filiæ Sionis, & ambulant extento gutture & nutantes oculis, indeſinenter minutis paſſibus incedunt, pedibuſque ſuis compedítas agunt: idcirco ſcabie afficit Dominus verticem filiarum Sionis & Jehova pudenda earum nudabit. Tempore illo amovebit Dominus ornamentum illud periſcelidum ocellataque opera & lunulas, myrothecidia, catellaſque & bracteolas, tiaras & armillas, redimicu'aque, bucculas & amuleta, annulos & monilia naſo impendentia, ſyntheſes veſtium & amicula ventralia & aciaria, ſpeculaque & ſyndones & mitras & carbaſa: eritque loco aromatis ut exiſtat tabes, & loco cinguli diſſolutio, & loco operis pexicalvitium, & loco ſegmentatæ cycladis cinctus cilicii, uſtio loco pulchritudinis.*

Mulieres, inquit *Paulus*, 1. Tit. 2. v. 9. 10. *amictu honeſto*

cum

cum verecundia & modestia ornare se volo, non cincinnis vel auro, vel margaritis, vel pretioso vestitu: sed, (quod decet mulieres pietatem in Deum spondentes) operibus bonis.

Neque *Patrum* desunt suffragia: *Greg.* homil. 40. in Euangel. *sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum: quod si videlicet culpa non esset nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret ei, quod dives qui torquetur apud inferos, purpura & bysso indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit, ut honoratior cæteris esse videatur.*

Basilius, de leg. lib. gent. homil. 24. *quicquid necessitatis usum excedit, vitandum, neque corpori plus ornatus dandum est, quam quantum animæ prosit.*

Ambrosius de virgi. *Neglecta decoris cura plus placet, & hoc ipsum, quod nos non ornamus, ornatus est.*

Bernhardus, epist. 113. *Sericum & purpura & tincturarum fucus decorem habent, sed non præbent; quicquid tale applices corpori, exponit speciem suam, non deponit: secum denique tollit cum tollitur ipsum. Porro decor, qui cum veste induitur & cum veste deponitur, vestis procul dubio est, non vestiti. Tu ergo noli æmulari in malignantibus & mendicantibus pulchritudinem alienam, ubi perdiderint suam.*

Vide & Chrysostom. homil. 18. in c. 3. Gen. & homil. 37. in c. 15. Gen. *Quali venia dignandi sunt, qui & in vestimentis multam vanitatem ostendunt, &, quod gravissimum, in his superbiunt? si omnia quæ intus reposita habent; indigentibus divites distribuerent, neque sic supplicium effugerent eorum peccatorum, quæ in deliciis vestium & conviviorum admittunt* &c.

In specie vero fucandi & faciem pingendi artificium inter alios patres gravissime detestatur *Cyprianus*, de habit. virg. *omnia hæc*, inquit, *peccatores & apostatæ Angeli suis artibus prodiderunt. Illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, mutare crinem adulterinis coloribus, & expugnare omnem oris & capitis veritatem corruptela sua impugnatione docuerunt.* Item: *Manus Deo, inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes, quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli, quodcunque mutatur. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio veritatis.* Item, *Num sinceritas perseverat & veritas, quando, quæ sincera sunt, polluuntur colorum adulteriis & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit:* non potes facere capillum unum

 album

album aut nigrum: *Et tu, ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potentiorem? Audaci conatu & sacrilego contemtu crines tuos inficis* &c. *Non metuis, oro, quæ talis es, ne, cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem removeat & excludat, increpans vigore censoris & judicis dicat:* opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est: cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est. Deum videre non poteris, quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es: de inimico tuo comta, cum illo pariter & arsura.

Theophylactus Sophista ætate progressam fœminam eleganti vituperio ab hac insania abstracturus, *Naturale*, inquit, *ornamentum tibi præterit & ad rugas properat elegantia. Tu vero veritatem obscurare conaris fictitio ornatu. Quid frontem sputo & cerussa signas? Obtempera tempori. Non enim decent prata in Autumno flores. Memineris etiam mortis, cui vicina es & modestiam ex necessitate disce colere. Alioquin senium & juventam afficis injuria. Hanc enim promittens, frustraris, illud autem possidens adulterare conaris* Hactenus Dei & patrum præcepta.

§. 7. Prisci nostrique ævi leges prohibent quoque luxum in vestitu.

Olim Romanis fœminis lex *Oppia* nec varii coloris veste uti, nec auri plus semiuncia habere permitit.

Augustus de habitu vestituque pristino reducendo laboravit.

Johannes Comnenus vestitum mensarumque luxum, tanquam corruptelam & pestem vitæ à palatio pepulit: *Nicet.*

Sub *Tiberio* decretum, ne serica vestis viros fœderet.

Notæ quoque sunt veterum leges adversus luxuriam victus vestitusque latæ *Fannia Orchia*, *Dida*, *Cornelia*, *Ancia & Julia.* Syracusanorum & Laconum legem vide apud *Ælian.* lib. 14. cap. 7.

Carolus V. Anno 1548. Germanis leges tulit vestiarias, quibus etiam nobilibus vestium *sericarum*, *Carmasinarum & Attalicarum* usus fuit interdictus. Imo Baronibus & comitibus per leges illas *Attalicæ* vestes prohibitæ sunt.

Leges hujusmodi in Germania nostra omnibus seculis frequentes fuerunt, sed magno legislatorum contemtu invalidæ: ita ut rem egisse seriam vix videri possint, videtur tamen accidisse iis tandem, quod *Tiberio Cæsari*, qui cum de coërcendo luxu legem

legem ferre vellet, & coërceri immodicos sumtus haud posse animadverteret, tandem satius esse duxit, omittere, quod assequi nequiret, quam porro tentare turpiter, quod non efficeret. Itaque sisti res in *Germania* nostra non potuit, quo minus tacito consensu destitutis moribus sumtuariæ omnes leges abrogatæ fuerint: si pauculas quasdam excipias Respublicas, quæ insaniam illam laudabili exemplo adhuc frænant: veteris, etiam deformis, formæ observantissimæ; quales sunt *Helveticæ*: cum aliæ singulis pene mensibus novos parturiant modulos. Unde pictor ab imperatore *Turcico* jussus omnium gentium habitum vestitumque pingere, cum plurimarum nationum diversissimas vestes expressisset, tandem hominem solo tectum indusio pinxit, juxtaque varii generis pannos. Hanc suam interpretari picturam cum juberetur. Hi, inquit, *Hungari* sunt, hi *Poloni*, hi *Galli*, hi *Britanni*, hi *Itali*, hi *Hispani*, &c. ubi ad nudum pervenisset hominem: Hic inquit, *Germanus* est: qui certa vestitus forma pingi non potest: quia quotidie novam assumit. *Hactenus leges.*

§ 8. Exempla priscæ in vestitu frugalitatis & simplicitatis occurrunt in principibus viris prisci ævi multa & memorabilia.

Augustus Imperator vix alia, quam domestica, est usus veste, eaque ab uxore, sorore, filia neptibusque confecta.

Hadrianus Cæsar plerunque vili contectus tunica in publicum processit baltheo, in quo nihil erat auri, præcinctus.

Septimius Severus Imperator humili quoque amictu contentus imperatoriam majestatem virtute non corporis cultu, constare ostendit.

Vespasianum à gregario milite ægre distinxit vestis.

Aurelianus Imperator in vestiario suo vestem holosericam non habuit.

Alexander Severus & ipse holosericas vestes nunquam induit.

Tacitus Imperator, holoserica veste omnibus interdixit viris, & toga, quam privatus gestaverat, etiam in imperio quandoque est usus.

Agesilaus, rex *Spartanus* vili & defloccato prodiit palliolo.

Epaminondas unica veste contentus ætatem fuit, quam vetustate detritam si quando resarciri opus foret, domi se clausum continebat, donec sarta vestis rediret.

Portius Cato, Censorius, nunquam toga est usus pluris, quam 100. drachmis, hoc est, 13. florenis empta.

Rudolphus I. *Austriacus* adeo in vestitu moderatus fuit, ut discerni à plebejo non potuerit. Unde *Moguntiæ* aliquando ma-

ne solus egressus pistoris domum est ingressus & ad prunas furno ejectas se contulit tremulas manus calefacturus. Ubi à pistoris uxore, quæ militem eum esse crediderat, atroces in Imperatorem jactas calumnias audivit: tandem etiam, vase aquario in prunas conjecto, vapore, fumo & cineribus perfusus domo ejectus est.

Carolus V. Imperator adeo vestium fuit incuriosus, ut non temere alio, quam amiculo laneo plebeioque uteretur.

Carolus Alberti Neapolitani regis parens, præter restrictam & subductam vilem tunicam, tegumentum aliud non admisit.

Eadem in vestitu moderatio fuit *Ludovici* II. & XI. *Galliæ* Regum: nec non *Matthiæ Pannoniæ*, & *Alphonsi Neapolis* & *Siciliæ* Regum: quorum hic ajebat, *malle se moribus & autoritate regem videri, quam diademate & purpura.*

Meminit *Drexelius* inventam esse vetustam chartam, in qua subductæ essent imperatoris rationes; fuisse inter alias expensas sex quoque cruciferos, qui Cæsaris thoraci reficiendo essent expensi. *Hactenus exempla.*

§. 9. Denique maxima videamus incommoda & mala, quæ secum trahit nimius ille & superbus corporis cultus. Sunt illa:

(1) Neglectus animi: cujus certum est indicium nimis exquisitus & sumtuosus corporis cultus. Hinc Bernhardus. *Quanto amplius corpus foris propter vanam gloriam componitur atque ornatur, tanto interius anima fœdatur & sordidatur. Non ita curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus.* Et *Chrysostomus* homil. 18. in 1. ad Corinth. *difficile est, difficile, ô dilecti fortasse autem etiam fieri non potest, ut sic ornato corpore, simul quoque ornetur anima. Sed necesse est, ut si alterutrum curetur, alterutrum negligatur* &c. *Et Cyprianus* de discipl. & hab. virg. *sericum & purpuram indutæ Christum induere non possunt; auro & margaritis & monilibus adornatæ ornamenta cordis & pectoris perdiderunt.* Cui pulchrum est corpus & anima mala, bonam habet navim, sed malum gubernatorem.

(2) Corruptio animi Hinc *Chrysost.* in epist. ad Col. *Multa alia mala nascuntur ex nimia ornandi sui cura, manifestæ suspiciones, sumtus intempestivi, blasphemiæ, avaritiæ & plura habendi cupiditatis occasiones.* Vide *Tertullianum* de cultu fæmin. Libidinis incentivum & irritamentum est hic luxus.

(3) Dispendium temporis pretiosissimi. *Dum enim moliuntur, dum comuntur, annus est:* Atqui *tempore*, inquit *Bernhard.* in Euangel. Ecce nos reliquimus omnia. *nihil pretiosius. Transeunt*

dies

dies salutis & nemo recogitat : nemo sibi non reditura momenta periisse causatur : cum revera tamen dispendium temporis vel modicum, damnum sit gravissimum, damnum irreparabile, nec ullo auro reconcinnandum.

(4) Vana gloria : quam unice intendit vestiaria illa prodigalitas; quæ in corpore quærit, quod sperare ab animo non potest. *Gloriantur in re*, inquit Chrysostomus, *quam vermes & gignunt & perdunt.*

(5) Prodiga facultatum dissipatio. Aliquibus enim omne in ornatu patrimonium est.

Hic ultra vires habitus nitor : hic aliquid plus
Quam satis est : interdum aliena sumitur arca, Juven. Sat. 3.

(6) Interminabilis habendi cupiditas : *Ebriosum esse*, inquit Clemens Alexandr. *& vinosum etsi sunt magna vitia, non tamen tanta, quantum est nimium sui ornandi studium, mensa plena & frequentes calices satis sunt ad implendam ingluviem. At qui auri purpuræ & gemmarum nimio studio tenentur, iis nec quod super terram, nec quod sub terra est, aurum suffecerit.*

(7) Jactura nominis & famæ. Malignas enim suspiciones, ad minimum, non effugit, qui corporis cultui tam religiose & tam affectate se ipsum comit : trahit enim secum nimius corporis cultus neglectum animi, ut ante vidimus.

§. 10. Quæritur (1) *An superbia sit vitium speciale?*

Resp. *Affirmativa* defendetur de superbia in specie sic dicta, quæ à *Thoma* definitur *inordinatus appetitus propriæ excellentiæ :* Hinc, ratione *objecti* proprii, quod est excellentia propria, speciale vitium merito statuitur. Unde *Augustinus*, lib. 2. de nat. & grat. cap. 29. *Quærat diligenter & inveniet, secundum legem Dei, superbiam esse peccatum ab aliis vitiis multum discretum.* Patet idem ex *contrario* superbiæ, nempe humilitate, quæ specialis est virtus, cui speciale opponi vitium necesse est.

§. 11. Objicitur in contrarium.

(1) *Nullum peccatum sine superbia potest inveniri aut esse : Ergo superbia est generale vitium :* Antecedens *est Augustini, in* lib. de nat. & grat. 29. *Et Prosperi*, in lib. de vita contemplat.

Resp. Duobus modis consideratur superbia : nempe vel secundum *propriam speciem*, quam habet ex ratione *objecti* proprii : vel secundum *redundantiam in alia peccata*. Priori modo vitium est speciale : Posteriori quandam in se habet generalitatem.

§. 12. (2) *Omne vitium speciale opponitur alicui virtuti speciali : Atqui superbia opponitur omnibus virtutibus :* Ergo. Assumtio probatur ex *Greg.* M. lib. 34. cap. 18. *Superbia est nequa-*

quam

quam unius virtutis extinctione contenta : contra cuncta anima membra se erigit & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit. Ab *Isidoro* appellatur ruina omnium virtutum.

Resp. Peccatum virtuti opponitur, & eam corrumpit, vel per *contrarietatem directam :* vel per *indirectam* & *obliquam*, quatenus aliqua abutitur virtute vel quacunque ratione usum ejus vitiat. *Prior* oppositio vitium arguit speciale : *Posterior* generale : igitur *assumtio* de oppositione per contrarietatem directam negatur. Ex allegatis vero testimoniis non probatur : quia loquuntur de corruptione per *contrarietatem indirectam* quatenus superbia ex aliis virtutibus occasionem superbiendi sumit, & sic usum earum vitiat, & abutendo eas corrumpit. Alias soli humilitati opponitur superbia, per *contrarietatem directam.*

§. 13. (3) *Omne vitium speciale, habet speciale objectum : Atqui superbia non habet speciale objectum : Ergo :* Assumtio probatur ex *Gregorio* lib. 34. Moral. *Alter*, inquit, *intumescit auro, alter eloquio, alter infimis & terrenis rebus, alter summis cœlestibusque virtutibus.*

Resp. In *objecto* virtutis duo sunt consideranda & distinguenda, *materiale* & *formale*, seu res ipsa, & modus rei : jam vero dicitur speciale *objectum* non tam ex re ipsa, seu materiali, quam ex modo rei, seu formali : Itaque *assumtio* negatur, cujus *probatio* est inconsequens : Siquidem aurum, eloquium, res terrenæ & virtutes cœlestes *speciale objectum* fiunt superbiæ, non *ratione materialis*, vel rei in se consideratæ, sed *ratione formalis* & modi, quatenus in iis attenditur specialis quædam excellentia, quam inordinate amando & per eam se aliis præferendo insolescit homo.

Quæritur (2) *An superbia sit primum omnium vitiorum & peccatorum ?*

Resp. Quæstio est jam olim in Theologorum, præsertim scholasticorum scholis agitata : cujus *affirmativam* pleriq; scholastici sunt amplexi : contra vero *negativam* cum *Luthero* propugnant theologi orthodoxi, quibus omnium peccatorum primum est *infidelitas :* quibus & nos subscribimus. Argumentum igitur pro *negativa* quæstionis hoc esto :

Infidelitas est primum omnium peccatorum : Ergo superbia non est primum.

Antecedens prob.

(1) Qualis fuit ordo tentationis, cui succubuit *Heva*, quæ inter homines primum admisit peccatum, talis quoque ordo fuit peccati : Atqui *Heva* primum omnium à *Satana* ad infidelitatem

tatem fuit solicitata: nempe ne crederet verum aut serium fuisse Dei interdictum & interminationem, de fructu arboris scientiæ boni & mali non attingendo: postea demum ad superbiam fuit instigata promissione similitudinis cum Deo. Ergo infidelitas prior fuit superbia

Propositio manifesta est. Quia peccatum traxit originem suam à tentatione, cui succubuit fæmina quæ ante virum peccavit. Id vero peccatum fuit primum, quod primum intendit seductor ac tentator: ubi obtinuit quod voluit.

Assumtio ex historia tentationis & lapsus patet Genes. 3. vers. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Intellexit astutus tentator ad sequentia peccata aditum sibi patefaciendum esse per infidelitatem, qua de veritate comminationis divina dubitaret fœmina. Unde interdictum Jehovæ opponenti fæminæ v. 3. regessit tentator v. 4. *non utique moriemini:* & v. 5. *Novit DEUS, quo die comederitis ex eo, aperturos se oculos vestros, & vos fore sicut Deos* &c. Similitudinem hanc nunquam appetivisset fæmina, nisi ejus se compotem posse fieri credidisset: nisi periculum ab interminatione Dei nullum sibi imminere credidisset: hoc est, nisi fidem prohibenti & minanti Deo derogasset.

(2) Fides est radix & origo justitiæ: Ergo infidelitas est radix injustitiæ.

Antecedens extra controversiam est & evidenter probatur ex illo Apostoli; *Quicquid non fit ex fide, peccatum est*, Ratio *consequentiæ:* Quia contrariarum causarum sunt effectus contrarii. Atqui fides & infidelitas sunt contrariæ causæ. Ut igitur fides est prima omnium virtutum: sic infidelitas est primum omnium vitiorum & peccatorum.

Excipit Bellarminus: *Infidelitatem non esse originem, sed finem injustitiæ.*

Resp. *Falsum* hoc: Finis enim intenditur ab agente: Atqui infideles pro fine non intendunt injustitiam: utque fides non est finis justitiæ, ita nec infidelitas injustitiæ.

(3) *Quo non posito, superbia inprimis hominibus non fuisset posita, id prius fuit superbia: Atqui infidelitate non posita, superbia in primis hominibus non fuisset posita: Ergo infidelitas prior fuit superbia:*

Assumtio probatur: Si enim credidisset homo, se propter affectatam similitudinem divinam, per præcepti divini violationem, moriturum, nunquam appetiturus fuisset similitudinem istam.

(4) Ex quo fluxit superbia hominis, id superbiam antecessit: Atque

Atqui superbia fluxit ex eo, quod homo crediderit, se fore omniscium, uti Deum: hoc est, quod Deo non omniscientiam promittenti, sed mortem minanti fidem non habuerit. Ergo infidelitas superbiam antecessit.

(5) Contra primatum superbiæ militat & hæc ratio: Superbia vitium & peccatum est voluntatis: Ergo simpliciter non est primum peccatum: *Ratio consequentiæ:* Quia omnem voluntatis errorem antecedit error intellectus.

Excipit Bellarminus *Initium superbiæ potuisse in homine esse, sine ullo mentis errore præcedente, per solam incogitantiam.*

Resp. Incogitantia in re tanti momenti error quoque & peccatum est: Legis enim non meminisse, quando ad transgressionem ejus sollicitatur homo, damnabilis est incogitantia, & bruta securitas: quæ nullam meretur excusationem in eo, qui tenetur meminisse. Atqui legem suam perpetuo observari hominis menti & oculis & auribus voluit Deus, Deut. *6. v. 6. 7. 8. 9.* & cap. 11. v. 18. 19. 20.

§. 15. Pro sententia *Pontificiorum* & primatu superbiæ objiciuntur à Bellarmino:

(1) *Scriptura docet primum peccatum fuisse superbiam*; *Siracidæ* 10. v. 14. *Initium superbiæ est defectio hominis à Deo: Et, initium omnis peccati superbia. Tobiæ* 4. v. 14. *In superbia initium sumsit omnis perditio.* Rom. 5. v. 19. *Per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi.*

Resp. Testimonia *Siracidæ* & *Tobiæ* apocrypha sunt. *Pauli* locus nullam superbiæ mentionem facit. *Jesuita* inobedientiam interpretatur superbiam, sed sine idonea probatione. Ut primus actus superbiæ fuit, nolle obedire imperio Dei: Ita primus fons superbiæ fuit, nolle credere verbis Dei.

§. 16. (2) *Patres, Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Leo, Prosper, Gregorius docent primum peccatum fuisse superbiam.*

Resp. 1. Firma non est *consequentia* ex patrum testimoniis, imo nulla, ubi sunt contraria scripturæ testimonia. (2) Docent Patres isti primos parentes peccasse superbia: Superbiam vero simpliciter primum fuisse peccatum, non docent.

§. 17. (3) *Superbia fuit actus circa finem, infidelitas circa medium: Ergo superbia præcessit infidelitatem:* Ratio consequentiæ: *quia, circa bonum intelligibile, prior est actus circa finem, quam circa media.*

Resp. *Antecedens* negatur: Infidelitas ita fuit medium; ut etiam causa fuerit superbiæ: sine qua finis superbiæ poni non potuisset: Non enim infidelitatem concepit homo, ut superbiret; sed

super-

superbivit, quia infidelis fuit. Deo similis esse homo non expetivit prius, quam fidem interminanti Deo habere desiit.

§. 18. (4) *Aversio à lumine præcedit errorem intellectûs. Atqui superbia fuit aversio à lumine, infidelitas fuit error intellectus: Ergo superbia præcessit infidelitatem.*

Resp. *Propositio* non est simpliciter vera: Non omnis aversio à lumine præcedit errorem intellectus: Siquidem ipse error intellectus est quædam aversio à lumine: & eo ipso se homo avertit à lumine, quo fidem affirmanti Deo non habuit. Itaque male opponuntur error intellectus, & aversio à lumine. Interim non negamus, etiam superbiam suo modo esse aversionem à lumine divino: quatenus superbus à Deo se avertit, & se ad se convertit: Sunt enim duo superbiæ actus, aversio à Deo, & conversio ad creaturam.

§. 19. (5) *Mater præcedit filiam: Atqui superbia est mater infidelitatis teste Augustino: Ergo superbia præcessit infidelitatem;*

Assumtio simpliciter vera non est: Prima superbia fuit filia infidelitatis primæ, ut supra probavimus: Quæ primam secuta est superbia aggravavit infidelitate sequentem. Vitia mutuas sibi possunt operas tradere, ita ut idem specie actus vitiosus modo causa, modo effectus ejusdem specie actus vitiosi esse possit.

§. 20. (6) *In peccatis prior est conversio ad bonum creatum, quam aversio à bono increato: Atqui non velle Deo credere, qui actus infidelitatis, est aversio à Deo bono increato, superbire est conversio ad bonum creatum: Ergo superbia actus prior est actu infidelitatis.*

Resp. *Propositio* falsa est: Aversio à bono increato est terminus à quo: conversio ad bonum creatum est terminus ad quem: Atqui terminus à quo prior est termino ad quem. Deinde uterque actus concurrit in superbia, quæ est aversio à Deo & conversio ad creaturam. Habet igitur infidelitas cum superbia communem aversionem à bono increato: Ita tamen ut aversio à bono increato, quæ infidelitatis est, prior fuerit aversione ab eodem bono increato, quæ superbiæ fuit.

§. 21. Quæritur (3) *Quænam sit superbiæ species?*

Resp. *Anshelmus* tres numerat species superbiæ: unam in *voluntate:* alteram in *sermone*: tertiam in *opere:* quam distinctionem *Thomas* docet institutam secundum progressum cujuslibet peccati: concipiuntur enim peccata primum in *corde*: inde proferuntur *ore*: denique perficiuntur *opere*. Unde non tam sunt hæc distinctæ species superbiæ, quam causæ.

Bernhardus

Berhardus duodecim enumerat gradus & species superbiæ: quæ sunt (1) *Curiositas* (2) *mentis levitas* (3) *inepta lætitia* (4) *jactantia*. (5) *Singularitas*. (6) *arrogantia* (7) *præsumtio* (8) *defensio peccatorum* (9) *simulata confessio* (10) *rebellio* (11) *libertas* (12) *peccandi consuetudo*. Sunt hi gradus oppositi XII. gradibus humilitatis, qnos supra recensuimus: ex quorum collatione facilius intelliguntur: quibus non tantum *species* exprimuntur superbiæ, sed & *antecedentia* & *consequentia* ejus.

Gregorius quatuor species recenset: (1) æstimare bonum à se ipso habere: (2) datum sibi desuper credere suis se accepisse meritis. (3) jactare se habere, quod non habet. (4) contemtis aliis, videri singulariter appetere & avere, quod habet. Distributionis hujus ratio videatur apud *Thomam*. 2. qæ. 2. 162. art. 4. in corp.

CAPUT XXV.

DE LIBERALITATE.

THESIS I.

HACTENUS de probitate ad alios relata, ex qua ad nos potissimum laus redundat: *Sequitur probitas, quæ cum aliorum fructu est conjuncta: quæ est charitas & justitia.*

II.

Charitas est probitas per quam amorem nostrum erga alios declaramus.

III.

Estque liberalitas vel amicitia.

IV.

Liberalitas est charitas erga proximum, per quam ipsi prodesse studemus: In heroibus *& viris principibus appellaretur magnificentia, & munificentia.*

Ἐκθεσις.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM liberalitatis sunt *τὰ χρήματα*, quæ *pecunia* vocabulo intelliguntur: Item omnes professiones, quæ pecunia æstimantur, quarumque in hac vita est usus. Est tamen & liberalitas quædam in communicatione bonorum animi, consiliorum, secretorum & eruditionis. Unde illud Theognidis.

Χρὴ μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον εἴ τι περισσὸν
Εἰδείη, σοφίης μὴ φθονερὸν τελέθειν.

§. 2. *Officium* liberalitatis consistit potissimum in dando: ubi animus dantis, indigentia accipientis, & circumstantia muneris probe attendenda, ut patebit ex *præceptis*. Summa huc redit; in dante requiritur *mens jucunda*, *frons grata*, *res propria*, *proportio justa*, *cura honesta*, *causa pia*.

§. 3. Suadent nobis liberalitatem *Rationes & exempla*: *Rationes* sunt:

(1) Quia *mortales tum maxime imitantur* DEOS, *cum benefici sunt*: Strabo. *Et nihil æque divinum habet homo, ut beneficentiam.*, Nazianzenus.

(2) Quia *liberalitate qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant, & quod amplissimum est ad quiete vivendum, charitatem.* Cicero.

(3) Quia *multa tribuere gloria carere non potest*: Valer. Max.

(4) Quia *natura impellimur, ut prodesse velimus quam plurimis, inprimisq; docendo, rationibus prudentiæ tradentis*: Cicero.

(5) Quia *libenter qui largitur, satis magnas accipit usuras, ea quæ sunt apud homines pretiosissima, nempe mansuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam famam, laudemque & gloriam.* Clemens Alexandr.

(6) Quia opes amicis liberaliter distributæ velut thesauri apud ipsos deponuntur: unde *Cyrus* apud Xenophontem. *Ego amicos locupletatos arbitror mihi thesauros esse, custodesque cum mei ipsius, tum bonorum nostrorum fideliores, quam si præsidiarios mercede conductos eis præficerem. Alexander* M. ubi thesauros haberet, interrogatus, *Apud amicos*, respondit.

(7) Quia hic divitiarum maximus & verissimus fructus est, non uti opibus ad propriam ûnius voluntatem, sed ad multorum salutem: non ad præsentem suum fructum, sed ad justitiam, quæ sola non interit: *Lactant: Nullibi pecunia melius poni potest, quam ubi fenus bonitatis extenditur*: Quintilianus declam. 9.

(8) Quia avaritia longe perniciosissima & turpissima. Hinc Cicero, *nullum est vitium tetrius, quam avaritia*, præsertim in principibus & Rerumpublicarum gubernatoribus. Habere enim quæstui Rempublicam non modo turpe est, sed etiam sceleratum & nefarium. Plura vide ad θ. 5.

§. 6. Exempla sunt.

Cimon familiares semper adolescentes habebat comites, qui nummos ferebant cumulate & in foro inopibus se adjungebant: Si qui honesti erant, iis silentio eos in manus injiciebant.

Titus Imperator diem se perdidisse opinatus est illum, quo non illustre aliquod liberalitatis specimen edidisset. *Arcesilaus* ingressus aliquando ad *Ctesibium* ægrotum, vidensque eum inopia rerum angustari, plenum nummis sacculum clam ejus pulvino subjecit. *Romani* captam bello Asiam *Attalo* muneris loco possidendam dederunt; de quibus *Sallustius*, vel apud *Sallustium Sulla*: *Hoc in pectus tuum dimitte, nunquam populum Romanum beneficiis victum esse*. *Gilias* virginibus pauperibus dotem confecit: peregrinis hospitia præbuit: tempestatum fluctibus *Agrigentum* compulsos hospitio excepit. Unde haud male quidam dixit: *Giliam ipsa humanitatis præcordia habuisse*. *Flavius Vespasianus* in omne hominum genus fuit liberalissimus: consulares inopes quingenis sestertiis annuis sustentavit; plurimas per totum orbem civitates terræ motu aut incendio afflictas restituit in melius. Ingenia & artes vel maxime fovit: primus è *fisco latinis Græcisque* rhetoribus annua centena constituit: præstantes poëtas nec non & artifices coëmit. *Apollinari* Tragædo quadringenta: *Terpno*, *Diodoroque*, Citharædis, ducena, nonnullis centena; quibus minimum, quadragena sestertia, super plurimas coronas aureas, dedit, *Suetonius*. *Helena*, *Constantini* mater, teste *Eusebio*, quæ pauperibus, omnibus rebus nudatis, omnique ope & auxilio destitutis dispertiverit, vix enumerari possunt. In alios grandem vim pecuniarum contulit, aliis corporis tegumenta prolixe & largiter suppeditavit, vinculis alios eripuit, alios fraude & injuria oppressos liberavit, &c. Similia liberalitatis exempla in historiis occurrunt plurima: Modi fere nescia fuit *Alexandri* M. liberalitas. *Ptolemæi* Regis apophthegma fuit, τοῦ πλουτεῖν τὸ πλουτίζειν εἶναι βασιλικώτερον: *magis esse regium ditare, quam divitias possidere*. *Manuel Comnenus* Imperat. *munificentia pelagus & misericordiæ abyssus* est appellatus. Ætatis illius homines *aurea secula* sibi restituta putabant.

Præcepta de exercitio liberalitatis observentur sequentia.

§. 7.

§. 7. (1) Qui veræ liberalitatis laudem expetit, in exercenda ea honestatem sibi debet habere propositam. Igitur qui beneficium dat aliis, ut vel majora reportet beneficia, vel favorem sibi conciliet, vel promotionem ad honores sibi paret, vel ut causam in judicio obtineat, vel ut se ostentet, is vere liberalis non est dicendus.

(2) Vere liberalis non nisi in homines dignos sua confert beneficia, & sic beneficium dando accipit: teste *Seneca*. Et sententia *Aristotelis*, magis peccat, qui dat indignis, quam qui non dat dignis: qui Principibus familiarissimus error est. *Turpissimum genus damni est*, inquit Seneca, *inconsulta donatio*: *multoque gravius male dedisse beneficium*, *quam non recepisse*. Apud *Ciceronem Ennius* lib. 2. off. *Benefacta male locata malefacta arbitror*. Inter dignos vero non numerandi tantum consanguinei proximi, amici: (his enim qui benefacit de sententia *Lactantii* aut nullam aut certe non magnam laudem meretur: quia facere tenetur, estque impius & detestabilis, nisi fecerit id, quod ab eo & natura ipsa & necessitudo exigit: & si facit, non tam gloriæ obtinendæ, quam reprehensionis vitandæ gratia facit:) sed & alieni atque peregrini: ubi sola duci humanitate videmur: estque justitia ubi ad benefaciendum necessitatis vinculum est nullum. Interim nec indigni semper & simpliciter excludendi, ut deinceps videbimus. Alias tria absurda dicuntur committere, qui indignis conferunt beneficia. 1. jacturam faciunt rerum suarum. 2. in bonos contumeliosi sunt. 3. Malos roborant vitiorum suppeditando materiam, quod in *Magnatum* aulis non est infrequens. Unde veteres rythmi:

In aula Regis non est multum legis:
Si qui sunt boni, coguntur esse ὄνοι.
Si qui sunt mali, sunt in gratia regali:
Si qui sunt cæteri, fere sunt ebrii.

Pertinet huc quoque illud *Cratetis* de sumtibus, quos multi Magnates perperam faciunt. *Coquo* inquit *ponantur minæ decem: Medico drachma: Adulatori talenta decem: consiliario fumus: scorto talentum: Philosopho triobolus. Laert.* in vita Cratet:

(3) Liberalitas non tam est æstimanda ex quantitate muneris, seu beneficii, quam ex animo & conditione dantis. Hinc præclare *Aristoteles* lib. 4. Eth. cap. 2. *Nihil vetat quin liberalior aliquis sit, qui pauciora dederit, si modo ex paucioribus etiam fuerit elargitus*. Egregie hac de re præcipientem vide *Senecam* lib. 1. de Benef. cap. 7. 8.

(4) Cavendum ne major sit benignitas, quam facultas: *Cicero.* Unde Seneca: *Dabo egenti, sed ut ipse non egeam: sic succurram perituro, sed ut ipse non peream.*

Solet habere profusa liberalitas comitem *pœnitentiam. Multi patrimonia effuderunt inconsulte largiendo* Cic. unde idem monet; non ita claudendam esse rem familiarem, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita reserandam, ut omnibus pateat: modum esse adhibendum, eumque ad facultates referendum. Quam in sententiam pulchre *Plinius* lib. 2. epist. 4. *Ex frugalitate velut ex fonte liberalitas nostra decurrit: quæ tamen ita temperanda est, ut ne nimia profusione inarescat.*

(5) Tempestive & cito dederis, quibus dandum judicaveris: quia *bis dat, qui cito dat.* Unde illud Græcorum: ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι. Distichon est Poëtæ *Græci* Luciani:

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι, ἢν δὲ βραδύνῃ,
Πᾶσα χάρις κενὴ μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Ausonius ita vertit.

Gratia quæ tarda est, ingrata est: gratia namque,
Cum fieri properat gratia grata magis.

Cui affine illud *Senecæ*: *Ingratum est beneficium, quod inter manus dantis diu hæsit.* Item *omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis cito facere.* Eodem spectat *Salomonis* præceptum, Proverb. 3. v. 27. *Ne cohibeto bonum ab eis, qui opus habent, cum est in potestate manus tuæ efficere illud. Ne dicito proximo tuo, abi & deinde revertere: cras enim daturus sum.* Μισῶ φίλοισιν ὕστερον βοηθρομεῖν: inquit *Hector*, apud *Euripid.* in Rheso. *Bis est gratum*, inquit Mimus, *quod opus est, si ultro offeras.* Appellantur ejusmodi morosi datores *preminummi.* Germanice: Denckenpfenninge. Eodem redit præceptum: *Beneficium daturus ne expectes, donec rogeris, neque per laudes & adulationem id tibi extorqueri patiaris.* Elegans hoc est præceptum *Epicteti. Ut sol non exspectat preces aut præstigias ut oriatur, sed statim splendet & ab omnibus salutatur: sic neque hic applausus & strepitus & laudationes exspectat, ut benefaciat, sed ultro bene meretur, ut æque ac Sol ametur.*

(6) Memineris etiam ignorantibus esse benefaciendum, nedum ut scientibus vel exprobres, vel apud alios te jactes. *Videndus est ille qui te non videt, requirendus ille, qui erubescit videri: ille etiam clausus, in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest*: inquit *Ambros.* 2. off. cap. 16. *Dati beneficii*, inquit Chilon, *oblivisci, sed accepti*

sed accepti meminisse oportet. Hoc est: Beneficium prædicare debet, qui accepit, non dedit. Pulchre hanc in sententiam *Martialis* lib. 5. ad Posthum.

Quæ mihi præstiteris memini, semperque tenebo:
Cur igitur taceo? Posthume, tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre
Protinus exclamat: Dixerat ille mihi.
Non belle quædam faciunt duo: sufficit unus
Huic operi: Si vis ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dones,
Autoris pereunt garrulitate sui.

Seneca, lib. 7. de Benef. cap. 22. ei qui beneficium dedit, imperat *oblivionem*; illi qui accepit, mandat *memoriam*, sententiam hanc suam pulchre interpretatur ibid: *Cum dicimus*, meminisse non debet, *hoc volumus intelligere*, prædicare non debet, nec jactare, nec gravis esse. *Quidam enim beneficium, quod dederunt, omnibus circulis narrant: hoc sobrii loquuntur, hoc ebrii non continent, hoc ignotis ingerunt, hoc amicis committunt, ut hæc nimia & exprobratrix memoria subsideret, oblivisci eum, qui dedit, jussimus, & plus imperando, quam præstari poterat silentium suasimus.*

(7) Plus laudis meretur liberalitas erga pauperes, quam erga divites, qui reddere beneficia possunt. Hinc *Plini*. lib. 9. epist. 30. *volo eum, qui sit vere liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis: sed amicis dico pauperibus: non ut isti, qui iis potissimum donant qui donare maxime possunt. Hos ego viscatis hamatisque muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere*. Et Hieronym. *Parum tribuere, ut accipias, magis venatio est appellanda, quam donatio.*

(8) De tuo largitor, qui liberalis haberi cupis. *Non est magni animi* inquit Seneca, *qui de alieno liberalis est, sed ille qui, quod alteri donat, sibi detrahit*. Et Plin. lib 9. cap. 30. *Qui, quod huic donant, auferunt illi, famam liberalitatis avaritia petunt*: Imo, *furti tenetur qui ideo rem amovet, ut alii eam donet*. l. 54. Si pignore §. 1. ff. de furtis.

(9) Cave ne benignitas tua obsit iis, erga quos exerceretur. Pertinet huc tritum illud. Τῶν ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα. *Hostium munera non sunt munera*: quia sunt suspecta & periculosa.

(10) Ne durus & asper sis ei erga quem liberalis haberi vis. Quia *beneficium ab homine aspere datum panis lapidosus est, quem esurienti accipere necesse est esse acerbum*: inquit *Fabius Verrucosus*, apud *Senec*. de Ben. l. 1. c. 7. Omnem amittit gratiam beneficium aspere datum.

 (11) Mu-

(11) Munificos & magnificos magna decent munera. Hinc amicorum cuidam *Perillo* dotem filiabus ab *Alexandro Magno* petenti quinquaginta talenta obtulit: cum is sufficere decem diceret: *Tibi* inquit, *accipere tantum satis, mihi dare non item.* Item dispensatorem jusserat, *Anaxarcho* philosopho dare, quantum posceret: cum vero centum talenta eum petere diceret: *Rectè*, inquit, *facit, qui intelligit se habere amicum, qui tantum dare possit & velit.* Item dixit, *Darii* divitias vix suffecisse sibi in amicos impendenti. *Ptolemæus Lagi* dixit: *Magis regium esse ditare*, quam *divitias possidere*. Nostro seculo applausores paucissimos habet *Ptolemæus*. *Probitas laudatur & alget.*

§. 8. Liberalitatis quasi species aut modus est *hospitalitas*, quam φιλοξενίαν *Græci* appellant. Cujus tria numerantur officia. (1) *Hospites hilariter accipere.* (2) *Comiter, pro ratione & modulo facultatum, tractare.* (3) *Hospitium amice dimittere:* quo spectat illud Homeri.

Χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

§. 9. De loco hospitibus inter alios assignando vide *Gell.* lib. 5. c. 13. Hospitalitatem *scriptura* pluribus locis præcipit Rom. 12. v. 13. Heb. 13. v. 2. 1. Pet. 4. v. 9. Cujus jus olim singulari cultum studio, *ne peregrino hospiti aliqua inferretur vis.* Jud. 19. v. 23. 24.

Exempla virtutis hujus eadem scriptura nobis commendat plurima in *Abrahamo* Genes. 18. v. 3. In *Loto.* Gen. 19. v. 2. &c. in *Rachab.* Josuæ 2. v. 1. in *Gideone*, Jud. 6. v. 18. in *vidua Sareptana.* 1. Reg. 17. v. 14. 17. In *Schunamidite*, 2. Reg. 4. v. 18. in *Jobo* cap. 31. 32. in *Lydia*, Actor. 16. v. 15. in *Publico.* Actor. 28. N. 7.

Veterum *Germanorum* hospitalitatem eximiam laudat *Tacitus.* de Germ. cap. 21. *convictibus & hospitiis*, inquit, *non alia gens effusius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur: pro fortuna quisque apparatis epulis excipit*, &c. *notum ignotumq́;, quantum ad jus hospitii, nemo discernit.*

Lucanorum hæc fuit lex, *si sub occasum solis venerit peregrinus, volueritque sub tectum alicujus divertere, & is hominem non susceperit, multetur, & pœnas luat inhospitalitatis. Ælianus* lib. 4. cap. 1.

Observatu digna *Platonis* sententia, lib. 5. de LL. *Ad peregrinos sanctissima esse fœdera quisque cogitet. Ferme enim omnia peregrinorum & contra peregrinos peccata, præ illis, quæ inter cives committuntur, ultori Deo curæ sunt. Nam cum peregrinus*

amicis cognatisque careat, *majorem & apud Deum & apud homines meretur misericordiam.*

§. 10. De iis, qui potissimum hospitio excipiendi, observandum illud *Lactantii*, lib. 6. cap. 12. *Non justi & sapientis viri domus illustribus debet patere, sed humilibus & abjectis. Nam illustres illi & potentes nulla re possunt indigere, quos opulentia sua & munit & honorat.* Et hactenus de hospite activo.

§. 11. *Passivus* hospes est, qui hospitio excipitur: cujus est.

(1) *Venire in tempore:* vult hoc proverbium: *Apage hospitem in tempestate:* cui affine illud *Euripidis*, in Alcest: *Hospitem merito odi, qui in malis advenit.*

(2) Esse *modestum, minime garrulum & curiosum.* Hinc *Omulus Antonino Pio* quærenti, *unde columnas Porphyreticas haberet*, libere respondit: *In alienis ædibus & mutum & surdum esse decet:* Julius Capitol.

(3) *Boni consulere quæ exhibita fuerint.* Unde *Cæsar* Mediolani aliis oleum vetus pro viridi & recenti appositum nauseantibus avide comedit, ne hospitis apparatum contemnere videretur. *Plutarch.* in Cæsar. Sueton.

(4) *Modum non excedere nimia voracitate:* Syrac. cap. 31. v. 18. & 37. v. 32. &c.

(5) *Mature discedere:* Quia.

Post tres sæpe dies vilescit piscis & hospes:
Ni sale conditus, vel sis specialis amicus.

§. 12. Inhospitalitatis horrendæ *Exemplum* habetur in *Tauricis*, qui hospites intra fines suos delatos templo *Dianæ* immolarunt: *Hygin.* in fab.

Busiris quoque necare hospites solitus ab *Hercule* hospite mactatus fuit: *Boëth.* lib. 2. pr. 6.

§. 13. Liberalitatis eximiæ gradus in specie *munificentia* & *magnificentia* appellatur, & Græcis *μεγαλοπρέπεια* dicitur: quod magnos deceat viros: de qua multa, Arist. lib 4. Eth. c. 2. ubi definit eam *δαπάνη πρέπουσα ἐν μεγέθει*: hoc est: *impensam in magnis decoram.* Quamvis non sit ipsa *δαπάνη*, seu impensa: sed virtus circa *δαπάνην*. In cujus *exercitio* habenda ratio *decori*, *magnitudinis* & *impensæ*.

Ad *decorum* requiritur (1) ut magnificus agat ex sententia & intentione decori, sumtusque faciat operi consentaneos: quamvis rationes exacte subducere videri non debet. (2) Ut sumtus faciat non ostentationis, sed honestatis gratia. (3) Ut cum animi hilaritate eroget.

Ad *magnitudinem*: ut rationem habeat (1) *sumtuum* magni-

Ll 4 ficentiam

ficentiam decentium: quos magnos esse par est, non præcise ad calculum vocatos (2) *Operis*, in quod fiunt sumtus: quod pulcherrimum & decentissimum oportet esse, Obscurum enim & deforme opus, quamvis sumtuosum sit, magnificum non decet. Ad *impensam*: ut non in quasvis res sumtus faciat, sed in magnas, utiles & durabiles, sive publicæ sint, sive privatæ, sive sacræ, sive profanæ. Cujusmodi sunt ædificia magnifica, templa, scholæ, aulæ, curiæ, aquæductus, muri, portus, pontes, fontes, propugnacula, Xenodochia, & donaria atque stipendia opima multa eaque ad posteros propagata.

§. 14. Magnificentiæ laudem olim ambiverunt, qui *orbis miracula* vulgo sic appellata excitarunt. Inter quæ *Dianæ Ephesinæ templum*, *Mausoli sepulchrum*: *Colossus solis apud Rhodios*: *Jovis Olympii simulacrum*: *Muri Babylonici*: *Pyramides Ægyptiæ*: *Archivum Cyri*: *Capitolium Romanum*: *Pensiles horti Babylonici*: *Templum Salomonicum*. Olim immensos sumtus Romani fecerunt in *theatra* & *spectacula*: Unum à *Pompeio* ædificatum hominum millia capiebat quadraginta. *Fidenis* sub *Tiberio* principe, unius amphitheatri ruina 20000 hominum perierunt, quamvis immensi sumtus in pleraque hæc facti opera majori cum magnificentiæ laude in alias impendi res potuissent. Siquidem vanitatis plena fuerunt opera *Pyramides Ægyptiæ*, *Colossus solis*, *Jovis olympici simulacrum*; *Theatra & spectacula Romanorum*: *Horti pensiles Babylonici*; *Archivum Cyri* &c. Melius magnos collocarit sumtus *Alexander Magnus*, qui per *Græciam* & *Asiam* multa hominum millia aluit, qui *Aristoteli* historiam animalium scripturo suam locarunt operam. Plin. lib. 8. cap. 16.

Melius *Ptolemæus Philadelphus*, qui maximis sumtibus instructissimam bibliothecam adornavit librorum 700000, qui bello *Alexandrino* conflagrarunt.

Idem sacros *Hebræorum* libros ut adipisceretur, 120000 Judæos, qui in Ægypto serviebant libertate donavit, & septuaginta seniores ex Judæa in Ægyptum accersivit, qui Dei legem in linguam Græcam converterent: quos amplissimis donatos muneribus in Judæam remisit, testibus *Aristea*, *Eusebio*, *Nicephoro*, *Josepho*.

Cum magnificentia è diametro pugnat, sacros reditus Ecclesiis & scholis conservandis & amplificandis à majoribus destinatos in profanos & privatos usus convertere, patique ut mulæ sint *Musæ* & literarum fama fames.

§. 15. Nobilis est actus liberalitatis & magnificentiæ, *erogatio eleemosy-*

eleemosynarum. Ad quem nos invitant omnes rationes, quæ pro liberalitate exercenda sunt adductæ: maximi momenti ratio theologica: quia quicquid pauperibus damus Christo damus Matth. 25. v. 40. adeoque Domino fœneratur qui pauperis miseretur, Proverb. l. 2. v. 17. sunt hanc in rem pulchra *Augustini* verba, in psal. 63. *Quid ergo* inquis, *facio, ut sim utilis fenerator? Attende, quid facit fenerator? Minus vult dare certe & plus accipere. Hoc fac & tu: da modica & accipe magna. Vide, quam late crescat fœnus tuum! Da temporalia, & accipe æterna, da terrena & accipe cœlum.* Cogita jam utrum habere Christum velis judicem, an debitorem. At *Deus*, inquit *Chrisostomus, quibus maxime debet hos maxime diligit: Itaque si vis eum semper amicum habere, multorum constitue debitorem.* Noveris autem dandas esse eleemosynas *prompte, humaniter, considerate, largiter, hilariter, modeste, sincere & optima intentione.*

Tandem observentur eleemosynæ laudes è fructibus petitæ. Eleemosyna ad tribunal Christi patrona est, fidelissima: sacrificium opimissimum Deoque gratissimum: opes tutissimo loco collocat; tabernacula nunquam ruitura struit: divitias auget minuendo, cumulat erogando: pecuniæ profanissimæ sanctimoniam induit: quasi Christo data reputatur: mercatura est utilissima; usura laudatissima, scientiarum & artium lucrosissima: tributum est cælorum Regi debitum: præstantissima famæ optimæ conciliatrix; Hominem reddit Deo similem: vires addit orationi maximas: fortissime hominem protegit: messis est geminata & rerum omnium incrementum: prima sanctorum cura summumque studium: magnum in morte solatium: luculentum prædestinationis judicium: gratiæ conservatrix: fiduciæ & lætitiæ parens: De quibus prolixe disserentem vide *Drexelium* de Eleemos. part. 3. cap. 6.

§. 16. Quæritur (1) *An verum & adæquatum liberalitatis objectum sint pecuniæ?*

Resp. *Affirmativam* amplectuntur scholæ Ethicæ cum *Aristotele*, lib. 4. Eth. cap. 1. ubi liberalitas definitur *virtus mediocritatem servans in dandis accipiendisque pecuniis.* Neque appellari solent liberales, nisi qui recte uti norunt & solent pecuniis, cum aliis eas moderate communicando ad sublevandam eorum indigentiam, vel testificandam virtutis excellentiam, per quam digni sunt ditiorum muneribus. Et vulgo non laudantur liberalitatis nomine, nisi qui faciles sunt in erogandis pecuniis gratis: qui usus est pecuniarum liberalitatis officium, unde *Aristoteles* liberalem definit, *ὃς ἄριστα χρῆται τῷ πλούτῳ: qui optime*

 utitur

utitur divitiis. Pertinet huc illud conciune dictum: *Ut animum in delitiis regit temperantia, sic manum in divitiis liberalitas.*

§. 17. Objicitur tamen in contrariam sententiam.

(1) *Liberalitas occupatur etiam circa alia fortunæ bona: Unde liberalem dicimus non tantum qui pecunias largitur & donat egentibus & dignis: sed & cum, qui vestimenta, alimenta & alia vitæ subsidia largitur. Ergo pecuniæ non sunt adæquatum liberalitatis objectum.*

Resp. Negatur *consequentia:* quia pecuniarum lato significatu acceptarum nomina intelliguntur omnes facultates, quas possidemus, & quarum pretium nummo vel pecunia æstimari solet & potest. Ad pecuniam igitur referenda quoque alimenta, vestimenta & alia vitæ subsidia, quæ donari egentibus & dignis possunt & solent, videatur L. *Pecuniæ* 125. ff. de V. S. videatur & *Aristoteles*, lib. 4. Eth. ab initio: χρήματα λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. *August.* de disciplin. Christ. cap. 1. *Totum quicquid homines in terra habent, & omnia quorum sunt domini, pecunia vocatur: quia antiqui, quæ habebant, in pecoribus habebant.*

§. 18. (2) *Liberalitas versatur circa actionem & passionem Ergo non circa pecunias.* Antecedens prob. *Quia est virtus moralis: At omnis virtus moralis est circa operationes vel passiones.*

Resp. *Consequentia* negatur: versatur liberalitas circa actionem, tanquam *objectum* immediatum, circa pecuniam tanquam objectum mediatum: Regit enim usum & largitionem pecuniæ.

§. 19. (3) *Pecuniæ sunt objectum justitiæ commutativæ & distributivæ, Ergo non liberalitatis*: Ratio consequentiæ: *Quia habitus distinguuntur secundum objecta; & diversorum habituum diversa sunt objecta.*

Resp. *Consequens* admitti potest cum hac limitatione. *Pecuniæ non sunt objectum liberalitatis ea ratione, qua sunt objectum justitiæ particularis.* Liberalitatis *objectum* sunt, quatenus gratis dandæ egentibus vel dignis: Justitiæ *objectum* sunt, quatenus aliis sunt debitæ.

§. 20. Quæritur (2) *An proprius liberalitatis actus sit bonus pecuniarum usus?*

Resp. *Affirmativa* defenditur hac ratione: Quia *objectum* liberalitatis est pecunia, & quicquid mensurari pecunia potest: cum igitur de ratione virtutis sit circa objectum suum occupari ita, ut naturæ ejus & rectæ rationi congruit: & vero pecunia in numero sit bonorum utilium: consequens est, proprium liberali-

tatis

tatis actum esse moderari usum pecuniæ, non quidem absolute, & quacunque ratione; nam & justitia aliquo modo circa pecuniæ usum versatur: sed quatenus nostra est pecunia & ad alios transitura non ex debito & contractu, sed ex indebita benevolentia.

§. 21. Objicitur (1) *Pecunia usus communis est liberalitati cum justitia: E. non est proprius liberalitatis:* Antecedens patet: *quia usus ejus in contractibus est frequentissimus.*

Resp. Negatur *consequentia:* quippe idem diverso respectu potest esse commune & proprium: Pecuniæ usus communis est liberalitati cum justitia: quatenus justitia quoque versatur circa pecuniam: Interim proprius est liberalitatis, quatenus ex indebita benevolentia ad alios transit: per justitiam enim non nisi ex debito transit.

(2) *Liberalitatis est accipere & custodire pecuniam: Ergo proprius ejus actus non est usus pecuniæ.*

Antecedens patet: *quia opposita prodigalitatis est profundere pecuniam. At profusioni contraria est acceptio & custodia.* Ratio consequentiæ: *quia custodire pecuniam & accipere, non est uti pecunia.*

Resp. 1. *Antecedens* exclusive verum non est: non enim liberalitatis tantum est accipere & custodire pecuniam: Sed præcipue largiri. 2. *Consequentia* quoque nulla est: ratio falsa est: recte enim utitur pecunia etiam qui tempestive, hoc est, quando & quantum decet, eam custodit, ut largiri possit tempestive.

§. 22. Quæritur (3) *Utrum liberalitatis sit potius dare, quam accipere?*

Resp. Supponimus heic, etiam in accipiendo occupari liberalitatem, idque cum *Aristotele* & *Cicerone*, qui lib. 1. off. duo constituit liberalitatis genera, quorum unum in dando, alterum in accipiendo occupatur: quod etsi absurdum *Timplero* videtur, non tamen propterea falsum est: *Ratio* est: Is enim est liberalitatis actus, qui contrarius est avaritiæ actui: Ergo non tantum dare, sed & accipere est liberalitatis. *Assumtio* probatur: Quia ut avarus modum in accipiendo excedit, ita liberalis eum servat, non nimium appetendo & accipiendo. Jam igitur ad quæstionem respondemus & dicimus, *liberalitatis esse potius dare:* quia perfectius & beatius est dare, quam accipere, Actor. 20. v. 35. & usus pecuniæ longe magis est conspicuus in dando, quam in accipiendo. Ipsumque nomen liberalitatis dare potius, quam accipere arguit: quia retinentis vinculis liberatur pecunia, quando ad alterum libere transit. Accedit, quod ad arduum potius adspiret virtus: Atqui dare magis est arduum & difficilius, quam accipere.

Et

Et laudandus potius atque amandus qui dat, quam qui accipit: vide *Arist.* lib. 4. cap. 1. Hinc pulchre *Boethius*, lib. 2. prof. 5. *Omnes divitiæ effundendo magis, quam coacervando melius nitent, & tum est pretiosa pecunia, cum translata in alios largiendi usu desinit possideri.* Et dicere solitus *Artaxerxes Longimanus*, Persarum Rex: *Regium magis esse adjicere alicui aliquid, quam adimere.* Et *Ptolemæus Lagi*, Rex Ægypti *præstare ditem facere, quam ditescere.* Inter dogmata *Epicuri* & hoc fuit: *Beneficium dare non pulcrius tantum sed & jucundius esse, quam accipere:* Ratio est: Quia major & purior est lætitia dantis: sæpe enim pudet accipere beneficium: semper autem cum gaudio gratificamur aliis: *Plutarch.* in lib. *Quod maxime cum principibus viris sit disputandum Philosopho.*

Excipitur in contrarium.

§. 24. (1) Quod *quis maxime intendit, de eo non tristatur, nec ab eo cessat. Atqui liberalis haud raro tristatur de iis quæ dedit, & à dando sæpe cessat. Ergo liberalis maxime non intendit dare.*

Resp. *Propositio* est distinguenda: quod quis maxime intendit, de eo non tristatur, quatenus intendit: interim tristari jure potest, si, quod intendit, non est assecutus. Hinc liberalis non tristatur de eo, quod dedit: sed quod indigno dederit: seu quod ei dederit, cui non intendit dare: vel, quod pecunia convenienter usus non fuerit. Unde simpliciter non cessat dare, sed dare indignis, ut dare possit dignis.

§. 25. (2) *Liberalis non est petax: Arist. lib. 4. Eth. Ergo maxime non intendit dare:* Ratio consequentiæ: *quia petacitas est medium acquirendi pecunias, quas possis dare: Atqui ad obtinendum id, quod quis maxime intendit, quibus modis mediisque, utitur,* quibus potest.

Resp. Negatur *consequentia: probatio* partim inconsequens, partim falsa est: *inconsequens*: quia plures & honestiores modi acquirendi sunt, quam petacitas: *Falsa*: quia prudens non utitur mediis quibuscunque, sed quæ liberalem decent: in iis vero non est petacitas.

§. 26. (3) *Homo liberalis per inclinationem naturæ tenetur sibi potius, quam aliis prospicere: Ergo ejus non est potius dare, quam accipere*: Ratio conseq. *quia dando non sibi, sed aliis prospicit.*

Resp. Negatur *consequentia. Probatio* est inconsequens. Homini, quatenus est homo, dictat natura sibi potius quam aliis prospicere: quatenus vero liberalis, dictat liberalitas potius dare,

postquam

postquam per naturæ legem sibi prospexit, quam accipere aut retinere: quia dare beatius & perfectius est, quam accipere.

§. 27. Quæritur (4) *An liberalis, quandoque etiam indignis dare debeat?*

Resp. Monet *Aristoteles*, l. 4. Eth. non quibusvis esse dandum, sed iis tantum, quos beneficiis nostris dignos judicamus: Neque obscura est ratio, quia erga indignos qui liberales sunt, *sibi, indignis*, & *dignis* obsunt: *Sibi* quidem, quia inutiliter sua perdunt & indignitatem suorum beneficiorum videntur approbare iisque similes esse: *indignis*, quia liberalitate sua improbitatem eorum fovent, & pejores reddunt: *Dignis*, quia quod auferunt indigni, eo defraudantur digni.

§. 28. Interim liberalitas in specie sic dicta, quatenus est promtitudo largiendi eleemosynas, erga indignos quoque exerceri potest: quando egestas supplet dignitatem accipientis, & indignis datur propter egestatem, &, quam nobiscum communem habent, humanitatem. Exemplo ipse quoque præivit *Aristoteles*, à quo cum eleemosynam peteret improbus, sed extreme egens, dedit: cumque ab alio reprehenderetur, respondit: *se non dare homini, sed humanitati, quam communem secum mendicus haberet.* Inter indignos quoque *ingrati sunt*, qui & ipsi à beneficiis excludendi semper non sunt. Datur iis sine spe recipiendi. Unde liberalitatem etsi jucundiorem debitor gratus, clariorem tamen ingratus facit: teste *Plinio*, in Panegyr. Trai. *Satius est prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos;* Senec. lib. 4. de benef. cap. 28.

Interim observetur, in largitione eleemosynarum pauperibus indignioribus præferendos esse digniores.

§. 29. Quæritur (5) *An verum sit tritum illud*, liberalitas non facit Syllogismum.

Resp. Respectu diverso *verum* & *falsum* est. *Falsum* est, quia *beneficiis si detraxeris judicium, desinunt esse beneficia:* Seneca. Itaque liberalis omnino facit *Syllogismum*, quando dispicit, cui dare velit. *Verum* est, quia qui liberalis est, non disputat secum; an digno & egenti dare velit, aut debeat.

§. 30. Quæritur (6) *An recte Seneca dictat:* non posse beneficium manu tangi, sed animo cerni.

Resp. In beneficio distinguenda duo sunt, *materiale* & *formale*: *illud* est, quod datur, ad testificandum beneficentiam, sive aurum, sive argentum, sive aliud quiddam externum: *hoc* ipsam beneficii rationem continet quæ nec oculo videri, nec manu tangi potest: & est benefaciendi intentio, quæ est scientis volentisque à

materia

materia beneficii distincta & separabilis. Unde ἐχθρῶν δῶρα dicuntur ἄδωρα, hoc est, *hostium dona, non dona*, quia non sunt conjuncta cum benefaciendi intentione; sed potius nocendi dantur animo, adeoque maleficia potius, quam beneficia, sunt. Hæc igitur benefaciendi intentio in animo dantis latens præsumitur accipientis animo, quamvis nulli sit notior, quam danti. Verba *Senecæ* observatu digna sunt.

Multum interest inter materiam beneficii, & ipsum beneficium: Aurum enim, argentum & similia, quæ alicui dantur ab homine liberali, non sunt beneficium, sed materia beneficii. Et sicut corona non est ipse honor, sed honoris insigne: sic non est beneficium id, quod sub oculos venit, sed beneficii vestigium & nota: lib. 1. de benef. cap. 5. Item: *Est benevola actio tribuens gaudium capiensque tribuendo, in id, quod facit, prona & sponte sua parata: Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, sed qua mente: quia beneficium non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo*: cap. 6. Sic & *Ambros.* lib. 1. off. cap. 30. *Non satis est bene velle, sed etiam benefacere, nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiscatur.*

§. 31. Quæritur (7) *An etiam pauper liberalis esse possit?*

Resp. Qui omnino pauper est, ita ut nihil nisi ex aliorum liberalitate habeat, eoque carere absque suo incommodo haud possit, non quidem *effectu*, attamen *affectu*, liberalis esse potest.

Si vero pauperem intelligas eum, cujus mediocres sunt fortunæ, vel tantillæ etiam, ut in singulos sufficiant dies, non *affectu* tantum ille, sed & *effectu* liberalis esse potest, utut minimum largiatur dignis. Liberalis cujusdam apud *Xenophontem* vox est. ἐλευθερίους εἶναι καὶ ἄνευ χρυσοῦ ἐστί. *Possunt homines etiam absque auro liberales esse.* Elegans est *Ciceronis* Sententia, lib. 19. moral. *Nunquam vacua est manus à munere, si area cordis repleta est bona voluntate.*

§. 32. Quæritur (8) *An liberalitas ex quantitate sit æstimanda?*

Resp. Recte id negat *Aristoteles*; quia æstimandam censet liberalitatem non τῷ πλήθει τῶν διδομένων, sed τῇ ἕξει τοῦ διδόντος. hoc est, *non multitudine donorum sed habitu dantis*. Itaque fieri potest ut liberalior sit is, qui pauca dat, si tenuioris sit fortunæ, quam qui plura, si opibus abundet: quod etiam *Christi* fuit judicium de eleemosyna viduæ duo tantum minuta in pauperum ærarium conjicientis; *Luc.* 21. Pulchre *Chrysippus, quorundam se malle judicium, quam beneficium: & quorundam*

rundam beneficium, quam judicium. Æschines pauperrimus, cum nihil de fortunæ bonis haberet, quod *Socrati* Præceptori offerret, seipsum *Socrati* donavit, & ut munus qualecunque boni consuleret, rogavit. Cui *Socrates. Quid ni tu magnum mihi munus dederis, nisi forte parvo te æstimas.* Unde *Seneca: vicit Æschines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum & omnem juvenum opulentorum munificentiam. Vides quomodo animus inveniat liberalitatis materiam etiam inter angustias!* Hieronymus ait, ad Paulinum, *Liberalitatem non cumulatione patrimonii, sed largitatis definiri affectu.* Et Leo Papa: *fidelium largitatem non de muneris pensari pondere, sed de benevolentiæ quantitate.*

Quæritur (9) *An liberalis facile ditescat?*

Resp. *Affirmativam* cum S. Scriptura tuentur *Christiani.* Scripturæ loca sunt: Proverb. 22. v. 9. *Benignus oculus benedicetur.* Et Proverb. 29. v. 27. *Ei, qui dat pauperi, non erit inopia.* Et Ecclesiastici 40. v. 17. *Benignitas est instar horti fertilis.* Igitur *affirmativæ* hæc est *ratio:* quod liberalitatem large compenset divina benedictio, non spiritualibus tantum, sed & corporalibus.

Augustinus ait, Eleemosynam esse sacculum auri divitem & inexhaustum. De honestissimo fœnore, quod ex eleemosynis ad dantem redundet prolixe disserentem vide *Drexelium* part. 1. de eleemos. cap. 6.

Observandum hic memorabile Philosophi cujusdam dictum, quod in Apophthegmatibus *Plutarchus* recenset: *Oportere principem, qui amplificare Principatum, eique alias urbes vel provincias adjicere cupit, prius liberalitate sibi conciliare & muneribus alios subditos, quam vi hostili mœnia aggrediatur.* Idem Philosophus dixit *Alexandrum magnum* liberalitate sua Oriente potitum esse, quem per avaritiam amiserat *Darius. M. Antonio* liberalitas aditum ad potentiam præbuit amplum, ejusque, cum magnus jam evasisset, mirum in modum opes amplificavit. *Plutarch.* in Anton. Ejusdem *Antonii* & illud fuit: *Hoc habeo, quodcunque dedi.* Inexhaustæ beneficentiæ opes esse prædicat *Agapetus* ad *Justinian.* Imperat. *Quod largiendo acquirantur & dissipando colligantur.* Mart.

Extra fortunam est quicquid donatur amicis,
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Hinc laudatissimus *Aragonum* rex *Alphonsus* cuidam familiarius quærenti, *quid servaret sibi, qui tam multa multis donaret?* respondit: *ea ipsa, quæ dono.* Epitaphium cujusdam elegans

gans fuit. *Habeo, quod dedi: perdidi quod servavi.*

A liberalitate non est aliena Parsimonia, quæ *magnum est vectigal*; & à *Seneca* definitur, *ars bene utendi re familiari.*

Ita *Tiberius* Imp. ajebat, fisco regio nunquam defuturam esse pecuniam, quamdiu pauperes eleemosynam essent accepturi.

§. 34. *Aristoteles* in contraria videtur esse sententia & negare liberalem ditescere. *Rationes* sunt.

(1) *Quia liberalis non ad accipiendum, sed ad erogandum est proclivus: qui vero plus dat, quam accipit, haud facile ditescit.*

Resp. Non videtur *Aristoteles* ad divinæ benedictionis fontem respexisse: etiamsi igitur liberalis non inhiat bonis cumulandis, tamen vel inscius etiam à Deo iis cumulatur bonis.

§. 35. (2) *Experientia testatur, liberales ita opibus non esse instructos ut avaros.*

Resp. *Avarus vere dives nequit dici: qui non tam habet divitias, quam ab iis habetur: & quia tam deest ipsi quod habet, quam quod non habet.*

§. 36. Quæritur (10) *Cur benefactores, propter beneficia data, magis ament suos beneficiarios, quam hi, propter accepta, suos benefactores?*

Resp. Id, de cujus causis quæritur, fieri affirmat *Aristoteles*, lib. 9. Eth. cap. 7. & ipsa comprobat experientia, *Rationes* Philosophus reddit sequentes.

(1) Quia beneficiarius est quasi opus benefactoris: Atqui artifex magis amat opus suum, quam ab opere amatur.

(2) Quia beneficiarius suo benefactori est honestus: benefactor vero suo beneficiario utilis. Atqui honestum magis est amabile & amandum, quam utile.

(3) Quia benefactor acquirit sibi beneficiarium majoribus sumtibus, atqui chariora sunt, quæ majori acquiruntur precio.

(4) Quia benefactor quasi filium sibi parit beneficiarium: Atqui mater ardentius amat filium, quem magno cum labore peperit.

(5) Quia beneficium in beneficiario semper quasi præsens est benefactori: beneficiario autem in benefactore præteritum. Atqui præsentia magis amantur, quam præterita.

Objicitur.

§. 37. *Omne excellentius est amabilius. Atqui benefactor est excellentior beneficiario: Ergo est amabilior beneficiario, & per consequens, magis amatur.*

Resp. *Conclusio* conceditur: sed *consequens* ejus est inconsequens.

quens. Est quidem amabilior beneficus & magis debebat amari: Interim magis non amatur.

§. 38. Quæritur (11) *An aliquando etiam liceat beneficia exprobrare?*

Resp. Valde exosa est sapientibus beneficiorum datorum exprobratio: ut supra ex parte quoque vidimus. *Postquam dederis*, inquit *Siracides*, c. 41. v. 28. *ne exprobrato.* Unde & vet. trochaic. *Pauperi dans exprobransque absynthio mel temperat.* Et *Chilonis* decretum apud *Ausonium*:

Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.
Quo bene facta accipias, perpetuo memento.

Apud *Plautum* in prolog. Amphitr. ita patrem suum quidam laudat.

Sed mos illic nunquam fuit patri meo.
Ut exprobaret quod bonus faceret bene.

Quisquis in alium confert beneficium, inquit Drexelius, *& hoc ipsum exprobrat, simillimus est scribæ, qui supplicem libellum describit attenta manu & eleganti charactere, sed pro pyxide arenaria corripiens attramentum effundit illud in chartam. Huic jam omnis labor perit. Optime omnia descripsit, sed pessime siccavit scripturam. Ita beneficium qui memorat, est quasi exprobret. At vero lingua exprobratrix, velut atramentum corripit & invertit: sic atro liquore, quicquid eleganter scriptum est, obliterat.*

Cicero de amicit. *Odiosum genus hominum officia exprobrantium: quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit: Seneca* lib. 2. de benef. cap. 11. *Admonitio tædium facit, exprobratio odium. Plutarch.* de adulat. & amic. discern. *Omne, quæ exprobratur, gratia molesta, ingrata & intolerabilis est.*

Insigne quoque est Dei exemplum: *Dat omnibus benigne, nec exprobrat.* Jacob. 1. v. 6.

§. 39. Non tamen deest heic quod possit objici.

Et primum quidem ipse Deus quoque sua videtur beneficia ingratis exprobrare: *David.* per *Nathanem* multa suo exprobrari nomine mandavit, 2. Samuel. 12. v. 7. 8. Ita *Moses*, Dei nomine, ingrato populo sæpe exprobravit insignia Dei beneficia. Quod & Christus fecit urbibus *Corazim Capernaum* & *Bethsaidæ*, & inprimis *Hierosolymæ*: Math. 11. v. 21. 22. 23. & cap. 23. v. 37.

Neque etiamnum hodie est infrequens exprobratio etiam inter bonos.

Ad Dei factum respondent nonnulli, Deum non tam Davidi exprobrasse præstita beneficia, quam judicio cum ipso contendisse & ipsum sui ipsius constituisse judicem Davidem: qui tandem quoque feralem in se ipsum dixerit sententiam, videtur tamen utrumque fecisse Deus, & judicio contendisse & exprobrasse: quando commemorat beneficia, pro quibus eam, quam debebat, gratiam non retulit: quæ justa est exprobratio, qualis quoque *Mosu* & *Christi* fuit.

Respondendum igitur, non omnem simpliciter dati beneficii exprobrationem esse culpabilem, sed aliquam quoque justam *ex objecto*, & *fine*: Recte igitur beneficia exprobrantur *ingratis*, sive negent se accepisse beneficia, sive obliti sint, sive dissimulent & contemnant: recte exprobrantur eo *fine*, ut ingrati crimen animi secum recogitent & resipiscant. Post resipiscentiam merito cessat exprobratio, quæ & ante ingratitudinem justa non est.

§. 40. Quæritur (12) *An etiam in senes & pueros sint conferenda beneficia.*

Resp. Usu tutum est *proverbium: Nec in senem, nec in puerum conferendum esse beneficium.* Rationem reddit *Aristoteles* 2. Rhet. *Erasmus*, Chiliad. 1. Cent. 10. prov. 52. Quia puer non meminit: senex referre non potest. Eadem & *Diogenis* sententia fuit. *Ne quid*, inquit, *beneficii colloces, vel in senes, vel in mulieres, vel in pueros, nec in canem alienum, nec in garrulum remigem.*

§. 41. Sed prorsus insana & inhumana hæc est sententia. In quos enim æquius est beneficia conferri, quam in *senes*: quibus propter merita & imbecillitatem ea maxime debentur: quique rectius ea æstimare, quam juvenes, possunt. *Senibus* inprimis debetur *honor*, cujus testimonia solent esse beneficia; magno omnium sapientum consensu. Videatur inter alios *Plutarch.* in lib. *An seni sit gerenda Respub. Plinius* lib. 8. epist. ult. *Senectus in homine venerabilis, in urbibus sacra est.* Vide & *Aristot. lib.* 9. *Eth. cap.* 2.

Laudantur hoc nomine *Lacedæmonii*, quod apud solos ipsos senectus honoratissima fuerit: *Cicero* de senect. *Xenophon*. de Republ. Lacedæm. in Apophth. Lacon. *Valer. Maxim.* lib 4. cap. 5.

Neque à beneficiis excludendi *pueri*, in quos propter spem futuræ frugis conferenda beneficia.

Rationes pro contraria sententia allatæ nullius sunt momenti. Gratiam à *senibus* referri non posse, plane falsum est: potest & animo, & verbis, & re: siquidem consiliis eorum res geruntur majores, quam juvenum robore.

Pueri

Pueri quoque meminisse aliquo modo possunt: qui vero non possunt; adultiores facti de acceptis beneficiis sunt admonendi & ad referendam gratiam excitandi.

§. 42. Quæritur (13) *An magnificentia specie differat à liberalitate?*

Resp. Non in specie, sed in gradibus tantum, differentiam agnoscimus & magnificentiam habemus pro excellente liberalitate, uti *heroica* virtus, circa τὰ φοβερὰ, excellens est fortitudo. Non enim specie, sed gradibus tantum, differunt opes & pecuniæ, circa quas versantur liberalis & magnificus: uti & sumtuum largitio.

§. 43. Pro *specifica differentia* quæ objiciuntur, non sunt magni momenti.

(1) Liberalitatis actiones sunt acquisitio, custodia, seu asservatio & largitio opum atque pecuniæ: Magnificentia non acquirit & asservat, sed tantum largitur & impendit. Ergo &c.

Resp. *Antecedens* negatur: Et magnificus & liberalis acquirit, certoque modo asservat: etsi principaliter uterque largitur & impendit, ille majora, hic minora. Uterque enim acquirit & asservat ut largiri queat.

§. 44. (2) *Magnificentia in opibus & pecuniis majoribus, liberalis in minoribus occupatur*, Ergo &c.

Resp. Negatur *consequentia*: Nam & magnificentia modo in majoribus, modo in minoribus occupatur, sine ulla differentia specifica: ut & liberalis modo plus, modo minus largitur.

§. 45. (3) *Omnis magnificus liberalis est, sed non omnis liberalis magnificus*: Ergo &c.

Resp. Negatur *consequentia*. Cum enim liberalis quidem negatur esse magnificus, liberalis intelligitur in gradu remissiore, qui non est magnificus, seu in excellentiore gradu liberalis. Cum vero magnificus dicitur esse liberalis, absolute liberalis intelligitur, citra considerationem certi gradus. Unde inferri nequit *specifica differentia*.

§. 46. (4) *Liberalitas tantum refertur ad alios: magnificentia interdum ad nos ipsos.* Ergo &c.

Resp. *Antecedens* negatur: opponitur liberalis avaro; ut igitur avarus & sibi & aliis detrahit: ita liberalis quoque in se & alios sumtus facit.

§. 47. (5) *Alia est liberalitatis, alia magnificentiæ ratio seu mensura*, Ergo &c.

Resp. Negatur *consequentia*: quia ratio est alia non specie, sed modo tantum: quo circa majores & minores impensas occupatur.

patur: uti & diversos ejusdem virtutis actus eadem dirigit actio diversis modis.

§. 48. (6) *Ex liberalitate sequitur opus gratum huic vel illi, ex magnificentia commune, publicum & decorum.* Ergo &c.

Resp. Nec *Antecedens* exclusive verum est: nec firma *consequentia*: privatum & publicum spectat & liberalitas & magnificentia. Neque si privatum tantum spectaret liberalitas, commune tantum magnificentia, inferri illico deberet *specifica differentia*. Eorundem enim specie habituum mechanicorum alius, privatis tantum, alius publicis tantum impendi potest operibus.

V.

Liberalitati adversatur in excessu prodigalitas, in defectu avaritia.

Ἔκθεσις.

§. 1. AB utroque vitio dehortatur & ad mediocritatem adhortatur *Ursinus Vellus.*

Dilapidare cave nummos, ceu nescius uti,
Pelle tamen sordes: modus optima regula rerum.

Modis omnibus fugiendam esse avaritiam *rationes* suadent sequentes.

(1) Quia *est vehementissima humani generis pestis.* Seneca; Menand.

(2) Quia *avarus est communis hostis humani generis.* Laurentius Presbyt.

(3) Quia *avaritia & luxuria omnia imperia evertunt*, Portius Cato. apud Liv.

(4) Quia *nullum vitium tetrius, quam avaritia.* Cic.

(5) Quia *fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subvertit.* Sallust.

(6) Quia *omnis improbitatis est metropolis.* φιλαργυρία μητρόπολις πάσης κακίας. *Bion Sophista*: Quam in sententiam *Clemens Alexand.* ἡ ἀκρόπολις τῆς κακίας ἡ φιλαργυρία εἴρηται καὶ ῥίζα ἁπάντων τῶν κακῶν: *avaritia inventa est arx vitii & radix omnium malorum*; Idem & Phocylid. ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης. Cicero ait, *criminibus infinitis esse implicatam.*

(7) Quia nullum est officium tam sanctum & solenne, quod non avaritia communuere aut violare soleat.

(8) Quia

(8) Quia *est bellua fera, immanis, intoleranda: quo intendit, oppida, agros, fana atque domos vastat: divina cum humanis permiscet, neque exercitus, neque mœnia obstant, quo minus vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales spoliat.* Sallust.

(9) Quia *avari pejores sunt latronibus. Est enim in latronibus utcumque scelerum aliqua verecundia: avias fauces & desertas solitudines diligunt; & sic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris & nocte veletur.* Avaritia palam *sævit: & ipsa audaciâ suâ tota in fori luce abrupta cupiditatis arma instituit. Inde falsarii, inde venefici, inde in media civitate sicarii, tam ad peccandum præcipites, quam impune peccantes. Cyprian.*

(10) Quia *nihil tam angusti est animi atque parvi, quam amare divitias.* Cicero. *Plutarchus* avarum comparat *asino balneatoris*, qui ligna & malleolos identidem adportans fumo semper & favilla oppletus in nullam lavacri, caloris, mundiciæque partem venit: *περὶ φιλοπλουτίας.*

§. 2. *Exemplum* sordide avari est *Euclio Plautinus*, qui aquam plorat effundere, & unguium præsegmina è tonstrina domum refert: Unde per Synecdochen speciei *Euclionem* appellamus, cui avaritiam exprobramus. *Atheniensium* avaritia proverbiali sententia exagitatur: τ' χεὶρ ὑπέχει καὶ ἀποθνήσκων Ἀττικός. *Athenienses vel moriens cavat manum.* Ex *Chrysippo Athenæus* refert, adeo nonnullos pecuniæ studio sibi excidere, ut proditum sit, quendam, sub exitum, devoratis non paucis aureis nummis, ne in alienas devenirent manus, objisse. Alium tunicæ insuisse eamque induisse & præcepisse familiaribus, ut ita se sepelirent, nec corpus pollinctura ungi & curari, vel cremari sinerent.

Hermocrates avarus jam moriturus in testamento seipsum rerum suarum hæredem scripsit: *Lucillius* apud Stobæ.

Phidon avarus lacrymatus est, non quod moriturus esset, sed quod minis quinque arcam sepulchralem emisset, *Antipater* apud *Stobæ.*

Dinarchus Phidon suspensurus se, propter tres chalcos non est mortuus tanti enim funis constabat, quem ægre ferebat sumtum: aliam forte quærens vilioris pretii mortem, *Nicarch.* apud Stobæ: Est & avaritiæ contraria *prodigalitas* in vitio: Unde *Socrates* prodigum videns: *male pereas*, inquit, qui *Gratias virgines, ut scorta, prostituisti. Latinis* prodigus eleganter: appellatur *gurges patrimonii.*

§. 3. Quæritur (1) *Utrum horum vitiorum sit deterius, avaritia an prodigalitas?*

Resp. Deterior est avaritia ob sequentes *rationes.*

(1) Quia insanabilis est avaritia, secundum illud:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Prodigalitas vero tandem, absumtis opibus, per paupertatis onus sanari potest.

(2) Quia prorsus nihil commune habet cum liberalitate avaritia: habet vero hoc cum eo commune prodigalitas, quod libentius det quam accipiat.

(3) Quia prodigus etiam aliis est utilis, quas profusa sua largitione juvat & locupletat: avarus nec sibi, nec aliis.

Pro *contraria* sententia objicitur.

§. 4. *(1) Qui nocet sibi ipsi, deterior est, quam qui nocet tantum alteri. Atqui prodigus nocet sibi ipsi, avarus tantum alteri, cui bona sua non communicat: Ergo prodigus deterior est avaro.* Propositio probatur: ex Ecclesi. 14. v. 5. *Qui sibi ipsi malus est, cui nam erit bonus?*

Assumtio negatur: uterque & sibi & alteri nocet: Prodigus *sibi*, quatenus sua intempestive pofundit, & ad egestatem se deducit: *alteri*, quatenus materiam & fines benefaciendi pluribus & diutius sibi adimit & ad egestatem redactus deserere egenos cogitur. Avarus *sibi*, quatenus seipsum defraudat & sua in usus honestos & necessarios non convertit: *alteri*, quatenus de suis nihil communicat: Interim *deterior est avarus prodigo*: Quia saltem aliquibus prodest prodigus, avarus nulli. Locus *Ecclesiastici* de avaro loquitur: quod arguunt præcedentia. *Qui colligit subtrahendo animæ suæ, colligit aliis: & de bonis illius facient delicias alii.* Et sequentia: *Non lætatur de pecuniis suis.*

§. 5. (2) *Atqui & avarus aliis prodest, dum colligit aliis, qui de bonis illius tandem delicias faciunt*: teste *Ecclesiastico.*

Resp. Per accidens hoc fit, præter intentionem avari: Prodigus ex intentione aliis benefacit.

§. 6. (3) *Prodigalitas magis opponitur prudentiæ, quam avaritia: Ergo deterior est avaritia.* Antecedens probatur: *quia in prodigo vix quicquam est prudentiæ; Avarus in asservandis & colligendis divitiis uti solet prudentia.*

Ratio consequentiæ: *Quia prudentia est præcipua inter virtutes morales omniumque aliarum directrix: vitium igitur quo longius recedit à prudentia, eo fit deterius.*

Resp. *Antecedens* negatur: veræ prudentiæ plus non est in avaro quam in prodigo. Avarus sibi ipsi invidet: hæc retributio

est

est malitiæ ipsius. In avaro plus est versutiæ, quam in prodigo: etiamsi plerunque certat versutia cum stultitia. Vide *Plutarchum*, περὶ φιλοπλουτίας, ubi hominum avarorum stultitiam prolixe describit. *Avari*, inquit, *dum hæredes suos instituere & informare moribus volunt, pervertunt eos atq; perdunt, avaritiam eis & sordes implantantes, eamq; quasi arcem & castellum tutandæ hæreditati aptum in animis eorum ædificantes. Hæc enim sunt, quæ docent & præcipiunt: Lucrare & parce, ac tanti te crede esse, quantum est, quod possides. Hoc vero non est erudire, sed stipare & consuere tanquam crumenam, ut continere ac asservare possit, quod injicitur: quanquam crumena quidem, injecto demum argento, fit sordida & fætida: avarorum filii ante quam accipiant divitias, implentur paterna avaritia. Et dignam quidem disciplina sua mercedem hi parentibus persolvunt, non amantes quod multa sint accepturi, sed infensi iis, quod non jam nunc accipiant: Cum enim didicerint nihil aliud admirari, quam divitias, neque alium finem propositum vitæ habere, quam multa possidere: parentum vitam suæ impedimento esse existimant, & quantum iis accedit temporis, tantum sibi decedere* &c.

Avari liberis suis viventes plerunque nihil dant: Unde *Plutarchus* comparat eos muribus, qui in metallis *Chrysitidem* (quæ est terra auri glebulas permixtas habens) vorantes, aurum non reddunt nisi mortui & disjecti: omnia si probe ponderentur, avaro stolidior & miserior est nemo.

§. 7. Quæritur (2) *Cur senes sint magis avari, quam juvenes?*

Resp. *Ad omnia alia ætate sapimus rectius:*
Solum unum hoc vitium adfert Senectus hominibus:
Attentiores ad rem omnes sumus, quam sat est.
Inquit in Adelp. *Terentianus Mitio.*
Multa senem circum veniunt incommoda: vel quod
Quærit & inventis miser abstinet & timet uti.
Horat. in Arte.
Rationes sunt.

(1) Quia magna in iis est virium imbecillitas, per quam vitæ subsidia laboribus parare sibi non possunt: unde quæ olim pararunt, tenacius asservant, & semper metuunt, ne tandem necessaria deficiant. Vide *Aristot.* lib. 4. Eth. cap. 3. Juvenes non adeo jacturam formidant, quia virium robore freti amissas opes se facile recuperaturos putant.

(2) Quia senes usu, ætate & experientia didicerunt, quid valeat

nummus: quanti fiat pecunia: & quam multa parari possint auro. Juvenes hæc ignorare vulgo dicuntur: **Sie wissen nicht worzu das Geldt gut ist.**

(3) Quia per senectutem reliquis spoliati voluptatibus, unica lucrandi ratione gravem recreant ætatem. Quam avaritiæ suæ causam allegavit *Simonides*; cum ob eam culparetur, apud *Plutarch.* Comment. *An seni gerenda Respubl.*

(4) Quia senectus egena fere omnibus est contemtui ob varia quæ secum trahit, incommoda: oderunt eam pueri, contemnunt mulieres: *Adeo miseram Deus senectam facit!* exclamat quidam apud *Stobæum*, serm. 61. unde ex *Platone* concedit *Cicero*, de senectut. cap. 3. *videri senectutem tolerabilem, propter opes & dignitatem, In summa inopia*, inquit *Plato*, *levis esse senectus non potest, ne sapienti quidem.* Duo maxima onera putari *paupertatem* & *senectutem*, ait Cicero. Et Diogenes rogatus, *quid miserrimum ipsi videretur*, respondit: *γέρων ἄπορος, senex pauper*: Pecunia igitur cum tegere omnes soleat nævos, etiam senectutis tegit incommoda.

§. 8. Interim non ita infelix est omnium senectus & ubique ut infamem hanc ab avaritia notam trahat. Non senectutis hoc est vitium, sed morum. Non cadit in avarum mens bona. Atqui nulla ætas aptior est ad mentem bonam, quam quæ se multis experimentis, longa ac frequenti rerum patientia domuit, quæ ad salutaria, mitigatis adfectionibus, venit. *Seneca* Epist. 68.

§. 9. Quæritur (3) *Cur Sallustius dixerit*, avaritiam non animum modo virilem, sed corpus quoque ipsum effæminare?

Resp. *Sallustii* verba sunt: *Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit. Ea quasi venenis malis imbuta corpus animumque civilem effæminat: semper infinita & insatiabilis est: neque copia neque inopia minuitur.*

Hæc cum præsente *Gellio*, legi olim audivisset *Favorinus* Philosophus, illico ex *Gellio* quæsivit: *quo pacto corpus hominis avaritia effæminaret?* Animum enim virilem cur ab ea effæminari dixerit, se ferme assequi ajebat. Responsionem tum occupaverat quidam in literis veterator, qui dicebat ex *Valerio Probo* se audivisse, *Sallustium* Poetica circumlatione fuisse usum, & cum dicere vellet, hominem avaritia corrumpi, corpus & animum dixisse, quæ duæ res hominem demonstrarent.

Responsionem cum improbasset *Favorinus* alius ab eodem rogatus in hæc respondit verba, quæ *Gellii* sunt l. 3. c. 1.

Quos avaritia minuit & corrumpit, quique sese in quærenda undique pecunia dediderunt, eos plerosque tali genere vitæ occupatos

patos videmus, ut, sicuti alia in his omnia præ pecunia, ita labor quoque virilis, exercendique corporis studium relictui sit: negotiis se plerunque umbraticis & sellulariis quæstibus intentos habent, in quibus omnis eorum vigor animi corporisque elanguescit, & quod Sallustius ait, effeminatur:

§. 10. Objicienti *Favorino*:

Quid igitur dicemus, quod multos videre est pecuniæ cupidos & eosdem tamen corpore esse vegeto & valenti?

Respondit alter:

Quisquis est pecuniæ cupiens, & corpore tamen est bene habito ac strenuo, aliarum quoque rerum vel studio, vel exercitio eum teneri necessarium est, atque in sese colendo non æque esse parcum. Nam si avaritia sola summa omnes hominis partes affectionesque occupet, & si ad incuriam usque corporis grassetur; ut per illam unam neque virtutis, neque virium, neque corporis, neque animi cura adsit: tum demum is vere dici potest, effeminato esse animo & corpore, qui neque sese, neque aliud curet, nisi pecuniam.

Ad quæ *Favorinus*, *Aut* hoc, inquit, *quod dixisti, probabile est, aut Sallustius odio avaritiæ plus, quam potuit, criminatus est.*

§. 11. Quæritur (4) *Quæ avari hominis sint signa?*

Resp. (1) Si de bonis externis colligendis admodum sollicite cogitat.

(2) Si de iis retinendis & conservandis admodum sit anxius.

(3) Si gaudium, tristitia, spes, metus pendeant ex successu ejus in rebus externis.

(4) Si sensus habeat in externis bonis acquirendis exercitatos & acutos.

(5) Si tempus, quo desistere à lucro quærendo cogitur, quamvis divino cultui impendatur, nimis longum videatur.

(6) Si in ipsis divini cultus exercitiis animo & cogitatione quæstum persequatur.

§. 13. Quæritur (5) *Quæ filiæ sint avaritiæ?*

Resp. A *Thoma* numerantur septem (1) ***Proditio.*** (2) ***Fraus.*** (3) ***Fallacia.*** (4) ***Perjurium.*** (5) ***Inquietudo.*** (6) ***Violentia.*** (7) ***Obduratio contra misericordiam.***

Ab *Isidoro* novem (1) ***Mendacium.*** (2) ***Fraus.*** (3) ***Furtum.*** (4) ***Perjurium.*** (5) ***Turpis lucri appetitus.*** (6) ***Testimonia falsa.*** (7) ***Violentia.*** (8) ***Inhumanitas.*** (9) ***Rapacitas.***

Appellantur *filiæ avaritiæ* vitia, quæ ex avaritia oriuntur. Impellit autem avaritia ad mendacia, fraudes, perjuria, falsa testimonia, injusta lucra, crudelitatem, rapinas, proditiones &c. Unde Apo-

de Apostolus ait φιλαργυρίαν esse ῥίζαν πάντων κακῶν. *Avaritiam esse radicem omnium malorum.* vide ἐκ.θ. 1.

§. 13. Quæritur (6) *An usura sit quoque filia avaritiæ?*

Resp. Usura definitur, *lucrum ex mutuo quæsitum, vi ipsius mutui.* Lucrum intelligitur *acquisitio commodi pecunia æstimabilis, quod alias meum erat.* Communiter *usura* appellatur pensio certa pecuniæ, quæ creditori à debitore datur ultra summam ad certum tempus mutuo datam. Hujusmodi *an sit licita pensio*, hoc est, an exigi & accipi possit, citra exprobrationem iniquitatis aut avaritiæ, quæritur.

A plerisque modernis Theologis, JCtis & Ethicis *affirmatur* quæstio, duabus observatis cautelis. (1) Si pecunia non sit data mutuo prorsus egeno, qui usus ea ad indigentiam & necessitatem suam sublevandam sine spe & intentione lucrandi. (2) Si intra mediocritatis terminos se contineat usura, & lucrum non exigatur nimium; quod debitori grave & damnosum sit, adeoque charitati repugnet.

Usurarum hisce conditionibus datarum & acceptarum æquitas manifesta est, sive periculum capitalis commune maneat debitori & creditori, sive ad debitorem, seu eum, qui exercet pecuniam, solum pertineat, contractu æquis inito legibus. Si enim lucrum mea pecunia quærere & facere fas tibi est, quid ni & lucri istius aliquam ad me particulam redire æquum sit? Quid æquius, quam ut mea pecunia non soli tibi, sed & mihi sit lucrosa: cum quod mihi de meo præstas officium, tibi compensetur de meo? si fas est pecunia mea lucrum quærere, sine alterius opera, quidni & per alterius operam? præsertim si damnosa illa non sit opera, si pretium ejus & ipse faciat? Accedit, quod nulla realis differentia ostendi possit inter aliquam usuram & alios contractus citra controvertiam licitos & probatos. *Exempli* gratia: Si prædium emas, unde annuos reditus centum imperialium possis recipere & pro 100. imperialibus alteri eloces: iniquitatis contractum nemo accusabit. Si ad idem emendum prædium pecuniam alteri des mutuo, & eandem summam ab ipso accipias: nonne perinde erit, sive pro prædio, sive pro pecunia singulis annis tibi 100. imperiales pendat?

Contra usuras excipi multa solent: præcipua diluenda.

§. 14. (1) Usuras Deus in lege sua prohibuit. Exod. 22 v. 25. Levit. 25. v. 35. 36. Proverb. 28. Ezech. 18. v. 17. Ps. 15. v. 5. Ergo licitæ non sunt.

Resp. *Antecedens* simpliciter & absolute verum non est: primum enim Deus usuram inter omnes homines nuspiam prohibuit, sed tan-

ſed tantum inter *Judæos*. Fuit igitur lex illa *forenſis*. At forenſibus populi Judaici legibus non omnes obligari homines, vulgo eſt in confeſſo. Deinde inter *Judæos* prohibuit, quoad egenos, quæ limitatio in plerisque locis exprimitur: Unde prohibitio fundata eſt in conditione perſonæ. Denique prohibuit *mordentem* & *rodentem*, charitati repugnantem & cum proximi damno conjunctam: quæ Chriſtianis quoque eſt illicita.

Si omnis uſura intrinſece & natura ſua eſſet mala, Deus Judæis, lata lege, non permiſiſſet extraneis dare in uſuram: peccata enim Deus in lege nunquam ullis permiſit. Atqui uſuras inter Judæos & extraneos Deus permiſit, Deut. 23. v. 20. *Extraneo iſti dabis in uſuram.*

§. 15. (2) *Pecuniæ proprius & principalis uſus eſt ipſius conſumtio: Ergo illicitum eſt pro uſu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod eſt uſura.*

Antecedens probatur: *Quia pecunia principaliter eſt inventa ad commutationes faciendas, ut docet* Ariſt. 5. Eth. cap 5. & 1. Polit. c. 6. 7. *Per commutationes vero abſumitur & è noſtra exit poteſtate & dominio: veluti triticum & vinum uſu conſumuntur.*

Ratio conſequentiæ: *Quia pro uſu rei, quæ per uſum abſumitur, aliquid ultra ſortem exigere, eſt vel id, quod non eſt, vendere: quod eſt contra jus naturæ: vel idem bis vendere, aut duas compenſationes exigere, nempe reſtitutionem mutui dati, inſuperque uſuram, quod eſt contra legem juſtitiæ.* Argumentum hoc, tanquam primarium, urget *Thomas*, 2. 2æ. q. 78. art. 1. ubi docet, aliam eſſe rationem rerum, quæ uſu non conſumuntur, ſeu quarum uſus non eſt conſumtio: ubi uſus elocatur & dominium retinetur. Veluti cum certo pretio domus alteri locatur, cujus uſus eſt inhabitatio; pro qua aliquid pendi juſtum licitumque eſſe judicat.

Reſp. (1) *Antecedens* ſimpliciter & excluſive verum non eſt: probatio inconſequens eſt. Principalis pecuniæ uſus non tam eſt conſumtio, quam alterius rei per conſumtionem pecuniæ, acquiſitio. Per commutationem enim aliquid à nobis ad alium tranſit, & viciſſim aliquid ab alio ad nos tranſit, ſeu redit, unde amittimus, vel dimittimus dominium rei noſtræ, & acquirimus dominium rei alterius.

(2) Negatur *conſequentia*: Non venditur id, quod non eſt: ſed accipitur commodum ex eo, quod pecuniæ noſtræ conſumtione acquiſitum eſt: quod ſæpe in rebus conſiſtit, quæ uſu non conſumuntur: Neque ſimpliciter injuſtum eſt, ut duæ exigantur compenſationes pro rebus duabus: una pro ſorte,

quæ

quæ restituitur: altera pro commodo, quod pecuniæ exercitor ex nostra cepit pecunia: ejus enim ad nos aliquam redundare partem, æquum est, ut supra ostendimus. Neque idem bis venditur: datur enim pecunia mutuo, ut restituatur, & pro lucro insuper aliquid reddatur. Cum enim nostra pecunia aliis sit lucrosa, quid ni & nobis sit? præsertim si inde ad alium plus redeat lucri, quam ad nos.

§. 16. (3) *Pecunia est sterilis: Ergo ferre fructum usura non potest, vel debet.* Aristotelis est argumentum.

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: etiamsi enim pecunia τῇ φύσει & certo respectu, sterilis est, tanquam res inanimata: tamen politice, ex institutione hominum, fœcunda quoque est: quippe quæ idoneum est lucrifaciendi medium. Quod si vero *antecedenti* limitationem inseras: Pecunia *natura sua* est sterilis: nulla erit consequentia Quod enim natura sterile est, id ex hominum instituto civiliter ferre fructum potest, hoc est medium esse lucrifaciendi, sive per emtionem, sive per mutui dationem. Potest ex hominum instituto res facere, quod per naturam non facit: Neque magis sterilis est pecunia sua natura, quam domus: quæ tamen Domino suo, ex instituto hominum, parit lucrum: etiam rebus natura sua non pretiosis hominum æstimatio pretium facit, uti & nummus usu valet, non natura. Plura vide apud *Rivetum*, in expl. decal. ad v. 15. capitis 20. Exod.

§. 17. *Triplex* vulgo *usura* statuitur. (1) *Lucratoria* in specie sic dicta, quæ & *mordens* appellatur, ex mero mutuationis officio lucrum faciens contra naturam contractus. (2) *Compensatoria*, qua justum compensatur interesse creditori pecunia sua carenti. (3) *Punitoria*, quæ pro pœna ab homine vel lege infligitur, non propter lucrum petentis, sed propter moram non solventis. *Prima* lege divina est prohibita, Exod. 22. v. 25. Lev. 25. v. 35. 36. 37. Ps. 15. v. 5. Luc. 6. v. 34. 35.

Secunda & *tertia* divinis legibus non sunt prohibitæ, ab humanitatis officio non alienæ: sed justæ & imperatoriis legibus permissæ.

§. 18. Quæritur (7) *Quæ remedia adversus avaritiæ morbum valeant?*

Resp. (1) *Si cogites, avaritiam esse radicem omnium malorum.* Noxiam & truculentam hanc bestiam egregie describit Palingenius, in Tauro.

--- Nulla est hac major Erinnys:
Hanc memorant Acheronte satam per tristia Ditis
Regna truces agitare faces, centumque colubris

Colla

Colla veneniferis gestare minacia: fauces
Humano expleri nunquam potuere cruore:
Semper hiant aliosque tenent, aliosque requirunt
Ora cibos.

(2) *Si cogites vix fieri posse ut regnum cœlorum avarus ingrediatur.* Si enim divitiæ plerosque excludunt à regno cœlorum, quid ni avaritia, per quam noxiæ sunt divitiæ; per se non malæ.

(3) Si cogites serio & sæpe de vanitate divitiarum. *Non desidero patrimonium*, inquit Seneca, *fragilis & caduca felicitas est, & omnis fortuna blandientis speciosus cum periculo nitor: & sine causa sæpe fluit & sine ratione destituit.*

(4) Si consideres brevitatem hujus vitæ & æternitatem futuræ. *Omnia humana*, exclamat idem Seneca, *brevia & caduca sunt, infiniti temporis nullam partem occupantia.*

(5) Si consideres providentiam Dei & paternam de nobis curam. Egregiam Christi sententiam vide, Matth. 6. v. 28. 29. &c.

(6) Si animum occupes spiritualibus divitiis conquirendis; *Nemo sapiens pecuniam concupivit.* Sallust.

(7) Si reputes tecum, quam exosi bonis sint avari. Igitur avaritiam fugiat, quisquis amari à bonis cupit. Unde M. *Antonius* Imperator vir moribus & rebus gestis clarissimus, in tota vita nihil magis timuit atque deprecatus est, quam avaritiæ famam: *Capitolinus.*

CAPUT XXVI.

De AMICITIA SOCIALI.

THESIS I.

FUIT liberalitas: *Sequitur amicitia, quæ est charitas sive benevolentia mutua non latens.*

II.

Consistit autem omnis amicitia vel in æqualitate, vel in eminentia quadam & excellentia subjectorum: Illa socialis, hæc politica dicitur amicitia.

III.

Socialis amicitia est, qua duo vel plures, moribus, ætate & conditione æquales (vel certe non nimis inæquales)

æquales) se mutuo amore , ob boni alicujus amorem , prosequuntur.

IV.

Bonum ex cujus amore mutuo duorum vel plurium nascitur amor , est vel honestum *seu virtus moralis , quæ amicitiam gignit honestam & perfectam : vel* jucundum , *quod amicitiam gignit jucundam , qua propter voluptatem plures inter se conjunguntur amore : vel* utile , *quod amicitiam gignit utilem , qua propter quæstum plures inter se amore conjunguntur.*

Ἔκθεσις.

OBIECTVM amicitiæ in genere est τὸ ἀγαθὸν , cujus commune desiderium duorum vel plurium inter se animos conglutinat, sive bonum illud sit sive *honestum*, sive *jucundum* , sive *utile*. Attamen amicitia perfecte & κατ' ἐξοχὴν ita dicta principaliter non nascitur nisi ex *bono honesto* , nec cadit nisi in eos , qui accuratiorem istius boni notitiam habent , & judicio jam sunt confirmato.

§. 2. *Officium* amicitiæ , præsertim perfectæ & socialis , consistit non tantum in affectu latente in animo , aut per verba etiam se prodente , sed in effectu quoque : ut non tantum bene cupias & velis amico , sed & eidem, si facultas & occasio detur , benefacias, ut patebit pluribus ex præceptis. Itaque amicitia *honesta* & perfecta non excludit , sed vel maxime etiam includit , *utile* & *jucundum* , modo utrique *honestum* præferatur & utrique modum præscribat.

§. 3. De natura amicitiæ perfectæ socialis sequentia observantur theoremata.

(1) *Vera & perfecta amicitia res est difficilis.* Ratio est : quia requirit cultum aliarum omnium virtutum & quodammodo omnium virtutum est compendium. *Sine virtute esse amicitia nullo pacto potest.* Cicero.

(2) *Perfecta amicitia in humano genere est rara.* Ratio est: quia tantum est inter bonos : Bonorum autem virorum magna est raritas , secundum illud :

- - - *rari quippe boni :*

Hinc *Cicero* ait : *ex omnibus fere seculis vix tria aut quatuor paria*

paria verorum amicorum fuisse reperta : quæ suo loco commemorabimus. Unde *Seneca* lib. 6. de Benef. cap. 38.

Nescis, quantum sit pretium amicitiæ, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, sed seculis raram: quæ non alicubi magis deest, quam ubi creditur abundare. Et Plutarchus σπάνιον καὶ δυσεύρετον ἐστι φίλος βέβαιος. *Rarum quiddam & inventu difficile est amicus constans.* Eorum, qui ad amicitiam perfectam sunt idonei, conditiones videantur apud *Piccolom.* Grad. 7. cap. 20. Quæ omnes & singulæ in paucissimis concurrunt subjectis.

(3) *Amicitia vera & perfecta constans & diuturna est.* Ratio est: quia virtus, ex qua originem trahit, bonum est constans, fortunæ lusibus haud adeo obnoxium. *Amicitia*, inquit, Hieronym. *quæ desinere potest, nunquam vera fuit.* Unde tritum illud, *amicitiæ immortales, inimicitiæ mortales esse debent.* E contrario *utilem* & *jucundam* amicitiam facile extingui posse, usus docet: quia bona, ex quibus nascuntur, caduca sunt & mutabilia.

(4) *Ad perfectam amicitiam requiritur crebra conversatio.* Unde *Seneca* ait: *coagulum amicitiæ esse convivium cum bonis.* Rationes sunt: (1) Quia sine mutua conversatione non potest esse mutua officiorum compensatio. (2) Quia ex raritate conversationis facile oritur inter amicos suspicio, diffidentia & tandem oblivio. (3) Quia crebra conversatio accuratam gignit mutuæ virtutis notitiam, quod amoris fomentum est efficax.

(5) *In amicitia perfecta non est locus querelis, calumniis, suspicionibus aut contentionibus.* Ratio est: quia omnibus hisce malis viam præcludit virtus & amor mutuus, qui ne gestu quidem amicum lædere sustinet.

(6) *Amicitia vera non ad fructum nostrum referenda, sed ad illius, quem diligimus, commoda*: secus si fit, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam. *Prata & arva & pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex iis capiuntur.* Cicero.

(7) *Amicitia vera in adversis maxime conspicua est.* Quod magno sapientum consensu firmatur: Unde Euripides. *Nomen, non rem, habent amici, qui non in calamitatibus sunt amici*, ἡ δυσπραξία φίλων ἔλεγχος ἀψευδέστατος: *certissimus index amicorum calamitas.*

(8) *Amicitia morum requirit similitudinem*: Plin. lib. 4. Epist 15. *Cicero* pro *Cluentio* 1. off. & *Plutarchus* de adulatoris & amici discrimine. *Æmilius* Prob. in *Pomponio Attico*. *Plato* lib. 6. de lege Mitylenæi apud *Thucyd.* lib. 3.

(9) *Nemo*

(9) *Nemo melius diligit, quam qui maxime veretur offendere.* Salvian. Epist. 4. Pertinet huc monitum: *Mordaci lingua careat, qui amicos vel novos ambit, vel retinere veteres cupit.* Olim *Maximilianum* II. è conclavi proditurum ante id nonnulli Germaniæ principes præstolabantur. Inter quos junior quidam gestu minus decoro uti & nonnihil vitulari visus: quod acerbiore oculo alius magnæ autoritatis princeps notavit, & liberiore voce, *Domine*, ait, *videor mihi nosse cui stomacho cibus fores aptissimus.* Cuinam, inquit iste? Mox alter; *Leonum meorum*, inquit, *quia multum carnis vitulina habes.* Hac irritatus mordacitate junior, *videor*, inquit, *& ego nosse ad quam rem celsitudo tua per quam idonea foret, si liceret id proferre & æquo ferretur animo.* Illico alter, *licet*, inquit, *nec iniquo id animo feretur.* Tum junior promtissime *Tua celsitudo*, inquit, *mire apta esset, ad educandas adolescentes simias, quo perfidiam celerius addiscerent.* Hi reciproco dente infixi verborum morsus odii immortalis fuerunt plantarium.

§. 4. *Amicitiæ studium* nobis suadent & commendant *rationes* & *exempla*. *Rationes* amicitiæ colendæ gravissimas adducit *Cicero* in suo de amicitia libello, quem *Lælium* inscribit: *Cui potest esse vita vitalis*, inquit, *qui non in amici mutua benevolentia acquiescat? quid dulcius, quam habere, qui cum omnia audias sic loqui, ut tecum? quis esset tantus fructus prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque ac tu gauderet? adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret.* Idem in eodem libro, ad amicitiæ necessitatem demonstrandam, *Solem*, ait, *è mundo tollere, amicitiam qui tollunt.* Ibidem ait, *Nihil à Diis immortalibus melius, nihil nos jucundius habere amicitia.* Quo cum consentit illud *Herodoti*: Κτημάτων πάντων ἐστὶ τιμιώτατον ἀνὴρ φίλος. Ibidem affirmat: *Non aqua, non igne, non aëre, pluribus nos locis uti, quam amicitia, quia & secundas res splendidiores facit, & adversas leviores. Amicitia præcipuum animi humani bonum:* Tacitus. Amicum in summo putare pretio jubet *Chion*: Epist. 16. *Desine*, inquit, Boëth. *amissas opes quærere: quod pretiosissimum genus divitiarum est, amicos invenisti. Amicitia*, inquit Cassiodorus, *divitibus pro gloria est, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, pro medicina ægrotis, mortuis pro vita, sine qua nullum est vitæ humanæ solatium. Jucundissimum, est in rebus humanis*, inquit, *Plinius*, in Panegyr. ad Trajan. *amari: sed non minus amare.*

§. 5. *Exempla* & *paria* quædam amicorum illustria nobis commendant Historiæ, cujusmodi sunt: *Orestes*

Orestes & *Pylades*, quorum ille pro hoc vitæ discrimen subire non dubitavit. *Damon* & *Pythias*: cum enim alteri necis diem Tyrannus destinasset, isque abitum in pauculos dies, rerum suarum ordinandarum causa, à Tyranno impetrasset, alter vadem amici abeuntis se stitit Tyranno: sed tempestivo reditu, qui abierat, & se & amicum vadem servavit, adeo ut in amicitiam quoque eorum recipi Tyrannus expetiverit. *Theseus* & *Pyrithous*, quorum ille mortuo *Pyrithoo* superesse noluit. *Epaminondas* & *Pelopidas*, quorum ille *Pelopidæ* semimortuo, cum præsenti vitæ discrimine adhæret, quæ fides quoque in *Tito Volumnio* erga amicum *Lucullum* commendatur. Hujusmodi paribus accensentur quoque *Patroclus* & *Achilles*, *Nysus* & *Euryalus*, *Lælius* & *Scipio*, *Pomponius Atticus* & *Cicero*: In sacris *David* & *Jonathan*. Videndum, an hujusmodi amicis quoque accensendi sint *sexcenti* illi *viri*, quos sibi delectos & proximos olim habuit *Adiatomus*, Rex *Sotianorum*: qui cum Rege & vitam agebant & moriebantur, eandem cum rege fortunam, quæcunque illa esset, summopere votis optantes: ob quam erga Regem fidem cum eo principatum gesserunt, eodem victu & corporis cultu. Quotiescunque igitur necessitatis contigit occasio, mortem libenter oppetebant, sive Rex morbo interjisset, sive in prælio cecidisset, sive quavis alia de causa vita excessisset. Nec fuit, qui dicere potuerit, ex illis, amisso Rege, quempiam mortem vel expavisse, vel recusasse tergiversantem. Historiam ex *Nicolao Damasceno* recitat *Athenæus*. lib. 6.

Præcepta de amicitia colenda observentur sequentia.

(1) Amicum quære non in intemperantium tabernis, non in avarorum gurgustulis, non in sumtuosis aulis; sed, suadente *Socrate*, in eorum domiciliis, qui sunt continentes in voluptatibus, quæ corpore percipiuntur, qui juramenta servant, qui in pactis difficiles se non præbent, qui beneficentia benefacientibus inferiores non sunt. Videatur & *Seneca* de Tranquill. cap. 7.

(2) In amicitiam neminem recipito, nisi probe exploratum. Unde veteres dixerunt: *Salis modium absumendum esse cum homine, priusquam te amicum ejus profitearis*. Est hoc *Isocratis* ad *Demonicum* præceptum: Et *Aristot*. 8. Eth. cap. 3. & lib. 7. Eudem: cap. 2. Et *Ciceronis* de Amicitia. Pulchra est *Senecæ* sententia: *Tu omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. Post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum. Isti vero præpostere officia permiscent, qui contra præcepta Theophrasti, cum amaverint, judicant, & non amant, cum judicaverint*.

(3) Cum amicis breves rationes, longas autem amicitias tibi habendas memineris: ex præcepto *Senecæ*.

(4) Amicos in secreto mone, palam autem lauda: ex præcepto *Senecæ*. Cui suffragatur *Cicero*: *Veræ amicitiæ proprium est monere & moneri: alterum libere & non aspere faciendum, alterum patienter non repugnanter accipiendum.* Eandem quoque in sententiam præclara est vox *Phocionis*. *Non potes me uti amico & assentatore.* Sed inprimis cavendum, ne publice amicum reprehendas & coram aliis confundas: Hinc cum *Socrates* in convivio disputaret, & familiarium quendam acrius incesseret, *Platoni* dicenti: *Nonne præstabat hæc privatim loqui?* respondit: *Et tu nonne rectius de hoc ipso seorsim me monuisses?* Adolescentulus quidam à *Pythagora*, cui operam dabat, præsentibus multis, asperius compellatus suspendio vitam finiit. Unde ab eo tempore nunquam, alio præsente, quenquam *Pythagoras* corripuit.

(5) In adversis potissimum veræ amicitiæ vim tibi exercendam memineris. Ut enim in igne aurum; sic in adversis amicitia innotescit & probatur.

(6) Amico ad aram usque gratificare: quod *Periclis* apud *Plutarchum* est præceptum: Δεῖ συμπράττειν τοῖς φίλοις ἀλλὰ μέχρι βωμοῦ, hoc est. *Salva pietate, amicis gratificandum.* Improbandæ igitur amicitiæ *Commorientium* apud veteres olim frequentes: quando duo aut plures hac lege amicitiam contraxerunt, ut si amicorum unus diem clausisset ultimum, reliqui mortem ultro sibi consciscerent, & ita vivere una omnes desinerent; quo fœdere *Antonius* & *Cleopatra* cohæserunt. Impingit hæc amicitia in legem divinam & iniquitatis est vinculum. Similis videtur amicitia fuisse *Adiatomi* & sexcentorum virorum de quibus ante.

Quæritur (1) *Utrum amicitia fato, an prælectione nobis obtingat?*

Resp. Vulgo dicuntur *fato* fieri, quæcunque Deo duce & naturæ instinctu fiunt.

Pro *prælectione* militat ratio: Virtus moralis prodit ex prælectione. Amicitia est virtus moralis. Ergo ex prælectione prodit.

Propositionem & *Assumtionem* supra in distinctis quæstionibus probavimus.

§. 8. Pro *natura* & *Deo* deponunt *Plato*, *Cicero*, *Augustinus* & alii. *A natura*, inquit Plato, *gignitur sensus diligendi & benevolentiæ charitas.* Idem in Lyside: Poetæ dicunt non male, *homines conciliatoris Dei ductu amicos fieri*; quando ajunt: *Deus similem*

milem semper ducit ad similem; similes autem sunt viri probi. Unde *Ecclesiasticus*, cap. 6. Fidum amicum promittit ei, qui Dominum timet; quasi præmium divinum amoris Dei.

§. 9. Facile est difficultatem expedire, Obtingunt amicitiæ *fato* & *praelectione* simul: hoc est, amicitias conciliat Deus, natura & libera hominis voluntas, seu electio. DEUS tanquam auctor omnis boni: est enim in bonis & amicitia, quæ inter præcipua humanæ societatis est bona. *Natura*, quæ hominem gignit ad societatem, cujus desiderium ipsis quoque brutis indit, quæ sui generis gaudent gregibus: Unde *Augustinus*, in libro de anima. *Natura humanis mentibus affectum amicitiæ impressit:* Denique *electio & voluntas hominis*, quæ principium est proximum omnium actionum liberarum, & naturæ indifferentiam determinat ad certa subjecta, quæ aliis præfert, judicio præeunte. Unde *Seneca: Amare & odisse res omnium liberrima.*

§. 10. Quæritur (2) *An amicitia sit virtus moralis?*

Resp. affirmatur:

(1) Quia virtutis definitio ipsi competit: Est enim & amicitia constans animi propositum vivendi secundum legem.

(2) Quia est medium morale inter duo extrema moralia.

(3) Quia species est charitatis: Atqui charitatem inter virtutes numerari, nemo facile negaverit.

Multi tamen amicitiam ex numero virtutum proprie sic dictarum excludunt: Inter hos *Piccolomineus*. Grad. 7. cap. 9. 10. *Kecker*. curs. Philosoph. disp. 27. q. 21. Quorum *rationes* paucis examinabimus.

§. 11. (1) *Amicitia pertinet ad prædicamentum relationis. Ergo non est virtus.*

Ratio consequentiæ: *Quia species & genus sunt in eodem prædicamento. Atqui virtus non est in prædicamento relationis, sed qualitatis.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: Etiamsi enim in amicitia est quædam relatio, qualis quoque in aliis multis virtutibus est: exempli gratia: in *liberalitate*, *justitia*, *gratitudine*, tamen ad prædicamentum qualitatis referri potest & debet non minus, quam aliæ virtutes relationem includentes. Qualitati accidere potest relatio, ut tamen propterea non desinat esse qualitas, quod in aliis quoque entibus videre est.

§. 12. (2) *Amicitia oritur ex virtute. Ergo non est ipsa virtus.*

Resp. Nego *consequentiam:* nil enim obstat, quo minus virtus una ex altera, tanquam ex fonte fluat: sic *fides* est virtus

 Theologica,

Theologica, & fons simul aliarum virtutum Theologicarum: & quid convenientius, quam virtutem à virtute gigni. Est hæc inter alias causas una connexionis virtutum omnium.

§. 13. (3) Virtus est inter bona interna, Amicitia vero inter externa, teste Aristotele, Eth. lib. 9. cap. 9. Ergo amicitia non est virtus.

Resp. Nec *propositio* nec *assumtio* simpliciter est vera: Etsi in amicitia multi sunt actus & respectus externi, ut & in plerisque aliis virtutibus, tamen à numero bonorum internorum excludi ideo non debet, præsertim cum veluti fasciculo virtutes alias multas complectatur. Inter absentes quoque amicitia conservatur, etiamsi non nisi animis est inclusa.

§. 14. (4) Si amicitia esset virtus, proculdubio inter morales numeranda esset. Atqui Aristoteles in primis libris Moralium Nicomachiorum, ubi de virtutibus moralibus egit, de amicitia nihil præcepit, sed post virtutes morales & intellectuales demum.

Resp. Rationis hujus ab auctoritate *Aristotelis* petitæ nulla est *consequentia*: *Aristoteles* non est norma veritatis. Non, si *Aristoteles* amicitiam non numerat inter virtutes morales, illico virtus moralis non est.

§. 15. (5) Virtus moralis nos æque disponit erga omnes, non autem erga unum quempiam, aut alterum. Atqui amicitia nos æque non disponit erga omnes; siquidem per eam tantum conformamur cum amico, quem constanter diligimus. Ergo amicitia non est virtus moralis.

Resp. *Propositio* non est universaliter vera. Exempli gratia: nec *liberalitas* nec *justitia* nos æque disponit erga omnes. *Liberalitas* non disponit nos erga indignos, neque disponit nos erga eos, qui nobis sunt opulentiores: *Justitia* quoque nos æque non disponit erga probos & improbos: neque *gratitudo* hoc facit. Disponit autem nos amicitia æque erga omnes, qui amicitiæ nobis præstant officia, & necessaria in se habent amicitiæ requisita. Unde, *propositione* aliquo modo limitata & concessa, negatur *Assumtio*. Etiamsi enim amicitia nos conformat cum paucis: tamen pauci illi sunt omnes, qui amicitiæ nobis præstant officia, & necessaria ejus in se, quoad nos, habent requisita.

§ 16. (6) Virtutes morales ita sunt complicatæ, ut una sine cæteris constare nequeat. At sine amicitia possunt aliæ virtutes morales servari. Si enim omnes alicujus viri probi perirent amici, vel si in solitudine vitam duceret, propterea non desineret esse vir probus. Ergo &c.

Resp. Quomodo cum una virtute morali omnes sunt complicatæ,

catæ, eodem quoque modo aliæ virtutes cum amicitia sunt complicatæ. Unde patet, negandam esse *assumtionem*, cujus *probatio* est inconsequens. De virtutum moralium connexione disputatum ad cap. 6. ἠθ. 5. Sane magnis difficultatibus est obnoxia: neque firmioribus rationibus adstruitur, quam destruitur, ut loco allegato ostendimus: unde & *propositio* hujus argumenti citra absurditatem negari poterit. Cum tamen connexionem illam non de habitibus, vel actionibus, sed de dispositione & inclinatione ad virtutes singulas nonnulli interpretentur, eamque prudentiæ acceptam ferant, sine qua nulla est virtus, quæque omnes dirigit, missa *propositione*, recte negavimus *assumtionem* & inconsequentiæ probationem egimus. Si viro probo omnes periissent amici, vel si in solitudine vitam duceret, urgentibus de causis, nihilominus propenso in amicitiam animo posset esse, & si daretur occasio & facultas, eam colere: quomodo ab amicitia non magis alienus esset, quam *Lazarus*, in summa sua paupertate & calamitate, *magnificentia*, *munificentia*, *fortitudine*, *gravitate*, *urbanitate* &c. quarum forte habitus nunquam acquisivit vel exercuit.

§. 17. (7) *Si amicitia esset virtus moralis, aut distincta esset à cæteris, aut redigeretur ad justitiam vel comitatem. Atqui non est distincta: quia inter virtutes morales, quibus omnis animi perturbatio componitur, non numeratur. Neque ad justitiam redigitur: quia Aristoteles lib. 8. Moral. Nicomach. eam à justitia distinguit, neque ad comitatem: à qua itidem amicitiam distinguit lib. 4. Moral. cap. 5.*

Resp. *Assumtio* negatur: & distincta est ab aliis, & referri ad aliam potest, tanquam species ad suum genus. Neque obstat, quod vel *Aristoteles*, vel qui ex animi perturbationibus omnes virtutes morales deducunt, in catalogo moralium amicitiæ mentionem non faciant. Quia argumentum ab *Aristotelis* autoritate vel negative vel affirmative petitum non est apodicticum aut necessarium. Eadem & Philosophorum aliorum est ratio. Deinde amicitiam referimus neque ad justitiam, neque ad comitatem, sed ad charitatem, cujus species ab autore nostro constituitur.

§. 18. (8) *Omnis virtus absolute est posita in nostra facultate ac prælectione: Atqui amicitia non est posita in nostra facultate & prælectione: Ergo virtus non est.*

Assumtio prob. *Quia ex alterius erga nos amore pendet, & perire potest, nulla virtute labefactata.*

Resp. *Assumtio* simpliciter vera non est: neque *probatio*. Ita

 pendet

pendet amicitia ex alterius amore, ut simul in nostra quoque facultate sit posita: alterius enim amorem admittere vel repudiare in nostra est potestate: Imo nihil magis liberum esse debet, quam amicitia: neque quovis modo perire potest, virtute non labefactata: quia contrahitur opera aliarum virtutum: unde inter viventes dissolvi, illæsa virtute, non potest. Per mortem alterius amici simpliciter quoque non dissolvitur: unde post mortem etiam quæ durat, vel maxime commendatur: & post amici mortem quoque colenda: quam in sententiam *Propertius* lib. 2. Eleg. 10.

Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico:
Fas est præteritos semper amare viros.

Et *Phalaris* ad *Stesichori* mortui filias Epist. 31.

Quamvis morte abreptus videatur Stesichorus: quod nemo rationis compos dixerit: tamen ejusmodi vir mortem non subivit.

§. 19. Quæritur (3) *Utrum in amicitia sit præstantius, amare vel amari?*

Resp. *Amare* idque sequentes ob causas:

(1) Quia virtutis laus maxime consistit in actione: Ut igitur actio præstat passioni; ita τὸ φιλεῖν τοῦ φιλεῖσθαι.

(2) Quia major laus actum dilectionis, quam passionis, consequitur,

(3) Quia amor activus est quasi gluten amicitiæ: Nam qui amat ad redamandum allicit amatum, adeoque ad mutuum amorem trahit: quod non facit amor passivus

(4) Quia, qui amat, naturæ, quæ ad amorem mutuum multis nos documentis exhortatur, mandata exequitur, adeoque obsequii nomine laudem meretur: quod dici de amato, quatenus amatur, non potest.

(5) Quia amor activus est magis voluntarius, quam passivus.

(6) Quia actus amandi dignioribus, ut parentibus & benefactoribus, competit.

(7) Quia longe præstantiores effectus sunt amoris activi quam passivi. Ab amore activo in amatum proficiscuntur omnia officia & beneficia; quæ ab amato non proficiscuntur, nisi quatenus amat.

§. 20. Excipitur in contrarium.

(1) *In amore & amicitia principatum obtinet amabile. Ergo amicitia potius in eo est posita, ut aliquis ametur quam ut amet.* Antecedens probatur: *Quia amabile gignit amicitiam & amorem elicit.* Ratio consequentiæ: *Quia amabile dicitur ab amore passivo.*

R esp.

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. *Probatio* inconsequens est. Etiamsi enim amicitia sine *objecto* amabili non potest esse: tamen amicitia non est officium *objecti*, sed muneris functio circa *objectum*: adeoque magis in eo posita est amicitia ut ames, quam ut ameris. Posito amoris actu, ponitur amicitia: *objecto* amabili posito, non necessario ponitur: Ubi amor est, ibi *objectum* amabile est: ubi *objectum* amabile est, non semper amor est: adeoque amantis amor cum amicitia conjunctior est, quam *objectum* amabile.

§. 21. (1) *Amari Deo, regi & viris heroicis convenit: ergo præstantius est, quam amare.* Ratio consequentiæ: *Quia quod præstantissimis convenit, id præstantius est quam quod minus præstantibus convenit.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia & amare & amari convenit Deo, regi & viris heroicis: neque amari tantum hisce convenit, sed & aliis inferioribus. In utrisque vero amare est præstantius, quam amari. *Ratio consequentiæ* universaliter vera non est; & ad hoc institutum non facit: quia & amare & amari præstantissimis & minus præstantibus convenit.

§. 22. (3) *Majus bonum evenit si amemur nempe à rege, quam si tantum amemus. E. melius est amari, quam amare.*

Resp. Negatur *conseq.* Hoc tantum inferri potest: amari quandoque utilius esse, quam amare. Quod vero utilius est, id semper melius non est.

§. 23. Quæritur (4) *An quisque sibi maxime debeat amicus esse?*

Resp. Ita proponi & formari solet quæstio: in resolutione de *dilectione* potius, quam *amicitia* respondetur: Atque differunt *dilectio* & *amicitia*. Etiamsi enim amicitia non est sine dilectione: tamen dilectio in genere sic dicta non est amicitia in specie & proprie sic dicta.

Respondemus igitur: si amicitia stricte & proprie accipiatur, uti hoc loco accipitur: non debere quemque sibi maxime amicum esse. *Ratio* est: Quia fieri hoc non potest: cum ad amicitiam proprie & stricte dictam ad minimum duo requirantur.

Si vero, *maxime sibi amicum esse*, hoc loco sit, se ipsum maxime diligere & ad perfectam amicitiam sibi aditum patefacere: cum limitatione eligitur *affirmativa*. Non derivatur ad alios amicitia nisi ex fonte dilectionis propriæ ad nos ipsos relatæ.

§. 24. Debere hominem se ipsum primo & maxime diligere probatur.

(1) Quia tenemur imitari Deum: Deus autem se ipsum maxime amat.

 (2) Quia

(2) Quia alia extra nos diligimus nostri gratia.

(3) Quia quisque sibi est proximus: Atqui amare proximum per naturæ & Dei legem tenemur.

(4) Quia dilectio nostri est mensura dilectionis proximi: unde jubemur proximum diligere, sicut nos ipsos.

(5) Quia de nobis virtute excolendis ante omnia tenemur laborare: quod fieri sine amore nostri non potest.

§. 25. Contra vero *non debere hominem seipsum primo & maxime diligere*, probatur.

(1) Quia ex nimia sui delectione, quam Græci φιλαυτίαν appellant, omnia oriuntur vitia: quod & *Plato* in l. 5. de LL. affirmat.

(2) Quia qui primo & maxime se ipsos amant, alios facile præ se contemnunt & fastidiunt: indeque superbiunt, se solos admirantes.

(3) Quia meliores homine sunt *Deus* & *intelligentiæ* unde magis amandi: quo enim melius & præstantius est objectum, eo magis amandum.

In hoc *rationum contrariarum* conflictu opus est limitatione & distinctione. Cum, qui se ipsum diligit, secum consentiat, distinguenda *consensio* & ex ea de dilectione sui pronunciandum. *Consensio* in homine est, quoad facultates diversas, *rationem* & *sensum*: quarum illa hominem *internum*: hic *externum* constituit: unde duplex *consensio*, pro duplici dominio, rationis vel sensus. *Consensio per dominium rationis* est, quando ratio sibi subditas & obtemperantes habet facultates sensitivas.

Consensio per dominium sensus est, quando sensitivæ facultates sibi subjugatam & obtemperantem habent rationem. Unde gemina sui *dilectio*, rationalis & irrationalis: illa sequitur consensionem per dominium rationis: hæc consensionem per dominium sensus. Hinc *assertio* gemina.

§. 27. Una: *Homo non debet se ipsum maxime diligere, dilectione irrationali; quæ in specie appellatur φιλαυτία*

Ratio: Quia hæc dilectio fons est omnium vitiorum: unde appellatur *tyrannis infestissima*, *conspiratio perniciosa*, *assentatio quavis inimicitia deterior*. Tendunt huc rationes maximam sui dilectionem dissuadentes.

§. 29. Altera: *Homo se ipsum maxime debet diligere, dilectione rationali*. Heic tamen distinctione porro est opus. Diligit se homo vel tanquam *objectum*, in quo terminatur & acquiescit dilectio: vel tanquam *subjectum*, cui jungi debet objectum, quod diligit. Tanquam *objectum* homo se maxime diligere non debet:

debet: quia dilectio ab homine in Deum transire debet, in quo solo tanquam in summo bono acquiescendum: qui toto corde omnibusque viribus super omnia est diligendus: quem diligendo maxime perficitur homo: siquidem Deum sibi unit.

Tanquam *subjectum* homo se maxime debet diligere, non quidem ut omne bonum, *utile* & *jucundum*: sed ut *honestum*, maxime sibi aptet: *honestum*, inquam, non quod signum & consequens est virtutis, ut laus, gloria, honor, sed quod ipsa est virtus & actio virtuosa, proba. *Utile & jucundum* quandoque magis optandum amico quam nobis: & sæpe non tam de nostra, quam de amici laborandum nobis laude gloria, honore. Tendunt huc rationes dilectionem nostri suadentes.

§. 29. Quæritur (5) *An etiam improbus sibi verè sit amicus.*

Resp. Negat hoc *Aristoteles* sequentibus argumentis.

(1) Quia sibi ipsis non consentiunt: perpetua rationis & appetitus est pugna, sic & *Plato* in *Lyside*: *Improbi nunquam vel sibi ipsis, vel invicem similes sunt*. Qui vero secum ipse dissentit, nullo modo cum alio consentiet, neque ulli amicus esse poterit.

(2) Quia bene sibi nec volunt, nec faciunt: unde loco verorum bonorum arripiunt apparentia & sæpe noxia, specie jucunditatis & utilitatis blandientia.

(3) Quia vitæ & saluti suæ non consulunt: dum vel scelerum suorum agitati conscientia, vel pœnarum metu perculsi sibi ipsi violentas manus inferunt. Plerunque etiam affectibus perturbati eligere vere bona non possunt.

(4) Quia sibi vivere & soli esse vix possunt. Quærit enim facinorum conscientia levamentum ex conservatione cum aliis similibus.

(5) Quia nihil in se habent amabile: Unde se ipsos quoque vere amare non possunt.

(6) Quia sibi ipsis nec gaudent nec contristantur sincere, constanter, solide: propter affectus tumultuantes, & apetitum rationi repugnantem.

§. 30. Objicitur: *Improbus omnia sui causa agit, & tanto magis, quanto improbior fuerit: Aristot. Eth. l. 9. cap. 8. Ergo sibi maxime est amicus.*

Resp. Negatur *consequentia*. Dum enim omnia sui tantum agit causa, nullam habet honestatis rationem: adeoque vere sibi non amicus: quando infamem se & bonis exosum reddit.

§. 31. Quæritur (6) *An amicitia sit preferenda affinitati & conjunctioni sanguinis.*

 Resp.

magis habemus opus auxiliis & beneficiis amicorum, quam in ſecunda.

Aſſumtio prob. Quia in adverſa, non in ſecunda fortuna, conflictamur cum egeſtate, ut animi anxietate: ad quæ mala depellenda amici maxime opus eſt conſilio & auxilio.

(2) In qua fortuna moleſtior nobis eſt ſolitudo, in ea magis opus habemus amicis: Atqui in adverſa fortuna moleſtior nobis eſt ſolitudo: Ergo in ea magis habemus opus amicis.

Aſſumtio prob. Quia adverſitates non levat, ſed aggravat ſolitudo.

Pro *ſecunda fortuna* militant hæ rationes.

(1) In ea fortuna magis neceſſarii ſunt amici, in qua minuitur prudentia: Atqui in proſpera fortuna minuitur prudentia. Ergo in ea magis neceſſarii ſunt amici.

Propoſitionis ratio eſt: quia ad conſilia prudentiora ſuggerenda maxime opus eſt amicis: quando prudentia deficit.

Aſſumtio prob. Quia ea eſt rerum proſperarum indoles, ut ſecuros & inſolentes, adeoque imprudentes nos reddant.

(3) In qua fortuna magis perficitur amicitiæ munus, in ea maxime opus eſt amicis. Non enim ſine amicis perfici poteſt amicitiæ munus. Atqui in fortuna ſecunda magis perfici poteſt & ſolet amicitiæ munus quam in adverſa: Ergo in ſecunda magis opus eſt amicis quam in adverſa.

Aſſumtio probat. Quia amicitia perficitur cultu activo: quando amicos colimus iiſque benefacimus; quod maxime optamus, & præſtare in proſpera potius, quam in adverſa fortuna poſſumus.

§. 37. Igitur diſtinctione opus, quam duabus *aſſertionibus* explicamus.

Prima. ***In adverſa fortuna conſtituti magis habemus opus amicis, à quibus accipiamus beneficia.***

Ratio eſt: Quia adverſa fortuna inſtrumentis nos privat neceſſariis ad conſervandam vitam & obtinendum finem: unde ad inſtrumenta illa ſubminiſtranda maxime opus eſt amicis, ſive cum egeſtate, ſive cum aliis ærumnis conflictemur. Igitur in adverſis, propter neceſſitatem rerum, magis requiruntur amici, ut laborantibus opem ferant, & conſilio juvent, ut dolorem leniant &c. Evincunt hoc rationes pro *adverſa fortuna* allatæ.

§. 38. Secunda. ***In proſpera fortuna conſtituti magis habemus opus amicis, quibus beneficia demus & dando potius quam accipiendo amicitiam perficiamus.***

Probat id ratio 2. pro *fortuna ſecunda*: Prudentiam non ſemper mi-

per minuunt res secundæ, præsertim si in virum incidant probum: quem utrique fortunæ moderate ferendæ virtus præparat. Interim maxime amicos requirit fortuna prospera, quando extra virtutis orbitam abripit possessores suos.

§. 39. Ad securitatem & honestatem vitæ in secundis rebus magis nos amicis egere probat *Casus*: (1) Quia prosperitas fortunæ ut plurimum superbos & incautos reddit. (2) Quia summa rerum affluentia comitem habet invidam. (3) Quia actio virtutis magis in secundis est conspicua.

§. 40. *Piccolomineus* docet, in adversa fortuna nos simpliciter magis egere amicis, in prospera magis egere cum *additione*, hoc est, ad præstantiora munera obeunda.

Idem alia quoque utitur distinctione *egentis*, quem considerat vel ut *hominem*, vel ut *amicum*. Egens, ut *homo*, magis amico opus habet in adversa fortuna; per quam multis eget: Idem, ut *amicus*, cujus est amare & opem ferre, magis amico opus habet in fortuna prospera: quia, deficiente amico, in fortuna prospera fungi officio amici præstantissimo non potest.

§. 41. Quæritur: (8) *An felix indigeat amicis?*

Resp. Felix est *contemplativus* vel *practicus*.

Contemplativus absolute bonis suis internis est contentus, omnibusque vitæ hujus caducæ curis sepositis, DEO, summo & incommutabili bono, adhæret.

Practicus in civili societate vivit & vitæ quoque hujus curis occupatur: Unde gemina *assertione* ad quæstionem respondetur.

§. 42. Prima: *Felix contemplativus, non adeo amicis indiget.*

Ratio est: quia vitæ hujus curis non implicatur, & quasi in solitudine, extra consortium hominum, vivit solique Deo & rebus divinis vacat: unde nec paupertas ipsum affligit, nec animum ægritudo turbat. Est tamen rarissimus hic homo, qui humana natura excelsius & divinius quiddam meditatur, neque tam homini per amicitiam conjungi, quam Deo per charitatem copulari studet.

§. 43. Secunda: *Felix practicus amicis indiget.*

Assertionem hanc comprobant rationes ab *Aristotele* Ethicor. lib. 9. cap. 9. productæ:

(1) Quia omnibus bonis abundare debet: Atqui inter bona & amici sunt, eaque non postrema.

(2) Quia sine amicis virtutes morales non adeo potest exercere: requirit ergo amicos, de quibus bene mereri possit.

(3) Quia

(3) Quia ad societatem civilem maxime propendet, & à monastica atque solitaria vita quasi abhorret: quam sine amicis declinare non potest.

(4) Quia honestis amicorum actionibus non minus delectatur, quam suavibus sonis Musicorum aures.

(5) Quia vir probus se & sui simile, per insitam naturæ vim, studet conservare. Nil vero melius se conservat, quam amicitia: nil similius, quam amicus.

Objicitur pro *contraria* sententia.

(1) *Felicitas est bonum per se sufficiens: Ergo amicis non indiget.*

Resp. Negatur *consequentia: ratio* negationis: Quia felicitas non est bonum simplex: sed omnium bonorum quasi comprehensio. Omnia igitur cum bona habeat, carere amicis non poterit: cum & hi practicæ felicitatis pars sint.

§. 45. (2) *Aristoteles* 1. *Polit. monachos, hoc est solitarios homines, qui toti in contemplatione sunt defixi, omnibus mortalibus anteponit. E. felicem amicis carere posse judicat.*

Resp. Datur consequens *de felici contemplativo* καθ' ἐξοχὴν ita dicto. *Casus consequentiam* negari debere judicat: quia gemina est amicitiæ actio; *immanens*: quæ esse erga omnes bonos in beato potest, etsi cum illis non versatur, & *transiens*, consistens in officio externo: qua in solitudine constitutus carere potest felix theoreticus.

§. 46. (3) *Felix se ipso omnium maxime est contentus. Ergo amicos non desiderat.*

Resp. *Consequens* datur de felici *contemplativo*. De *practico* vel *antecedens* falsum, si se solo contentus felix dicatur: vel consequentia nulla: qui amicos desiderare potest etiam qui se ipso magis est contentus, quam amicis.

§. 47. (4) *Felix aliud nihil est quam mens sapiens, omnibus virtutum luminibus adornata: Ergo amicis non indiget.*

Resp. Vel *antecedens* tantum de felici *contemplativo* datur: vel si de *practico* quoque, negatur *consequentia*: Quia omnes exerceri virtutes morales sine amicis non possunt.

§. 48. (5) *Felix est, quem Deus diligit. Ergo nullis amicis eget.* Ratio consequentiæ: *quia Deus quem diligit à Deo omnia habet, nec amicorum opem vel operam desiderat.* Allegat heic *Aristoteles* versus *Euripidis ex Oreste.*

--- τὺς φίλυς

Ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν,

Ὅταν

Ὅταν δ᾽ ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί χρὴ φίλων;
Ἀρκεῖ γὰρ αὐτὸς ὁ Θεὸς, ὠφελεῖν θέλων.

Resp. *Consequentia* negatur. *Probatio* est inconsequens: quia dilectio DEI etiam amicos bonos conciliat, quorum ope & opera juvantur, etsi sine amicis prodesse quoque potest. Itaque *Euripidis* discursus plane inconsequens est. Prodesse & juvare Deus potest sine amicis: Interim per amicos sæpe juvat: prima causa necessario non excludit secundas.

§. 49. Quæritur (9) *An ad amicitiam requiratur conversatio & præsentia?*

Resp. *Aristoteles*, lib. 8. cap. 5. docet per absentiam non quidem tolli, attamen labefactari, amicitiam: non penitus extingui, attamen oblivioni quodammodo tradi. Distinguunt alii inter amicitiæ *habitum* & *usum*, illum conservari, hunc tolli per locorum intervalla docent.

Nos etsi ad amicitiam conservandam & augendam valde conducere præsentiam judicamus, tamen neque habitum neque usum actumque ejus per absentiam tolli statuimus: Adstipulatur nobis experientia. Amicorum enim absentium quoque memoriam conservamus illibatam, amamus eos, per literas aut nuncios cum iis colloquimur, & beneficia in eos, quæ possumus, conferimus: possumus autem multa, cum in prosperis, tum in adversis rebus: quod non ignorant, nisi qui nihil norunt. Imo vero absentium multorum desiderium ut magis indies crescit, sic & intenditur amicitia, quæ apud præsentes nimia sæpenumero familiaritate languescit.

Vera amicitia, ex sententia *Plutarchi*, tria requirit.

Virtutem, tanquam honestum. (2) *Consuetudinem*, tanquam dulce. (3) *mutuam officiorum operam*, tanquam necessarium. *Primum* & *tertium*, citra controversiam, etiam inter absentes vigent. *Secundum* aliquo modo fovent quoque colloquia per literas frequentata. Unde pulchre Ennodius lib. 1. Epist. 11. *Per paginarum abstinentiam intercipitur vis amoris: Absentium animis sola literarum medetur oblatio, quæ quodam mentis artificio pingit scriptione, quod loquitur.* Idem tamen, Epist. 17. ita judicat. *Si Spiritus res est divinitatis in homine, prolixarum sentire non potest damna terrarum.* Pulchre hanc in rem *Seneca*, epist. 55. *conversari cum absentibus licet, & quidem quoties velis, quam diu velis. Magis hac voluptate, quæ maxima est, fruimur, dum absumus. Præsentia enim nos delicatos facit: & quia aliquando una loquimur, ambulamus, cum consideremus,*

cum diducti sumus, nihil de his, quos modo vidimus, cogitamus: & ideo æquo animo ferre debemus absentiam: quia nemo non multum etiam præsentibus abest. Pone hic primum noctes separatas: deinde occupationes utrinque diversas; deinde studia secreta: suburbanas profectiones: videbis non multum esse quod nobis peregrinatio eripiat. Amicus animo possidendus est: hic autem nunquam abest: quemcunque vult, quotidie videt.

Objicitur in contrarium:

§. 50. (1) *Per absentiam latet benevolentia amicorum: Ergo tollitur amicitia*: Antecedens probatur: *Quia in aliorum sensus non incurrit, cum ipsi absentes non incurrant*. Ratio conseq. *Quia amicitia est benevolentia non latens.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* partim falsa, partim inconsequens est. Incurrit enim in aliorum sensus absentium amicitia per officia, quæ etiam absentes absentibus præstare possunt, ita ut aliis innotescant. Neque, si aliis benevolentia amicorum absentium non innotesceret, ideo benevolentia simpliciter lateret: Sufficit si nota sit benevolentia amicis invicem, etiamsi ignota est aliis: definitur enim amicitia *benevolentia non latens, respectu amicorum*, non respectu aliorum, quos sive lateat, sive non lateat, perinde est.

§. 51. (2) *Locorum intervalla tollunt proprium amicitiæ: Ergo ipsam quoque amicitiam.*

Antecedens prob. *Quia vitæ societatem & communionem tollunt; quæ philosopho teste, maxime propria est amicitiæ*, lib. 8. cap. 5.

Resp. *Antecedens* negatur: *Probatio* simpliciter vera non est: siquidem vitæ societas & communio etiam inter absentes esse aliquo modo potest: cum animis possint esse conjuncti, qui corporibus sunt disjuncti, & mutuam exercere benevolentiam non tantum præsentes, sed & absentes: ut supra ostendimus: quam vitæ societatem atque communionem recte appellaverimus.

§. 52. (3) *Græcorum est proverbium*: τηλῦ φίλοι ναίοντες ὐκ εἰσιν φίλοι: h. e. *longe dissita habitantes loca amici non sunt amici*, cui simile illud *Propertii*.

Quantum oculus, animo tam procul ibit amor.

Resp. Sententiam hanc cum *Athenæo dipnosophista* μισανθρωποτάτῳ & *Timone*, quam homine, magis dignam existimat *Andr. Schottus*, præf. in Adagia Græca.

§. 53. Quæritur (10) *An vitam amici nostræ preferre, & pro salute ejus certam mortem eligere debeamus.*

Resp.

Resp. Quæstionis *affirmativam* amplectitur *Seneca* epist. 9. *In quid amicum paro? ut habeam, pro quo mori possim, ut habeam, quem in exilium sequar, cujus me morti opponam & impendam.* Devotorum, quos Soldurios olim appellabant, ea erat conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruerentur, quorum se amicitiæ dediderant: Si quid iis per vim accidisset, aut eundem casum una ferrent, aut sibi mortem consciscerent; teste *Cæsare*, lib. 3. de bello Gall. ubi & hoc addit: *hominum memoria nullum esse repertum, qui, eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaverit.* *Celtiberi* nefas ducebant prælio superesse, cum is occidisset, pro cujus salute spiritum devoverant: quos hoc nomine laudat *Valerius Max.* quod amicitiæ fidem constanter præstandam arbitrati sint. Cum *Æthiopum* regibus mortem soliti sunt oppetere amici, eumque interitum gloriosum, & sinceræ amicitiæ testem esse prædicabant: teste *Diodoro Siculo, lib.* 3. Sic *Pylades* pro amico *Oreste* interfici optavit, amici & nomine & culpa sibi vendicata, ut ad supplicium pro ipso à Rege *Thoa* raperetur: *Cicero* in *Lælio.*

§. 54. Attamen piis & prudentibus aliter judicandum videtur, quorum hæc assertio.

Pro amici vita conservanda, sine spe & voluntate evadendi, mortem subire amicus non tenetur.

Ratio est: quia *naturæ, rationi & pietati* adversatur hæc mortis electio.

Naturæ: Quæ sui conservationem petit & expetit:

Rationi: Quæ quemlibet sibi proximum & maxime devinctum dictat: unde dilectio sui est mensura dilectionis proximi.

Pietati: Quia arbitrium vitæ necisque Deo quasi eripit, qui sine lege Dei, contra naturam & rationem rectam, id sibi vendicat.

§. 55. Objicitur in contrarium:

(1) *Christus redemtor noster, pro vita nobis restituenda mortem subiit sine voluntate & spe evadendi: Ergo pro amicis idem & nos tenemur facere.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est: subiit pro nobis Christus mortem, cum voluntate & spe evadendi, hoc est, post triduum è morte eluctandi.

2. Negatur *Consequentia*: ratio negationis est: 1. Quia Christus habuit arbitrium necis & vitæ, tanquam Dominus & Princeps vitæ; Johan. 10. v. 18. 2. Quia Christus pro nobis mortem obiit duratione finitam, ut æternam nobis vitam acquireret: quam si quis morte sua temporali amico acquirere, vel animæ

nimæ mortem ab ipso posset avertere, alienum à ratione & pietate nihil faceret. *Assertio* loquitur de conservatione vitæ corporalis.

§. 56. (2) *Moses propter populum Israeliticum voluit deleri de libro vitæ:* Exod. 32. v. 32. *Paulus itidem pro populo eodem, fratribus suis, anathema optavit fieri*, Rom. 9. v. 3. *Ergo pro amico mortem certam subire amicus tenetur, ad servandum eum.*

Resp. Negatur *consequentia*: Si *consequens* assertionis nostræ sensum ejusque limitationem in solutione prioris objectionis expressam inferat. Exempla duo *Mosis* & *Pauli* plane singularia sunt: quæ doctissimos quoque Theologos exercent. Unde non desunt, qui dicant, votum *Pauli* & postulatum *Mosis* non fuisse satis consideratum, quod non tam, quid licitum aut possibile fuerit, quam quid ardentissimus fratrum amor dictaret, spectaverint, nec deliberata mente, sed turbato affectu quasi abrepti hæc dixerint: quam glossam non immerito alii repudiant, & cum *Chrysostomo* docent, nulla inconsiderantia, sed meditata oratione votum à Paulo conceptum esse; attamen cum conditione tacita, *si sit possibile*, vel, *si per justitiam & veritatem Dei possit fieri*. Simili ratione & *Christus*, quamvis sciret per irrevocabilem Dei sententiam sibi mortem esse obeundam: tamen transferri à se calicem petiit, cum conditione voluntatis divinæ: *Pater, si possibile est.* Unde patet, ab eo, quod fieri se conditionaliter voluerunt & optarunt *Moses* atque *Paulus*, ad præcisam obligationem, de qua consequens loquitur, nullam esse consequentiam.

§. 57. (3) *Christus non improbat, sed potius commendat, tanquam maximi amoris indicium, si quis animam suam pro amicis suis ponat. Ergo licitum id & honestum est.*

Antecedens prob. Joh. 15. v. 13. Quo pertinet quoque illud *Pauli*, Rom. 5. v. 7. *Enim vero vix pro justo quisquam moriatur, nam pro eo, qui sit ipsi utilis, forsan aliquis etiam mori sustineat.*

Resp. *Consequens* si assertionis nostræ sensum & limitationem, cujus supra mentio est facta, inferat, *consequentiam* negamus. Laudantur, qui animam ponunt pro fratribus & amicis, sed non sine voluntate & spe evadendi: Qui enim periculo mortis se objiciunt, pro amicis defendendis & servandis, spem habent & propositum cum amicos servandi, tum etiam, si fieri possit, seipsos conservandi: quæ si maxime spes ipsos fallat & una cum amicis cadant, digni tamen sunt laude, nisi plane fuerint temerarii: non enim virtus suadet imprudens factum, neque fortitudinem commendat temeritas. Alia est ratio mortis pro æterna amici sa-

lute promovenda, vel periculo æternæ mortis avertendo oppetita: ut supra diximus.

§. 58. (4) *Apostolus Johannes* epist. cap. 3. v. 16. *expresse ait, nos debere pro fratribus animas ponere, sicut & Christus pro nobis animam posuit*: Ergo.

Resp. Stante *consequentis* sensu, de quo paulo ante, negatur *consequentia*: *Johannes* loquitur de salute fratrum promovenda, etiam cum periculo vitæ hujus caducæ. Magni enim æstimanda non est jactura vitæ hujus caducæ, si per eam præcaveri possit jactura vitæ æternæ: *Assertio* nostra loquitur de conservanda amici vita temporali per mortem nostram certam.

§. 59. (5) *Laudantur, qui pro conservanda patria, vel patriæ patribus sunt mortui, absque spe evasionis. Ergo pro amicis quoque certam mortem subire, facinus est laude dignum.*

Antecedens *patet exemplo Curtii, qui, Patriæ causa, in pestilentem specum se præcipitavit: Codri, Atheniensium regis, qui hostium se gladiis ultro objecit pro regno.*

Resp. Negatur *consequentia*: Alia est ratio boni publici & Patriæ, seu totius Reipublicæ, vel etiam patrum patriæ: alia hominis & amici privati. Plus patriæ, quam singulis amicis debemus. Pro patria mori, etiam sine voluntate & spe evadendi, honestum & decorum est, si conservari morte tua patriam posse persuasus sis.

Interim in *Curtii* & *Codri* exemplis hoc observandum, quod in communi cum iis, quibus succurrere voluerunt, discrimine positi, vel dæmonum instigatu vel ambitione gloriæ, vel desperatione, quod omnia sibi viderent adversa, impulsi maluerint mori, quam superesse.

§. 60. Quæritur (11) *An senes ad amicitiam sint idonei?*

Resp. Minus idoneos ad amicitiam colendam *senes* judicat *Aristoteles*; eo, quod plerunque *morosi* & *avari* sint: qui duo affectus amicitiæ plurimum obstant. *Avaritia* enim ad accipiendum prona, ad dandum tarda & parca præcipuum amicitiæ officium negligit & excludit. *Morositas* in conversatione difficilis suavitatem amicitiæ, quæ ex amica conversatione maxima est vel diluit, vel plane tollit.

§. 61. Iniqua tamen & nimis præcipitata hæc videtur sententia. Unde prudentius alii distinguunt: absit enim, ut omnes senes morosi & avari sint. Igitur considerandi *senes* vel quoad *naturæ propensionem*, vel *quoad educationem*.

Quoad *naturæ propensionem* minus apti ad amicitiam censentur senes, quam juvenes: quia senectus, præsertim minus exquisite

quisite educata pronior est ad morositatem, avaritiam, melancholiam & tristitiam, quam adolescentia & juventus, ut in confesso est, & causæ cum naturales, & morales evincunt. Hos vero defectus & affectus amicitiæ conciliandæ, conservandæ & exercendæ non servire, ex natura & officio amicitiæ palam est.

Quoad *exquisitam educationem*, ad perfectam amicitiam idonei sunt senes & plerunque juvenibus aptiores.

Ratio est: Quia in senibus *bene educatis*, & à probæ educationis via non digressis perfectior est prudentia, major constantia, consummatior sapientia, exquisitior temperantia, omniumque affectuum moderatio major, quam in adolescentibus & juvenibus. Senes tamen heic intelligimus ad res gerendas adhuc aptos, non plane decrepitos omnibusque animi & corporis viribus exhaustos, qui nec ad conversationem amplius sunt idonei.

§. 62. Objicitur: *Atqui in omni sene est defectus spirituum & excessus melancholiæ: quibus tristis & morosa redditur natura. Ergo omnes ad amicitiam minus sunt apti*

Resp. Negatur *consequentia:* Quia naturæ defectum supplet & moderatur studium virtutis & sapientiæ: quod tristitiæ & morositati certos præscribit limites & amicitiam disturbare non patitur.

§. 63. Quæritur (12) *Qua ratione inter fratres conservari possit amicitia?*

Resp. Nihil æquius est, quam *fratres* se invicem amare & mutuam amicitiam relligiosissime colere. Interim, proh dolor! *rara est fratrum gratia. Et nostra quidem ætate*, inquit Plutarchus, *non minus raram fratrum amicitiam video esse, quam fuerunt quondam odia fratrum: & hodie si homines incidant in fratres probos, haud aliter eos admirantur, atque Molionidas illos, quorum corpora in unum coaluisse existimatum fuit: usumque communem opum, amicorum & servorum à parentibus acceptorum non minus incredibilem ac monstrosum putant, quam si una anima duorum corporum manus, pedes oculosque regeret.*

Æquitatem hujus amicitiæ, quam uno nomine Græci φιλαδελφίαν nominant, rationibus evincere nil attinet: quando eam nemo negat, omnes agnoscunt. *Id omnibus est manifestum*, inquit Plutarchus, *naturam ex uno semine ac principio duos tres aut etiam plures fratres gignere, non discordia ac repugnantia causa, sed ut separati facilius se mutuo adjuvarent. Quod si non faciunt, nihil differunt à pedibus invicem se supplantantibus, aut digitis contra naturam mutuo se implicantibus ac distorquentibus,*

bus. Interim eodem tractatu multis rationibus φιλαδελφίαν suadet idem autor, neque paucioribus dissidium dissuadet. Æquitatis igitur plenissimum est *Apostoli* præceptum, ἡ φιλαδελφία μενέτω. Hanc vero in fratres amicitiam, hunc amorem adeo rarum jam, conservare molis est magnæ. Primum inter mortales par fratrum dissolvit & sustulit odium, quo accensus *Cain Abelem* interfecit. De mediis igitur fraternæ concordiæ & amicitiæ conservandæ serio cogitandum. Et à *Plutarcho* quidem sequentia traduntur.

§. 64. (1) Nemo Frater ita parentum suorum captet & paret sibi benevolentiam, ut à suis eam fratribus avertat, eosque parentibus suspectos reddat: quin potius si irasci fratrum uni parentes contingat, etiam innocens aliquam in se iræ partem recipiat, eamque veluti labore adjuvando faciliorem reddat: excuset etiam, quantum fieri potest, delinquentes, & parentum iram mitiget. Igitur nec negligendus frater peccans, nec peccanti insultandum: etsi ob peccatum omnino est objurgandus.

(2) Mortuo patre, communem habere luctum & mærorem fratres debent: ut hoc modo suspiciones & calumniæ servorum aliorumque, qui huic vel illi se fratri accommodant, repellantur.

(3) Ad hercíscundam familiam & cernendam hæreditatem paternam ita se fratres non conferant, ut prius bellum sibi invicem indicant. Illi igitur diei maxime adhibenda cautio, quæ aut discordiæ inimicitiæque implacabilis, aut concordiæ amicitiæque erit principium: & sic instituenda divisio, ut ne minima fraudis & iniquitatis aboriri suspicio ulli possit fratrum: ubi cogitandum, de bonis paternis maximum & honoratissimum esse fraternam amicitiam & fidem, quæ ut inviolata maneat, etiam de jure suo concedere nonnihil quandoque fratres debent. Egregium huc attendatur exemplum *Athenodori* à *Plutarcho* & tota *Græcia* laudatum.

(4) Quibus rebus videtur excellere fratrum unus, eas communicare aliquo modo cum fratribus, amiceque eos in suæ gloriæ partem adoptare debet. Fastum & superbiam frater superior ne usurpet, sed placide se dimittendo præstantiam suam invidiæ securam reddat & animi moderatione, quantum fieri potest, fortunæ inæqualitatem compenset. Quod in animi quoque bonis attendendum. Nulla enim in re memorabili & honorem conciliante frater omittendus; sed ad omnium pulchrorum societatem admittendus, sive superior, sive inferior. Unde in consilium quoque adhibendus etiam qui judicio rerumque usu est inferior.

(5) Ne

(5) Ne invidia & æmulatione adversus fratrem locupletiorem, doctiorem, clariorem, accendaris, cogita, non solum & unum fratrem illis te rebus esse superiorem, sed innumeros alios: quibus omnibus si invideas, aut ex tam multis beatis solus te urat is, qui ut sanguine proximus, ita charissimus esse debuit, nemo te infelicior erit.

(6) Si fieri potest, fratres ab iisdem honores & dignitates ne petant, sed alii ab aliis. Nam & feræ inter sese pugnant, quæ ex iisdem rebus alimentum captant, & adversarii invicem sunt athletæ, qui eidem student certamini. Gloriam velle & admirationem captare eadem ex arte aut facultate, inter pravos perinde est, ac si duo aliqui eandem amantes mulierem uterque plus altero placere laboret. Contra qui vitæ genere sectantur diversa, ii invidiam declinant & facilius alter alteri est adjumento.

(7) Si pravi affinium, domesticorum & mulierum sermones intervenerint; Frater tuus omnia est, omnes eum admirantur, & colunt, ad te nemo accedit, nullo in honore es: Qui sanæ mentis est, respondebit: *fratrem habeo laude florentem, cujus ad me gloriæ maxima pars pertinet.*

(8) Ne discordia inter fratres majores, quorum est imperare, & minores, quorum est obedire, aboriantur: majori præcipiendum, ut ne magnum aliquid putet esse ætatem, minori, ut ne parvum: quo modo uterque despectu, neglectu & contemtu liberabitur. Cumque majori conveniat, curam gerere, præire, castigare, minori, honorare, imitari, sequi: danda est opera, ut hæc procuratio magis sit socialis, quam paterna, & plus persuadendo, quam imperando agatur multoque sit alacrior & humanior in gratulatione & collaudatione recte factorum, quam in culpandis plectendisque delictis.

(9) Cavendum fratribus ut ne æmulationi & contentioni de rebus vilibus & primo sub paterna etiam disciplina occurrentibus locum dent: quin potius ut concedere & vinci discant, gaudeantque gratificando potius, quam superando. Contentiones pueriles tandem ad viriles quoque progrediuntur.

(10) Si quæ interdum dissentiendi & contendendi accidat necessitas, causarum, non personarum, debet esse contentio, & arbitris statim permittenda controversia, ut ex animo eluatur prius, quam nævum aut maculam expurgatu difficilem imprimat: exemplo *Pythagoricorum*, qui, si quando per iram ad maledicta prorupissent, ante solis occasum, dextris mutuo datis & salutatione facta, gratiam redintegrarunt.

(11) In fraternis dissidiis maxime ad amicos fratris accedendum & inimici vitandi, neque admittendi.

(12) Danda est opera ut communes sint fratrum amici: Dum enim seorsim & pro se alii cum aliis consuetudinem vitæ societatemque colunt, ipsi invicem divelluntur: quia dum amant diversos, sequitur ut gaudeant etiam diversis, diversos æmulentur, à diversis ducantur: amicitiis mores finguntur, & nullum diversitatis ingeniorum certius est argumentum, quam ubi amici diversi diliguntur.

(13) Erga fratres eorumque uxores, liberos, soceros, affines, benefactores & servos semper adhibenda benevolentia, eorumque promovenda commoda.

§. 65. Quæritur (13) *An defuncto ex veris amicis uno, superstes alter cum defuncti filiis continuare amicitiam debeat.*

Resp. Movent quæstionem hanc Ethici, quam decidit jam olim *Isocrates* ad Dæmon. τρέπει τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας οὕτω καὶ τῆς φιλίας πατρικῆς κληρονομεῖν. *Affirmativa* hæc nititur sequentibus rationibus

(1) Quia hoc voto à parentibus contrahuntur amicitiæ, ut ad posteros propagentur & ab iis conserventur.

(2) Quia viva defuncti imago sunt filii: in iis igitur merito amatur defunctus: quando & ea habemus grata quæ à defunctis amicis olim ad nos transmissa defunctorum in nobis conservant memoriam, quamvis longe sint inferiora vivis imaginibus.

(3) Quia beneficia à defunctis in superstites collata rectius & melius compensari non possunt, quam in defunctorum filiis.

(4) Quia verorum sincerorumque amicorum idem docent exempla: Ita *Davidis* amicitia, quam cum *Jonata* coluit, ad filios *Jonathæ* quoque transiit, 2. *Samuel.* 9. v. 17.

Admittimus regulam, sed cum *exceptione:*

Nisi superstitis amici amicitiam defuncti contemnant filii, vel per ingratitudinem ea se indignos reddant.

§. 66. Quæritur (14) *An summi reges perfectos habeant amicos?*

Resp. Amici sunt dignitate æquales vel inæquales. Inter æquales, vel non nimis inæquales, perfectam posse amicitiam esse, extra controversiam est: Et sic summi reges perfectos possunt amicos habere alios summos reges & principes vel certe non longe inferiores. An vero aliqui, vel multi, habuerint incertum est: quia ad hujusmodi amicitiam constituendam requiritur conversatio eaque diuturnior, ut alter alterum intime agnoscat & sic virtutem recte æstimet, mutuisque officiis & cultu veneretur: hujusmodi

hujusmodi vero conversatio inter summos reges vix datur: qui. rarissime conveniunt & exigui temporis moram conversando & conveniendo trahunt.

§. 67. Inter inæquales, quales sunt summi reges & eorum subditi, perfecta amicitia esse vix potest: si maxime virtutibus sint æquales: Quia magna requiritur familiaritas & libertas, nec non concertatio amicorum mutuorum ad perfectæ amicitiæ usum perfectum. Quæ inter reges summos & subditos, aut alios longe inferiores, esse nec potest nec solet. Interim potest esse inter eos amicitia, qualis inter *Alexandrum* M. & *Clitum* fuit, multosque alios principes & ministros atque consiliarios.

Aristoteles ait, reges plerunque amicis uti disparibus, si dignitatem & paribus, si virtutem ipsam spectes. Quam sententiam ita interpretatur *Casus*: si tantum superetur princeps virtute ab excellenti viro, quantum vir ille dignitate superatur à rege; tum inter regem & illum fieri potest proportio, adeoque vera & perfecta amicitia. *Rationem* reddit: quia amicitia, ut justitia commutans, non personam & dignitatem, sed rem subjectam & virtutem respicit.

Nos amicitiam veram concedimus: de perfecta, quoad usum perfectum hæsitamus, ut ante diximus: præsertim si majestatis suæ rationem summi reges habeant, &, qui ipsis debetur, respectus observetur, vide *Piccol.* Grad. 7. cap. 20.

§. 68. Quæritur (15) *An ex paupertate oriatur amicitia?*

Resp. *Cicero* negat Sententiam suam hisce probat verbis. *Utilitates etiam ab his percipiuntur sæpe, qui simulatione amicitiæ coluntur & observantur, temporis causa. In amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum, & quicquid in ea est, id verum est & voluntarium. Quapropter à natura mihi videtur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, & applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam cogitatione, quantum illa utilitatis esset habitura?* Quibus subjicit: *Si ob indigentiam amaremus amicum, tunc fœneraremur beneficia, & lucri causa ea in animum transferremus.*

§. 69. Contra vero *Plato* πενίαν, hoc est, paupertatem, seu indigentiam appellat *amoris matrem.*

§. 70. Nos ita statuimus: Oriri aliquid ex aliquo dicitur, vel tanquam ex fonte & causa principali, vel tanquam ex occasione qualicunque. Amicitia honesta oritur ex paupertate, non tanquam ex fonte & causa principali, sed tanquam ex occasione. Fons enim amicitiæ honestæ virtus est, qua nihil formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, teste *Cicerone*, lib. 9. ad famil. ep.

mil. ep. 14. & 14. ad Att. ep. 20. cui hoc debemus, ut non tantum præsentem, sed & ablatam è conspectu, colamus; *Seneca*, l. 4. de Benef. cap. 30. Imo in hoste quoque laudanda & amanda. *Plutarch.*

§. 71. Interim occasionem ei quandoque paupertas quoque præbet, quando dives sæpe beneficiis sibi pauperem devincit, & latentem in eo virtutem excitat, eamque amare incipit: & diviti pauper se associat beneficii accipiendi spe: quem, virtute ejus explorata & perspecta, deinceps propter virtutem potius, quam utilitatem, colit, & vicissim propter eandem colitur. Fontem respexisse *Cicero* videtur: occasionem vero *Plato*. Sed longe aliter *Platonis* sententiam interpretatur *Piccolomineus*, Grad. 7. cap. 5. *Inopiam* à *Platone* expressam principaliter non accipit de *privatione bonorum fortunæ*, seu divitiarum, uti *Cicero* & nos cum *Cicerone*: Sed *privatione cujuscunque doni* in genere, & in specie de privatione bonorum cum vera amicitia conjunctorum, & ex ea ortorum: quæ cum maxime sunt appetibilia & optabilia, ex sensu privationis eorum & inopiæ expeti & oriri amicitiam, rationi consentaneum est. In nostra igitur perstamus sententia, ut tamen *Platonis* non improbemus sententiam, si recte eam assecutus est *Piccolomineus*: quam tamen aliter acceptam à *Cicerone* arbitramur.

§. 72. Quæritur (16) *An amicitia sit contrahenda cum iis, qui dignitate & fortuna nos nimis excedunt?*

Resp. Negant prudentes poëtæ secuti judicium:

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit.

Rationes duas *Keckermannus* adducit.

(1) Quia amicitia debet conflari inter eos, qui ejusdem naturæ & conditionis sunt, & solius honestatis ducuntur studio: dispares mores disparia sequuntur studia, studiorum autem dissimilitudo amicitias dissociat.

(2) Quia in hujusmodi amicitia infinita rixarum & suspicionum sparguntur semina, quæ capitalis sunt pestis amicitiæ.

(3) Quia potentes cum inferioribus plerunque imperfectam tantum colunt amicitiam, nempe *jucundam* vel *utilem*: neque quærunt *jucundos* cum virtute, vel *utiles* cum honestate: sed quoad *jucunditatem* facetos: quoad *utilitatem*, laboriosos, quorum uti possint opera: vid. *Aristot.* lib. 8. Eth. cap. 6.

§. 73. An quæstionis negativam satis evidenter adstruant hæ rationes, non judicamus. Interim damus, non affectandam esse amicitiam eorum, qui dignitate & fortuna nos nimis excedunt.

Rationes

Rationes sunt (1) Quia usus ejus esse perfectus vix potest: cum inter nimis inæquales magna nec familiaritas nec libertas mutua esse soleat.

(2) Quia per usum amicitiæ liberiorem offendi facile possunt & solent superiores: qui per familiaritatem & libertatem, qua uti invicem amici solent, se contemni putant.

(3) Quia prudentes qui sunt, cum superioribus admodum caute conversantur, & quasi timide, celsiorem verentes & reverentes fortunam: quod attendi inter amicos adeo scrupulose nec solet nec debet, tanquam alienum à magna amoris & benevolentiæ fiducia, quæ esse inter amicos debet.

§. 74. Attamen sequentia observentur.

(1) Non esse simpliciter refugiendam amicitiam omnium eorum, qui dignitate & fortuna nos excedunt, sed eorum tantum, qui nimis excedunt. Videmus enim etiam inter eos, qui dignitate & fortuna æquales non sunt, sinceram & constantem coli amicitiam.

(2) Si, qui nimis excedunt, ad amicitiam te invitare videantur, cautissime cum iis esse conversandum, & non tam amicitiam quæri, aut expeti, quam benevolentiam offerri, putandum. Sic intra tuæ te sortis metas continebis & constantiorem atque tutiorem benevolentiam experieris.

§. 75. Quæritur (17) *An amicus amico dona maxima optare, &, si possit procurare debeat?*

Resp. *Affirmativa* eligitur cum *conditione*, si sit dignus illis donis maximis; *exempli gratia*, regno principatu, aut alio summo dignitatis fastigio: quod probatur.

(1) Quia amicus amicum diligit, tanquam seipsum: Cum igitur sibi ipsi, si dignum se deprehendat, maxime optare amicus possit, quidni amico quoque possit & debeat?

(2) Quia amicitia vera procul habet invidiam. Atqui invidiam proderet amicus, si maxima dona amico non optaret, & si posset, non procuraret.

(3) Quia maxima in amicum collata dona in amici quoque cedunt commodum optantis & procurantis.

Excipitur in contrarium:

§. 76. *Id non est optandum amico, per quod amicus noster esse desinit: Atqui per maxima dona, exempli gratia regnum, principatum, aut aliud summum dignitatis fastigium, amicus noster esse desinit. Ergo hujusmodi dona, non sunt optanda vel procuranda amico.*

Propositio probatur: *quia in id maxime incumbendum amico, ut amicitiam conservet.*

Assumtio probatur: *Quia nimia inæqualitas tollit perfectum amicitiæ usum:* ut supra ostendimus. Idem affirmat *Aristoteles* lib. 8. Moral. c. 7. *Si magna sit virtutis, aut vitii, aut copiæ, aut alterius rei distantia, non jam sunt amici: quod in Diis maxime apparet, qui omnibus bonis longe antecellunt: nec non in regibus, ad quorum amicitiam ne adspirare quidem conantur ii, qui multo sunt inferiores.*

Resp. *Propositio* est distinguenda. Id non est optandum amico, per quod omnino & simpliciter definit esse amicus noster: cum hac limitatione accepta *Assumtio* negatur. *Probatio* est inconsequens. Est enim amicus nobis etiam cum quo perfectus amicitiæ usus non intercedit. Servatur igitur amicitia, quantisper alter alterum amare non desinit: & si, propter magnam inæqualitatem, non servatur in eadem forma & constitutione: siquidem vitæ genus, communio consuetudinis & actionum parilitas mutatur, elevaturque familiaritas ad gradum sublimiorem, & vertitur in observantiam, reverentiam & eam amicitiam, quæ est inter principem & subditum. Qui vero ad summam evectus est dignitatem, etsi ad omnia se amplius non demittit officia, ad quæ privatus olim & æqualis se demiserat; tamen quantisper virtuti inhæret, affectum amoris & benevolentiæ non exuit, sed majoribus & excellentioribus meritis amicum veterem sibi devincit. Unde *Aristoteles* in eodem capite: *Quod si pulchre hoc dictum est, suo quemque amico bona optare illius causa, profecto maneat oportet, qualiscunque tandem ille sit.*

§. 77. Quæritur (18) *An amicitia sit obnoxia calumniis vel injuriis?*

Resp. Negat hoc *Aristoteles*, ob sequentes rationes.

(1) Quia amicorum omnia sunt communia: hæc vero communio excludit omnes calumnias & injurias.

(2) Quia nemo sibi aut calumniam, aut injuriam infert: Atqui amicus est *alter Ego.*

(3) Quia amicorum est potius bene existimare & sperare de amicis, quam male judicare.

(4) Quia amicorum proprium est bene, non male, de amicis mereri. Atqui calumniæ & injuriæ magna sunt mala.

Objicitur:

§. 78. (1) *In amico est interdum animi vitium: Ergo quandoque obnoxius est calumniæ & reprehensioni.* Ratio consequentiæ: *quia omne vitium animi obnoxium est calumniæ & reprehensioni.*

Resp. Negatur *consequentia: Probatio* simpliciter vera non est:

est: Vitium animi non calumniæ, sed reprehensioni obnoxium est, si in amico se prodat.

§. 79. (2) *Testatur experientia, maximis quandoque injuriis & calumniis amicos distrahi, ipsamque dissolvi amicitiam:* Ergo &c.

Resp. *Antecedens* negatur de iis, quos *honestas* sociavit: conceditur de illis, quos *utilitas* & *jucunditas* conjunxit: Amicitia honesta constans est calumniarum & injuriarum secura: quibus sæpe obnoxia utilis & jucunda.

§. 80. Quæritur (19) *An inter omnes amicos perfectos querelæ contingant?*

Resp. Negat hoc *Aristoteles*, sequentibus argumentis.

(1) Quia moribus & quidem probis sunt similes. At querelæ oriuntur plerunque ex morum dissimilitudine.

(2) Quia consentiunt in virtute.

(3) Quia inter ipsos est constantia & proportio amoris.

(4) Quia effectus perfectæ amicitiæ est mutua animorum tranquillitas, qua alter in alterius amore, acquiescit: Unde ex defectu harum conditionum in amicitiis ex voluptate & utilitate ortis perpetuæ sunt querelæ. Non est in illis similitudo morum sine tædio: non consensio virtutis sine vitio, non constantia amoris sine levitate: Non fructus quietis sine contentione.

§. 81. Objicitur: *Licet perfectum amicum reprehendere: testibus Aristotele & Cicerone: Ergo etiam conqueri de eo licet.*

Resp. Negatur *consequentia*: Quia reprehensio amica debet esse, sine querelis tædiosis. Errantem reducimus docendo, peccantem reprehendimus monendo.

§. 82. Quæritur (20) *An amicitia proprie dicta possit esse inter malos?*

Resp. Si amicitia proprie dicta intelligatur *perfecta* amicitia, non potest ea esse nisi inter bonos, quippe quæ nascitur ex amore & virtute honestatis: quæ vero ortum ex bono jucundo utili trahit, etiam inter malos aliquandiu coli potest.

§. 83. Quæritur (21) *An amici, illæsa amicitia, opinionibus inter se possint dissentire?*

Resp. Non posse ipsos dissentire illæsa amicitia, ex trito illo videtur concludi: *Idem velle & idem nolle, ea demum vera est amicitia.*

In contrariam sententiam adduci potest distichon:

Non eadem sentire bonos de rebus iisdem,
Incolumi licuit semper amicitia.

§. 84. Ob-

§. 84. Observandum igitur, opinionem esse vel de rebus *practicis* ad virtutem moralem, honestasque actiones exercendas, sine quibus perfecta amicitia nequit consistere, pertinentibus: Vel de *Theoricis*, hoc est, quæstionibus ad artes & scientias pertinentibus. Etsi igitur opinionum dissensio circa res priores amicitiam lædit, unde *idem velle*, & *idem nolle* in amicis requiritur; tamen dissensio circa posteriores non lædit: Unde *Aristoteles* in amicitia *ὁμόνοιαν* quidem requirit; sed *ὁμοδοξίαν* non item.

§. 85. Quæritur (22) *An amicitia perfecta possit esse inter multos?*

Resp. *Aristoteles* 8. Eth. lib. cap. 5. hoc negat. *Rationes* sunt:

(1) Quia perfecta amicitia posita est in excellentia quadam, & summo gradu amoris: quod autem est in excellenti gradu, ad unitatem proxime accedit & paucitatem amat.

(2) Quia amicitia perfecta requirit, ut valde alteri placeas: multis autem vix quispiam placere valde potest; imo qui placere omnibus student, optimis displicere incipiunt.

(3) Quia ad amicitiam longo opus est tempore & diuturna exploratione: Atqui plures recte explorari difficulter possunt.

(4) Quia requiritur in amicitia vera animorum summa conjunctio, morumque & ingeniorum maxima similitudo, quæ in multitudine vix reperitur.

§. 86. *Casus* in Ethicis amicitiam perfectam tantum inter duos esse posse hoc quoque probat argumento:

Relatum & correlatum tantum sunt duo: Atqui amici perfecti sunt relatum & correlatum: Ergo tantum sunt duo.

Resp. Consimili ratione concludi posset, etiam utilem & jucundam amicitiam non posse nisi inter duos esse: Quia amici utiles & jucundi non minus se habent ut relatum & correlatum quam honesti. Sequeretur etiam amicitiam civilem inter inæquales non posse esse nisi inter duos: unde principi unus tantum è subditis erit amicus, Præceptori unus tantum è discipulis; Patri unus tantum è filiis &c. Hæc vero cum falsa sint, nullius esse momenti rationem *Casi* palam est. Patet hinc *propositionem* non esse simpliciter veram, si hic sit sensus: *quod unius relati tantum sit unum correlatum*: seu, *quod relatum referri possit tantum ad unum correlatum*: Falsitatem evincunt exempla producta. Ad unum principem referuntur plures subditi: ad unum præceptorem plures discipuli: ad unum patrem plures filii &c. Etsi igitur relatum & correlatum numero unum, sunt duo tantum: tamen relatum unum & corelata numero plura, non sunt duo, sed plura.

§. 87. Pro

§. 87. Pro contraria sententia excipitur.

(1) *Bonum quo est communius, eo melius: Atqui amicitia perfecta est bonum: Ergo quo communior, eo melior est: & per consequens, non ad duos tantum, sed plures vis ejus diffundetur.*

Resp. *Propositio* non est simpliciter & universaliter vera: Exempli gratia: mechanicæ & sordidæ artes, quæ in se bonæ sunt, communiores sunt artibus liberalibus, scientiis & facultatibus: quibus tamen meliores non sunt. Sic & virtus moralis vulgo sic dicta communior est heroicâ: qua tamen melior & præstantior non est: communior quoque est amicitia jucunda, quam honesta, neque tamen propterea melior est. Neque divinæ bonitati intrinsece quicquam accessit, postquam per creationem se communicavit.

Neque *conclusio* nobis simpliciter contradicit: optandum sane esset ut maxime communis esset perfecta amicitia, & ad plures se diffunderet. Sic enim melius ageretur cum hominibus. Cur autem id non fiat, in causa & culpa sunt homines, qui tanti boni non sunt capaces, propter imperfectionem suam.

§. 88. (2) *Omnis studiosus virtutis perfecte amari debet: Atqui multi sunt vere studiosi virtutis. Ergo multi perfecte debent amari: & per consequens, inter multos perfecta potest esse amicitia.*

Resp. *Propositio* non est simpliciter & universaliter vera: Perfecte debet amari, si fieri id per impedimenta alia possit, non omnis studiosus virtutis, sed qui ad perfectionem virtutis pertigit: Atqui infra perfectionem plerique subsistunt. Rectius igitur hunc in modum informabitur *propositio: omnis studiosus virtutis amari debet: vel perfecte amandus est, qui ad perfectionem virtutis pertigit.* Sed nec hoc sensu universaliter vera est *propositio*. Qui ad virtutis perfectionem pertigerunt, à nobis omnes, vel plerique, vel etiam multi perfecte non possunt amari, propter impedimenta externa: quia vel ignoti nobis sunt: vel cum iis conversandi & amorem contestandi occasio non datur: vel amorem erga nos perfectum non deprehendimus: Igitur non recte concluditur, ex perfectione virtutis alienæ perfectio amoris nostri: imo nec ex perfectione amoris nostri, perfectio amicitiæ: amor enim fortean perfectus esse possit ex nostra parte, etiam quando perfecte non redamamur: amicitia vero perfecta non est, nisi utrinque sit perfecta. Est enim in perfecta amicitia, præter similitudinem morum & virtutis consensum, constantia & proportio amoris mutui, nec non fructus quietis & tranquillitatis mutuæ. Vide *Piccol.* Grad. 7. cap. 7.

Casus

Casus respondet, amicitiæ perfectæ ab interpretibus duos poni gradus: *Summum*; qui fit per excellentiam amoris ab uno ad alterum & tantum inter duos. *Medium*, qui extendi possit ad plures. Multos igitur virtutis studiosos posse esse perfecte amicos, non in *summo*, sed in *medio* amicitiæ gradu. Quod si vero accurate loquamur, perfectio proprie non est in medio sed in summo gradu.

§. 89. (3) *Medius amicitiæ gradus qui est inter plures, est perfectus: Ergo perfecta amicitia potest esse inter plures.* Anteced. prob. *Quia nullo extremorum vitiorum consortio inquinatur.*

Resp. Neque *Antecedens* simpliciter est verum, neque satis firma *consequentia*: Medius amicitiæ gradus est diverso respectu perfectus & imperfectus. Perfectus est, respectu extremorum, à quibus non inquinatur. Imperfectus est, respectu gradus superioris & summi, de quo quæstio est. Sic liberalitas est virtus perfecta, respectu extremorum, avaritiæ & prodigalitatis: imperfecta vero, ratione gradus superioris & excellentioris, qui magnificentia appellatur.

§. 90. Quæritur (23) *An amicitia præstantior sit honore?*

Resp. Eodem quæstio recedit, *an amari sit præstantius, quam honorari?*

Affirmativam amplectitur *Aristoteles*, lib 8. Nicomach. cap. 8. Rationes sunt:

(1) Quia amari est bonum fortunæ minus subjectum, quam honorari.

(2) Quia est bonum, sine quo honor in odium & gloria in ignominiam cito mutatur.

(3) Quia majora adfert commoda, quam honor, qui semper in fortunæ lubrico est constitutus, & quo major, eo inconstantior: quia admodum premi solet invidia.

(4) Quia amor semper est spontaneus, honor sæpe coactus: Unde virtutis ille testis est magis sincerus, quam hic: quem optimi quique etiam pessimis exhibere sæpe numero coguntur. Honor sincerus sine amore nullus est.

Objicitur in contrarium:

§. 91. (1) *Aristoteles* lib. 4. Nicomach. ait, *honorem esse externorum bonorum maximum: Ergo amicitiæ & honori debet præferri.*

Resp. Negatur *consequentia*: ratio est: quia in allegato loco, *honoris* nomine etiam *amor* continetur & amicitia, quæ inter æquales honorem gignit.

§. 92. (2) *Qui honoratur, etiam amatur, non autem semper, qui amatur, etiam honoratur: Ergo honorari melius est quam amari.*

mari. Antecedens prob. *quia pater filium amat, quem tamen non honorat.*

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est: sæpe honor est sine amore: amor autem ex virtute natus non est sine honore. Unde probatio *antecedentis* simpliciter vera non est. Nam & pater filium virtuosum honorat, eo tamen modo, quo inferiorem superior honorare debet. Honoris spontanei & sinceri, ex consideratione virtutis & dignitatis profecti, quasi spiritus & anima est amor.

§ 93. (3) *Honoratur superior, amatur æqualis: Ergo præstantius est honorari quam amari.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & exclusive verum non est: honoratur & superior & par & inferior: amatur non tantum æqualis sed & inæqualis, sive superior, sive inferior. Interim honor is tantum excellit, qui cum amore conjunctus est & ex eo profluit.

§. 94. Quæritur (24) *An amicis aliquid donare pessimus?*

Resp. *Affirmativam* comprobat experientia: quæ testatur, amicos multa sibi dare & donare: & maxime conspicuus est in amicitia liberalitatis usus. Ab amico nihil velle accipere, inhumanum est, uti promiscue ab omnibus, vile & avarum: *Sarisberiensis.*

Multa tamen heic objici solent: inter quæ præcipua sunt sequentia.

§. 95. (1) *Quod meum est, id donari mihi non potest: Atqui omnia amici mea sunt: Ergo ab amico mihi nihil potest donari:*

Assumtio prob. *Quia amicorum omnia sunt communia.*

Resp. *Propositio* disting. Quod meum est non tantum *usu*, sed & *proprietate*, id &c. Atqui omnia amici ut maxime mea sint *usu*, non tamen *proprietate*. Per donationem mea fiunt *proprietate*. *Assumtio* quoque non nisi cum limitatione admittenda est, ut & ejus *probatio*: *Omnia amicorum sunt communia*: quatenus communionem admittunt divinæ & humanæ leges: De bonis fortunæ loquitur sententia: unde ad quæstionem, *An bona amicorum omnia debeant esse communia?* expedita est responsio.

§. 96. (2) *Sapiens nullo eget, nihil optat, sibique satis est.* Plato in Lyside: & Seneca, Epist. 9. *Sapiens se ipso est contentus & ejus sunt omnia. Ergo sapienti ab amico nihil potest donari.*

Resp. *Antecedens* non admittitur nisi de internis animi bonis. Donatio vero inter amicos externorum & fortunæ est bonorum.

§. 97. (3) *Sapiens libertatem quærit & vere liber dicitur: Ergo ab amico dono non accipit:* Ratio consequentiæ: *quia qui munera accipit, alteri se subjicit, & vinculo ea rependendi ligatur.*

Resp.

Resp. Negatur *consequentia*: Nam & ipsi *Stoici* & *Platonici*, qui sapientis libertatem summopere commendarunt, oblata sibi dona semper non repudiarunt: non igitur pugnat cum libertate sapientis quælibet ligatio, vel obligatio: debet enim officia humanitatis omnibus: sed ligatio & mancipatio, quæ est à voluptatibus & vitiis; nec non obligatio ex debitis, quæ eum importunitate possunt exigi, quæ quantum potest, vitat sapiens: qui paucissimis est contentus: neque paupertas ipsi objicienda, cum divitias contemnat; & magnam suæ libertatis interpretetur partem, divitiis non servire, earumque parandarum æstu non uri.

§. 98. Quæritur (25) *Cur diuturnior & constantior sit amicitia honesta, quam jucunda & utilis?*

Resp. Quia causa ejus, nempe virtus, diuturnior & constantior est, quam utilitas & voluptas, quæ amicitiam conciliat utilem & jucundam.

Virtus, inquit *Lactantius* lib. 7. *nunquam nisi morte finitur, quoniam & in morte suspiciendum summum ejus officium est. Sola virtus*, inquit *Isidorus Pelus.* l. 2. Epist. 286. *præclaram & nunquam intermorituram gloriam obtinet, ut quæ nec vetustati cedat, nec oblivione conteratur, nec marcescat: verum recentem semper, & vegetam & florentem dignitatem habeat.*

Fortunæ bonis, quæ utilem conciliant amicitiam, nihil est fugacius: simulatque vero spes evanescit commodi, actum de amicitia utili: quæ ne amicitiæ quidem digna nomine: sed negotiatio potius, & mercatura est: *Cicerone* indice & *Basilio*: ἡ φιλία τῷ καιρῷ δυλεύυσα ἐμποεία τις, ἀλλ' ὐ φιλία ταύτη λογίζεϑ. *Voluptas omnis*, inquit Seneca, *cito nos relinquit, quæ fluit & transit, & pene ante, quam veniat, aufertur. Cum maxime delectat*, inquit idem, *extinguitur*: Eadem & amicitiæ ex voluptate natæ est duratio.

§. 99. Quæritur (26) *An in amicorum gratiam aliquando sit delinquendum?*

Resp. Admodum exercuit hæc quæstio *Chilonem Lacedæmonium*, ex inclyto sapientum numero unum, quem vitæ suæ postremo die ad circumstantes amicos ita locutum narrat *Gell.* lib. 1. cap. 3.

Dicta mea factaque in ætate longa pleraque omnia fuisse non pœnitenda, forsitan vos etiam sciatis. Ego certe in hoc quidem tempore non fallo me, nihil esse quicquam commissum à me, cujus memoria rei aliquid pariat ægritudinis, nisi profecto illud unum sit, quod recte ne, an perperam, fecerim, nondum mihi plane liquet.

Super

Super amici capite judex cum duobus aliis fui. Lex ita fuit, uti eum hominem condemnari necesse esset. Aut amicus igitur perdendus, aut adhibenda fraus legi fuit. Multa cum animo meo ad casum tam ancipitem medendum consultanti visum est, esse id, quod feci, præ hoc quod erant alia, toleratu facilius. Tacitus ad condemnandum sententiam tuli: his, qui simul judicabant, ut absolverent, persuasi. Sic mihi & judicis & amici officium in re tanta salvum fuit. Sed hanc capio ex eo facto molestiam, quod metuo, ne à perfidia & culpa non abhorreat in eadem re, eodemque tempore, inque communi negotio, quod mihi optimum factu dixerim, diversum ejus aliis suasisse.

§. 100. Subjungit heic *Gellius*, à multis Philosophiæ sectatoribus satis anquisite satisque solicite quæsitum: εἰ δεῖ βοηθεῖν τῷ φίλῳ παρὰ τὸ δίκαιον, καὶ μέχρι πόσου καὶ ποῖα; Hoc est, interprete Gellio, *An nonnunquam contra jus, contraque morem faciendum pro amico sit, & in qualibus & in quibus causis, & quemnam adusque modum?* *Theophrasti* de eadem quæstione sententiam expressit *Cicero* hisce verbis: *His finibus utendum esse arbitror, ut, cum emendati mores amicorum sunt, tum si inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione, communitas: ut etiam si qua fortuna acciderit, ut minus justæ voluntates amicorum adjuvandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum de via sit, modo ne summa turpitudo sequatur. Est enim quatenus amicitiæ venia dari possit. Quum agetur*, inquit, *aut caput amici, aut fama, declinandum est de via, ut etiam iniquam voluntatem illius adjuvemus.*

Non tamen acquiescit in hoc responso *Gellius*: hoc ipsum maxime discendum esse ait, *quatenus dari amicitiæ venia possit:* id vero ab his, qui docent, minime dici.

Contra patriam, inquit Cicero, *arma pro amico sumenda non sunt*; Neque hoc satis esse judicat *Gellius*: id enim à nemine ignorari: amplius igitur explicandum: cum pro amico contra jus & contra quam licet, salva tamen libertate atque pace, faciendum est, & cum de via declinandum: *quid & quantum, & in quali causa & quonam usque id fieri debeat?*

Pericles Atheniensis cum ab amico rogaretur, ut pro re causaque ejus falsum deieraret, his ad eum verbis est usus: δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι Θεῶν.

§. 101. *Theophrastus* tamen ita mentem suam clarius exprimit. *Parva & tenuis vel turpitudo, vel infamia subeunda est, si ea re magna utilitas amico quæri potest. Rependitur quip-*

pe & compensatur leve damnum delibatæ honestatis majore aliâ gravioreque in adjuvando amico honestate: minimaque illa labes & quasi lacuna famæ imminentis partarum amici utilitatum ratione solidatur. Neque nominibus, inquit, moveri nos oportet, quod paria genere ipso non sunt honestas mea fama & rei amici utilitas. Ponderibus hæc enim potestatibusque præsentibus, non vocabulorum appellationibus, neque dignitatibus generum dijudicanda sunt.

Nam cum in rebus aut paribus, aut non longe secus, utilitas amici & honestas nostra consistit, honestas procul dubio præponderat: cum verò amici utilitas nimio est amplior, honestatis autem nostræ in re non gravi levis jactura est: tunc quod utile amico est, id primum illo, quod honestum nobis est, fit plenius: sicuti magnum pondus æris parva lamina auri fit pretiosius.

Favorinus quoque Philosophus, laxato paulum remissoque subtili justitiæ examine, indulgentiam gratiæ admittit: Hactenus veterum sapientum judicia.

§. 102 Si hoc quæreretur: *An in amicorum gratiam quandoque delinquatur, & honestati nostræ utilitas amicorum præferatur?* Expedita & facilis esset responsio. Quis enim nescit, fieri hoc tota die in multis judiciis, & huc tendere plurima pro amicis data consilia, pro amicis latas sententias? sed facta non curantur, de jure quæritur. Nobis arridet *Periclis* sententia. Res est admodum tenera honestas, quæ vel minimum læsa dolet, ingemiscit, & de injuria queritur, assumta in patrocinium conscientia, quæ omnium est tenerrima, ultricesque *Furias* concitat.

Miratur *Cicero* 1. de Nat. D. *Antiochum*, hominem inprimis doctum & acutum, non vidisse interesse plurimum inter *Stoicos*, qui *honesta* à *commodis*, non nomine, sed genere toto disjungerent: & *Peripateticos*, qui *honesta* commiscerent *commodis*, ut ea inter se magnitudine, & quasi gradibus, non genere differrent.

His igitur, si fides habenda *Ciceroni*, in amici gratiam ab honestate quandoque declinare, non adeo molestum & grave potuit esse. Aliud visum *Stoicis* quibus honestate nihil fuit antiquius, & dubio procul, iniqua visa proportio illa *Theophrasti Peripatetici*, inter *æs* & *aurum*, interque *honestatem* & *utilitatem*. Non enim, ut magna æris lamina exiguam auri pretio æquat, eaque recte permutari potest: ita utilitas quoque magna honestati in speciem parvæ æquiparanda & præferenda. *Honestas* postponi non potest, quin ipsa *pietas* quoque postponatur. *Honestatem* enim qui negligit, *legem* contemnit, quæ sine contemtu

temtu legislatoris & impietate contemni non potest. *Oportet, quæ sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare: jucundum tamen si prohiberi publice videas, quod nunquam tibi ipse permiseris*: inquit *Plinius* lib. 5. Epist. 14. *Sine mora ulla*, inquit Seneca, lib. 7. de Benef. cap. 2. *venit illa turpis honestique distinctio, sciatque nec malum esse ullum, nisi turpe, nec bonum, nisi honestum. Hac regula vitæ opera distribuat: ad hanc legem & agat cuncta & exigat.* *Quid honesto anteponendum?* exclamat *Cicero* lib. 9. Epist. 25.

- - comprime motus:
Nec tibi quid liceat sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Inquit *Claudianus.*

Igitur in amici gratiam interdum quidem commoda nostra negligi possunt & debent: Quia facilis bonorum fortunæ jactura est. Ne quid vero detrimenti patiatur honestas, etiam atque etiam cavendum. Ita *Themistocles* olim sensit, qui *Simonidi* petenti ut in negotio quodam injustam pronunciaret sententiam; *Neque tu*, inquit, *bonus eris poëta, si præter Musica modulos canas, nec ego princeps bonus, si contra leges pronuncio.* Plutarch.

Ita *Publius Rutilius*, cum amici injustæ petitioni resisteret, & is per summam indignationem dixisset: *Quid igitur mihi opus est amicitia tua, si quod rogo, non facis?* respondet.. *Imo quid mihi opus est tua, si propter te inhonesti aliquid facere debeam?* Valer. Maxim. lib. 6. cap. 4.

§. 103. Quæritur (27) *An in amicitia vera locum habere debeat tritum illud*: Ama ut aliquando osurus?

Resp. Minime. Dictat vocem illam *suspicio* & *diffidentia*, quæ pestis est amicitiæ & cum vera minime consistit. Amici vero locum calumniis non dant & omnem procul habent suspicionem: quia intime se norunt, per evidentia experimenta. & sincere diligunt, in honestatem unice defixi, de quibus infamis illa vox hoc modo invertenda: *ama ut nunquam osurus*, observandum igitur illud *Isocratis* monitum: *Neminem cito in amicitiam recipe, quem vero charitate complexus fueris, eum da operam ut perfectus ames.* Ita *Seneca*, Epist. 3. *Si aliquem amicum existimas, cui non tantum credis, quantum tibi, vehementer erras & non satis nosti vim veræ amicitiæ.* Item: *Post amicitiam credendum, ante amicitiam judicandum. Illi vero præpostere officia permiscent: qui, contra præcepta Theophrasti, cum amaverint, judicant, & non amant cum judicaverint.*

Diu cogita: An tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit? Cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quam tecum: Cum amico omnes curas tuas & cogitationes misce: fidelem, si putaveris, facies.

§. 104. Quæritur (28) *An amicitiæ inter pocula contractæ sint rata habendæ?*

Resp. Inter pocula aliquid fieri dicitur, vel quod fit ab ebriis, in ipso ebrietatis actu & fervore: vel quod in conversatione hilari fit, ut ad hilaritatem quoque pocula adhibentur, sed non usque ad actum ebrietatis.

Priori sensu & modo inter pocula contractæ amicitiæ non magni sunt faciendæ, nisi à sobriis renoventur cum judicio.

Posteriori modo quæ contrahuntur, judicio sibi constante, non sunt contemnendæ.

(1) Quia ab eruditis quoque & honestis viris sæpe hoc modo & hac occasione contrahuntur: Unde *Plutarchus* in convivio VII. Sapient. *Multi non admodum inter se noti aut familiares à Baccho, vini, veluti ignis, opera ingeniis emollitis atque humectatis, principium aliquod contemperationis inter se amicitiaque nanciscuntur.*

(2) Quia cum judicio, & absque temeritate contrahi possunt. Ubi animi in hilaritatem effusi libere & sincere se aperiunt.

(3) Quia, experientia teste, sæpe conjunctissime inter se vixerunt, & etiamnum vivunt, quorum hac occasione animi coaluerunt.

§. 105. Quæ pro *contraria* adferri solent sententia:

(1) Quod mos amicitias inter pocula contrahendi à juvenibus sit introductus.

(2) Quod amicitiæ inter pocula natæ utilitatem potius, quam honestatem, spectent.

(3) Quod contrahentium mens non satis libera fuerit.

(4) Quod locus non fuerit satis conveniens, vitio potius quam virtuti conciliandæ aptus.

Non sunt magni momenti, sed militant tantum adversus *priorem* modum: posteriori si opponantur, partim falsa, partim inconsequentia sunt.

§. 106. Quæritur (29) *An Crater Philotesius, Græcis κρατὴρ ἀγαθοῦ δαίμονος, quo in conviviis amicitiæ conciliantur, sit probandus?*

Resp. Olim quidem gratiam habebat & laudem: sed ob turpem abusum cum magna levitate conjunctum, apud *Germanos* potissimum, vix quicquam laudis meretur.

§. 107.

§. 107. (30) *An mutationes dissolvant amicitiam?*

Resp. Moribus amici in peius mutatis, *dissolvenda* quidem amicitia, sed non *repente*.

Dissolvenda (1) Quia veræ amicitiæ causa honestas est. Sublata igitur honestate, tanquam causa, quoque effectus tollitur.

(2) Amicitia vera non consistit, nisi ubi sincera est amicorum conjunctio, & ad eundem honesti scopum collimatio. Atqui conjunctio & collimatio non potest esse inter eos, quos vitiorum & virtutum disjungit hostilitas: quæ non potest non esse inter honestatis studiosos virtutisque cultores & vitiorum mancipia. *Dispares mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias*, inquit *Cicero*.

(3) Quia cum homine flagitioso & improbo continuari amicitia non potest, sine existimationis & famæ macula: siquidem familiaris conversatio & mutua benevolentia morum arguit similitudinem, secundum tritum illud: *Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se*, Item. *Simile simili gaudet*. Item: *Talis quisque censetur, quales sunt, quibuscum conversatur.* Pulchre *Cassiodorus* in lib. de amicit. cap. 17. *veteris amicitiæ vestigiis aliqua reverentia semper impendenda est, nisi eam enormitas reatus eliminet*.

(4) Quia in improbitate sua obfirmantur, qui probos & bonos ea non offendi & à se alienari animadvertunt.

§. 108. *Non repente dissolvenda.*

(1) Propter periculum: quod omnem repentinam mutationem sequitur.

(2) Propter spem emendandi & reducendi amici: qui plerunque consilio potius, quam repentino divortio corrigitur.

(3) Propter notam infamiæ; quæ separatis & disjunctis amicis sæpe inuritur.

(4) Propter scandalum malumque exemplum: quod infirmis & inconstantibus præbetur.

§. 109. Objicitur (1) *Cito recedendum & fugiendum à vitio, ne ejus consortio inquinemur. Ergo ab amico vitioso repente quoque discedendum, ne noceat.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia eadem non est ratio vitii & hominis vitiosi: vitio non est favendum, neque id fovendum: quia boni in eo nihil est: vitioso autem homini sine culpa favere, eumque certo respectu fovere possumus & debemus; non qua vitiosus, sed qua homo est: de quo in virtutis viam reducendo, omnibus modis laborandum. Igitur *amicum peccantem si videris*, inquit Casus, *statim à vitio avola*,

ſed ſenſim à viro : ſi corrigi non poſſit, declina : quod tutum & laudabile eſt.

§. 110. (2) *A malorum conſortio qui diſcedit, exemplum malum non præbet. Ergo metus exempli mali præbendi nos non debet in malorum conſortio retinere, vel ad breve tempus.*

Reſp. *Antecedens* ſimpliciter verum non eſt : etiamſi enim malum non eſt a malis diſcedere: tamen conſultum non eſt repente diſcedere. Quia ignorantibus fit cauſa mali, ipſiſque malis damnoſum ; quibus repentina illa diſceſſione occaſio ad frugem redeundi præciditur.

§. 111. Quæritur (31) *An virtutum inæqualitas diſſolvat amicitiam ?*

Reſp. Senſus eſt : *An deſerenda ſit amicitia ejus, qui virtute inſigniter nos ſuperat :* In *Affirmativam* videtur inclinare *Ariſtoteles : Ratio* ejus eſt : *quia amici ejuſmodi iiſdem rebus nec capiuntur nec offenduntur :* quod pluribus rationibus alii probant.

(1) *Quia inter eos, qui tam inæquales moribus & virtutibus ſunt, nulla poteſt eſſe converſatio & conſiliorum communio.*

(2) Quia *Syracides*, cap. 13. dicit. *ditiori ne ſocius fueris :* & ibidem : *Omnis caro ſimili ſuo ſociabitur.*

(3) *Quia amor eſt appetitus unionis : unionem autem maxime appetunt, quæ ſimilia. Atqui amicitia eſt amor, vel non ſine amore.*

(4) Quia, ſecundum tritam ſententiam, *pares cum paribus facile congregantur.*

§. 112. Interim in *negativam* tandem inclinare Philoſophus videtur : quod nempe inæqualitas in perfectione virtutis amicitiam illico non diſſolvat. *Ratio* eſt : quia fortis cum magnanimo, liberalis cum magnifico, mediocriter doctus cum inſigniter docto amicitiæ fœdus inire ejuſque officium exercere poteſt. Quod & alii ſequentibus probant argumentis : quia nempe inæquales iſti conſpirant.

(1) In *objecto*, nempe amabili & honeſto : uterque eſt amabilis & honeſtus, uterque ſectatur amabilia & honeſta.

(2) In *medio* : nempe in delectabili conſortio.

(3) In *fine*, nempe fideli vitæ officio virtutiſque ſtudio.

§. 113. Rationes pro *affirmativa* allatæ non ſunt magni momenti, breviter igitur reſpondemus.

Ad 1. Inæqualitas iſta non prohibet omnem converſationem & conſiliorum communionem : ut experientia docet.

Ad 2. *Syracides* intelligit, non quemcunque ditiorem, ſed cum,

cum, qui familiaribus divitum laborat morbis, quales *superbia & pauperum contemtus*: seu qui utile præferunt honesto.

Ad 3. Etiam inter eos, qui virtutibus sunt inæquales, aliqua est virtutum similitudo.

Ad 4. Non tantum pares cum paribus, sed & similes cum similibus congregantur. Atqui similes sunt etiam, qui virtutibus inæquales sunt: Sunt enim utrique & virtutis & honestatis studiosi.

§. 114. Quæritur (32) *An adulatio consistat cum amicitia?*

Resp. Negatur: ratio negationis gemina est:

(1) Quia in genere bonorum amicitia maximum, in genere malorum adulatio maximum est.

De *amicitiæ bono* prolixe hactenus egimus: neque dubitatio ulla est reliqua.

De adulationis malo paucula sunt attingenda.

Adulatio, inquit Thomas, *est simia imitando:* quia, si ais, ait, si negas, negat. *Gemma apparendo:* quia ut vitrum splendet, sed, cum splendet, frangitur. *Umbra fallendo*: quia cito fugit & evanescit. *Vipera mordendo*: quia periculose ferit præcordia. *Cicuta occidendo*, quia velociter famam suffocat & extinguit. Adulatorum indolem & ingenium egregie depingunt plura alia similia & nomina, quibus insigniri à sapientibus solent. Appellantur enim *nutrices diaboli*: *Aves Gaviæ*: *Canes*: *Corvi*: *Locustæ Ægyptiæ*: *Stelliones*: *Tineæ*: *Sirenes*: *Pelliones*: *olei venditores*: *Figuli*: *Fratres diaboli*: *Lupi*: *Scorpiones*: *Diaboli histriones*. Singularum appellationum & similitudinum rationes prolixe reddit *Drexelius* in orbis *Phaëtonte*, cap. I.

Diogenes Cynicus dicere solitus est, κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας: id est: *præstare ad corvos redigi, quam adulatoribus exponi:* Rationem reddit: *quia corvi morticinia tantum consectantur: adulatores etiam vivos bonosq́; laniatu pestifero excarnificant.* Idem interrogatus: *quæ bestia venenatissimos aut nocentissimos haberet dentes, si*, inquit, *de feris animalibus quæras obtrectator est: si de mansuetis, adulator est.* Quam in sententiam *Augustinus* quoque in Psal. 69. *duo*, inquit, *sunt genera persecutorum, vituperantium & adulantium. Plus persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris. Utrumque genus hostis fuge: ille sævit, iste blanditur: uterq́; malus. Ille iracundus est & iste in laude subdolus est. Ille reprehensor est, iste laudator. Sed & ille in reprehensione inimicus est, & iste in laude subdolus. Cave utrumq́;, contra utrumq́; ora. Sunt qui norint tantum mulcere & lambere, alii, qui tantum mordere & radere: isti convitiis & obtrectationibus, illi encomiis & laudibus nos aggrediuntur.*

 Anaxi-

Anaxilaus eosdem divitum σκώληκας, hoc est, *vermes*, appellavit. *Pindarus* adulatorum dixit esse ἄμαχον κακὸν h. e. *malum inexpugnabile*: Seneca, *pro sua quemque portione, adulatio infatuat*. In *Psalmis* guttur adulatorum appellatur *sepulchrum patens*. Plutarchus monet, *nihil intentius esse cavendum, quam adulatores*: quod nullum sit perniciosius genus, quodque in præcipitium festinantius agat juventutem. Similia apud autores occurrunt plurima.

Nascitur & educatur *adulatio* in aulis potissimum. Unde *adulatio* Grammaticis nonnullis idem est quod *adaulatio*: quam & *moschum* appellant *aulicum*. *Perniciosa adulatio*, inquit *Curtius*, lib. 8. *perpetuum regum malum est. Monstrabo tibi*, inquit libero ore *Seneca*, de benef. lib. 6. c. 30. *cujus rei inopia laborent magna fastigia, quod omnia possidentibus desit: Scilicet ille, qui verum dicat & hominem inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet à consensu concentuque falsorum.* Hinc misertus olim principum virorum *Julius Capitolinus*, in Gordiano Iun. *Miser*, inquit, *est Imperator, apud quem vera reticentur.* Omnium fere in regibus scelerum causam esse adulationem, ostendit *Drexelius* libro ante alleg. c. 3. ubi adulationis damna prolixe persequitur. *O magni Principes, ô Reges & Cæsares*, exclamat, *quam subtili veneno incolumitas vestra impetitur!* Passim quidem negant, in aulis bene compositis adulatores esse. *Ah! quam hoc difficile creditu est!* exclamat idem. *Illud nemo sibi potius persuasit, nullos tolerari, quam nullos esse. Quis enim credat nihil esse murium, ubi tam multum frumenti est?*

§. 115. (2) Quia dissimillimi sunt mores & actiones amici & adulatoris: de quibus olim ex professo & prolixe *Plutarchus* & *Maximus Tyrius*: ex cujus dissertione 5. sequentia libet enotare, quæ amicitiæ & adulationis indolem egregie depingunt.

Ex proposito usuque & instituto animi ab amico adulator *distinguitur: Sicut uterque, & qui virtutis studio, & qui mercedis causa militat, armis utitur: nec tamen de operibus eorum ab externa quisquam actione judicat, cum pro instituti ratione usum utriusque potius distinguat.* Alter *servare enim amicum solet: quia est amicus*: alter *se mercede cuilibet addicit*. Alter *in eo, quod agit, sua spontis est*, alter *venalis*. Alter *iis fidem servat, cum quibus fœdus contraxit;* alter *ne iis, cum quibus amicitiam. Eodem* adulatorem *ab* amico *differre puta. Ambobus enim sæpius accidit, ut eodem modo agant, eodem modo cum amicis*

micis vivant: cum tamen alter ab altero vel ex usu vel ex fine, vel ex animi proposito sit discernendus. Amicus *enim id, quod bonum putat, sive id dolorem postea, sive voluptatem adferat, cum amico communicat & ex æquo fruitur*: adulator *ex præscripto libidinis suæ, quicquid cum amicis agit, ad lucrum suum redigit.* Amicus *æqualitatem, proprium bonum spectat* adulator. Alter *æqualitatem in virtute*, alter *lucrum in voluptate.* Alter *paritatem in congressu*, alter *humilitatem in cultu.* Alter *veritatem in familiaritate*, alter *fraudem.* Alter *emolumentum in posterum*, alter *in præsens delectationem.* Alterius *beneficia memorari gaudent*, alterius *fraus sepeliri postulat.* Alter, *quæ amici sunt, ut communia curat*, alter *ut aliena consumit.* Amici *& in secundis rebus familiaritas gratissima est, & in adversis sortem ex æquo fert:* adulator *neque secundis rebus expleri potest, neque in adversis usquam apparet.* Amicitia *laude, vituperio digna est* adulatio. Amicitia *par pari rependit, utrinque* adulatio *claudicat.* Amicus *si ignoretur*, adulator, *nisi ignoretur, miser est.* Amicitia, *si exploretur, confirmatur*, adulatio, *si exploretur, perit.* Amicitia *tempore crescit*, adulationem *tempus convincit.* Amicitia *nullius usquam eget, alicujus semper* adulatio. *Quod si aliquid commune est cum Deo hominibus, homo pius amicus Dei est, superstitiosus adulator Dei. Et beatus quidem vir pius, qui amicus Dei est, miser superstitiosus. Quemadmodum autem alter virtute sua fretus sine metu accedit Deos, alter improbitatis suæ conscientia dejectus multo cum timore, sine ulla fiducia*[1], *venit, nec aliter Deos, quam tyrannos timet: Eodem, ut arbitror, modo coram hominibus spei plena & fiducia est* amicitia, *sine spe & fiducia est* adulatio. Amicum *nullum tyrannus,* adulatorem *nullum rex habet. Regnum autem propius ad Deum, quam tyrannis, accedit. Quod si* amicitia, *morum est æqualitas*, improbus *vero nec sibi, neque ipsi bono æqualis est:* vir bonus *viro bono amicus est, quia est æqualis*: adulator *contra viri boni quomodo adulator esse possit, cum latere virum bonum non possit* adulator? *Improbi vero ut sit* adulator, *si æqualis illi fuerit, non amplius* adulator *erit: nec enim pares admittit* adulatio: *quod si æqualis non erit, ne* amicus *quidem erit. Plutarchum* vide in commentario, *πῶς ἄντις διακρίνη τὸν κόλακα τοῦ φίλου.*

Utrumque si contuleris autorem *adulatoris characterem* habebis sat exquisitum. Alias adulatorum esse dicitur

(1) Præsentes commendare & in os laudare.
(2) Suo inhiare lucro.

 (3) Nullam

(3) Nullam publicæ rei habere rationem, quamvis dominorum quoque aut amicorum interdum commoda permoveant.

(4) Nemini non invidere & nunquam non metuere ne de gradu ab aliis dejiciatur.

(5) Ori coquere & palato, non ſtomacho non epati, non capiti. (6) Ad omnem ſe ventum vertere: omnia amicorum vel dominorum dicta, facta probare vel excuſare.

Cum *adulante* lingua plerumque concurrit *ſuſurrans.* Unde omnis adulator ſuſurro, & omnis ſuſurro adulator. Grammaticis *ſuſurrus* & *ſuſurro* dici videtur παρὰ τὸ συρίζειν, à *ſibilando*: qui ſuſurrones in aures aliorum ſibilare conſueverunt. Quod enim ab uno aliquo audiunt, arrectis mox auribus excipiunt & recta ad alium referunt per adulationis ſpeciem benevolentiam ambiendo, lites ſerendo & amicitias diſſolvendo: quod peſtilentiſſimum eſt hominum genus. En, inquiunt, ille hoc contra te dixit, & tu eum tibi amicum credebas: nihil minus eſt: etiam coram aliis iſtud de te auſus eſt dicere. Plerunque mendacia adſperguntur & dicta atque facta exaggerantur. Utramque partem ſæpe in mutuas ſimultates exſtimulat ſuſurro. Quemadmodum enim à primo excepit, quod in alterius aures malevole egeſſit, ſic pariter ab alterius quoque ore excipit, quæ in primi aures refundat, ut unus in alterum inflammetur, & utrique amicus ipſe videatur, qui tamen utriuſque eſt hoſtis. *Peſſimum genus hominum*, inquit Seneca, *qui verba geſtant.* Homines in nulla familia, in nullis cœtibus, in nulla aula tolerandi. *Cum non eſt ſuſurro, ſilet contentio*: Prov. 26. v. 20.

Putrida membra ſunt ſuſurrones, quæ omnibus putredinem ſuam affricant & vicina omnia lethali toxico inficiunt: quorum ubique, proh dolor, copioſa meſſis, annona vilis. Eleganter comparantur avibus, quas *incendiarias* appellant: quæ adeo ſunt rapaces, ut ipſum etiam ignem ſuffurentur. Ubi enim prunas vident, vivum inde carbonem ſubtrahunt, & dum urentem prædam excidere unguibus ſinunt, domos facile incendunt. Verba quæ excipiunt & quaſi ſuffurantur ſuſurrones & in aliorum deponunt auribus, inſtar candentium ſunt prunarum, quæ nocentiſſima ſuſcitant incendia: & tanto quidem nocentiora, quia ſæpe clandeſtina & immortalia accendunt odia: quando ſilentium ſuſurrones precibus ſuis impetrant ab iis, quorum auribus abutuntur, his plerunque formulis; *obſecro te, cave dixeris hoc à me tibi narratum: hoc in aurem tibi dictum velim: ſub roſa dictum eſto: alii ſi hoc reſcirent, fraudi futurum mihi eſſet: lapidi dictum eſto*: &c. Inviſum hoc hominum genus Deo, *Prov. 6. v. 19*

Nefarii

§. 117. Nefarii susurronis exemplum è *Zonara* producit *Drexelius*.

Perditissimus homo, *Theodorus Santabarenus* Basilii Imperatoris filio *Leoni*, benevolentia simulata, persuasit, ut venatum una cum patre iturus occultum ferret pugionem vel in feras, vel eos, qui parenti, aut ipsi insidiarentur: quod *Leoni* consilium non displicuit, quamvis dolum susurronis haud observaverit. Hoc à *Leone* filio cum obtinuisset, ad patrem *Basilium* susurro *Santabarenus* se contulit, & veluti famulorum fidissimus monuit, à filio sibi deinceps caveret, qui occultissimas patri insidias strueret & necem moliretur: cui delationi ut fidem faceret & quasi in rem præsentem duceret imperatorem, excuti filium & in venatu occultum quæri pugionem suasit. Cum jam quæsitus & inventus esset: perditum voluit *Basilius*, nullamque ejus admittere excusationem vel defensionem. Tandem oculos *Leonis* instigante *Santaberto*, eruisset, nisi assiduis precibus sententiam mitigasset Senatus.

§. 118. Quæritur (33) *An πολυφιλία adversetur amicitiæ veræ?*

Resp. *Affirmativam* thesis nostra amplectitur: quæ & *Aristoteli* arrisit Eth. lib. 9. cap. 10. ubi negat in quovis genere conciliandos esse multos amicos.

In amicitia *utili* non sunt multi conciliandi: quia multis elargiri damnosum est: & inservire multis laboriosum.

Nec in *jucunda* sunt conciliandi multi: quia jucundis amicis raro, non secus ac condimentis in splendide apparatis epulis, uti oportet: ne fastidium oboriatur.

In *honesta*, quam virtus conciliat, multi non possunt esse: ut supra quæst. 19. ostendimus. Difficile est & rebus prosperis gaudere & adversa graviter cum multis ferre: numerosam perfectorum amicorum turbam negat virtutis excellentia, negat amoris vehementia. *Amicitiæ hujus concentus*, inquit plutarchus, *nullam vult partem esse dissimilem aut inæqualem: sed oportet omnia dicta, sensa, consilia & affectus inter se convenire, veluti uno animo in plura diffuso corpora: quod fieri inter multos non potest.*

§. 119. Objicitur (1) *In amicitia utili & jucunda plures esse possunt, qui utile & jucundum quærunt. Ergo πολυφιλία non repugnat istis amicitiæ speciebus.* Antecedens prob. *Quia multi sunt parasitorum greges.*

Resp. Negatur *consequentia:* Quia amicitiam non gignit unius tantum partis intentio, sed utriusque consensio. Quamvis igi-

vis igitur unius amicitiam *utilem* multi ambiant parasiti: tamen multos admittere & in amicitiam accipere parasitos inconsultum est, & exhausto liberalitatis fonte, ipsam tandem exarescere amicitiam necesse est: qui enim primi eam ambiverunt, primi ab ea resiliunt.

§. 120. (2) *Amicitia honesta est bonum præstantissimum. Ergo pluribus debet communicari:* Ratio conseq. *Quia bonum est sui communicativum.*

Resp. Negatur *consequentia*: *Ratio* ejus non nisi cum exceptione & conditione admittitur: Bonum est sui communicativum, quatenus subjectorum admittit capacitas. Ita sane optandum esset, ut amicitia honesta & perfecta plurimis communicari posset: quod tamen fieri in hac nostra imperfectione non potest, ob causas, quas supra recensuimus. Obstat boni hujus excellentia & subjectorum multorum incapacitas. Interim amicitiæ hujus fructus in multos redundat: quibus etsi totam se amicitia hæc non communicat, tamen bonitatis & benignitatis in eos derivat rivulos. Bonus enim bonos diligit, etsi æque omnes vel multos diligere non potest.

§. 121. (3) *Charitatis officia præstare possumus & debemus omnibus: Ergo amicitiam veram colere possumus & debemus cum omnibus, ne dum multis.*

Antecedens prob. *Quia diligere proximum debemus sicut nos ipsos*, Matth. 22. v. 39. Rom. 13. v. 8. 9. Ratio consequentiæ. *Quia charitatis sunt officia, quæcunque veris amicis exhibemus.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: charitatis officia præstare omnibus omnia est impossibile. Sunt plerique hominum ignoti nobis, nedum ita nobis propinqui, ut omnibus charitatis officiis prosequi eos possimus. *Probatio Antecedentis* inconsequens est. *Præcepto, de diligendo proximo, non præcipi æqualitatem dilectionis & officiorum erga omnes homines, inde manifestum est, quia per Dei legem plura & majora debemus nostris parentibus, quam aliis qui sanguine nobis juncti non sunt: plura parentes liberis quam servis, plura maritus uxori, quam sorori: plura fidei consortibus, quam infidelibus* &c. Ita longe plura & majora quoque debemus veris nostris amicis de nobis optime meritis quam adulatoribus, parasitis, vel inimicis: etiamsi omnibus aliqua debemus charitatis officia, ne hostibus quidem exceptis, Matth. 5. v. 44.

Patet hinc consequentiam quoque solidam non esse: Etiamsi enim charitatis officia sunt, quæcunque veris amicis præstamus: tamen eadem præstare omnibus non tenemur.

(4) *Multos*

§. 122. (4) *Multos esse comparandos amicos monita veterum docent, ergo πολυφιλία non adversatur amicitiæ.*

Antecedens prob. Ælian. lib. 14. cap. 38. *Inter alia Epaminondæ pulchrè dicta & facta, etiam hoc numerari docet; quod ad Pelopidam dixerit, se quotidie è foro non discedere prius, quam novum aliquem amicum ad veteres adjecisset. Sic & Polybius Africano præcepit, ne unquam è foro digrederetur, nisi prius aliquem sibi amicum fecisset*: Plutarch. in Symp. *Sylla* ad *Bochum* regem apud *Sallust.* in Jugurth. *Amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis fuit.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia non loquuntur veteres de amicitia in specie, cui nos πολυφιλίαν opponimus. Sed in genere de multorum concilianda benevolentia per humanitatis officia. Ut vulgo amicos nominamus omnes, quibus bene cupimus, & qui nobis bene cupiunt.

Amicitiam vero in specie dictam, intimam, in multos non esse diffundendam, neque posse diffundi veteres quoque judicant. Unde *Plutarch.* περὶ πολυφιλίας: *Sicut amnes in multos divisi alveos imbecilli fluunt ac tenues: sic vehemens amor in animo, si dissipetur in multos, enervatur. Unde fit ut ea etiam animalia prolem suam magis ament, quæ unam tantum gignunt.*

§. 123. Ibidem repudiat πολυφιλίαν ex antiquitate multorumque seculorum decursu è quibus de veris amicis ad nos propagata fama non nisi *binos* semper amicos memorat, *Theseum* & *Pirithoum*, *Achillem & Patroclum* &c. additque, *amicum esse animal una quidem degens, sed non ut in armento aut graculorum caterva*: ζῶον σύννομον οὐκ ἀγελαῖον οὐδὲ καλοιῶδες: & quod amicus alter ipse dicitur, aliud nihil significare, quam *binarium esse amicitiæ mensuram*: Nomisma, quo amici comparantur, esse *benevolentiam* & *gratiam* cum virtute conjunctam his vero rebus nihil rarius naturam ferre. Notat ibidem, ad amicitiam veram tria requiri potissimum, τὴν ἀρετὴν, ὡς καλὸν, τὴν συνήθειαν ὡς ἡδὺ, τὴν χρείαν, ὡς ἀναγκαῖον: h. e. *virtutem ut pulchrum*, *consuetudinem*, *ut jucundum*, *usum*, *ut necessarium*: Cum *judicio* recipiendus est amicus, *consuetudo* debet esse læta; & *usus*, exigente occasione, promtus: quæ omnia amicorum adversantur multitudini, maxime vero judicium: quia non parum temporis requiritur ad deligendum, qui in choro rectè colloquantur, remosque pari incitatione ducant, aut rem familiarem probe administrent, vel pædagogi liberorum utiles sint futuri: ne dum inveniri subito, qui omnem una fortunam subire sint parati. Quæ circa *consuetudinem* & *usum* in

πολυφι-

πολυφιλία occurrant difficultates, ibidem latius persequitur. Breviter cum multis simul & assiduo versari, impossibile est: requiritur enim præsentia & vitæ societas suavissima, quæ in multitudine dissipatur & impeditur. Si multi amici eadem opera aliquando indigeant simul, gratificari omnibus impossibile erit: neque sine offensione unus & alter præferri aliis omnibus poterit. A πολυφιλίας dehortatur *Pythagoras* præcepto; μὴ πολλοῖς ἐμβάλλειν δεξιάν: *ne multis manum injiciamus.* Memorabile est quod *Toxaris* de *Scythis*, apud *Lucianum*, in dialog. de amicitia, refert. *Ubi jam in amicitias, cæteris repulsis, delectus est quispiam, fœdus initur ac jusjurandum, quod sit maximum, nimirum & victuros eos pariter, & mortem oppetiturum, si sit opus, alterum pro altero* &c. *Admittuntur autem ad hujusmodi fœdera ad summum tres. Nam qui multis fit amicus, is eo loco habetur apud nos, quo communes istæ atque adulteræ uxores: arbitramurque jam non perinde firmam illius amicitiam fore, posteaquam in plures partes est dissecta.*

Apud *Plutarchum* lib. 4. Sympos. ab initio *Dicearches* ait: *unumquemque dare operam debere, ut omnium benevolentiam sibi conciliet, amicitiam autem cum bonis ineat.*

§. 124. Quæritur (34) *An omnes amici sint fures temporis?*

Resp. Trita est sententia: *Amici fures temporis:* quæ contumeliosa in amicitiam videtur. Est enim Græcorum proverbium, χρόνου φείδου. *Parce tempori*: Unde vox illa *Democriti*, ut Lipsio videtur πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος: h.e. *Sumptuosissima est temporis jactura.* Et quæritur *Seneca, in tempore nos esse profusissimos, cum tamen unius illius honesta sit avaritia: nempe quia damnum ejus est irreparabile.* Quanto igitur res pretiosior est tempus: tanto furtum ejus videtur esse intolerabilius.

§. 125. Distinguunt heic inter amicitiam *utilem* & *honestam* inter amicos πότιον καὶ βρώσιον socios, quos *parasitos* vocant, qui culinam quadrasque opiparas sectantur, & inter veros sincerosque quibus honestas & virtus est curæ. Illi & *temporis* & *fortunarum* sunt fures, bonasque horas comessationibus, ludis, alea &c. perdunt: Hi magno fœnore conversationis tempus compensant: meliores enim reddunt aut redduntur, virtutisque exercendæ occasiones quærunt, suavissima & honestissima conversatione: quod honestissimum & optimum est tempus ἀνάλωμα. Hoc modo *fures temporis* non magis dici possunt amici quam qui ad virtutem nos erudiunt & in ea exercent. Nisi forsan benignius hoc interpretemur furtum, & *furari tempus* amici dicantur,

cantur, quia per jucundissimam conversationem id labitur & elabitur nobis non animadvertentibus. Unde unica hora cum tædioso homine exacta longior nobis accidit, quam tres aut quatuor cum amico.

V.

Adversantur amicitiæ in defectu inimicitia & ἀφιλία, in excessu πολυφιλία.

Ἔκθεσις.

§. 1. QUi enim nimis multorum ambiunt amicitiam, plerunque nulli satisfaciunt, adeoque ab amicitiæ perfectione longe absunt: interim omnibus modis præferenda πολυφιλία τῇ ἀφιλίᾳ.

Adversantur quoque amicitiæ, quæcunque dissolvunt amicitiam in quæ deinceps inquirendum. In iis etiam *adulatio* est: quam amicitiæ contrariam esse jam ante ostendimus, quamvis aliis *mendacii* sit species, qua fraudulenti iis se attemperant, qui se ipsos magnifaciunt, eosque blanditiis suis demulcent ut aliquid utilitatis consequantur. Vitium frequentissimum & turpissimum. In aulis plures dicuntur *adulatores* circumvolitare, quam *muscæ* culinarum parietes obsidere. Ex *Menandri* sententia primum tenet *adulator*, secundum *Sycophanta*, tertium *malevolus*. *Qui incidunt in adulatores*, inquit Crater, *non minus sunt deserti, quam vitulus inter lupos*. Videantur, quæ paulo ante in eandem rem à nobis sunt dicta.

§. 2. Fœda adulationis aulicæ *exempla* apud veteres occurrunt.

Arabes, si Regibus membrum aliquod mutilatum esset, eandem partem obligatam fasciis & ipsi gestabant. *Athen.* l.b. 6. Ubi pudendæ adulationis exempla recensentur plura.

Cum *Philippo* exoculato *Clisophus* eodem oculo obligatus prodiit: cumque eidem Regi crus oblæsum & luxatum esset, similiter *Clisophus* eodem crure claudicavit. Si forte acrem cibum *Philippus* ori admoveret vultum *Clisophus* contrahebat, quasi eo quoque vesceretur.

Cum *Alexander* M. à Musca se compunctum quereretur, ideoque muscas graviter abigeret: *Nicesias* quidam adulator tum præsens; *Aliis profecto muscis*, inquit, *hæ, quæ tuum sanguinem degustarunt, præstantiores multo futuræ sunt & strenuiores*:

nuiores: Habuit quoque assentatores *Dionysius* Rex: Ii, quia *Dionysius* oculis minus perspicax erat, inter cœnandum obtuse cernere fingentes opposita fercula, tanquam visu non discernerent, temere contrectabant, quoad manus *Dionysius* ad patinas perduceret: Cumque idem Dionysius sputator esset, faciem sputo conspergendam ii objiciebant, salivam & quæ vomitu egesserat delingentes, eaque melle dulciora esse affirmantes.

§. 3. Quæritur (1) *An inimico reconciliato sit fidendum?*

Resp. *Negativam* tuetur *Syracides* cap. 12. v. 8. 9. 10. 11. *Ne credas inimico tuo in seculum. Nam sicut æs affert æruginem, sic etiam pravitas illius. Etiamsi abjiciat se & inflexus ambulet, insiste animæ tuæ & custodi ab illo ipsam: Sic eris erga ipsum tanquam qui abstergit speculum, & cognosces non intulisse æruginem ad extremum usque. Ne statuas eum apud te ipsum, ne quando, cum subverterit, consistat in loco tuo: ne colloces eum ad dextram tuam, ne quando sedem tuam quærat occupare.* Pertinet huc *Epicharmi* sententia, *μέμνησο ἀπιστεῖν*, *memento diffidere.* *Ratio* cur fidendum non sit, hæc est: quia dubium est, num non post reconciliationem aliquæ remanserint simultatis scintillæ, quæ levi data occasione, in flammam & incendium possint erumpere: præsertim cum non pauca dentur exempla eorum, qui post reconciliationem, sive veram, sive simulatam, ad ingenium redierunt, &, quæ damna hostes inferre non potuerunt, sub prætextu amicitiæ postmodum intulerunt occulti hostes.

§. 4. Interim durior videtur sententia illa absolute & sine ulla conditione pronunciata. Neque pertinax illa diffidentia & sinistra suspicio videtur conciliari posse cum lege & natura charitatis; quam Apostolus exprimit. 1. Cor. 1. v. 4. 5. 6. 7.

Itaque limitationes heic sunt adhibendæ; & probe considerandum (1) An amicitia, quæ postmodum est distracta, sit contracta ex honestis vel inhonestis causis? (2) An inimicitiæ fuerit justa vel injusta causa? (3) An sinistræ suspicionis justa sit causa in inimico dudum reconciliato. Hinc sequentes fluunt assertiones.

§. 5. (1) *Inimico, quem primum tibi conciliarunt causæ inhonestæ, reconciliato fidi tuto non potest.*

Quia justæ suspicioni locus semper est, ubi honestatis non habetur ratio.

§. 6. (2) *Si amicitiæ causa fuit honesta, inimicitiæ vero error, reconciliato fidi tuto potest.*

Qui enim per errorem sibi factus est inimicus, nulla sua culpa, sive per calumniam, sive per suspicionem erroneam, postquam errorem suum agnovit, & se tibi reconciliavit, sinistra suspicione

ſpicione non eſt facile gravandus, ſed potius bene de ipſo ſperandum, quantiſper propoſiti honeſti eſt tenax.

(3) *Reconciliato inimico, qui poſt reconciliationem ſiniſtræ ſuſpicioni juſtam anſam à longo tempore præbuit nullam, fidendum potius, quam diffidendum.*

Requirit hoc charitatis lex: & improbi eſt hominis, diffidere potius, propter iniquam ſuſpicionem, quam fidere, ob evidentia benevolentiæ & ſinceritatis indicia.

§. 8. Quæritur (2) *An, & quæ ex inimicis capi poſſit utilitas?*

Reſp. *Xenophontis* dictum eſt: ὅτι τοῦ νοῦν ἔχοντός ἐστι καὶ ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ὠφελεῖσθαι: *Cordati hominis eſſe, etiam ex inimicis utilitatem capere*: quod occaſionem libelli *Plutarcho* præbuit, πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο. Utrique aſſentitur *Ariſtophanes*, μάθοι γὰρ ἄν τις κ' ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν σοφός. In *Avib.* & *Ovid.* lib. 4. Metamorph.

Ipſe docet, quid agam: fas eſt & ab hoſte doceri.

Et lib. 2. de Pont. Eleg. 3.

Et bene uti pugnes, bene pugnans efficit hoſtis.
Sic eadem prodeſt cauſa nocetque mihi.

Neque de inimicis hoc tantum vere dicitur, ſed & de omnibus in univerſum malis. Nihil enim tam eſt malum, ex quo non aliquis capi uſus poſſit. Hinc ipſe Deus quoque mala nunquam fieri permitteret, *Auguſtino* teſte, niſi de malo bonum facere ſciret.

§. 9. Ad alteram igitur quæſtionis partem ut veniamus, *Plutarchum* ſecuti ex inimicis multas magnaſque utilitates capi poſſe affirmamus: Sunt eæ.

(1) *Summa vigilantia & attentio ad res noſtras:* Inimici igitur perpetui vigilantes res noſtras infenſi obſervant & circumeunt vitam noſtram, undiquaque nocendi anſam captantes. Unde cum apertam illorum vim, tum occultas inſidias, quanta poſſumus vigilantia & attentione, ſtudemus effugere.

(2) *Fuga vitiorum:* ut enim vultures ad odorem corruptorum putredine cadaverum feruntur, pura & ſana negligentes, ita inimicos vitæ noſtræ vitia movent & alliciunt, ad quæ aſſiliunt malevoli, quæ arripiunt & laniant: uſquequaque igitur caute nobis vivendum, ne vel dicamus, vel agamus quicquam temere & inconſiderate, quod concitare in nos inimicos jure poſſit.

Pulchrum obſervetur *Plutarchi* ſimile. *Ut hiſtriones atque Cantores Scenicos videmus ſæpenumero in theatris pro ſeſe remiſſe*

misse ac nulla cum alacritate aut solertia agere : orta autem concertatione adversus alios, non se ipsos modo, sed & instrumenta sua majore cum diligentia ad certamen aptare, fides explorare, accuratiusque concentum instruere & tibiis canere : Ita qui adversarium sibi vitæ existimationisque suæ paratum novit esse inimicum, attentius se ipsum observabit, res suas circumspiciet, vitamque suam constituet.

(3) *Notitia nostri :* Magis necessaria nobis & utilior est nostri quam aliorum, notitia, quam inimicis sæpe debemus: quando, silentibus amicis, nostra inimici exagitant vitia, quæ inesse nobis interdum non adeo novimus. *Nostra ætate*, inquit Plutarchus, *ad liberas reprehensiones voce valde exili est prædita amicitia, loquax in adulando, muta in castigando : audienda ergo nobis ex inimicis veritas.* Si igitur ab inimico crimine aliquo notatus fueris, in te descende, & si verum id esse deprehenderis, majore studio expellendum tibi judica, quam commonstratam aliquam vestis maculam : sin falsum: tamen quærenda est causa, quæ criminationi occasionem dederit, eaque deinceps vitanda.

(4) *Mansuetudo & malorum tolerantia :* Qui enim inimici ferre convitia didicerit, iræque temperare & linguam frænare, is *Socraticam* quoque patientiam in aliis adhibebit: æquiore feret animo uxorem maledicentem, non perturbabitur acerbioribus amici aut fratris vocibus, patrem quoque & matrem jacientem aut verbera ingerentem sine ira sustinebit. Ita *Xantippam Socrates* ferebat, iracundam morosamque fœminam, quod facilius se cum aliis versaturum putaret, si istam sufferre assuevisset.

(5) *Æquanimitas & humanitas :* Si, oblata inimicum ulciscendi occasione, missum nihilominus facias, & afflictum misereris, & egenti opem feras, & filiis ejus atque familiæ, adverso ipsorum tempore, operam tuam studiumque deferas.

(6) *Sinceritatis æquitatisque opinio & laus publica :* Si virtutem etiam in inimico laudes. Hoc enim majorem laudanti, quam laudato, laudem conciliat, ut & sinceritatis opinionem ; quæ omnem excludit adulationis suspicionem: cui locus esse in hoste non solet vel potest: Quin & *æquitatis :* Qui enim laudanda laudat, is etiam in hoste vituperare non nisi vituperio digna creditur, & ab invidiæ quoque suspicione se vindicat: qua si non erga inimicum, multo minus erga amicum utitur: sin vero in inimico ei adsuescat, tandem ad amicum quoque eandem transfert.

7) *Justi-*

(7) *Justitia erga amicos.* Quia justitiam erga inimicos adhibere adsuefacti, nunquam injuste cum amicis acturi sumus.

(8) *Variorum animi morborum ab amicis & domesticis aversio.*

Plerunque enim natura humana rixandi obtrectandique studium, invidiam & alias pravas animi affectiones profert: Unde non mediocriter rebus suis consulet, qui, quando contineri & reprimi non possunt, in inimicos eas effuderit, &, quasi cloacis quibusdam ductis, ab amicis quam longissime derivaverit.

(9) *Æmulatio & imitatio virtutum, omniumque, quibus superiores nobis inimici videntur.* Est enim cum inimicis contendendum de gloria, potentia & licitis rei familiaris incrementis: ut non utamur tantum, si in hoc genere superemur, sed & omnia ea observemus, unde illi nobis priores evadere potuerunt, conemurque eorum vincere industriam, laboris constantiam, temperantiam. &c.

(10) *Præclara de virtute existimatio & contemtur bonorum fortunæ!* Si videas inimicis nulla virtute præditis fortuito aut per artes malas obtigisse. Nihil enim eorum; quæ à turpitudine proficiscuntur, dignum admiratione vel æmulatione.

(11) *Divini erga nos favoris præsumtio, si nulla nostra culpa graves nobis inimici sint.* Hunc calamitatum & persecutionum usum pios docet scriptura. Sed quod mireris, non ignorarunt *Ethnici*, & præ omnibus aliis, *Seneca*, in libro, quem scripsit de divina providentia: ubi, quasi ex professo hoc tractat argumentum. *Cur adversis Deus bonos viros exerceat & quatenus multis viris bonis mala accidant?* Pulcherrima sunt illa cap. 2. *Paternum Deus habet adversus bonos viros animum, & illos fortius amat, & operibus, doloribus ac damnis exagitat, ut verum colligant robur.*

Ibidem: *Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror* &c. Et cap. 3. inter multa magnifica *Demetrii*, etiam hanc ponit & laudat vocem. *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi.* Rationem reddit: *Non licuit enim illi se experiri ubi ex voto illi fluxerunt omnia, vel ante votum. Male tamen de illo Dii judicaverunt. Indignus visus est, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignavissimum quemq; refugit quasi dicat: Quid ego istum adversarium mihi assumam? statim arma submittet? Non opus est in illum tota potentia mea, levi comminatione pelletur: non potest sustinere vultum meum. Alius circumspicia-*

 tur,

tur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato &c. Et paulo post: *Contumacissimum quenque & rectissimum aggreditur, adversus quem vim suam intendat. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone* &c. Sic & *Maximus Tyri. Benevolentia ergo Deus hæc exercitia virtutum nobis objicit.* Apud *Herodotum* olim Crœsus, τὰ ἢ μοι παθήματα τὰ ἐόντα ἀχάριστα, μαθήματα γέγονε. *Quæ ingrata mihi acciderunt nocumenta, facta sunt documenta.*

CAPUT XXVII.

De

AMICITIA POLITICA.

THESIS I.

POLITICA *amicitia est, quæ parentibus cum liberis, dominis cum servis, Magistratus cum subditis intercedit: Unde ab aliis distingui solet in* politicam & œconomicam.

Ἔκθεσις.

§. 1. AMICITIA principis erga subditos in eo consistit, ut, veluti pater liberos, complectatur, pro meritis singulos afficiat beneficiis, laborantibus succurrat, clamantes audiat, verbis etiam humanis humiles erigat.

Rationes officium hoc principi suadentes hæ sunt.

(1) Quia Princeps est populi sui *pastor.* Unde Reges ab *Homero* nominantur ποιμένες λαῶν: Est & *pater* sui populi. Unde à veteribus dicti principes boni, *patriæ Patres.* Quicquid igitur ovibus suis *pastor*: quicquid liberis & familiæ suæ *Paterfamilias* debet, id subditis quoque suis princeps debet.

(2) Quia hac amicitiæ specie stabiliuntur Principatus: Unde *Theopompus, Lacedæmoniorum* Rex roganti cuidam: *quo pacto regnum stabile futurum esset?* respondit: *Si reges voluntatis suas cum amicis communicabunt & civibus nullam injuriam inferri permittent.*

(3) Quia

(3) Quia Princeps eſt quaſi *Deus terrenus*, & Dei in hiſce terris imaginem gerit: Unde in ſcripturis quoque principes appellantur *Dii*, Pſalm. 28. ver. 6. Atqui τὸ εὖ ποιεῖν ἓν τοῦτο μόνον ἔχει κοινὸν ἔργον ἄνθρωπος καὶ Θεός: inquit *Syneſ.* Epiſt. 30. hoc eſt. *Bene aliis facere hoc ſolum habent homines cum Deo commune.* Quam in rem *Philo* priſci autoris laudat ſententiam. *Nunquam homines propius ad Dei ſimilitudinem accedunt, quam cum ſunt benefici.* Sic Clemens Alexand. lib. 2. Strom. τῷ ὄντι εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος εὐεργετῶν, ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς εὐεργετεῖται. Ὥσπερ γὰρ ὁ κυβερνήτης ἅμα σώζει καὶ σώζεται. h. e. *Revera eſt Dei imago homo benefaciens, qua in re etiam beneficio afficitur: Sicut gubernator ſimul ſervat & ſervatur.*

§. 2. *Precepta* de amicitia Politica, ex parte Principum, colenda obſerventur ſequentia.

(1) Cavendum principi ne nimis familiarem reddat ſe ſuis ſubditis: contemtum enim parit familiaritas nimia.

(2) Principis benevolentia ſit communis & expediat omnibus maxime vero dignis: Non in unum ita effundatur, ut omnes reliqui negligantur.

§. 3. De *officio* Magiſtratus erga ſubditos & horum erga Magiſtratus, parentum erga liberos, & horum erga parentes: Dominorum erga ſervos, & horum erga dominos: Præceptorum erga diſcipulos, & horum erga præceptores, in *Politicis* & *Theologicis* prolixe à nobis actum. Interim unum hoc obſervetur, quod *Plutarchus* περὶ φιλαδελφίας monet: *pleraſque amicitias re vera aliud nihil eſſe quam umbras & imagines illius primæ, quam natura liberis erga parentes, fratribuſque adverſum fratres ingenuit, quam qui non veneratur & colit, de benevolentia ſua erga alios nulli unquam fidem faciet:* de aliis amicitiæ diviſionibus vide *Heiderum*: Part. 2. pag. 965. 978. 983. 991. 1000. Jam ad controverſias progredimur.

§. 4. Quæritur (1) *An inter Principem & ſubditum poſſit eſſe amicitia.*

Reſp. Amicitia numeris & requiſitis omnibus perfecta cum non niſi inter pares, vel non admodum diſpares ſit, inter principem & ſubditum eſſe non poteſt: quia admodum ſunt impares. Requirit amicitia κατ' ἐξοχὴν ſic dicta magnam inter amicos familiaritatem & libertatem, ut ſupra quoque monuimus: quæ eſſe inter principem & ſubditum non poteſt, ſi intra officii & conditionis metas uterque ſe contineat, & vere prudens ſit. Unde ab hac familiaritate & libertate, ſi maxime ad eam forte detur occaſio,

casio, subditos & inferiores dehortantur prudentium monita. Hinc Ovid. lib. 3. Trist. El. 4.

Usibus edocto si quicquam credis amico:
Vive tibi & longe nomina magna fuge.
Vive tibi: quantumque potes, prælustria vita;
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Horat. lib. 1. Epist. 18.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuit.

Seneca Thyest.

Stet, quicunque volet, potens.
Aulæ culmine lubrico.
Me dulcis saturet quies:
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

Neque vero princeps ad omnia amicitiæ officia demittere se, si salvam esse autoritatem suam velit, potest.

Continuus conspectus, inquit Livius, lib. 35. *minus verendos magnos homines ipsa satietate facit.*

Majestati major ex longinquo reverentia. Tacit. 1. Annal. *Quicquid in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit:* Valer. Max. lib. 6. cap. 6. Interim inter sapientiores & inferiores, inter principes & subditos, aliqua etiam esse potest & debet amicitia.

Infelices certe essent principes, si amicitiam penitus excluderet ipsorum conditio; *amicitiam*, inquam, *quæ præcipuum est humani animi bonum.* Tacit. lib. 2. hist. *qua nihil præstantius, non opes, non regnum*: Eurip. in Oreste *quæ possessionum omnium pretiosissima; Darius* apud Herodot.

§. 5. Neque adeo infelix est principum conditio, ut omnis ab iis virtus exulet, & ad nullos ipsorum se benevolentia extendat. Quid ni igitur virtutem subditorum, eorum præsertim, quos ratione status sui, proximiores & familiariores habent, quales sunt consiliarii & honoratiores ministri, amare, suaque eos benevolentia complecti possint ac debeant? Neque vero vicissim per virtutem suam & gratitudinem, possunt subditi hujusmodi, quin sincere principes suos ament, & de iis optime mereri quacunque ratione studeant. Hæc mutua benevolentia ac dilectio principum atque subditorum *amicitiæ* nomine & dignitate indigna non est. Quamvis alii *amoris, clementiæ, observantiæ, fidelitatis* & *obsequii* nominibus heic uti malint. Alias *principum*

amicos

amicos appellari consiliarios non ignotum est. Solent quoque principes ad amicitiam proclives & parium destituti consortio, ad explendam animorum propensionem nonnunquam, deposita ad tempus Majestate, privatum aliquem sibi deligere, quo tanquam amico pari familiaritate utantur fruanturque.

Antigonus, ut ad humanitatem erga subditos filium flecteret, *an non novisti*, inquit, *fili*, *nostrum regnum nobilem esse servitutem?* *τὴν βασιλείαν ἡμῶν ἔνδοξον εἶναι δουλείαν.* *Ælianus* lib. 2. cap. 20.

Ptolomæus Lagi F. crebro apud amicos cœnabat & dormiebat. Quod si quando convivium præberet, eorum pocula, vestes, stragulas & mensas usurpabat. *Plutarch.*

Præceptoribus quoque suis multi principes familiariter usi leguntur.

Trajanus solitudinis impatiens, ut *Plinius* in Panegyrico scribit, & invisi & invisere gaudens, non se sibi, sed omnibus factum, singulari humanitate prontebatur: cui ex convictu civium mutua voluptas, provocando reddendoque sermones: cujus non solum dabatur videre cubiculum, sed & ipsum principem cernere in publico.

Interim modus heic servandus. Principem magnum decet similem esse soli, qui mortalium per vices se subtrahit oculis, ut tanto gratior & augustior redeat: quod in *Salomone* commendat *Pineda*, lib. 5. cap. 9. n. 1. 2. 3. Olim *amicus magis* peculiare munus fuit in aula *Salomonis:* de quo Pineda, lib. 5. cap. 13. n. 9. *Pericles* etsi popularis haberi voluit, & esse studuit, tamen autoritatis conciliandæ & conservandæ gratia raro in publicum prodiit, nec ullis conviviis interfuit: quod *συνηθίαν* plurimum obesse autoritati putaret. *Plutarch.* in vita *Pericl.*

§. 6. Quæritur (2) *An inter Patrem & Filium*, *inter maritum & uxorem sit amicitia?*

Resp. Est: Sed qualis inter superiores & inferiores. Unde amicitia distingui solet in eam, quæ est inter *æquales*, & quæ est inter *inæquales*. *Inæqualium* amicitia est *politica* & *œconomica*. *Politica* est inter principem & subditum, definiturque *mutua benevolentia Reipubl. conservandæ causa suscepta, aucta & confirmata:* quæ communis est & etiam sine familiaritate: De interiore familiaritate actum antea.

Oeconomica est vel inter *Patrem* & *filium*, quæ mutua est benevolentia, quam partim natura, partim industria peperit propter sanguinis communionem, educationem, institutionem omniumque necessariorum procurationem; vel inter *maritum* &

tum & *uxorem* quæ mutua est benevolentia duorum cohabitantium & in unum quasi corpus animumque commutatorum, ad humani generis conservationem & fidele adjutorium in omni fortuna; qua major & arctior esse amicitia non potest. Insignia fidei uxorum erga maritos & maritorum erga uxores exempla vide apud *Zwingerum* tom. 14. lib. 2 pag. 2098. 2099. & seqq. Inter alias memorantur matronæ *Winsbergenses*, quæ cum oppidum Imperatori dederetur, facta potestate ea, quæ pretiosissima haberent, humeris suis efferendi, maritos extulerunt. Unde tantam *Cunradus* voluptatem cæpit, ut omnibus pepercerit: *Viterbienses*. Hanc cum historiam legeret *Laurentius Medices* gravi detentus morbo tantopere mulierum fide lætatus est, ut è vestigio convalesceret: *Bodin*: in proœm. Meth. hist.

Objicitur in contrarium.

§. 7. (1) *In amicitia requiritur æqualitas. Hæc vero inter principem & subditum, patrem & filium, maritum & uxorem non est.*

Resp. *Æqualitas* est vel personarum, vel *objecti*, seu *materiæ* in genere sic dictæ, quæ est res amabilis. Illa etsi in amicitia semper non est. Tamen hæc aliquo modo ubique est. Non enim amant se invicem superiores & inferiores, nisi conveniant in amabilitate.

§. 8. (2) *Filius patrem suum non appellat amicum: Ergo inter patrem & filium non est amicitia.*

Resp. Negatur *consequentia*: Ratio: quia *patris* appellatio includit amicitiam singularem, à qua pater potius in specie, quam amicus in genere, appellatur.

§. 9. (3) *Inter amicos est consiliorum communicatio. Inter principem & subditum, patrem & filium, non est communicatio consiliorum: Ergo amicitia inter eos non est.*

Resp. *Propositio* vulgo non admittitur, nisi de amicis æqualibus. Nos *assumtionem* negamus. Solent cum amicis suis consiliariis principes consilia sua communicare, & quandoque cum principibus subditi: veluti & patres cum filiis, & filii cum patribus.

CAPUT

CAPUT XXVIII.
De
JUSTITIA IN GENERE.

THESIS I.

HACTENUS de charitate: *Sequitur justitia, quæ probitas est suum cuique ex debito tribuens.*

Ἔκϑεσις.

§. 1. OBJECTUM justitiæ est, quicquid tribui cuique debet: *officium*, tribuere cuique suum ex debito. Officium hoc veterum repræsentavit pictura, quam exhibet *Chrysippus*, apud *Gelli.* lib. 14. cap. 4. Imaginem justitiæ fieri solitam dicit à pictoribus rhetoribusque antiquioribus ad hunc fere modum. *Forma atque filio virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus: neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate.* Imagines hujus significatione intelligi voluit *Chrysippus: Judicem, qui justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem, erectumque & arduum & potentem, vi & majestate æquitatis veritatisque terrificum.* Receptam in scholis justitiæ definitionem ab *Ulpiano* traditam, *constans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi*, prolixe explicatam vide apud *Horneum*, lib. 3. c. 11. n. 14. 15. &c. Duo voluntatis epithetha *constans* & *perpetua*, naturam habitus declarant, qui non facile evanescit, sed *subjecto* suo constanter & perpetuo inhæret, & quavis data occasione, suos exercet actus. *Jus suum* id est, quod unicuique debetur. *Tribuere* ita accipitur late, ut *commutativa* & *distributiva* justitiæ actus complectatur: Vide & *Libenthal.* Exerc. Eth. 13. q. 3.

§. 2. *Rationes* Justitiæ studium nobis suadentes, sunt sequentes.

(1) Quia per justitiam quam proxime ad Deum accedimus. Hinc *Plato: Nihil Deo similius, quam homo justissimus.* Et Clemens Alexand. *Imago valde divina & Dei similis est viri justi anima.*

(2) Quia, *Cicerone* teste, est excellentissima omnium virtutum regina & domina. Unde ab *Aristotele* appellatur κρατίστη τῶν ἀρετῶν: 5. Eth. cap. 1. quam *Plato* dixerat admirabiliorem esse *Hespero* & *Lucifero* οὐδ' ἑσπερος, οὐδ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός. Nihil ea melius, quæ principatum inter virtutem tenens ornat earum chorum maxime. *Philo.*

(3) Quia utilitas ejus est maxima: Nam sive cum paupertate, sive cum morbo virum justum conflictari necesse sit, dubitandum non est, quin ex utroque bonum aliquod, aut vivus, aut mortuus sit adepturus. *Plato.* Ob justitiæ cultum ad Deorum aures facilem accessum habemus. *Eunapius* apud *Jamblich.*

(4) Quia necessitas ejus est maxima: Tanta, ut ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitiæ vivere. *Cicero* lib. 2. de off.

(5) Quia jucundissima est recordatio, si ætatem pie justeque te transegisse scias. *Xenophon.*

(6) Quia gravissimum injustitiæ est odium. Unde Imperatores injusti *Commodus*, *Maximinus*, *Julianus* toti mundo fuere exosi.

§. 3. *Exempla* virtutis hujus illustria habentur in *Agesilao*, in *Socrate* & *Aristide*. De *Agesilao* scribit *Xenophon*, neminem unquam ulla re ab ipso spoliatum esse, multos autem ab ipso multa accepisse beneficia. *Socrates*, memorante *Xenophonte*, privatim ac publice erga omnes ex legum præscripto & utiliter se gessit. Magistratui in omnibus, quæ lex mandat, cum domi tum militiæ paruit. *Aristides* omnium *Atheniensium* justissimus est habitus. *Pedalis*, gens Indica, in sacris suis aliud nihil a Diis precabantur, nisi Justitiam, quod ab hac cætera bonorum genera abesse nunquam possent.

§. 4. *Præceptum*, de justitia colenda, universale est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* quod Christus quoque inculcat, Luc. 6. v. 31. *Prout vultis ut faciant vobis homines, vos etiam facite eis similiter.* De quo plura deinceps.

§. 5. Quæritur (1) *An justitia sit virtus præstantissima?*

Resp. *Affirmativam* comprobant sapientum suffragia, & justitiæ effecta. *Pythagoras* justitiam appellat *thesaurum omnium virtutum. Aristoteles* nominat *præstantissimam, optimam, perfectissimam*: Cicero *splendidissimam virtutumq; omnium reginam & dominam. Lactantius* scribit, *eam esse aut summam virtutem, aut fontem virtutis. Plutarchus* appellat *medicinam animi.*

Clemens Alexand. ait, *neminem Deo similiorem esse, quam virum justissimum.* Item: *justi viri animam esse imaginem divinam*

vinam & Deo similem. Jamblichus apud *Stobæum*. serm. 9. *Qui ad justitiam perducitur, ad omnium virtutum finem & universarum collectionem, in qua cuncta comprehensim insunt, ut vetus est dictum, pervenire poterit. Philo* de Abrahamo: *Nihil justitia melius, quæ principatum inter virtutes tenens ornat earum chorum maxime.*

Effecta justitiæ sunt præstantissima. Hæc enim actiones nostras erga alios componit: hæc dissipatos homines congregat, & congregatos servat: hæc omnibus prodest, &, quantum in ipsa, omnes homines & universum conservare mundum laborat.

Hæc suum cuique tribuit: *Deo* cultum, *Regibus* obedientiam, *Majoribus* reverentiam, *Minoribus* comitatem, *oppressis* tutelam, *dubiis* consilium, *omnibus* innocentiam: *Lipsius. Thomas* 2. 2æ. q. 58. art. 12. duabus rationibus probat justitiam virtutum omnium esse excellentissimam.

(1) Ex parte *subjecti*: quia est in nobiliore parte animæ, nempe in appetitu rationali, seu voluntate: cum aliæ virtutes sint in appetitu sensitivo, ad quem pertinent passiones, quæ sunt materia virtutum aliarum.

(2) Ex parte *objecti*: quia aliæ virtutes laudantur tantum secundum bonum ipsius virtuosi: Justitia autem laudatur, quod justus ad alium bene se habeat: Unde quodammodo alterius est bonum lib. 5. Eth. cap. 1. Nos prioris rationis hypothesin supra rejecimus: nulla virtus est in appetitu sensitivo, tanquam in *subjecto*.

§. 6. Objicitur in contrarium:

(1) *Justitia reddit alteri, quod ei debetur, & quod ejus est: liberalitas vero largitur de proprio. Ergo liberalitas est excellentior justitia.* Ratio consequentiæ: *quia excellentius est dare de proprio, quam de alieno.*

Resp. *Consequentia* negatur. *Probatio* simpliciter & universaliter vera non est: etiamsi enim largiri de proprio, per actum liberalitatis, excellentius est, quam largiri de alieno, per modum & speciem liberalitatis: tamen largiri de non suo per actum justitiæ, excellentius est in genere, quam de suo, per actum liberalitatis: quia justitia commune bonum, liberalitas privatum concernit: Justitia societatem humanam conservat: liberalitas benevolentiam privatam.

(2) *Fortitudo est circa magis difficilia, quam justitia: Ergo excellentior est Justitia.* Antecedens patet: *Quia fortitudo circa mortis propria, quæ τῶν φοβερῶν φοβερώτατον est, pericula versatur: Justitia non item.*

Resp.

Resp. (1) *Antecedens* simpliciter verum non est. Nam & justitia sæpe exercetur cum mortis periculo & fortitudinem simulat ad subeunda mortis pericula, quando communi bono consuli aliter non potest.

§. 7. (2) *Consequentia* quoque necessaria non est: Quia virtutis excellentia non tantum ex difficultate, sed & bonitate objecti æstimanda est: etsi igitur difficiliora forte sint *objecta* fortitudinis, tamen meliora sunt Justitiæ. Fortitudinis in specie sic dictæ usus tantum est in bello, justitiæ in omni vita, tam in pace, quam in bello. Ipsius etiam fortitudinis directrix est Justitia, cui nisi obediat fortitudo, actus ejus pro latrociniis haberi solent.

§. 8. Quæritur (2) *An Justitia sit virtus difficillima?*

Resp. De maxima difficultate cum Justitia certat prudentia. *Aristot.* lib. 5. Eth. cap. 9. justitiam appellat *virtutem difficillimam.* Eodem sensu appellatur à *Plutarcho πασῶν τεχνῶν μεγίστη, omnium artium maxima:* Ratio est: Quia quicquid in omnibus virtutibus particularibus est difficultatis, in universali Justitia virtutes omnes comprehendente concurrit. Uude molis est maximæ ita voluntatem & appetitum disponere, ut justitiam admittat universalem.

Prudentia vero maximam arguit difficultatem: quod versatur circa res humanas singulares, lubricas varias & infinitas: neque minus per omnes virtutes particulares diffusa est prudentia, quam justitia: ut supra ostendimus.

§. 9. Quæstio igitur est: *Utra sit difficilior, prudentia, an Justitia?*

Keckermannus diversos distinguit respectus, & prudentiam docet difficiliorem esse, quoad *objectum*, hoc est, res humanas varias, lubricas singulares, infinitas. Justitiam vero, quoad *subjecti dispositionem*, quæ ægerrime admittitur: quia maximam partem non ad nos, sed ad alios refertur.

§. 10. Quæritur (3) *Cur Aristoteles justitiam Hespero & Lucifero admirabiliorem esse judicaverit?*

Resp. Quia quam maxime & splendidissime, instar *Hesperi* & *Luciferi*, prodit in publicum: quippe quæ ad alios potius, quam ad nos ordinatur. Quod autem est in publico, splendidius & magis perspicuum est eo, quod in occulto delitescit.

§. 11. Quæritur (4) *An proprius sit justitiæ actus, reddere unicuique suum?*

Resp. *Affirmativa* nititur receptissima justitiæ definitione, quam & nos retinuimus: quando definita nobis justitia, *Probitas suum cuique ex debito tribuendi.*

Sunt

Sunt tamen quæ in contrarium objiciuntur.

§. 12. (1) *Miseris subvenire actus justitiæ. Atqui subveniendo miseris non tribuimus eis, quæ ipsorum sunt, sed quæ nostra sunt. Ergo justitiæ actus non omnis tribuit alteri, quod ei debetur, & quod ejus est, sed etiam quod nostrum est & quod indebitum est.*

Resp. Ad *proposition.* Miseris subvenire non est actus justitiæ proprius, sed misericordiæ, quæ justitiæ, cardinali virtuti, tanquam secundaria adjungitur; unde & actus ejus justitiæ, tanquam principali, tribuitur, per quandam reductionem, ut *Thomas* loquitur. 2. 2æ. q. 58. art. 11. Alias *miseris subvenire* non magis est actus justitiæ, quam cujuscunque alterius virtutis actus: quia justitia universalis pervadit omnes aliarum virtutum particularium actus, qui justitiæ tribuuntur, quia in omnibus est aliqua debiti redditio, saltem *ἀναλόγως* sic dicta. Itaque etiam miseris aliquando ex debito succurritur, etiamsi id ex ipsorum meritis non est proprium. Tenemur enim iis succurrere ex lege nos ad actum illum obligante.

§. 13. 2) *Beneficentia de proprio dat alteri, non de eo, quod ejus est: Ergo justitiæ actus non est reddere unicuiq; quod suum est.*

Ratio conseq. *Quia beneficentia ad justitiam pertinet*, teste *Cicerone* lib. 1. de off.

Resp. Patet solutio è præcedentibus.

§. 14. (3) *Justitia non tantum res dispensat modo debito, sed etiam injuriosas actiones, homicidia, adulteria, furta &c. cohibet. Ergo actus ejus non est suum cuique reddere.*

Resp. Negatur *conseq.* Quia etiam cohibitione adulteriorum, homicidiorum, furtorum, suum alteri debitum redditur: debetur enim bonis defensio, malis punitio & coërcitio. Et *jus suum* alii non ad pœnam reo inflictam vel infligendam referunt, sed ad satisfactionem, quæ per pœnam reo inflictam fit ei, qui læsus fuit.

§. 15. Quæritur (5) *An bona omnia debeant esse communia?*

Resp. Pertinet huc quæstio, cujus *affirmatio* negat justitiæ actum, de quo modo egimus. Nam si omnia bona debent esse communia, nihil meum, nihil tuum jure erit. Ideoque nulli suum jure tribui poterit.

Quæstio hæc olim in *scholis Philosophorum* & in *Ecclesia* fuit controversa. Et quidem *Platoni* primum arrisit omnium bonorum communio, quam ad ipsas quoque uxores & liberos extendit: cui *Aristoteles* se acriter opposuit, & cum eo meliores omnes Philosophi atque Theologi. Refellit igitur Philosophus communionem hanc *Platonicam* lib. 2. Polit. cap. 1. & 2. Et primum

mum quidem uxorum & liberorum communionem inductione sequentium incommodorum.

Si uxores & liberi communes essent; (1) Magna oboriretur, circa liberorum educationem, negligentia. (2) Gradus cognationum & affinitatum abolerentur. (3) Parentes, fratres, sorores ignorarentur. (4) incestibus & variis sceleribus fenestra aperiretur. (5) Amor inter parentes & liberos imminueretur. (6) ordines & tribus confunderentur.

§. 16. Bonorum aliorum communionem sequentia exciperent incommoda. (1) Impediretur diligens rerum administratio, quę in communibus plerunque solent negligi. (2) tollerentur virtutes, justitia, & liberalitas; quibus esse locus non posset, si *meum* & *tuum* non esset. Nemo *suum* tribuere alteri posset, nemo de *suo* largiri alteri. (3) omnis in Republ. tolleretur harmonia; veluti non datur concentus unius vocis, versus unius pedis. Hactenus *Aristoteles*.

§. 17. Christianorum & Theologorum hæ sunt rationes (1) Contractus emtionis, venditionis, mutui &c. sacris firmantur literis, legibus & exemplis sanctorum: quos tollit communio bonorum. (2) Scriptura ubique eleemosynam commendat, quæ nulla esse potest, ubi omnia sunt communia. (3) Distincta dominia à Deo esse testatur sapiens Prov. 22. v. 2. *Dives & pauper occurrunt, factor omnium illorum est Deus.* Ubi vero omnia sunt communia, nemo pauper est, nemo dives pro alio. (4) Sub lege veteris populi non tantum tribuum, sed & familiarum distinctæ fuerunt possessiones, quas confundi Deus noluit. In lege sua furtum Deus prohibuit, quod consistere cum bonorum omnium communione non potest.

Pro communione sua objecit *Plato*.

§. 18. (1) *Respublica maxime una esse debet. Ergo omnia in ea debent esse communia.*

Resp. Negatur conseq. Non enim quamvis *unitatem* requirit salus Reipubl. & minime quidem eam, quæ in omnium consistit æqualitate, veluti *Musicam* non constituit μονοτονία, sed harmonia ex variis intervallis conflata.

§. 19. (3) *Per communionem tollitur causa discordiarum inter cives, quæ oriuntur ex meo & tuo. Ergo in Rempublicam ea est inducenda.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. Ex communione non minus oriuntur discordiæ, quam ex proprietate bonorum, imo magis, quia communia bona omnes ex æquo vendicant sibi, & in suos usus convertere laborant. Unde multas oriri

riri contentiones necesse est: quando idē plures simul sibi vendicat.

§. 20. Pro eadem communione pugnarunt olim quidam *Christiani nominis*, quos *Apostolicos* nominarunt, quibus & *Anabaptistæ* nonnulli hodie accedunt. Pugnant igitur isti.

(1) *Exemplo Ecclesiæ, in qua omnia fuerunt communia, ut ex actis constat.* cap. 2. v. 44. & 4. v. 23.

Resp. **Exemplum** illud fuit extraordinarium, idque in sola Ecclesia *Hierosolymitana* recentissima, sine lege & mandato perpetuo. In Ecclesiis gentilium conversorum extra *Hierosolymam* mos ille non obtinebat. Causæ speciales videantur apud interpretes. Neque tamen per illam communionem simpliciter omnis sublata fuit proprietas.

§. 21. (2) *Mandato Christi juvenem omnia sua vendere, pauperibus largiri & se sequi jubentis.* Matth. 19. v. 21.

Præceptum hoc juveni datum fuit *personale* ut & *Exemplum Apostolorum* omnia sua relinquentium & Christum sequentium: quo non tenentur, nisi quibus specialis obtingit vocatio & incumbit ex uno loco in alium locum migratio.

§. 22. Præscripto veterum Theologorum, *Ambrosii*, in cap. 11. Lucæ & *Chrysost.* hom. 10. in Corinth. illud *meum* & *tuum*, à Christianis exulare jubentium.

Resp. Hoc tantum volunt Theologi isti: *meum* & *tuum* tanti non esse faciendum, ut urgente necessitate, parati esse non debeamus cum egenis ea communicare.

§. 23. In recepta justitiæ definitione, *perpetua & constans voluntas suum cuique tribuendi jus*, animadversionis justæ materiam deprehendere sibi Clariss. *Amesius* videtur.

Summa huc redit: Recte hoc modo nec *generalis*, nec *particularis* justitia definitur: Non *generalis*: quia hæc est rectitudo virtutis, & unum idemque cum virtute in genere: Atqui non est de essentia virtutis omnis, respicere jus alterius.

Nec *particularis* (1) Quia non ponit genus proximum specialis alicujus virtutis: Siquidem *perpetua & constans voluntas* idem notat, quod habitus: Atqui inter habitum & specialem virtutem *virtus* intercedit, ut genus; perpetua igitur & constans voluntas non potest esse specialis alicujus virtutis genus immediatum.

(2) Quia, secundum ICtos, qui definitionis hujus autores sunt, justitia æque late patet atque jus. Atqui tres illi assignant juri actus, *honeste vivere, neminem lædere, jus suum cuique tribuere.* Interim justitiam definiunt per unum tantummodo actum, *jus suum cuique tribuere.*

Interim si *per voluntatem perpetuam & constantem* intelligatur

gatur virtus, per *unumquemque* designetur proximus, per *Jus ejus* significetur officium, quod ipsi debemus præstare, definiri ait *Justitiam secundæ tabulæ*, quæ ab ipso definitur, *virtus, qua inclinamur ad debitum officium proximo præstandum.* Quam & ICtorum esse sententiam, nemo facile negaverit. Tria illa, quæ numerantur, Juris præcepta non sunt satis distincta, ut deinceps videbimus. Qui *suum* cuique tribuit, id & sibi & aliis tribuit, ne Deo quidem excluso, cui ante omnia sunt tribuenda, quæ ejus sunt: adeoque non *secundæ* tantum, sed & *primæ tabulæ* hoc modo justitia definitur. Qui *suum* cuique tribuit, is neminem lædit, adeoque nec se ipsum, & honeste vivit.

§. 24. Quæritur (6) *In quibus conveniant & discrepent justitia & virtutes aliæ morales?*

Resp. Conveniunt:

(1) *In officio communi:* quod est frænare appetitum sensuum & componere perturbationes.

(2) *In modo acquirendi:* quia more & assuetudine comparatur, ut aliæ virtutes.

§. 25. Discrepant:

(1) In *appellatione extremorum:* quia justitiæ extrema; uno *injustitiæ* nomine appellantur: aliarum virtutum extrema distinctis appellantur nominibus: exempli gratia, liberalitatis extrema duo sunt avaritia & prodigalitas.

(2) *In connexione extremorum:* quia ad unum injustitiæ extremum inclinare non possumus, quin in alterum simul prolabamur. Qui enim alteri plus æquo tribuit, alteri minus relinquit.

§. 26. Justitia ab aliis virtutibus, *ratione medii*, differre duobus modis deprehenditur:

(1) Aliæ virtutes *medium* obtinent inter duo distincta vitia & duas contrarias actiones, quarum una in excessu, altera in defectu peccat: cujusmodi in fortitudine sunt audacia & timiditas. In prodigalitate avaritia & prodigalitas &c. Justitia inter duo ejusmodi extrema habitusque & actiones contrarias non interjacet: siquidem utrumque est in una eademque actione: qui enim defraudat alterum, una actione modum *excedit* & *deficit*: *excedit* quia plus sibi sumit quam par erat: deficit, quia minus alteri relinquit, quam par erat. In fortitudinis & liberalitatis extremis id nullo modo fieri potest: unica enim actione nemo simul esse potest audax & timidus, nemo avarus & prodigus.

(2) *Medium* aliarum virtutum est *rationis* tantum, justitiæ medium

medium eſt etiam *rei*. Quando enim in rerum diſtributione æqualitas eſt *præmiorum* & *meritorum*, in commutatione exæquatio *lucri* & *damni*, alias perſonæ, temporis & ſimilium conditiones à ratione addi, neceſſe non eſt: ut in aliis virtutibus, fortitudine, liberalitate, temperantia.

§. 27. Quæritur (7) *An quis erga ſe ipſum quoque juſtus eſſe poſſit?*

Reſp. Etſi juſtitiæ exercitium in aliis, ſive erga alios, maxime eſt conſpicuum: Unde juſtitia probitatis ſpecies dicitur ad alios relatæ? Non tamen tam arctis eſt contrahenda ſpatiis, ut in poſſeſſorem ſuum exerere ſe haud poſſit. Omnino igitur homo erga ſeipſum poteſt & tenetur ſibi tribuere, quod per legem debetur. Hoc vero facere eſt juſti. Interim juſtitia, qua quis erga ſeipſum utitur, non tam particularis, quam univerſalis eſt, quæ cum omnibus virtutum particularium actibus conjuncta eſt. Ut è ſequentibus patebit.

§. 28. *Thomas* ita judicat. 2. 2æ. q. 58. art. 2. *Juſtitia proprie dicta requirit diverſitatem ſuppoſitorum, & ideo non eſt niſi unius hominis ad alium. Sed, ſecundum ſimilitudinem, accipiuntur in uno & eodem homine diverſa principia actionum, quaſi diverſa agentia, ſicut, ratio & iraſcibilis ac concupiſcibilis: & ideo metaphoricè in uno & eodem homine dicitur eſſe juſtitia, ſecundum quod ratio imperat iraſcibili & concupiſcibili: & ſecundum quod obediunt rationi, & univerſaliter ſecundum quod unicuique parti hominis attribuitur, quod ei convenit.*

§. 29. *Plato* diſtinguit juſtitiam in *internam* & *externam*: *hac* erga alium, *illa* erga ſeipſum aliquis juſtus eſſe in ſchola *Platonica* poteſt. Vide *Cal. Rhodig.* A. L. lib. 23. cap. 18. Quamvis *Dominicus Soto* internam hanc juſtitiam non niſi metaphoricè ſic dici arbitretur: *Ratio* ejus eſt.

§. 30. *Juſta ſunt æqualia: æqualia autem proprie loquendo, ſunt duo: hæc duo, quando de moribus ſermo eſt, non ſunt niſi actiones; actiones autem non ſunt partium, ſed ſuppoſitorum. Ad juſtitiam igitur requiruntur duo, non qualitercunque diſtincta, ſed duo diverſa ſuppoſita.*

§. 31. Ita *Thomam* vellicat *Soto*. Attamen ita ſunt actiones ſuppoſitorum, ut ſint etiam diſtinctæ diſtinctorum in eodem ſuppoſito principiorum actiones, in quibus attendi poteſt æqualitas. Interim de ratione facti juſti non tam videtur eſſe æqualitas inter actiones duas, quam conformatas cum lege, quid cuique debeatur, præſcribente: Unde juſta dici poteſt actio etiam quæ cum alia actione ſive ejuſdem, ſive diſtincti ſuppoſiti, non con-

 fertur

fertur: Æqualitas heic non est inter duas actiones, sed inter actionem erga se justitiam exercentis & legem, cui conformis est actio.

II.

Adversatur Justitiæ injustitia & injuria.

Ἔκθεσις.

§. 1. INjuria proprie dicta est, cum quis alterum contra leges de industria & consulto lædit. Unde patet *damnum* patere latius, quam *injuriam*: quia *damnum* afferri potest alteri, præter intentionem, & ab ignorante, ut si ligna cædenti securis de manubrio excidat, & prætereuntem vulneret: quod *damnum* dici potest, proprie tamen *injuria* non est. In genere igitur *injuriam facere* is dicitur, qui sciens & volens contra leges aliquem lædit.

§. 2. Quæritur (1) *An volenti possit fieri injuria?*

Resp. Omnino potest, si velit unus, quod velle per leges non licet & faciat alter, quod facere per leges non licet. Ita armiger *Saulis* Regi sui desperabundo fecisset injuriam, si eum ad postulatum trucidasset. Itaque trita illa sententia: *volenti non fit injuria*, admitti non potest, nisi de eo, qui vult, quod velle licet. Vide *Heiderum* part. 2. pag. 928.

Excipitur contra.

§. 3. (1) *Qui injuriam infert, habet propositum lædendi & nocendi alteri. Atqui is, qui scit secundum votum & voluntatem alterius id accidere, quod læsionis præ se fert speciem, non habet propositum lædendi & nocendi alteri. Ergo non potest injuriam inferre vel intulisse.*

Resp. *Assumtionem* nego, *Ratio* est: quia qui facit alteri, quod fieri lex prohibet, & quidem de industria facit, volentem lædit, adeoque lædendi propositum, hoc est faciendi id, quod facere non licet, habet.

§. 4. (2) *Nemo plena voluntate potest injuriam velle. Ergo volenti non potest fieri injuria.*

Antecedens prob. *Quia contrarium injuriæ, nempe justitiam, homo maxime appetit, & injuriam maxime aversatur. Unde etiam sceleratissimi mala omnia sustinent, si juste sibi evenire putant.*

Ita *Keckermannus* disputat, curs. Philos. disp. 23. q. 28.

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* falsa est: quæ enim injusta sunt, à scientibus appeti tota die testatur experientia. Homicidam

dam consequi impunitatem injustum est: puniri justissimum. Quotus vero quisque homicida impunitatem non expetit? Quotusquisque pœnam expetit? Petenti impunitatem qui dat, volenti injuriam facit. Sceleratissimos omnes patienter sustinere mala, si juste sibi evenire putant, experientiæ quoque refragatur.

§. 5. (3) *Id quod est malum, nemo sua sponte patitur. Atqui injuria est malum: Ergo injuriam nemo sponte patitur: adeoque volenti non fit injuria.*

Resp. *Propositio* negatur: malum est, quicquid contra legem est. Atqui multi sponte patiuntur, quæ contra legem sunt. Sic homicida & adulter patitur sibi concedi impunitatem & de ea gaudet, eamque maxime appetit: quamvis contra legem illa & mala sit. Adulterium esse malum Christianorum nemo ignorat: anne vero nemo id sponte vel perpetrat vel patitur? Neque refert, *quod sub specie boni expetat:* non enim justi & boni norma est hominis corrupti opinio, sed lex: neque malum desinit esse malum, quando sub specie boni apprehenditur & expetitur.

Icti quando volenti inferri injuriam negant, in strictiore significatu accipiunt injuriam, quam *Theologi* & *Philosophi*.

§. 6. Quæritur (2) *An aliquis sibi ipsi possit facere & velle injuriam?*

Resp. Qui sanæ mentis est, omnino facere sibi injuriam potest, quando se lædit sciens ac volens contra legem: quod faciunt, qui, præeunte deliberatione & consilio, manus sibi adferunt violentas: Ratio assertionis etiam hæc est, quia, ut aliquis erga seipsum justus, sic & injustus esse potest, adeoque injuriam sibi facere. De justitia in seipsum supra egimus. Utinam in se ipsos totiens injusti non essent miseri homines, & naturæ atque rationi sua in se ipsis debita redderent. Assentitur nobis *Plato* in Gorgia, ubi docet, neminem posse in alium esse injurium, nisi prius erga seipsum fuerit injurius.

§. 7. *Platoni* contradicit *Aristoteles*, lib. 5. Eth. cap. 11. ex quo sequentia colligit argumenta *Casus*.

(1) *Qui injuriam sibi vult & facit, seipsum sponte lædit: Atqui nemo seipsum sponte lædit: Ergo nemo injuriam sibi ipsi vult & facit.*

Assumtio prob. *ex definitione injuriæ; quæ est, læsio contra leges sponte illata ab agente, invite suscepta à patiente.*

Resp. Si læsio lato significatu accipiatur pro quacunque actione pugnante cum lege vel jure, concessa *propositione*, negamus *assumtionem*.

Probatio inefficax est: quia nimis angusta est injustitiæ defini-

tio: quam nec Theologus, nec moralis Philoſophus facile probaverit. Injuria eſt quicquid contra jus perpetratur, uti ἀδικία, quicquid παρὰ τὴν δίκην.

§. 8. (2) *Omnis juſtitia & injuria eſt ad alterum, non ad ſe ipſum. Ergo nemo ſibi ipſi poteſt injuriam facere.*

Reſp. *Antecedens* neg. ut ſupra:

§. 9. (3) *Si aliquis ſibi injuriam faceret, idem ſimul eſſet agens & patiens. Atqui falſum conſequens. Ergo & Antecedens.*

Aſſumtio prob. *Quia agens & patiens ſunt oppoſita, quæ convenire eidem non poſſunt.*

Reſp. *Aſſumtio* negatur: *probatio* eſt inconſequens: quæ abſolute & in ſe conſiderata ſunt oppoſita, eidem convenire poſſunt, diverſis reſpectibus & ſecundum partes diverſas. Ita homo in ſe ipſum poteſt agere, & à ſe ipſo ſimul quoque pati: quando violentas ſibi manus adfert, quando parte una alteram lædit.

§. 10. (4) *Nemo ſua mœnia diruit: Ergo nemo quoque injuriam ſibi infert.*

Reſp. Nec *antecedens* univerſaliter eſt verum: nec *conſequentia* eſt neceſſaria, longe patet latius, injuriam ſibi inferre, quam mœnia ſua diruere.

§. 11. (5) *Omnis injuria eſt malum: Ergo injuram ſibi nemo infert. Ratio conſequentiæ: Quia nemo malum appetit.*

Reſp. Negatur *conſequentia*: *Ratio* ſimpliciter vera non eſt, ut ante oſtendimus. Malum ſub ſpecie boni apprehenſum non deſinit eſſe malum: neque malum non appetit, qui ſub falſa boni ſpecie id appetit.

§. 12. Diligenter & ſerio hac de re cogitari vult *Caſus*: Non videtur ipſe *Ariſtoteles* inficias ire, quin ſenſu quodam ſibi injuriam aliquis inferat. *Sunt*, inquit, *duplices potentiæ & facultates animæ, aliæ compotes rationis, quæ imperare debent, aliæ rationis expertes; quarum eſt obedire. Inter has vires eſt quædam juris ſocietas & communio. Si ergo vel corpus, quod eſt vehiculum & mancipium naturæ: vel ſi inferiores iſtæ potentiæ, quales ſunt ſenſus, appetitus, phantaſia, vim & impetum in arcem animi faciunt, non eſt dubitandum, quin hoc reſpectu damnum & injuriam aliquis ſibi fecerit. Lex enim naturæ eſt, ut hæ pareant, illæ dominentur. Quod ſi aliter fiat, jus naturæ violatur, ordo pervertitur, injuria animi dignitati infertur.*

§. 13. Quæritur (3) *An ille, cui ob patratum ſcelus mandat Magiſtratus, ut violentas manus ſibi ipſi inferat, faciat ſibi injuriam, ſi mandatum illud exequatur?*

Reſp. Omnino facit ſibi injuriam: Quia & Magiſtratus hujuſmodi

modi mandatum est iniquum & adversum juri naturali & divino: Unde & obsequium ei præstitum non potest non esse iniquum.

§. 14. Objicit *Lipsius*: *Si vere dicimus, legem & Magistratum posse occidere, cur non etiam tali & tali modo vel manu?*

Resp. Lex & Magistratus possunt quidem occidere, sed non quovis modo: Ita enim fungi Magistratum decet suo officio, ut in naturæ & Dei legem non impingat.

§. 15. Excipit *Seneca*: *Si altera mors cum tormento, altera simplex & facilis, quidni huic injicienda sit manus: quemadmodum navim eligam navigaturus, domum habitaturus: Ita mortem utique qua sum è vita exiturus, meliorem?*

Resp. Cui optio mortis eligendæ à Magistratu datur eligere quidem impune mortem potest faciliorem: sibi vero ipsi manus inferre sine culpa non potest. Itaque longe sunt dissimilia, eligere navim aut domum, quam velis, & mortem consciscere, quam velis.

Deinde seipsum refutat *Seneca* Epist. 70. *Qui vivit etiamsi certa mors instabit & destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit pœnæ suæ manum: stultitia est timore mortis mori. Venit, qui occidat, expecta: quid occupas? quare suscipis alienæ crudelitatis procurationem? utrum invides carnifici tuo, an parcis?* Igitur minime probamus morem sub *Nerone*, *Tiberio* & *Domitiano* receptum, quo, qui ad mortem erant damnati, mortemque occuparant, honestiores sunt habiti, quam qui mortem exspectarunt. Et consuetudinem hodiernam *Japonum* improbamus, apud quos Rex offensus nobilium alicui mandat: *Abi, ventrem tibi scinde.*

§. 16. Quæritur (4) *An vir bonus & probus citra opprobrium vindicare possit injuriam?*

Resp. *Negativam* amplectuntur *Anabaptistæ* & *Photiniani* veteres quosdam secuti Philosophos. Unde *Seneca* de constant. *Sapiens colaphis percussus quid faciet? Quod Cato, cum illi os percussum esset: non excanduit, non vindicavit injuriam: ne remisit quidem sed factam negavit. Majore animo non agnovit, quam ignovisset.* Sic *Pittacus*, cum potestatem haberet puniendi quempiam, qui contumeliosus in ipsum extiterat, dimisit, inquiens: *Venia vitione melior est. Illa namque mitis est ingenii, hæc ferini: Stob.* Ser. 19. Longe gravius in ultionem injuriarum invehitur *Maximus Tyrius*, dissert. 2. *Cum in familiam, aut Rempubl. vel levissima injustitiæ scintilla incidit, cohiberi continuo debet, ut id, quod superest, vindicetur: Hoc est, quod Pelopidas evertit, quod Heraclidas sustulit, quod totam Cadmi familiam,*

liam, quod Persas, quod Macedonas, quod Græcos delevit. O *morbum continuum, & qui tot jam secula terrarum orbem fatigat! Non dubitabo equidem dicere, siquidem altera altera major sit injuria, magis improbum esse eum, qui illatam ulciscitur, quam qui infert. Qui enim ex ignorantia juris injurius est, delicti sui præmium in infamia habet. At qui injuriam reddit, cum non minus injurius sit, infamiam illam in se derivat: Nam ut qui fuligine imbutum tractat, aut cum eo luctatur, necesse est corpus inficiat: ita qui cum improbo congreditur & quasi volutatur, necessario mali fit particeps, eadem imbuitur fuligine.*

§. 17. Nobis *affirmativa* arridet, cum hac tamen limitatione ut ne injuria vindicetur per injuriam: ne nimis præceps & impotens sit vindictæ, seu ultionis cupiditas: ne modum excedat: ne sit privata: Rationes nostræ affirmationis sunt.

(1) Si citra opprobrium vindicare injuriam vir bonus posset frustraneæ & iniquæ essent leges in injurios latæ cum à Deo, tum ab hominibus: Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.

(2) Magistratus juste vindicat injurias subditis illatas. Ergo implorari ejus auxilium, ad vindicandam injuriam, absque opprobrio potest. *Antecedens* nemo sanæ mentis inficiabitur. Officium enim hoc est magistratus per divinas & humanas leges.

(3) Si ferendæ omnes essent injuriæ, societatis humanæ solveretur vinculum per impunitatem omnibus concessam flagitiis & sceleribus, nempe rebellionibus, dolis, fraudibus, furtis, homicidiis, adulteriis, perjuriis, latrociniis &c.

Objicitur in contrarium.

§. 18. (1) *Ultio est inter ea quæ Majestas divina sibi reservavit: Deut. 32. v. 35. Mea est ultio & retributio: Ergo homini nefas est injuriam ulcisci.*

Resp. Negatur *consequent.* Quia Deus sibi reservavit ultionem etiam per homines exercendam. Igitur jussu DEI exercent homines: Unde *Josophaphat* ad judices. *Videte quid sitis facturi, non enim pro homine judicaturi estis, sed pro Jehova, qui vobiscum futurus est in rebus judiciariis:* 2. chron. 19. v. 6. Illustrissimus est locus, Rom. 13. v. 4. *Quod si fec ris quod malum est, metue: non enim temere gladium gestat* (Magistratus) *Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.*

§. 19. (2) *Christus expresse prohibet malo resistere: Ergo omnem vindictam injuriæ prohibet: Antecedens habetur Matt. 5. v. 38. 39. Audivistis dictum fuisse, oculum pro oculo, & dentem pro dente: Ego vero dico vobis, ne resistatis malo. Sed quisquis te cedet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram* &c.

Ratio

Ratio consequentiæ: *Quia qui injuriam vindicat, malo resistit.*

Resp. Præcipua hæc est ratio, qua nititur rabiosa *Anabaptistarum* factio. Nos *consequentiam* negamus. *Probatio* simpliciter & universaliter vera non est. Non prohibet Christus simpliciter omni malo resistere: non prohibet simpliciter omnem injuriæ vindictam: duplex est *resistendi modus*: unus, quo innoxie arcemus injurias: alter, quo retaliamus. Posteriorem Christus prohibet, non priorem: conferendus locus *Pauli* Rom. 12. v. 17. *Nemini malum pro malo vicissim reddentes* & v. 18. *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viventes.*

Vindicta injuriæ duplex quoque est, *publica* & *privata*: illam simpliciter non prohiberi, supra ostendimus. Hanc prohiberi damus: de qua Paulus cap. alleg. v. 19. *Non vosmet ipsos ulciscentes, dilecti, sed date locum iræ. Scriptum est enim: mihi est ultio*: Eodem sensu vindictam Deus præcepit, Levit. 24. v. 16. &c. & prohibuit, Levit. 19. v. 18. Vult igitur Christus injurias tolerari potius, quam per vim privatam compensari. *Augustinus* ait, epist. 5. *Non aliud fuisse Christi consilium, quam fidelium animos ad moderationem & æquitatem formare, ne semel aut bis offensi deficiant vel fatigentur.* Videantur interpretes Matthæi. Rationes alias contra vindictam privatam deinceps proferemus.

§. 20. Quæritur (1) *An aliquis injuriam possit facere, ut tamen non sit injustus?*

Resp. Quatuor modis injuriam facere aut inferri aliquis dici potest.

(1) *Furenter*, per affectum, ut per insaniam.
(2) *Inscienter*, per nativam ignorantiam.
(3) *Invite* & *fortuito*, præter intentionem.
(4) *Spontanee* & *Consulto*, per malitiam.

Ab hoc quarto modo principaliter aliquis injustus dici potest & debet. *Ignorantia* de injustitia excusat, si sit *facti*, non *juris*.

Ubi obiter observandum, *ignorantiam facti* esse, quando ignoramus, non an honeste vel inhoneste aliquid fiat, sed facti tantum circumstantias, sive *principales*, cujusmodi sunt res, seu *objectum*, circa quod versatur actio: vel finis particularis, propter quem suscipitur. Sive *minus principalis*: cujusmodi sunt *locus*, *tempus*, *instrumentum*, *antecedentia*, *consequentia*, *connexa*.

Ignorantia juris est, quando ignoramus, an aliquid juste vel injuste fiat. Est autem hoc vel *universale* vel *particulare*. *Ignorantia juris universalis* est, quando ignorantur præcepta communia justi & injusti, talia nimirum, quæ omnes homines debeant scire: quæ ab *Aristotele* appellantur *ἄγνοια καθ' ὅλε: ignorantia universalis; ἄγνοια ἐν προαιρέσει ingnorantia affectata, supina & crassa: ἄγνοια τῦ τέλες: ignorantia finis universalis: ἄγνοια τῦ καλῦ καὶ τῦ συμφέροντ@, ignorantia honesti & utilis.* Vide Aristot. lib. 3. Eth. cap. 1. Hæc illa est ignorantia, quæ non excusat. *Ignorantia juris particularis* est, qua ignoratur aliquod speciale & extraordinarium edictum vel mandatum à Magistratu promulgatum. Hæc ad tempus potest excusare, non tamen semper & perpetuo.

§. 21. Quæritur (6) *An injuria, peccatum & damnum sint causa legum?*

Resp. *Affirmativa* prudentum est: quorum audire placet suffragia. *Macrob.* lib. 3, Satur. cap. 17. *Nisi pessimis effusissimisque moribus viveretur, profecto opus ferundis legibus non fuisset:* vetus verbum est: *Leges bonæ ex malis moribus procreantur.*

M. *Porcius Cato*, apud Liv. lib. 34. *Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum: Sic cupiditates prius natæ sunt, quam leges, quæ in iis modum facerent. Quid legem Liciniam excitavit de* 500. *jugeribus: nisi ingens cupido agros continuandi* &c. *Thrasea* apud *Tacitum* 15. annal. *Usu probatum est, leges egregias, exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni.*

Idem Tacit. lib. 3. annal. *vetustissimi mortalium, nulla adhuc libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui æqualitas, & pro modestia ac pudore ambitio ac vis incedebat, provenere domitationes, multosque apud populos æternum mansere: quidam statim, aut postquam regum pertæsum, leges maluerunt.*

Pertinet huc illud *Aristotelis* lib. 5. cap. 6. *Lex est, ubi injuria est.* Pulchra sunt *Casi* verba. *Cum lapsa esset humana peccandi libido, & furentius lineas virtutis transiliret, labenti occurrendum esse, ne ruina sequeretur, majores nostri putaverunt. Hoc autem aut melius, aut expeditius fieri non potuit, quam leges* (id est, *regulas vitæ & virtutis normas) sanciendo, quibus veluti frœnis ferocior ista humanæ infirmitatis licentia ad imperium rectæ rationis cogeretur.*

§. 22. Quod

§. 22. Quod vulgo objicitur.

Malum & privatio boni non est causa boni : Ergo injuria & peccatum non sunt causæ legum.

Facile expeditur distinctione *causæ*, quæ est *per se* vel *per accidens*. Igitur malum etsi non est boni causa per se, tamen est causa per accidens : Distinguenda quoque est causa *principalis* ab *impulsiva* : malum boni non est causa principalis, esse tamen potest causa impulsiva : & sic mali mores viros bonos impulerunt ad condendas leges bonas.

Interim omnes bonas leges ex malis moribus & injuria, seu peccato præcedente, ortas esse merito negamus. Insculpta enim & cognita homini lex est in statu innocentiæ, ut norma esset vitæ pie probeque agendæ : neque de adiaphoris latæ leges ex moribus per se malis oriuntur : cujusmodi in republica multæ sunt leges, quæ sanciunt in una, quod in alia non sancitur ; ut diversarum rerumpubl. diversæ extent normæ.

§. 23. Quæritur (7) *An quis pati ab alio injuriam possit?*

Resp. *Negativam* olim amplexus est *Plato*, teste *Cœlio Rhodig.* A. L. lib. 25. cap. 18. *Sapientissimus vir*, inquit, *sic colligebat, non modo fieri posse, ut sibi quis injuriam faceret : Sed nullas quinimo injurias nisi à se ipso fieri. Platonem* imitatus *Chrysostomus* proprio comprobavit dialogo, *neminem nisi à se ipso lædi. Platonis* vox erat. *Nemo injuriam patitur, omnes injuriam agunt.*

Ratio ejus est. *Si fiat injusti quippiam ab aliquo, tunc is, cui infertur, non patitur injuriam, sed ille inferens sibi ipsi adsciscit injuriam. Si quis fortunis exuitur non patitur injuriam ille quidem. Quid enim erat quod suum diceret? In animalibus utique bonis sentiri injuria potest, sed hæc nisi à se ipso fieri nequit. Quod si est, nemo prorsus injuriam patitur ab alio : facere tamen possunt omnes, se ipsos oblædendo :* verba sunt *Rhodigini.*

Fundamentum *Platonici* hujus paradoxi est : quod injuria non sit, nisi qua ratione aufertur, quod suum erat ; id est, imperium, quod appetitui contribuitur, cujus fuerat obsequi. Hanc *Platonicam* sententiam, ut præclaram & plane divinam omnibus excipiendam censet *Rhodiginus.*

§. 24. Huic vero contrarius *Aristoteles* multis adstruere conatur, neminem sibi injuriam facere.

§. 25. Nos utrique contradicimus. De *Aristotelis* sententia supra vidimus. *Platonis* sententia ab omni aliena ratione videtur. Qui enim à sciente & volente patitur, præsertim invitus, quod legi adversatur, quid in injuriam ab alio pati recte dicatur? Atqui prohibuit Deus ab aliis lædi vel famam, vel vitam, vel fortunas

 nostras,

nostras. Quod nostrum dici nihil debeat, quod extra nos est, falsum est. Distincta sunt rerum dominia. Unde furtum in lege sua Deus prohibet. Putat tamen *Rhodiginus*, à *Platone* injuriam intelligi *internæ* oppositam justitiæ, quæ non est ad alium, non *externæ*, quæ virtus ad alterum est *Aristoteli*.

Simile quiddam ab *Aristotele* quoque agnosci arbitratur: qui amicitiam sui ad se ipsum causam esse amicitiæ, quæ est ad alterum, docet. Hinc ante, quam abeamus, *Platonice* discurrentem audiamus *Maximum Tyrium*, dissert. 2.

Injuria, inquit, *est boni ereptio. Bonum autem quid sit aliud quam virtus? Atqui virtus eripi non potest. Sequitur ergo aut illum, qui virtutem habet, affici injuria non posse, aut injuriam qui facit, non eripere bonum: quia nullum bonum tolli, eripi, amitti aut spoliari potest. Ponamus ergo hoc: Ne ab improbo quidem affici injuria probus potest, quia nihil habet, quo privari possit. Restat ergo, aut neminem injuria affici, aut improbum ab improbo tantum. Atqui nullius boni particeps est improbus: diximus autem boni ereptionem esse injuriam. Qui autem non habet, quo privari possit, ne habet quidem, quo injuriam patiatur. Nisi forte non ex privatione ejus, qui afficitur, sed ex animo illius, qui intulit injuriam, ipsa metienda sit injuria. Atque ita improbus injuria afficitur ab improbo, quamvis bonum non habeat*, &c. & paulo post: *Efficietur rursus id omne quod volumus, ut nec afficiat, nec afficiatur injuria, vir bonus. Non afficit, quia nec vult quidem: non afficitur, quia virtute est præditus. Improbus contra afficit injuria, non afficitur: Afficit, quia improbus est, non afficitur, quia bono caret*, &c. Nunquam, quod vult, sanæ mentis homini persuadebit *Maximus*: qui ex hypothesibus nec concessis, nec concedendis disputat.

§. 26. Quæritur (8) *Cur pejus sit injuriam inferre, quam pati?*

Resp. *Aristotelis* sententia est, lib. 5. Ethic. cap. ult. Ἄμφω μὲν φαῦλα, καὶ τὸ ἀδικεῖσθαι καὶ τὸ ἀδικεῖν, ἀλλ' ὅμως χεῖρον τὸ ἀδικεῖν: *Utrumque malum & injuria affici & injuria afficere: attamen pejus injuria afficere.* Assentitur Synes. ep. 67. κακὸν μεῖζον τοῦ ἀδικεῖσθαι τὸ ἀδικεῖν: & olim *Socrates* apud *Platonem*: εἰ ἀναγκαῖον εἴη ἢ ἀδικεῖν ἢ ἀδικεῖσθαι, ἑλοίμην ἂν μᾶλλον ἀδικεῖσθαι ἢ ἀδικεῖν: h. e. *Si necesse foret aut facere injuriam, aut pati, accipere injuriam, quam inferre, malim.* Sic & *Cicero*: *Accipere, quam facere præstat injuriam.* Et *Alcinous* cap. 30. Τοῦ τὸ

κακὸν

κακὸν ἀδικία, ὥστε φευκτότερον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι, αἰσχρὸν μὲν δὴ ἑκάτερον, τὸ δὲ ἀδικεῖν τοσούτῳ κάκιον, ὅσωπερ καὶ αἴσχιον.

Rationes ab autoribus redduntur.

(1) Quia injuriam inferre cum vitio eſt & vituperabile, *Ariſtot.*

(2) Quia injuriam facere eſt improbi, pati autem infirmi: *Alcinous.*

(3) Quia illatori (ut *Boëthius* loquitur) de animæ ſalute periculum imminet: acceptori detrimentum in fortunis tantum, *Iſiodorus.*

(4) Quia illud proprium eſt malum, hoc alienum. *Syneſius.*

(5) Quia illud adverſatur honeſto, hoc utili tantum.

§. 27. Quæritur (8) *Quomodo iniqua petentibus ſit occurrendum?*

Reſp. Docet hoc *Plutarchus* in libello de vitioſo pudore. *Ageſilaus* in quodam judicio juſſus à patre ſententiam à legibus alienam ferre: *à te*, inquit, *mi pater, jam inde ab initio edoctus ſum legibus parere. Itaque jam nunc tibi obtemperabo, nihil in leges peccando.*

Themiſtocles Simonidi poſtulanti rem injuſtam; *neque tu*, inquit, *Poeta eſſes bonus, ſi contra carminis legem caneres: neque ego bonus magiſtratus, ſi judicarem ſecus, quam eſt juſtum.* Et vero non ob pedis ad lyram in concinnitatem, ut *Plato* dicebat, urbes urbibus, amici amicis infeſti redditi extrema inferunt accipiuntque damna: ſed ob juris & legum violationem: & tamen ſunt, qui, cum accuratam in cantilenis, literis, verſibuſque ſervent rationem, alios volunt in Magiſtratu, judiciis actionibuſque id quod rectum eſt, negligere, quibus maxime hoc modo occurrendum eſt. *Flagitat à te aliquid jus dicente orator, aut conſulente in publicum. Dic te morem ei geſturum, ſi in exordio ſolœciſmum, aut in narratione barbariſmum admittere velit: nolet enim, ob turpitudinis ſpeciem: cum videamus quoſdam etiam vocalem cum vocale concurrentem in dicendo non ferre. Rurſum aliquem illuſtrium virorum improbi aliquid abs te contendentem jube ſaltando per forum exire, aut perverſo vultu. Si neget hoc, jam tuum eſt quærere: utrum ſit turpius, ſolœciſmum facere & vultum pervertere an legem violare, perjurii ſe obligare, injuſte malo, quam bono plus tribuere.* &c.

§. 28. Quæ-

§. 28. Quæritur (10) *Quæ prima injustitiæ fuerit occasio?*

Resp. *Plutarchus*, Symp. lib. 2. q. 10. ait: *non propriæ rei possessionem, sed alienæ involationem, & id, quod commune est sibi vindicandi libidinem, initium fecisse injustitiæ.* Nulla igitur unquam fuisset injustitia, si *Plutarcho* credimus, si alienum nemo involasset, & commune sibi proprium nemo vindicasset. *οὐκ οἰκείου κτῆσις ἀλλ' ἀφαίρεσις ἀλλοτρίου, καὶ πλεονεξία περὶ τὸ κοινὸν ἀδικίας ἦρξε.*

De *ἀφαιρέσει ἀλλοτρίου*, vel potius *προαιρέσει ἀφαιρέσεως ἀλλοτρίου*, *Plutarcho* facile assentimur: Etsi primam *ἀφαιρέσεως προαίρεσιν* ignoravit *Plutarchus* Recurrendum autem heic ad principium humani generis, & primum injustitiæ actum, cum internum tum externum. Uterque fuit circa *προαίρεσιν ἀφαιρέσεως ἀλλοτρίου*. Internus injustitiæ actus primus fuit *προαίρεσις* involandi & rapiendi divinam perfectionem: cujus promissione *Satan* induxit humani generis matrem, *Evam*, ad primum alieni appetitum: Non enim contenta fæmina naturæ humanæ perfectione, quam ex liberalitate creatoris acceperat, divinam affectabat: cujus spem serpens injecerat verbis illis, Genes. 3. v. 5. *Novit Deus, quando comederitis ex eo* (fructu) *aperturos se oculos vestros, & vos fore sicut Deos, scientes boni & mali.* Externus injustitiæ actus primus fuit *ἀφαίρεσις ἀλλοτρίου*, hoc est involatio in fructum arboris scientiæ boni & mali ad hominem non pertinentem, sed Deo reservatum. Alias sententia *Plutarchi* plane consona est rationi. Nam justitiæ proprius est actus, suum cuique tribuere, utique proprius justitiæ actus erit suum cuique non tribuere: & *ἀλλότριον*, seu alienum sibi vendicare.

CAPUT

CAPUT XXIX.

De
JUSTITIÆ DISTRIBUTIONE.

THESIS I.

JUSTITIA *est communis vel propria.*

II.

Communis Justitia est, ad quam præstandam omnes & singuli obligantur.

III.

Hæc vel omnibus promiscue debetur, vel benefactoribus tantum.

IV.

Omnibus debetur innocentia, veracitas, observantia.

Ἔκθεσις.

§. 1. APUD Peripateticos justitia distinguitur in *universalem* & *particularem*. *Universalis* ipsis est, qua omnibus legibus, ad publicam societatis conservationem obedientia præstatur: vel, qua homo dirigit voluntatem & appetitum ad obedientiam omnibus legibus humanæ societati conservandæ necessariis præstandam.

Hæc vero justitia si probe consideretur, non tam est species virtutis, quam ipsa virtus in genere, vel certe virtutum omnium complexio. Cum enim virtus sit propositum constans vivendi secundum legem, & vero justitia universalis hominem dirigat ad obedientiam omnibus legibus præstandam, ecquid aliud ea erit, quam virtus universa: Pertinet huc versiculus.

Ἐν δὲ δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶς ἀρετή ἐστι.
Justitia in sese virtutes continet omnes.

§. 2. *Particularis justitia* definitur virtus, qua suum cuique in particulari & certo modo tribuitur vel in distribuendo, vel in commutando: Unde distinguitur in *distributivam* & *commutativam*: seu διανεμητικὴν & συναλλακτικήν.

Justitia distributiva est, quæ in distributione rerum externarum,

rum, ut bonorum præmiorum &c. pro ratione dignitatis *perso-narum*, & æqualitatis *rerum* singulis suum tribuit.

§. 3. *Personæ*, quibus hæc justitia competit, dicuntur præcipue esse eæ, quæ munus aliquod gerunt, quales sunt Magistratus, patresfamilias & similes. *Proportio*, quam hæc virtus observat, est *Geometrica*: ubi *personarum dignitas*, inter quas fit distributio, & *pretium rerum* distribuendarum spectatur. Alias *Geometrica proportio* dicitur in qua instituitur comparatio numerorum, per quandam similitudinem, & non per omnimodam æqualitatem intervallorum, ut cum dico: quemadmodum se habent tria ad sex; ita se habent quatuor ad octo. Atqui tria in sex continentur bis: Ergo etiam quatuor in octo bis continentur. Hæc *proportio* per Metaphoram transfertur ad res Ethicas & accomodatur *justitiæ distributivæ*, in qua non absolute spectatur æqualitas rerum, sed cum certo quodam respectu *personarum*, ut volunt, quibus aliquid tribuendum, aut *rerum*, quæ tribuuntur. Hinc *Symmachus* lib. 9. Epist. 40. *Ratio quidem justitiæ serio semper habenda est: Sed circa nobiles probabilesque personas plus debet esse moderaminis, ut perspiciatur in discretione judicium.* Solam *geometricam proportionem* justitiæ distributivæ competere, pluribus probat *Cl. Hornejus*, Eth. lib. 3. cap. 12. n. 5. *Quemadmodum igitur*, inquit, *proportio geometrica in eo est posita, ut sicut se habet numerus primus ad secundum, ita se habet tertius ad quartum: Similiter & distributiva proportio, seu æqualitas, in eo consistit, ut, sicut se habet persona civis unius ad personam alterius; ita etiam præmium unius respondeat præmio alterius. Ut igitur per geometricam proportionem secundus numerus duplo major est primo, & quartus duplo major tertio: Ita, si meritum unum duplo majus est altero, etiam præmium unius duplo major esse præmio alterius par est.* Etsi scrupulis hæc non carent.

Merito unius, quod duplo majus est alterius merito, si præmium datur duplo majus: non minus hic videtur esse actus *justitiæ commutativæ*, quam si pro agro, qui duplo major & melior est alio agro, pretium numeres duplo majus.

§. 4. Illa vero comparatio: *ut se habet persona civis unius ad personam alterius: ita etiam præmium unius respondeat præmio alterius*: an universalis sit merito dubitari potest. Quandoque civis dignitate longe inferioris meritum longe est majus quam alterius dignitate superioris. Ut si ille principis conservavit vitam, hic ministri principis: ille totam Rempublicam; hic aliquam duntaxat particulam: ille legionem hostium, hic cohortem tantum fuderit &c. Minus vero meritum majori compen-

sare

sare præmio, quam majus; non justum, sed injustum videtur, neque hæc olim apud *Romanos* facta distributio: uti nec in hodierna fit militia: alias obscuri natales vix unquam emergerent & ad honoris fastigium ascenderent. Unde æquior videbitur distribuendi ratio, si præmia cum meritis, quam si cum personis conferantur, excluso meritorum respectu. Quamvis non obstante personarum respectu, pœnas quoque nonnulli ad justitiam commutativam referendas esse contendant: in quibus ipse quoque est *Cl. Hornejus. Proportio*, inquit idem, *qua utitur justitia distributiva, in solo eo consistit, ut sicut cives in republ. sunt dissimiles, ita etiam non omnes idem præmium, sed id consequantur, quod cuique competit*. Atqui non civium tantum, sed & meritorum consideratur inæqualitas, ut ante dixerat. Si igitur *commutativa* quoque personas attendit in pœnis, earumque inæqualitatem, & culpis pœnas æquiparat: quid aliud illa circa pœnas statuit, quam quod circa præmia *distributiva*.

§. 5. Interim tamen præmiorum & publicorum bonorum distributores Philosophi nonnulli meritorum & præmiorum æqualitatem semper attendi nolunt: sed minora etiam merita superiorum majoribus compensari præmiis volunt, quam majora inferiorum; quod an sit justitiæ, porro cogitandum fuerit.

§. 6. Valde restringit *justitiam distributivam Horneius*, cujus sequentes sunt hypotheses.

(1) *Ad justitiam distributivam nihil pertinet, nisi quod de communibus reipubl. bonis cuiquam debetur, & eatenus quidem, quatenus civis quis ejus est*. Numer. 12.

(2) *Si Respublica stipendium alicui persolvat, aut certis beneficiis compenset operam peculiariter præstitam, sive ex certa obligatione faciat, sive ideo tantum, quod alias dignum hoc est: ut si quis conjurationem, detexerit, aut egregium principi consilium dederit: non est actus justitiæ distributivæ, sed commutativa.*

(3) *Meritum quod in justitia distributiva attenditur, non est nisi dignitas, seu persona & locus, quem inter cives quis tenet*. ibid.

(4) *In distributione etiam justa raro tantum quis accipit, quantum meretur*: ibid.

§. 7. An tam angustis sit circumscribenda limitibus *justitia distributiva* & hæc ejus esse ratio debeat, ut in distributione, non *meritorum*, sed *personarum* tantum proportionem attendat, viderint Peripatetici. Si geometrica est proportio, & hoc requirit, ut *cum meritum unum duplo majus est altero, etiam præmia unius duplo majora sint præmiis alterius*, ut docet *Horneius*, paulo aliter statuendum videbitur. Præsertim cum assertionis *Gregorii de Valentia*,

lentia, *quod ratio justitiæ distributivæ non tam sit posita in habitudine illa communitatis ad partes suas*, *quam in ordine omnium partium ejus inter se*: hanc ipse *Horneius* causam reddit, Eth. lib. 3. cap. 11. num. 23. *Quod tum præmia juste & recte distributa censeantur*, *cum ita se habet præmium unius civis ad præmium alterius*, *sicut se habet meritum unius ad meritum alterius.* Ad explicandam justitiæ naturam, terminis geometricis non adeo opus videtur esse: plus illi caliginis, quam lucis, offundunt.

§. 8. *Justitia commutativa* est, quæ in contractibus late acceptis & rerum commutatione, nullo personarum habito respectu, eam servat æqualitatem, ut suum quisque consequatur. Competit hæc justitia promiscue omnibus, absque ullo status & conditionis discrimine, & *proportionem* observat *Arithmeticam*, quæ dicitur, quando inter quatuor aut plures numeros ejusmodi comparatio instituitur, ut sit identitas intervallorum, sive æqualitas numeri, quo unus superat alterum: Exempli gratia: Inter 3. 6. 9. 12. est *Arithmetica proportio*, quia numerus quo sex excedunt tria plane idem est cum numero, quo duodecim excedunt novem. Est autem in *commutatione* ideo observanda *proportio Arithmetica* seu æqualitas, ne, si, *exempli* gratia, in emtione merx pretio non respondeat, altera contrahentium pars ad inopiam redigatur & per consequens commercia penitus tollantur. *Proportio* tam *Geometrica* quam *Arithmetica* in utraque justitia est gemina, una popularis, altera exquisitior vide *Heiderum*, Philos. Moral. part. 2. p. 849. & seqq.

§. 9. *Justitiæ commutativæ* est affine *jus talionis*, quod Græcis appellatur *τὸ ἀντιπεπονθός* quo quod alteri facimus, idem vicissim patimur.

Valuit olim hoc jus per leges divinas, ut constat ex *Levit.* 24. & Deuter. 19. ubi sancitur, ut *dens pro dente*, *oculus pro oculo* reddatur.

Talionis lex sancita quoque in XII. tabulis. *Et natura & lege institutum est ut lædentem similis vindicta sequatur.* Isidor. Pulchra sunt *Quintiliani* verba declam. XI. *Quid æquius excogitari*, *quid justius potest? Grassatus est aliquis ferro: præbeat & ipse cervices. Miscuit noxium virus: refundatur in suum facinus autorem*: *oculos rapuit*, *effudit*: *reddat de sua cæcitate solatium. In nullo mortalium perferre possum sceleris sui impatientiam. Brevissima est justitia vindictæ*, *cum facinus mensura pœna est. Etsi naturam ultionis inspicias*, *optime vindicatur quisque*, *quomodo miser.* Observanda heic distinctio *talionis* in *nudam*

nudam & *proportionalem:* quarum ille nec in *distributiva*, nec in *commutativa*, justitia simpliciter locum habet: ut ostendit ex *Aristotele Horneius*, Eth. lib. 3. cap. 13. n. 23. hanc vero in commutativa observandam esse, suo deinceps loco probabimus.

§. 10. Quæritur (1) *Quæ de justitia universali Ethicorum sint sententiæ, & quid probabiliter statui possit?*

Resp. Celebris est in Ethicorum scholis *justitia universalis.* In qua definienda non omnes consentiunt. Ab *Aristotele* describitur, *affectio voluntatis, qua apti sumus ad res justas gerendas, quaque res justas & facimus & desideramus facere.*

Ab aliis: *virtus, qua homo recte disponitur ad bonum publicum & commune.* Alibi ab *Aristotele*, *virtus, per quam obedientiam præstamus legibus.* Quo tendit & illa definitio: *virtus universalis, cujus beneficio omnibus legibus obedientiam præstamus, ut ex earum præscripto reliquas omnes virtutes colamus.* Hanc nonnulli *innocentiam* volunt esse & *probitatem*, quæ virtus est, per quam nos recte gerimus in humanis.

§. 11. Autori nostro *justitia universalis* nihil aliud est, quam *virtus universalis.* Quæ propositum est vivendi secundum legem: quam cur *justitiam* appellare philosophis libuerit hæc videtur esse ratio. Quia *debiti redditio*, cui in omnibus virtutibus particularibus est simile quiddam, quasi propria Justitiæ videtur. Hinc justitiæ universalis descriptio *Aristoteli* probata, *virtus, per quam obedientiam præstamus legibus*; prorsus convenit cum nostra virtutis definitione, ut ante diximus. Ex *Socratis* sententia, quicquid legibus consentaneum est, justum est. Unde sequitur omnem virtutis actionem esse justam: quia omnis consentanea est legibus: adeoque perinde erit, sive *justitiæ*, sive *virtutis* actionem appelles. Vide Cl. *Hornejum* nostro suffragantem Autori: cui adstipulatur quoque *Acciajolus*, ad 5. Eth. cap. 1. *Buridanus* lib. 5. Eth. q. 4.

Interim ex *Peripateticorum* sententia & more, quæstiones nonnullas de *universali justitia*, quatenus aliquid peculiare præ aliis videtur habere, expediemus.

§. 12. Quæritur (2) *An justitia universalis observet medium, & quod nam illud sit?*

Resp. Observare *medium* probatur.

(1) Justitia est æqualitas: Ergo servat medium.

Antecedens in confesso est: modo observetur distinctio æqualitatis in *arithmeticam* & *geometricam:* quarum utraque in diversis justitiæ actibus est conspicua: vide *Thom.* 2. 2æ. q. 58.

Ratio *consequentiæ:* quia omnis æqualitas habet duo extre-

ma, excessum & defectum: quæ inæqualitatem constituunt.

(2) *Justitia nec plus, nec minus, quam par est, cuique tribuit. Ergo medium observat inter plus & minus.*

§. 13. Objicitur in contrarium.

Justitia unum tantummodo agnoscit extremum, nempe injustitiam: Ergo non observat medium.

Ratio consequent. *quia medium est inter duo extrema.*

Resp. *Antecedens* negatur. At *injustitia*, inquis, *sola contrarie vel privative opponitur justitiæ.*

Resp. Unum & commune est duorum extremorum nomen. Non igitur tam nominis & appellationis habenda uobis ratio, quam rerum distinctarum & oppositarum, quæ sunt plus & minus, uno nomine significatarum.

§. 14. *Piccolomineus*, grad. 4. c. 30. docet, justitiam servare medium, non quidem inter duo vitia, ut aliæ virtutes morales, sed inter terminos proportionem constituentes. Dum enim suum cuique non tribuitur, vel plus, vel minus, quam par est, tribuitur.

§. 15. *Medium*, quod *justitia universalis*, uti in scholis *peripateticis* accipi solet, observat, non unius est rationis, sed pro objectorum varietate, modo *arithmeticum*, modo *geometricum*, quatenus nempe virtutes regit diversas, quarum aliæ *arithmeticum*, aliæ *geometricum* observant medium. Ut constat de justitia *commutativa* & *distributiva.*

§. 16. Quæritur (3) *An justitia universalis realiter & specie differat ab aliis virtutibus.*

Resp. Secundum *Thomam*, *universalis justitia* duobus modis dicitur, per *imperium* vel *prædicationem.* Universalis *per imperium* vel *causalitatem* est habitus, omnes alias virtutes dirigens ad bonum commune: quo sensu *Sol* causa universalis appellatur, non natura, sed operatione: quia cum causis sublunaribus influit in eorum effecta. Universalis *per prædicationem* est natura generica, quæ in casu recto & essentialiter prædicatur de inferioribus tanquam speciebus suis.

Hac præmissa distinctione, ad quæstionem respondet.

§. 17. *Justitia universalis, per prædicationem, realiter & specie ab aliis virtutibus moralibus non distinguitur:* genus enim est de essentia speciei, cujus definitio omnibus speciebus competit. Sic igitur *justitia universalis* aliud nihil erit, nisi probitas & innocentia, in genere sic dicta, quæ supra definita, *virtus, per quam nos in humanis recte gerimus:* quod virtutum ad homines relatarum genus est, eodemque sensu ab *Aristotele* describitur, *virtus per quam obedientiam præstamus legibus*, nempe of-

ficia

ficia erga hominem præscribentibus. Cur autem speciale nomen *justitiæ* sortiatur, ad quæstionem primam diximus. *Justitia vero universalis per imperium realiter ab aliis virtutibus differt*: quia habitus est omnes alias virtutes ad commune bonum dirigens: adeoque virtus est *architectonica*, quæ inferioribus omnibus imperat, veluti princeps subditis.

§. 18. *Casus* in Eth. lib. 5. cap. 1. Circa justitiam universalem hoc superiori sensu acceptam, quatuor considerat; *subjectum*, *objectum*, *modum*, *finem*.

Subjectum est voluntas: quod cum *Scoto* & multis aliis probat *Thomas*, 2. 2æ. q. 58. art. 4. cui acriter contradicit *Piccolomineus*, Grad. 4. cap. 13. 14. Nos *Thomæ* sententiam supra amplexi sumus & contra *Piccolomineum* defendimus, ad quæstionem, de subjecto virtûtis moralis.

Objectum est omnis res justa, seu actio virtutis.

Modus est unio seu conjunctio voluntatis & operis: quia neque intentio sine opere, neque opus sine intentione parit actionem justitiæ.

Finis est non privatum, sed publicum, non proprium, sed commune civitatis bonum: sub quo fine quatuor officia justitiæ universalis contineri docet.

(1) *Leges bonas sancire*.

(2) *Sancitas definire*.

(3) *Definitas exercere*.

(4) *Ad beatam subditorum vitam bonumque commune eosdem referre*.

Ita vero *justitia universalis* Magistratus quasi propria esset: unde oppositam ei justitiam universalem definit idem *Casus*, *depravatum animi habitum, quo quis Magistratu & dignitate fungens à sancta legum gubernatione deficit, suosque subditos vitiorum contagione infici & conspurcari sinit*.

§. 19. Nos etsi *justitiam universalem* in magistratu conspicuam esse facile damus, tamen ad solum Magistratum non coarctandam judicamus. Unde officia ejus duo communia assignavimus, quæ subditos quoque concernunt. Alii justitiam hanc ajunt esse *turrim fortissimam*, cujus tres sunt anguli, *honeste vivere, neminem lædere, jus suum unicuique tribuere*. *Piccolom.* Grad 4. cap. 47. Quæ non solius Magistratus, sed omnium hominum sunt officia & omnes virtutum aliarum includunt actiones.

§. 20. Objicitur heic:

Si una virtus ad omnium legũ observantiam disponit voluntatem

tum: quod de justitia universali modo dictum: Sequitur frustraneas esse reliquas virtutes. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.

Connexi ratio est: *quia reliquarum virtutum idem est officium: cum enim virtus sit propositum vivendi secundum legem: omnes utique virtutes ad observandum legem nos disponent: quod cum una faciat, pluribus opus non erit.*

Resp. *Connexum* negatur: *Probatio* est inconsequens: *Universalis justitiæ* officium non est tantum disponere voluntatem ad observantiam legum; sed & actiones omnium virtutum dirigere ad bonum commune: quod virtutum particularium non est. Deinde aliter *justitia universalis* voluntatem dirigit, aliter aliæ *virtutes particulares.* Illa æqualiter & eodem modo voluntatem erga omnes leges disponit: hæ singulariter pro cujusque *objecti subiecti* & variarum *circumstantiarum* ratione: veluti influxus causæ universalis per se indifferens à causis particularibus, propriis & proximis determinatur. Ut igitur per causam universalem non tolluntur particulares: ita nec per justitiam universalem virtutes particulares.

§. 21. *Observet lector*: vulgo quatuor numerari *virtutes cardinales* & quomodo *universales, prudentiam, temperantiam, fortitudinem justitiam:* quas dupliciter accipi notat *Thomas*, 2. 2æ. q. 58. art. 8. *uno modo*, quatenus sunt speciales virtutes, habentes determinatas materias: *alio* quatenus significant quosdam generales modos uirtutis. Vnde *Augustino* definitur *prudentia*, cognitio rerum appetendarum & fugiendarum: *Temperantia*, refrænatio cupiditatis ab his quæ temporaliter delectant: *Fortitudo*, firmitas animi adversus ea, quæ temporaliter molesta sunt. *Iustitia*, dilectio Dei & proximi, communis radix totius ordinis ad alterum: quæ ἀναλόγως in omnibus virtutibus particularibus occurrunt & concurrunt: vide supra cap. 6. q. 3.

§. 22 Quæritur (4) *An justitia universalis alias virtutes ad commune bonum ordinet?*

Resp. Officium hoc esse *universalis justitiæ*, præ omnibus aliis virtutibus, recepta Ethicorum est sententia: quo autem sententia hæc nitatur fundamento, porro quæritur. Supponimus omnes virtutes particulares ad commune bonum quoque ordinari: quod evidenti ratione nititur. Quilibet enim non sibi soli, sed & proximo & patriæ atque Reipubl. est natus eidemque obligatus tanquam communi omnium parenti, à cujus salute & conservatione salus & conservatio singulorum pendet. Unde *Euripides* ἀναγκαίως ἔχει πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας h. e. *Necesse est*

omnes

omnes amare patriam: Et ſapientes uno omnes ore ſanciunt: *Patriam defendendam & vindicandam vel morte : quam omnium pulcherrimam & honeſtiſſimam prædicant : præferendam eſſe amicis, liberis & parentibus.* Pro patria igitur cum etiam vitam teneamur impendere quidni & omnia alia noſtra ſtudia virtutumque actiones ad ſalutem atque conſervationem ejus impendere teneamur? Hanc virtutum particularium directionem ad commune bonum vendicat ſibi aut *particularis*, aut *univerſalis virtus*. Atqui contra naturam *virtutis particularis* eſt omnium aliarum virtutum actiones dirigere ad unum communemque finem, ſeu bonum publicum. Erit igitur hoc *virtutis univerſalis*, directricis: cujus duæ ſunt Species primariæ, *prudentia* & *virtus univerſalis*. Utri vero harum directio hæc competat, diſpicere reliquum erit.

§. 23. Etſi vero in praxi conjunctæ ſunt hæ virtutes duæ, tamen *officiis* ſunt diſtinctæ: Et quidem *prudentia* eſt, bona à malis diſtinguere, inter bona delectum habere, virtutes alias in accommodatione mediocritatis ad diverſas circumſtantias moderari, leges noſſe & ferre ſecundum quas vivendum.

Juſtitia eſt, ad obſequium legibus præſtandum voluntatem diſponere, ut tantum cuique tribuatur, quantum debetur: Interim neutra ſine alterius ope ſuo rite fungi poteſt officio, neque *prudentia* vere *prudentia* eſt, niſi ſit *juſta*, nec *juſtitia* vere *juſtitia*, niſi ſit *prudens*: vocat in auxilium *prudentia juſtitiam*, & *juſtitia prudentiam*, in condendis legibus & ſuo cuique tribuendo.

Cum tamen *ſuum cuique tribuere* juſtitiæ potius ſit, quam prudentiæ: unde ab hoc officio *juſtitia* definitur, non *prudentia*: & vero ante omnia *ſuum* patriæ & reipubl. ſit tribuendum, eique omnes virtutum actiones impendendæ, ut ſupra oſtendimus: palam utique eſt in commune bonum omnes dirigere virtutes, potius eſſe *juſtitiæ univerſalis*, quam *prudentiæ*: quia, in commune bonum dirigere actiones virtutum, eſt patriæ & Reipubl. tribuere, quod ei debetur.

§. 24. Quæritur (5) *An juſtitia univerſalis juſtum omnibus legibus ſubjiciat?*

Reſp. *Affirmativa* defenditur ex recepta juſtitiæ definitione, quæ eſt, *virtus, per quam obedientiam præſtamus legibus.* Cum igitur juſtitiæ proprium ſit, ſuum cuique tribuere; & vero legibus debeatur obedientia: ſequitur utique à juſtitia præcipi obedientiam legibus debitam, adeoque juſtum ſubjici legibus per juſtitiam.

Objicitur in contrarium.

§. 25. (1) *Justus per justitiam est causa legum: Ergo non subjicitur legibus.*

Ratio consequent. *Quia causa non subjicitur suo effectui, nec effectus dominatur causæ.*

Resp. Negatur *consequentia.* *Ratio* simpliciter & universaliter vera non est. Princeps per electionem à populo creatur, & quasi effectus est populi eligentis & creantis: interim principi populus subjicitur. Siquidem ea lege principem sibi constituit populus, ut ipsi subjiciatur & pareat. In statu *democratico* populus leges sancit, autoritate summa, quibus tamen se ipsum subjicit. Sæpe igitur causa subjicitur effectui, & effectus dominatur causæ. In omni contractu libero partes contrahentes subjiciuntur conventioni propriæ.

§. 26. (2) *Justo non est posita lex*; 1. Timoth. 1. v. 9. *Ergo justus non subjicitur legi.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est, neque hoc sensu profertur ab Apostolo: qui non de quavis lege loquitur, & in specie quidem, non de lege voluntatem regente & ad obsequium obligante: sed de lege *cogente* & *damnante*. Justus enim se cogi non patitur, neque per legem damnatur: qui volens & sponte legi obedit. Sic etiam in statu innocentiæ primis nostris parentibus lex fuit posita, de fructu arboris scientiæ boni & mali non edendo: cui mortis quoque addita comminatio adversus transgressores futuros.

§. 27. (3) *Multa sunt leges, quæ justis aliquibus observatu sunt impossibiles: E. justus per justitiam non subjicitur omnibus legibus.*

Antecedens prob. *Quia leges sunt fortitudinis bellicæ, magnificentiæ, munificentiæ &c. quæ observatu sunt impossibiles iis, qui virtutibus istis instructi non sunt: quales plerique boni & justi sunt viri, qui nec bellicosi, nec magnifici, nec magnanimi sunt, sive per naturæ, sive per fortunæ conditionem.* Ratio consequent. *Quia ad impossibile nemo obligari debet.*

Resp. Negatur *consequentia*: *probatio* simpliciter vera non est, non admittitur nisi de impossibilitate per culpam non attracta, ubi vero culpa propria intervenit, ibi per impossibilitatem obligatio non eliditur. Deinde cum justus per justitiam dicitur subjici omnibus legibus, intelligendæ sunt *leges universales* & *divinæ* præsertim, vel in divinis fundatæ. Cujusmodi non sunt leges fortitudinis bellicæ, magnificentiæ, munificentiæ &c. quæ latæ sunt iis, quos vel bellicosos natura & usus fecit, vel magnificos & munificos fortunæ favor & assuetudo.

Et

§. 28. Et hactenus quidem de *justitia universali*, non tam ex nostra, quam ex recepta *Peripateticorum* sententia, ut supra quæstione prima monuimus: neque obscure significavimus, realem illam justitiæ universalis & specificam differentiam ab aliis omnibus virtutibus nobis improbari. Neque distinctionem universalitatis, per *prædicationem* & per *imperium* adeo moramur.

Universalis per *prædicationem* non est nisi genus *justitiæ commutativæ*, & *distributivæ*. *Imperii universalitas*, quæ prætenditur nullam universalis justitiæ à prudentia aut virtute in genere distinctæ necessitatem vincit. Omnes virtutes particulares hominum in humana societate viventium ordinatæ sunt, non ad privatum tantum & singulorum, sed ad commune quoque & publicum omnium bonum, quatenus omnes & singuli sunt membra Reipub. cui ut ipsi, sic & omnia ipsorum bona inservire debent. Si qua heic communi vel universali opus directione, sufficit prudentia omnium moderatrix & ipsius quoque justitiæ.

Interim *Soto* sententiam *Thomæ* supra explicatam acriter propugnat: cujus præcipua argumenta sunt.

§. 29. (1) *Justitia imperat actus aliarum virtutum, eosque ad commune bonum Reipubl. dirigit: Ergo specie distincta est ab aliis virtutibus, à quibus imperati actus eliciuntur.*

Ratio conseq. *Quia etiam charitas, quæ fidei & spei actus imperat, essentialiter distincta est à fide & spe. Ita etiam distinctæ virtutes sunt, quarum una docet fortiter pugnare, altera pugnare illud ad commune civitatis bonum referre docet.*

Resp. *Antecedens* negatur de *justitia universali à virtute universali* distincta: Hujusmodi justitia non est opus. Virtus in genere ad privatum & commune bonum in societate humana refertur & tendit etiam, sine directione virtutis alicujus specialis ex institutione universali, seu generali voluntatem informante. Si qua tamen peculiari virtute heic opus esset, prudentia sufficeret, non obstantibus iis, quæ quæstione quarta sunt allata. Posse alias virtutem unam alterius imperare actum non negamus. Fortitudo tamen per se quoque dirigitur ad commune bonum, & directrice justitia universali non indiget.

§. 30. (2) *Interdum aliquis probe affectus est ad recte agendum propter particularem finem, non propter commune bonum: alius propter commune bonum, non particulare & privatum. Ergo distinctæ sunt virtutes, quæ ad particulare, & quæ ad commune bonum dirigunt.*

Antecedens *comprobat experientia*: Ratio consequentiæ: *quia ubi difficultas agendi est diversa, ibi diversis opus est virtutibus.*

 Resp.

Resp. *Antecedens* negatur: Si probe affectus ad recte agendum intelligatur, qui ex habitu virtutis agit: hic enim ad suum & commune bonum habitu & affectu semper propendet, etsi actu & cogitatione non semper: hæc enim virtutis est natura, quæ ita animum afficit, ut particulare & commune honestum intendat.

§. 31. (3) *Si justitia legalis essentialiter à reliquis virtutibus distincta non esset, nec obedientia peculiaris virtus esset. At falsum consequens Ergo & antecedens.*

Resp. *Assumtio* negatur. Obedientia communis est omnium virtutum actus. Siquidem virtus propositum est constans vivendi secundum legem, hoc est, obediendi legibus: Unde *connexi* quoque negari potest consequentia, si virtus ab actu suo distinguatur: quamvis vulgo virtutis nomine & habitus & actio habitus veniat.

§. 32. Quæritur (6) *An, qui justitiam exercet in magnis, aliquando in minoribus eam possit & debeat negligere, atque injuste agere?*

Resp. *Jasonis Thessali* vox fuit: *Qui magnis in rebus justitiæ cultor velit haberi, eum in parvis nonnunquam debere justitiam violare.* Ita purgare se iis solebat, quibus molestiam aut vim attulisset: Forsan etiam fratri *Merioni*, cui 20. talenta argenti aliquando eripuit, cum convivio eum excepisset, & ad nomen filio recens nato imponendum vocasset. Interim vox *Jasonis* hoc videtur niti fundamento.

§. 33. *Si, ut tutior sit civitas, aliquando agros licet vastare & civium ædificia exurere: Sequitur licere aliquando in parvis Justitiam violare, ut in majoribus possis exercere: Atqui verum prius. Ergo & posterius.*

Resp. Improbatur nobis vox *Jasonis*, ex verissimo illo axiomate: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.* Quicquid injustum est, eo ipso, quo injustum est, illicitum est: & quicquid licitum est, eo ipso, quo licitum est, justum est. Quicquid licet id lege præceptum vel permissum est: quod lege permissum est injustum esse non potest: nisi forte lex ipsa sit injusta: quæ tamen legis indigna est nomine.

Oppositi argumenti *connexum* negamus: *Ratio* negationis est: quia ad conservandam civitatem, sine ulla injustitiæ nota, quandoq; vicini agri vastari & civium ędificia exuri possunt, in casu necessitatis & damni publici imminentis. Nam si vita quoque nostra saluti patriæ est impendenda, & laudabiliter & juste impenditur; quidni & ager, vel ædificium, quod vita hominis longe vilius est?

§. 34. Quæ-

§. 34. Quæritur (7) *An, qui justa agit, semper sit justus?*

Resp. *Negativam* amplectuntur Ethici: *Ratio* est: quia *justa agere* notat actionem unam aut alteram, quo ad externam speciem, legi conformem: ut cum *Cambyses* Persarum Rex, *Sisamnem* injustum judicem strangulari, strangulato cutem detrahi, & detractam tribunali, quo sederat, intendi & consterni ussit: cui cum filium *Oxanem* postmodum præfecisset; *Memento*, ait, *quo ex loco judices:* Ita dubium non est, quin *Nero* omnium injustissimus aliquando justum aliquod patrarit factum, sive suasu amicorum, sive impulsu hostium, sive affectu animi, sive cupiditate nominis & famæ.

Justum esse notat habitum, qui una vel altera actione non acquiritur, sed pluribus & continuatis, ex recto judicio profectis: quibus non *justa* tantum sed & *juste* egimus. Non omne justum factum est actio virtutis, ad quam tria requirit Philosophus: nempe *voluntatem*, ut sponte: *scientiam*, ut circumspecte; *constantiam*, ut perseveranter agas. *Voluntas* actionem incipit, *Scientia* dirigit, *constantia* perficit. Vide *Aristot.* lib. 2. Eth. cap. 4.

Objicitur in contrarium.

§. 35. (1) *Justitia, justum & juste sunt conjugata: Ergo qui justum agit, justus est & juste agit.* Ratio conseq. *Quia cui unum conjugatorum competit, eidem & alterum competit.*

Resp. Negatur *consequentia: Probatio* simpliciter & universaliter vera non est: conjugata sunt vel *quoad rem tantum*, vel *quoad nomina tantum*, vel *quoad nomina & rem simul. Justitia, juste, justum* sunt conjugata *quoad nomina*, sed non *quoad rem.*

Canon topicus loquitur de conjugatis, *quoad rem*, non *nomin tantum.*

§. 36. (2) *Justa agentes efficimur justi, modesta modesti, fortia fortes.* 2. Eth. c. 1. *Ergo qui justa agit, potest esse justus.*

Resp. *Consequens* nobis non contradicit: Non enim quæstio est, *an, qui justa agit, possit esse justus:* Sed, *an qui justa agit, semper sit justus.* Potest esse justus, etiam qui non est justus: & justa *sponte, scienter* & *constanter* agendo reddimur justi: quia ex actionibus crebris nascitur habitus. Interim non omnis justa actio facit justum.

§. 37. (37) *Absurdum est, eum, qui facit injusta, non fieri injustum* lib. 3. Eth. cap. 8. *Ergo absurdum quoque est, eum, qui facit justa, non fieri justum.*

Resp. *Antecedens* non nisi cum certa limitatione admittitur,

cum qua & *consequens* admitti potest: Ut enim necessario sit injustus, qui facit injusta sponte, scienter & constanter: Sic & justus, qui eodem modo justa facit. Interim tamen, ut injustus illico non est, qui quocunque modo injusta agit: ita nec justus, qui quocunque modo justa agit.

Distinctio heic observanda: Justum accipitur *formaliter* vel *materialiter*. *Illud* habitum notat virtutis: quomodo qui justum agit, semper est justus. *Hoc*, factum æquitatis significat, quod qui agit, non semper est justus: quia fieri id aliquando potest, vel suasu amici, vel impulsu hostis, vel affectu animi, vel prætextu & specie virtutis, vel spe & appetitu laudis majorisve commodi.

§. 38. Quæritur (8) *Utrum justitia sit causa effectrix legum, an contra, leges sint causæ effectrices justitiæ?*

Resp. Justitia est vel confirmata, adulta & perfecta, vel imbecillis; & ob prudentiæ in hominibus defectum variorumque perturbationum motus languida.

Priori modo considerata justitia effectrix legum est: unde perfecta Dei justitia leges efficit divinas, & leges naturales à justitia insculptas circumferimus: ipsique legislatores decreta & mandata sua per justitiam sanciunt.

Posteriori modo considerata effectus est legum: quia ad justitiæ actionem invitant leges præmiorum promissione, & pænarum comminatione, suntque normæ & regulæ actionum justarum. Etsi hominum improbitas plerunque regulis istis actiones suas perfecte non accommodat: Unde languidior legum est effectus.

§. 39. Quæritur (9) *An jus, justitia, justum, justi actio & lex differant.*

Resp. Vulgo fere omnia confundi solent: docti vero distinguunt: *Jus* est præceptum *domini* tendens in bonum subditorum. Est autem hic *dominus* vel *Deus*, unde jus divinum, vel *Natura*, unde jus naturale, vel *Homo*, unde jus humanum. alias, diverso respectu, *jus* est justitiæ *objectum, causa & effectum.*

Objectum: quatenus justitia occupatur circa canonum & regularum practicarum executionem.

Causa: quatenus ad justitiæ actiones invitat jus, promissione præmiorum ex comminatione pœnarum adeoque per actiones ad habitum nos deducit.

Effectum, quatenus per justitiam, viri justi, sapientes & prudentes tulerunt leges, quæ idem cum jure sunt.

Justum est, quod cuique secundum jus & præscriptum *Domini* concessum est.

Justi

Justi actio est operatio procedens ex habitu justitiæ.

Justitia est ipsa virtus, seu habitus: unde jus, justum & justi actio procedit.

Lex est norma rationis imperium domini & officium subditi continens: quamvis à jure non adeo distincta videatur.

§. 40. Quæritur (10) *An jus & æquum differant.*

Resp. In jure divino & naturali *jus* & *æquum* plane sunt idem. In jure autem humano *æquum* est modus quidam quo jus intra suos terminos continetur, ne à prudenti circumstantiarum accommodatione deflectat, & juris naturalis rectitudinem sibi vendicet quo sensu æquitas ab *Aristotele* definitur ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου, seu νόμου ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου: h. e. *correctio juris legitimi, seu legis quatenus deficit, quoad universale.* Item ἔλλειμμα τοῦ ἐγγεγραμμένου λόγου: *defectus scriptæ legis*, qui in lege non exprimitur à legislatore, sed tamen subintelligi vel non improbari creditur. Unde *summum* Jus, Græcis ἀκριβοδίκαιον, h. e. jus humanum, cujus universales regulæ, ex prudenti circumstantiarum particularium consideratione, ad rem vel personam recte non applicantur, dicitur esse *summa injuria.* Itaque jure humano generali consideratio variarum circumstantiarum quandam addit *limitationem* in ferenda sententia, quæ ἐπιείκεια, seu *æquitas*, appellatur, & ab absoluto generali & rigido jure distinguitur. Ab aliis *summum jus* ita quoque describi solet, ut in summam injuriam non abeat: etsi *æquitatis* ei non adhibeatur moderatio. Nempe summum jus proprie esse dicitur *quando leges non malitiose quidem & fraudulenter contorquentur, sed tamen stricte retinentur & præcise, nec ab iis transversum unguem receditur, licet propter rationem probabilem adhiberi mitigatio possit:* observandum igitur à juris rigore per æquitatem discedi quandoque posse, quandoque etiam debere; illud omitti sine evidenti injuria potest, hoc non potest. Alias suadet æquitatem. 1. varietas circumstantiarum. 2. Exemplum Dei 3. Tranquillitas publica. Dignæ sunt observatu JCtorum de mitigatione Juris & Legis regulæ.

(1) *In dubia re benigniorem sequi interpretationem non minus est justum quam tutum.*

(2) *In legem committi, qui verba legis amplexus contra voluntatem legis nititur.*

(3) *Ubicunque ex verbis proprie acceptis resultat iniquitas, à verbis recedendum & conveniens διάνοια quærenda.*

(4) *Cum verba durum sensum patiuntur, non ab illis, sed à mente legis standum.*

(5) *Verba*

(5) *Verba sunt ad intellectum possibilem referenda.*

(6) *Benignius interpretandæ sunt leges, dummodo ipsarum servetur voluntas.*

Quæstionem, *An æquitas veram justitiæ rationem habeat?* exquisite & subtiliter tractatam vide apud *Amesium,* in aureo libello de conscientia & ejus jure, lib. 5. c. 2. q. 3.

Objicitur (1) *Si æquum, ἐπανόρθωμα juris, est laudabile, sequitur jus non esse bonum & honestum: vel æquum non esse justum: At falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Resp. *Connexi* consequentia negatur: Et æquum & jus est laudabile, honestum & bonum per se: est enim honestas & bonitas affectio generis, quæ speciebus communis est. *At* inquis, *summum jus summa injuria dicitur:* Resp. *Summum* jus hesc dicitur, non jus in se & per se consideratum, sed iniqua juris applicatio ex neglectu circumstantiarum, quæ facta mutant adeoque probe sunt attendendæ: quamvis in lege non sint expressæ, ut & exprimi propter varietatem non possunt; sed prudentiæ judicis perpendendæ relinquuntur.

(2) *Quod discrepat à justo, id est injustum: At æquitas discrepat à justo: Ergo æquitas est injusta.*

Resp. *Propositio* simpliciter & universaliter vera non est. Omnes aliæ virtutes morales aliquo modo discrepant a justitia, nec tamen propterea sunt injustæ: uti & justitia discrepat à castitate, quæ tamen propterea non est incasta.

2. Si *discrepare* sit aliquo modo *pugnare, propositio* non admittenda erit, nisi de justo simpliciter omni accipiatur & loquatur: quo sensu *assumtio* neganda fuerit. Æquitas enim non discrepat ab omni simpliciter justo, seu à justo, quod in specie rigidum & universale appellatur, quod *legale* dici solet.

§. 41. Quæritur (11) *Quotuplex sit jus?*

Resp. Distinguitur jus in *naturale* & *positivum.*

Naturale est, quod novit homo & exequi potest, sine peculiari institutione: estque *primarium* vel *secundarium.*

Primarium est ad quod cognoscendum & exequendum homo fertur insito impetu primario: cuius quasi nobiscum nata sunt præcepta, *contra vim te defende: parentes honora: Deum cole: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* &c.

Secundarium est, quod ex jure naturali primario fluit, & apud omnes receptum est populos: unde *jus gentium* appellatur: cujus lex est: *Legati non sunt violandi: depositum bona fide est reddendum: naufragorum bona præda non sunt exponenda* &c.

Jus hoc *naturale* aliud nihil est, nisi imaginis divinæ in homino

mine reliquum vestigium, in practicis conspicuum principiis, quæ nasci nobiscum vulgo dicuntur: unde proprie in solo inest homine: Etsi similitudo ejus aliqua in brutis quoque apparet, quæ contra vim quoque se defendunt: sui conservationem quærunt, & naturali impetu ad amandos & alendos suos fœtus feruntur.

Unde *Jus naturale*, definiri solet, *quod natura docuit omnia animalia.* Hoc respectu *Paulus* ait, Rom. 2. v. 14. *Cum gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis sunt, faciant, ipsi legem non habentes sibi ipsi sunt lex: ut qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Pertinet huc illud *Ciceronis*, in *Catone majore*: *In hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tanquam Deum, sequimur eique paremus.*

Digni *observatu* sunt *Scaligeri* versiculi, de naturæ jure & lege in præfat. lib. 1. Epidorp.

Natura tribus legibus agitantia vitam
Naturationis duce cœlitus parata
Vult fulta: quasq; has dedit esse commeatum.
Numen cole summum. Tibi prima, ultima meta hæc:
Ne prodigete: nec tua prodige negligendo:
Ne cui facias, quæ tibi facta non placerent.
Istis tribus omnis capitur beatitudo.
Quam qui nihili fecerit, exibit inanis.

§. 42. *Hactenus jus naturale*, quod pluribus adstruentem vide *Heiderum* Part. 2. pag. 885. Sequitur *positivum*, quod institutione haurimus, præceptis & decretis hominum traditum.

Estque *generale* vel *Speciale*.

Generale est in præceptis Ethicis, quæ omnes & singulos homines obligant.

Speciale est jus *civile*, vel *œconomicum*.

Civile ad publicum civitatis, seu Reipubl. curam & administrationem pertinet.

Oeconomicum præcepta & regulas de officio œconomico continet: cujus species tres constituit Aristoteles, πατρικὸν, *paternum*, quod est patris in filium: δεσποτικὸν *herile*, quod est Domini in servum: γαμικὸν, *conjugale* quod est mariti in uxorem.

§. 43. Jus *naturale* & *civile* Aristoteles distinguit proprietatibus.

Naturalis tres assignat proprietates.

(1) Petitur ab *efficiente*. Habet enim jus naturale originem & autoritatem suam à Deo: qui hominum id mentibus primum in creatione indidit, & post lapsum quoque aliquo modo in pri-

morum

morum hominum posteris conservavit. Unde ab *Aristotele* appellatur *πρῶτον δίκαιον Jus primum :* de quo *Cicero*, lib. 3. de leg. *Unus est communis quasi Magister & imperator omnium Deus, ille est legis hujus inventor, disceptator, lator.*

(2) *A vi & efficacia.* Naturæ jus ab omnibus sana mente præditis intelligitur, & ubique apud omnes eandem vim habet: unde est immutabile, & abrogari non potest.

(3) *A fine :* Jus naturæ potissimum refertur ad honestatem.

Civilis etiam & *legitimi* tres quoque sunt proprietates ex iisdem petitæ argumentis.

(1) Ex *efficiente.* Jus civile ortum & autoritatem habet ab hominibus, à quibus communi consensu est constitutum, rationibus probabilibus ex jure naturæ vel aliqua circumstantia petitis.

(2) *Ex vi & efficacia.* Ante, quam sancitum & constitutum fuit, jus hoc, neminem obligavit: postquam vero sancitum & confirmatum est, sub pœna transgressionis, obligare cœpit. Unde mutari & abrogari potest.

(1) Ex *fine :* ad utilitatem potissimum refertur : etsi honestatem ex jure naturali præsupponit.

§. 44. Contra *jus naturale* excipitur.

(1) Intellectus humanus à prima sua origine est instar rasæ tabulæ, in qua scriptum nihil, inscribi tamen possunt omnia. Ergo jus naturale per naturam ei inscriptum non est: adeoque nec est naturale jus.

Antecedens est *Aristotelis & Platonis*, in *Philebo* lib. 3. de an. cap. 4.

Resp. Utri igitur potius habenda fides? *Aristoteli* ne dicenti, intellectum, seu νοῦν hominis, esse similem γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον? an *Paulo* affirmanti, ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν καὶ ἐνδείκνυσθαι τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως.

Utrique haberi tuto fides potest: quia non pugnant: *Aristoteli* nihil ἐντελεχείᾳ, *actu*, à sua origine inscriptum est intellectui. *Paulus* ait, legis opus inscriptum esse cordibus, seu mentibus; non quidem actu, attamen *potentia propinqua* per quam, etiam nulla accedente institutione vel demonstratione, confirmato & adulto rationis usu, principia practica se exerunt, & secundum ea in communi vita legis opera exercentur. Unde dicuntur gentes φύσει ποιεῖν τὰ τοῦ νόμου: quamvis de lege per *Mosen* lata nihil unquam fando acceperint. Cum enim a natura brutis impressa

pressa sit *δύναμις* & solertia, qua ætate jam ad speciei perfectionem progressa, naturæ bruta convenientia & propemodum admirabilia moliuntur opera, ut videre est in *aviculis* nidificantibus & cantillantibus, in *apiculis* mellificantibus & ordinis exquisiti observantibus &c.

Quid ni & menti humanæ, quæ auræ divinæ particula est, impressi quoque sint divinitatis characteres vel radii, qui in homine jam adultiore & ætate confirmatiore se exerere & fulgere incipiant? Ita facultas discurrendi innata est homini, non discursus actualis, qui tamen postmodum ex facultate manat, sine ulla præeunte institutione.

§. 45. (2) *Nulla est justitia naturalis: Ergo nullum quoque est jus naturale.* Antecedens patet: *quia justitia est virtus moralis, quæ natura non inest:* Ratio consequentiæ: *quia non est sine justitia.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est: *Justitia moralis* proprie sic dicta distinguitur à *naturali*, quæ est quasi semen quoddam *morale*. Neque *consequentia* satis solida. *Naturale jus* consistit in principiis practicis, *justitia* in praxi principiorum. Atqui cum notitia principiorum practicorum non semper est conjuncta praxis: quam tamen in gentilibus commendat *Paulus*, quando ait, *ipsos natura facere, quæ sunt legis.*

§. 46. Quæritur (12) *An jus naturale mutari possit?*

Resp. De jure naturæ primario sic dicto defenditur *negativa* Quia inscriptum est cordibus hominum, ut *Paulus* testatur. Unde deleri non potest, nisi ipsa deleatur natura & ratio desinat esse ratio, vel, ex male dispositi corporis commercio, sui obliviscatur, ut fieri in furiosis solet, quorum deterior etiam, quam brutorum, conditio est. Quod enim in ipsis reliquum rationis est, eo contra rationem se armant. *Jus* hoc in reliquiis divinæ imaginis habetur; quas superesse in natura humana creatoris bonitas voluit, & non minus, quam ipsam naturam, hucusque conservavit & deinceps conservabit.

Objicitur.

§. 47. (1) *Contra jus naturale multi delinquunt. Ergo in iis mutatum vel plane extinctum est ius naturale.*

Antecedens *manifestum est ex parricidis, homicidis, blasphemis.* &c.

Resp. Negatur *consequentia:* quia etiam qui *jus naturæ* violant, nihilo minus inscriptum in cordibus habent quod etiam *positivi juris* scientissimi faciunt. Delinquunt enim contra conscientiam, quam

quam contra se testem habent, & à propriis cogitationibus accusantur Rom. 2. v. 15. aliud est nosse legem & probare, alud præstare. Notum est illud Medeæ.

--- video meliora proboque,
Deteriora sequor.

§. 48. (2) *Jus naturale commutari potest in legale & positivum: Ergo est mutabile.*

Antecedens in confesso est: *Sæpe enim legibus positivis inseruntur, quæ sunt juris naturalis.*

Resp. *Antecedens* negatur: *probatio* est inconsequens: non desinit esse naturale, quod inseritur legibus positivis: veluti gemma non desinit esse lapis naturalis, etiamsi annulo inseritur artificiali.

§. 49. (3) *Ipse Deus mutavit jus naturale, quando præcepit Abrahamo ut filium mactaret, & quando Israelitis permisit Ægyptiorum bona auferre: Ergo jus naturale est mutabile.*

Antecedens prob. *Quia præceptum illud & permissio fuit contra jus naturale.*

Resp. *Antecedens* negatur: *Probatio* simpliciter vera non est: Non fuit mutatio legis, sed materiæ, circa quam lex versatur. Vita innocentis Isaaci, filii, subjecta & objecta fuit Abrahami, patris, potestati, non tanquam causæ principali, sed tanquam instrumento dominii & beneplaciti divini: adeoque nil heic jussus fuit Abrahamus facere præter officium patris à naturali jure definitum, sed servire juris naturalis domino, cui in creaturas suas licet, quicquid libet. Non enim sibi, sed homini legem posuit. Eo ipso igitur, quo Abrahamus filium mactasset, tanquam minister Dei, & obedientia ejus summe prædicanda fuisset: etsi jure naturali, tanquam pater & dominus, ab eo manum abstinere debuisset. Cessare & suspendi ad tempus possunt patrum officia, manente tamē obligatione: quando obeunda superioris ministeria.

Ægyptiorum vasa aurea abstulerunt secum Israëlitæ, non tanquam res alienas, sed tanquam suas, per Dei liberalitatem ipsis concessas. Desierunt enim esse *Ægyptiorum* & cæperunt esse Israëlitarum eo ipso momento, quo à Deo jussi sunt auferre.

§. 50. (4) *Depositum repetenti reddere est juris naturalis. Atqui hoc interdum mutatur; quando gladius depositus & repetitus ad patrandum homicidium non redditur, neque reddi debet. Ergo jus naturale quandoque mutari recte potest & debet.*

Resp. *Propositio* conceditur sed observatis certis circumstantiis & conditionibus: ut redditio depositi sit tempestiva & non majoris mali causa: tum enim præstat depositi redditionem differre,

ferre, quam intempestiva redditione deponenti & proximo innocenti nocere: quod faceret, qui depositum gladium furioso ad patrandum homicidium redderet. Non igitur mutatur jus naturale, quando depositi reddendi opportunitas exspectatur & hac cautione atrocior juris naturalis violatio evitatur.

§. 51. Quæritur (13) *An jus legale & positivum quandoque mutari debeat, & quibus conditionibus atque cautionibus.*

Resp. Posse *jus legale* & *positivum* mutari quandoque extra controversiam est. Hinc legum vel per contrarias leges, vel per consuetudinem abrogatarum multa extant in imperiis, regnis, principatibus & rebuspublicis exempla. Cum enim hominum autoritate, & potestate ferantur, rogentur, quid ni eorundem quoque jussu mutari & abrogari possint.

§. 52. *An vero abrogari etiam quandoque debeant*, alia est quæstio.

Ægre prudentes in *Juris* semel constituti & recepti mutationem aut abolitionem consentiunt. Unde etiam iniquam abrogari legem nonnulli prohibent: quæ olim sententia fuit *Augusti* ad senatum, apud *Dionem*, lib. 53. *leges*, inquit, *firmiter retinete, nec quicquam in his mutate: Nam quæ eadem semper manent, etsi sunt nonnihil vitiosa, utiliora sunt tamen his, quæ subinde etiamsi in melius, innovantur.* Trahunt huc nonnulli tritum illud: *malum bene positum non movendum.*

Nihil tamen aliud prudentes videntur velle, quam hoc: leges in usum reipublicæ latas & usu receptas non esse temere abrogandas: etiamsi nonnihil videantur habere incommodi. Neque obscura est ratio: quia crebra & temeraria legum publicarum mutatio imprudentiam arguit legislatoris, adeoque in contemtum adducit cum leges, tum magistratum: Unde Reipublicæ metuenda convulsio.

§. 53. Interim iniqua & injusta lex si occurrat, præstat eam prudenter abrogare, quam in subditorum perniciem obstinate conservare: quia justitiæ & æquitatis, non iniquitatis, vincula leges esse debent, & lex iniqua suadens indigna est legis nomine: etsi subditum obligat, quantisper abrogata non est, nisi forsan in divinam legem incurrat: tum enim Deo potius, quam hominibus, obediendum, *Petro* & *Apostolis* testibus. Actor. 5. v. 29. Quibus olim *Socrates* assensus ad *Athenienses* πείσομαι Θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν. *Deo potius, quam vobis parebo.*

Indis primum subactis Carolus V. legem tulit non admodum gravem, certe non intolerabilem, pro qua abroganda auri miliones XXI. *Carolo* obtulerunt & tandem etiam filio ejus *Philippo.*

Igitur cautiones & conditiones quod attinet, mutari poteſt & debet jus legale & poſitivum, raro, ne incommodum, in melius, ne periculum, prudenter & ſenſim, ne naufragium Reipubl. ex mutatione ſequatur.

§. 54. Quæritur (14) *An ab JCtis jus naturale recte deſcribatur:* Quod natura docuit omnia animalia.

Reſp. Si juris ratio propria intelligatur, non magis ea locum habet in brutis animalibus, quam in plantis & rebus inanimatis. Quia nec in brutis, nec in plantis aliiſque corporibus inanimatis eſt vel *ratio* inter bonum & malum diſtinguens: vel *voluntas*, unum præ alio eligens: vel *juſtitia moralis* proprie dicta ſuum cuique tribuens.

§. 55. Si vero jus & lex accipiatur pro inclinatione, potentia & operatione, quæ certa ratione dirigitur, ut naturæ & fini cujuſque rei creatæ convenit, non animantia tantum omnia, ſed & plantæ, omneſque res inanimatæ à natura impoſitam & quaſi inſcriptam habent legem, ſeu jus naturale, per quod reguntur. Unde omnia dicuntur ire fixis naturæ legibus, & agere omnia propter finem; etiamſi eum non intendunt, ſed tantum in eum diriguntur: quo reſpectu jus hoc, ſaltem *paſſive* in iis reperiri dicitur.

§. 56. Si denique jus naturæ ſumatur pro inclinationibus & operationibus, quas cum brutis, & non cum plantis, vel aliis rebus inanimatis, communes habent homines, cujuſmodi ſunt vitæ defenſio, conjunctio maris & fœminæ, amor fœtus, deſiderium libertatis &c. ſpeciali quadam proportione jus hoc animantibus, & in ſpecie brutis quoque tribuitur: quia in plantis & corporibus inanimatis & nihil ſimile reperitur. Interim longe excellentiore & perfectiore ratione hominibus competit: cum in brutis tantum naturæ ſit inſtinctus & phantaſiæ operatio, in homine vero judicium rationis, cui per naturam, abſque inſtitutione, principiorum practicorum ineſt notitia: ex quibus variæ deductæ concluſiones jus naturæ amplificant & perficiunt.

§. 57. Quæritur (15) *An Juris naturalis ſit præceptum:*
Quod tibi non vis fieri, id alteri ne feceris: Et
Quod tibi vis fieri, id alteri quoque feceris.

Reſp. *Affirmativam* amplectimur: quia eſt inter principia practica, quæ omnibus hominibus uſu rationis pollentibus ſunt nota: quæ ex ratione non impedita manant, veluti radii divinæ mentis. Inculcatur præceptum iſtud à Chriſto, Matth. 7. v. 12. addita hac ratione: *Iſta enim eſt lex & Prophetæ:* ubi potiſſimum

lex

lex moralis intelligitur, quam natura notam & hominum cordibus inscriptam testatur *Paulus* Rom. 2. v. 14. 15.

§. 58. Heic tamen tria observanda monet doctissimus *Amesius*.

(1) *Non exhauriri precepto hoc totum jus naturæ, sed illam duntaxat partem, qua nostrum erga homines officium continetur.*

(2) *Non voluntatem nostram qualemcumque esse regulam officii erga alios præstandi; sed voluntatem naturalem bene ordinatam, nullaque perturbatione infectam.*

Ratio: quia alias, qui turpe aliquid sibi fieri vellet, idem alteri quoque deberet facere: qui vellet inebriari, alios quoque deberet inebriare: qui libidinis suæ mancipium esse alium vellet, etiam libidini alterius se mancipare deberet.

(3) *Non præcipi, ut omnia eadem in particulari faciamus aliis, quæ nobis exhiberi cupimus, sed eadem tantum ex proportione, vel ex suppositione, si nos eorum essemus loco.*

Ratio: quia alias Domini servire suis servis deberent, quos servire sibi volunt; & sic desinerent esse domini.

Alexander Severus, teste *Lampridio*, cum aliquem emendaret, per præconem clamari jussit. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* Et usque adeo hanc dilexit sententiam, ut in palatiis & publicis operibus perscribi jusserit.

§. 59. Quæritur (16) *An juris naturalis præcepta recte statuantur hæc tria:* Honeste vivere: alterum non lædere: suum cuique tribuere.

Resp. Hanc præceptorum Juris naturalis enumerationem admodum confusam & imperfectam judicat clarissimus *Amesius*: idque sequentibus de causis

(1) Quia in iis de Deo colendo nihil præcipitur: quod tamen principium est juris naturalis.

(2) Quia *honeste vivere* philosophis & theologis idem est, quod *virtutem colere*: est enim virtus honestas, aut bonum *honestum* quod ab *utili* & *jucundo* distinguitur. Igitur *honeste vivere*, hoc sensu idem est, quod *juste vivere*. Dum ergo juris præceptum dicitur, *honeste vivere*, aliud nihil dicitur, quam jure præcipi, ut *juste vivamus*: quod non tam est præceptum juris, quam ejusdem per idem explicatio.

(3) Quia præceptis explicari debet, quid sit, *alterum non lædere*. Dum enim officio erga alium fungimur, ipsum non lædimus: dum non fungimur, lædimus, qui jus ipsi non tribuimus. Unde non tam præceptum juris hoc est, quam objectum aliorum præceptorum.

(4) Quia *ſuum cuique tribuere*, aliud nihil, quam jus & juſtum facere. Unde non magis præceptum eſt juris, quam præceptum legis, legitime, vel ſecundum legem vivere.

Summa igitur huc redit: præcepta illa nec ſunt ſufficientia, nec ſatis diſtincta, nec ſatis clara: adeoque legitimorum præceptorum in ſe requiſita non habent.

§. 60. Quæritur (17) *Quomodo ſe habeat jus civile ad jus naturale?*

Reſp. *Jus civile*, quatenus rectum eſt, ad *jus naturale* ſe habeat, tanquam rivulus ad fontem; quia ex *jure naturali* derivatur *civile*. Jus enim non eſt, quod rectum non eſt: rectum vero in moralibus cum recta ratione practica conſentit, quæ eſt *jus naturale*.

Derivatur autem *ius civile*, ex *naturali* vel ut concluſio ſpecialis ex propoſitione generali: vel ut ſpecialis determinatio & accommodatio axiomatis generalis.

Quod priori modo derivatur, ſi bona ſit conſequentia, omnem ſuam vim habet à lege naturæ, ut concluſio à præmiſſis.

Quod poſteriori modo, ex parte nova conſtitutio eſt. Eſt enim inſtar ſpeciei, quæ differentiam ſuam habet à determinatione, quæ cum nova ſit, legem quoque gignit novam.

Patet hinc, cur *ius humanum* obnoxium ſit imperfectioni errori & injuſtitiæ: nempe, quia tam in concluſionibus; quam in determinationibus iſtis humana ratio imperfecte poteſt judicare & ſæpe hallucinari. Nulla debet eſſe lex, quæ certa & juſta ratione non nitatur. Atqui expreſſe fatentur juris *Romani* conditores, non omnium quæ conſtituta ſunt, reddi rationem poſſe. L. *non omnibus*. D. de Leg.

§. 61. Optimi juris civilis imperfectionem quinque arguunt, ex ſententia clariſſ. *Ameſii*.

(1) Quod non continet in ſe totum jus naturale, ſed illud tantum, quod hi vel illi homines approbarunt & ſuis moribus accommodarunt.

(2) Quod non internos affectus, ſed tantum externos actus reſpiciat.

(3) Quod non omnia vitia cohibeat, ſed illa ſola, quæ reipubl. pacem & quietem videntur turbare poſſe: neque omnium virtutum actus præcipiat: ſed eos ſolos, qui vitiis iſtis adverſantur.

(4) Quod non viros, ſed cives tantum & ſubditos bonos faciat.

(5) Quod in multis additionem, detractionem & correctionem ex occaſione admittat.

§. 62. Quæ-

§. 62. Quæritur (18) *Quomodo se habeat lex moralis ad legem naturæ?*

Omnia legis moralis, seu *decalogi*, præcepta, præter determinationem *diei* in præcepto quarto, sunt de jure naturali: quod probatur.

(1) Quia, quicquid in iis reperitur, ad omnes gentes omnibus seculis pertinuit & deinceps pertinebit: non enim singularem aliquam hominum conditionem, sed ipsam naturam concernunt.

(2) Quia quicquid in iis continetur, naturæ humanæ ad finem suum consequendum est necessarium.

(3) Quia quicquid in iis est, ita radicatur in recta ratione, ut humanis quoque rationibus solide fulciri & corroborari possit.

(4) Quia quicquid in iis continetur, ab Ethnicis quoque sapientibus, quoad substantiam, approbatur.

(5) Quia omnia faciunt ad summam humani generis utilitatem in hac vita: ita quidem ut, si hæc observarentur præcepta, non opus esset legibus humanis.

§. 63. Objicitur: *Si lex moralis eadem esset, quæ lex naturæ, non necesse fuisset vel voce vel scripto eam promulgari. Atqui falsum consequens: E. & antecedens.* Connexum probatur: *Quia lex naturæ omnium hominum cordibus est inscripta.*

Resp. *Connexum* negatur: *probatio* est inconsequens, Quia inscriptio illa per naturam facta est imperfecta propter cæcitatem mentis, perversitatem voluntatis & perturbationem affectuum: quibus characteres in prima creatione inscripti postmodum in natura corrupta sunt quasi exoleti, adeoque voce & autoritate Dei, quasi novo penicillo, renovandi. Unde ratio recta practica omnibus suis partibus perfecta & completa nuspiam extat, nisi in lege Dei scripta: in qua erudiri tantopere desideravit regius *Psaltes*, Psal. 119.

§. 64. Quæritur (19) *An ius Naturale nobis sit insitum?*

Resp. Quod principia practica seu Jus Naturale nobis insitum sit & ingenitum, non opinione tantum, sed ipso etiam actu, his rationibus solide evincitur.

(1) Ducitur ab autoritate S. *Scripturæ* Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, natura, quæ legis sunt, faciunt; & ita sibi lex sunt, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

(2) Quia jus Naturæ quod vocamus, ubique locorum unum & idem: sed opinionum, consuetudinis, legum infinita varietas. Illud perpetuum est & immutabile: hæ mutationibus semper obnoxiæ. Hinc *Cic.* lib. 2. de Nat. Deor. *Opinionum commenta delet dies; Naturæ indicia confirmat.*

 (3) Qui

(3) Qui peccant contra leges Naturæ, conſcientiæ dolores & cruciatus ſentiunt acerbiſſimos, licet ab hominibus nihil pœnæ metuant. *Rom.* 2. Et ut maxime animadverſiones temporalis magiſtratus effugiant, Dei tamen ultionem & vindictam, morſumque internæ carnificinæ evadere neutiquam poſſunt.

(4) Quia pueros ipſos, qui vix balbutire cæperunt ejuſmodi principia quadam naturali intellectus luce, noſſe videmus, & exinde rationes ejuſmodi texere quas forte nunquam audivere. Quemadmodum enim infantulus innatam habet ſpeciem ſuæ conſervationis, per quam vix dum editus vult ſugere, ideoque labella movet & os ad ſuctum format, non pedes: ſic menti hominis impreſſit natura ipſa quaſdam notiones tanquam ſeminaria omnis cognitionis, quibus ceu adminiculis quibuſdam mens adjuvatur & ceu radiis dirigitur ad dignoſcendum verum à falſo, honeſtum à turpi.

(5) Denique ſi nullæ notitiæ naturales ſeu principia practica nobis eſſent innata, everterentur prorſus ea quæ de Jure Naturæ *Theologi*, de Jure gentium *JCti*, de communibus animorum notionibus & inclinationibus *Philoſophi* hactenus magno conſenſu tradiderunt, quibus omnibus contradicere velle, magnæ foret confidentiæ, ne quid dicam durius.

Objicitur in contrarium:

§. 65. Principia Practica ſeu Jus Naturæ, quod vocant, mutatur: Ergo non eſt naturale, vel nobis inſitum.

Antecedens facile probatur: non enim homines tantum ſinguli, ſed integræ fere nationes omnem exuunt humanitatem, ſicut de *Schythis*, *Colchis*, *Indis ἀνθρωποφάγος* & aliis *barbaris* in propatulo eſt, quorum multi parentes ſenio confectos interemerunt, & interemptos devorarunt, quidam furta, latrocinia, ſtupra habuerunt pro exercitio conceſſo. Ratio conſequentiæ eſt, quia naturalia mutari non poſſunt: οὐδὲν τῶν φύσει ὄντων ἄλλως ἐθίζεται, ait *Ariſtot*. 2. Ethicor. cap. 11. h. e. *Nihil eorum quæ natura ſunt, aliter conſuefieri poteſt*, & tradunt fuiſſe *JCti* in §. ſed naturalia. 11. *Inſt*. d. Ju. N. G. & C.

Reſp. Antecedentis probatio non eſt ſolida, hæc enim Apoſtaſia à jure naturali (1) paucorum eſt, ſicut ea quæ totius ſpeciei, non raro quibuſdam in ſingularibus ſeu individuis deficiunt, ut videndi, audiendi, loquendi facultas: quid vero naturæ conveniens, quid minus, non ex paucis & peſſimis, ſed ex compluribus & optimis colligendum (2) accidit ejuſmodi exorbitatio à Jure Naturæ non tam in *principiis* illis *communibus*, quam in *concluſionibus* inde *deductis*, quæ ad ſpeciliariora deſcendunt, & variis

variis circumſtantiis atque appetentiis implicantur, rationemque non modo deſerunt, verum etiam ſecum abripiunt. Igitur negatur conſequentia.

CAPUT XXX.

De

INNOCENTIA.

Thesis I.

Innocentia eſt juſtitia nemini nocens.

Ἔκθεσις.

§. 1. AT *enim*, inquies, *nocere alteri non adverſatur innocentia, juſtus judex reo pœnam capitis vel facultatum denuncians & executioni mandans, nocet reo, & tamen contra innocentiam nihil committit: Male igitur definiri videtur innocentia, juſtitia nemini nocens.*

Reſp. Innocentiæ eſt nemini nocere, non quovis modo, ſed per iniquam vim aut fraudem.

II.

Itaque nec infert aliis injuriam, hoc eſt, corpori, famæ, vitæ, aut bonis aliorum vi vel fraude non nocet, & ab iis omnibus, quibus infertur, ſi poſſit, propulſat, vindictæ quoq́ cupiditatem à ſe procul eſſe jubet.

Ἔκθεσις.

§. 2. OBjectum *innocentiæ* ſunt proximi corpus, fama, vita, bona, nec non injuria illata proximo: illis non nocere, & hanc pro viribus à proximo propulſare, innocentiæ eſt *officium*. Unde patet eam juſtitiæ commutativæ, quam ſic vocant, partem, quæ ſincere cum proximo in contractibus & ſine fraude agit, innocentiæ ſubſtratam eſſe, qua æqualitatem ſervat, & nullius hominis ad ſe bona fraudulenter trahit, *Ciceroni* definitur, *affectio talis animi, quæ noceat nemini*. 3. Tuſcul.

§. 3. Ad innocentiæ ſtudium nos exhortantur *rationes*, quæ ſupra pro colendo juſtitiæ ſtudio ſunt allatæ. *Magnum eſt præſidium*

dium in periculis innocentia : Sævum mare involvitur, procellæ; spumante impetu, latera navigii urgent, pulsatur undique novis periculis : innocentia tamen tuta est. Seneca. *Nihil sancta & singularis illa Majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam : quam si quis obtulerit Deo, satis pie, satis religiose Deo litavit.* Lactant.

§. 4. *Exempla* hujus virtutis inter gentiles occurrunt illustria; *Evagoras*, Rex *Cyprius*, tanta innocentiæ laude claruit, ut quamdiu vixit, neminem unquam injuria ulla affecerit. *Epaminondas Thebanus* omnes ætatis suæ Duces anteivit, nemini injuriam intulit, hosti nunquam imposuit, aperto *Marte* semper certavit. *Africanus Major* omnes omnium gentium Principes hac virtute prævertisse dicitur. Tantum enim ab injuria abfuit, ut ne captivo quidem corpori unquam illuserit, malueritque civem bonum servare, quam hostes plurimos perdere. *Pomponius Atticus* neminem vel dicto lacessivit, vel facto proterve læsit.

§. 5. *Præceptis*, de innocentiæ studio peculiaribus non est opus : Siquidem ex superioribus constat, innocentiam in nullius corpus impetum facere, in nullius famam & existimationem petulanter invadere, alienis bonis non inhiare, omnem in contractibus dolum & fraudem vitare, periculum vel vitæ, vel famæ à proximo arcere: Contra quam fecit olim Imperator *Mauritius*, qui pro redimendis duodecim millium militum capitibus, exiguum pendere pretium recusavit cum æterna nominis sui ignominia.

§. 6. Mentio heic inserenda *cupiditatis vindictæ*, seu ultionis privatæ & humanæ, quæ innocentiæ maxime adversatur : unde à *Platone* l. 5. de LL. definitur ἀκόλουθος πάθη τῆς ἀδικίας: *Passio injustitiæ sequax*. Omnibus modis hæc fugienda, & inprimis quidem viro, maxime autem Christiano. Rationes sunt :

(1) Quia cum Dei contemptu est conjuncta, eique exosa; Hinc *Tertullianus* de patientia, cap. 10. *Quem honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus? Nos putres, vasa fictilia, servulis nostris assumentibus sibi de conservis ultionem graviter offendimur : eosque qui nobis patientiam obtulerint suam, ut memores humilitatis, servitutis jus dominici honoris diligentes, non probamus modo, sed ampliorem, quam si ipsi præsumsissent, satisfactionem facimus. Id nobis in domino tam justo ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus illum judicem, si non ultorem?* &c. Sic & *Scaliger* lib. 4. Epidorp.

Non vult Dominus temporis Imperator avi,

Memores-

Memoresque notas odii, memoresque querelas:
Nec vivere vestigia contumeliarum.
Oditque super cætera cuncta talionem.

(2) Quia justitiæ & legibus est adversa. *Non enim, ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare, ita injurias injuriis illic vinci turpe est, hic vincere inhumanum verbum est, & quidem pro justo receptum*, ultio: *& à contumelia non differt nisi ordine. Qui dolorem regerit, tantum excusatius peccat.* lib. 2. de ira cap. 32.

(3) Quia injurias fovet augetque: *Multum temporis ultio absumit, multis se injuriis objicit, dum uno dolet. Diutius irascimur omnes quam lædimur. Quanto melius abire in diversum, nec vitia vitiis componere:* Seneca. lib. 3. de ira, cap. 27. Sic & Cicero, apud Dion. Cass. lib. 44. *Nonne vides, ubi cives seditiones movere inceperunt, vimque vi ulcisci student, neque æquitate humanitateque vindictam, sed cupiditate armorumque licentia metiuntur, necessario calamitates quasi orbe quodam semper revolvuntur, continentique successione mala malis redduntur.* Vide *Maxim. Tyrii.* dissert. 2. περὶ τοῦ εἰ τὸν ἀδικήσαντα ἀνταδικητέον;

(4) Quia plane indigna est viro magnanimo: *Ultio doloris confessio est*, inquit Seneca, libr. 3. de ira, cap. 4. *Non est magnus animus, quem incurvat injuria. Aut potentior, aut imbecillior læsit, si imbecillior, parce illi: Si potentior, tibi, &c.* Et lib. 2. cap. 34. *Pusilli & hominis miseri est repetere mordentem: mures & formicæ si manum admoveris, ora convertunt: imbecillia se lædi putant, si tanguntur.* Sic & *Juvenalis* Satyr. 13.

- - - *Quippe minuti*
Semper & infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio: continuo sic collige: Quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam fœmina

(5) Quia ultioni intenti se ipsos multi pessundant. Unde *Cicero* apud *Dionem Cassium*, lib. 44. πάμπολλοι ζητοῦντες ἀμύνασθαί τινα προσαπώλοντο.

§. 7. *Claudius* vindictæ cupidissimus fuit: qui etiam pro tessera militibus suis versum Græcum dedit.

- - - ὅτι χρὴ
Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Horrendæ & inauditæ ultionis exemplum olim vulgarunt Locrenses, quorum virgines stupraverat *Dionysius Dionysii* tyranni filius; Hujus enim uxorem & liberos captos in publica via

violarunt

violarunt & prostituerunt, neque hac satiati contumelia carnem sub manuum digitis acubus pungentes interfecerunt: post ossibus defunctorum in mortario contusis, & conscissa minutim carne reliqua, eos devoverunt, qui non aliquid inde gustassent: deinde postquam diras sunt imprecati, carnes eas molis obtriverunt, ut à pistrinariis vorarentur, reliquias autem in mare demerserunt. Vide *Athena.* lib. 12. Similia vide apud *Camerarium*, in operis horar. subcisiv. cent. 1. cap. 84. ubi immane & nefarium memoratur exemplum diabolicæ vindictæ, non in corpus tantum, sed & in animam à Sicario exercitæ.

Italus quidam erga suum olim amicum decem integros annos odium aluit & clam habuit, totoque hoc tempore varias nefariæ vindictæ occasiones quæsivit. Tandem cum non invenisset, humili gestu & blandimentis simulavit se plane adversario suo reconciliatum: quem eo tandem suis adduxit blanditiis, ut absque omni metu & suspicione familiariter cum ipso, uti ante solitus fuerat, conversaretur. Postquam vero opportunum facinori locum observavit, de improviso ipsum aggressus & humi prostrato sica mortem minatus est: Cum miser à Sicario se oppressum videret, suppliciter vitam est deprecatus. Annuit Sicarius quasi exoratus, hac tamen conditione, ut Deo omnibusque ejus beneficiis ad animæ salutem concessis renunciaret. Hoc etsi durum homini misero accideret, tamen ultima adactus necessitate ad vitam tam grandi pretio redimendam fecit: attamen à perfido vitam non impetravit, qui illico sica confodit supplicem, & quasi re præclare gesta, gloriatus est; tam exoptatam & suavem de inimico suo vindictam se sumpsisse, ut sperare talem nunquam ausus fuisset. Non enim corpus tantum inimici se confecisse, sed & animam ejus perdidisse. En diabolicam incarnati diaboli vindictam! Ecquod vero operæ fecit pretium infelix homo? Ipse *Plato* jam pridem id indicavit: *Crudelitas in tartari barathrum improbos abjicit, unde nunquam egrediuntur. Misericordia*, inquit Hieronymus, *sursum elevat ad Deum*: *Crudelitas deorsum in infernum abjicit.*

§. 8. Innocentia cum sub se proprie contineat particularis justitiæ species duas celeberrimas, *justitiam commutativam* & *distributivam*, quarum supra in commentariis facta est mentio: Quæstiones de iis aliquæ breviter sunt expediendæ.

Igitur.

Quæritur (1) *Cur Autori nostro non arriserit distributio Justitiæ particularis in commutativam & distributivam?*

Resp. Quatuor sententiæ suæ rationes Autor adducit:

(1) Quia

(1) Quia nimis angusta videtur distributio hæc, in qua locus non relinquitur veracitati, gratitudini, innocentiæ, quę & ipsæ justitiæ sunt subjectæ.

(2) Quia tota justitiæ vis in distributionis officio videtur sita: cum suum cuique tribuere, quod justitiæ in universum est, & suum cuique *distribuere*, nihil videantur differre. Unde commutatio vel non erit actus justitiæ, vel ad distributionis actum pertinebit.

(3) Quia ea est proportionum, quæ justitiæ *distributivæ* & *commutativæ* tribuuntur, doctrina, ut neutra earum innocentiæ, gratitudini, & veracitati, speciebus justitiæ, possit accommodari.

(4) Quia æqualitas *arithmetica* non tantum in contractibus, sed in delictorum quoque & pœnarum æstimatione adhibetur: unde pœnarum justitiam, alii *commutativam*, alii *distributivam* appellant.

Rationes hasce suo relinquimus loco: etsi limitem jam olim positum movere nobis non est visum, præsertim cum non desit, quod adversus rationes illas excipi possit. Progredimur ergo in quæstionibus.

§. 9. Quæritur (1) *An justitia universalis & particularis differant, & præter universalem, detur quoque particularis?*

Affirmationem adstruit *Aristoteles* lib. 5. Eth. cap. 2. cui distinctionis hujus adhibendæ occasionem præbuit *Plato*, cujus libro 1. & 2. de Republ. admodum intricata est de justitia disputatio: quam ex confusione justitiæ universalis cum particulari oriri judicavit.

Differunt igitur universalis & particularis justitia, ex sententia plerorumque Peripateticorum.

(1) *Definitione:* Est enim *universalis Justitia* virtus, per quam omnibus legibus obedientiam præstamus directione quadam indifferente ad objecta omnium & ad commune bonum.

Particularis est virtus, per quam suum cuique tribuimus in specie, quoad bonorum utilium commutationem, vel præmiorum aut pœnarum distributionem: Unde in *commutativam* & *distributivam* distinguitur.

(2) *Objectu. Universalis* indifferenter versatur circa omnium virtutum particularium *objecta*, quatenus ad alium, vel ad nos ea referuntur, adeo *nostrum* nobis, aut *suum* aliis est tribuendum. Unde in omnium virtutum particularium actionibus se exerit *justitia universalis. Particularis* versatur in specie circa bona in *commutationem*, vel circa præmia atque pœnas in *distributionem* venientia,

(3) *Effectis*

(3) *Effectis & finibus.* *Universalis* indifferenter dirigit omnia ad commune bonum: *particularis* ad proprium cujusque, & in specie ad bonum, quod ex commutatione *vel distributione* cuique debet obvenire.

(4) *Oppositis*: quia injustitia opposita *justitiæ universali* est universalis. Injustitia vero opposita *justitiæ particulari* non est universalis, sed particularis. Ebriosus, timidus, superbus delinquit in *justitiam universalem*, etiamsi in specie in *distributivam* vel commutativam non delinquit.

Patet hinc, præter *justitiam universalem*, necessario dandam esse *aliquam particularem*.

§. 10. Objicitur in contrarium.

(1) *Justitia universalis sufficit ad instituendum hominem in iis, quæ sunt ad alterum: ut docet Aristotel. lib. 5. Eth. cap. 2.* Ergo *præter eam non est opus alia particulari.*

Resp. *Antecedens* simpliciter non datur: neque ita ab *Aristotele* asseritur. Sufficit igitur justitia universalis ad instituendum hominem in iis, quæ sunt ad alterum, quoad commune bonum. Sufficit ad inclinandam hominis voluntatem erga leges omnes indifferenter: Non autem sufficit ad instituendum hominem in iis quæ sunt ad alterum, quoad bonum, cujusque proprium: neque sufficit ad voluntatem inclinandam erga hanc potius quam illam legem, veluti universalis causa Physica sufficit ad communem cum omnibus causis particularibus Physicis influxum: non vero ad proprium cujusvis causæ particularis effectum producendum.

§. 11. (2) *Justitia universalis est virtus tota: teste Aristotele: Ergo in ea continetur justitia particularis: adeoque non est opus justitia particulari ab universali distincta.*

Resp. Sive *totum universale*, sive *totum integrale* intelligitur, nulla est *consequentia*: neutrum est sine partibus: Atqui partes à toto semper sunt distinctæ; quia partes sunt totius, non totum. Si igitur universalis justitia est totum: utique partibus constabit, sive *subjectivis*, sive *integralibus*: adeoque præter *justitiam universalem* dabitur *particularis*.

(3) *Justitia universalis, quam legalem appellant, hominem ordinat ad alterum quoad ea, quæ pertinent ad multitudinem. Ergo non est alia justitia species, quæ hominem ordinet ad alterum, quoad ea, quæ pertinent ad unam singularem personam.* Ratio conseq. *Quia unum & multa non diversificant speciem virtutis.*

Resp. *Consequentia* negatur. Ratio simpliciter vera non est: Etiamsi enim unum & multa, ratione solius numeri, seu quantitatis, considerata non diversificent speciem: tamen interveniente

formali

formali differentia, diversificare speciem possunt. Atqui alia est ratio virtutis dirigentis ad bonum commune multorum indifferenter, alia virtutis dirigentis ad bonum unius *in specie*. Unde *Aristoteles* lib. 1. Polit. cap. 1. reprehendit eos, qui dicunt civitatem & domum differre multitudine tantum & paucitate, non specie.

§. 12. (4) *Species re non distinguitur à suo genere: Atqui particularis justitia est species legalis & universalis justitia: Ergo re non distinguitur à legali & universali Justitia.*

Resp. 1. *Assumptio*, ex sententia *Peripatetica*, non est simpliciter vera: Nam, ut supra ostendimus, justitia universalis à particulari certo respectu, specie quoque differt plerisque: (Si attendatur distinctio *justitia universalis* quoad prædicationem & imperium) etsi sententiam hanc non adeo nobis probari supra ostendimus.

2. Concessa *assumptione* & *conclusione*, nihilominus differentia formalis manet reliqua inter universalem & particularem justitiam: Unde necessitas particularis manifesta est: Siquidem genus absque specie non potest esse, uti nec species absque individuo.

§. 13. (5) *Si est Justitia alia particularis, præter Justitiam universalem, per comparationem ad unam personam, etiam distincta erit justitia œconomica, qua ordinet hominem ad commune bonum unius familiæ. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Connexi Consequentia probatur: *Quia familia inter civitatem & personam solitariam, quasi medium locum obtinet.*

Resp. *Connexi consequentia* negatur. *Probatio est inconsequens:* Etiamsi enim familia nec est persona singularis, nec politia, seu civitas proprie sic dicta: tamen similior est civitati, quam personæ singulari. Unde domus quasi parva civitas ab *Aristotele* appellatur, adeoque justitia quæ domum regit, sub communi æquitate continetur: ita ut præter *justitiam universalem & particularem commutativam* aut *distributivam*, nulla alia sit opus. Etsi *Thomas assumptionem* quoque videtur negare: ex *Aristotelis* sententia ad personas, quæ in familia continentur, triplici conjugatione, nempe *Mariti* & *Uxoris*, *Patris* & *Filii*, *Domini* & *Servi*, non esse simpliciter justitiam, sed quandam justitiæ speciem, scilicet œconomicam: vide *Aristot*. lib. 5. Eth. cap. 6, & ult. Et hæc omnia ex sententia Peripateticorum.

Quæstio hæc est de *justitia universali per imperium*, quam ita *Thomas* appellat: *de universali per prædicationem* alia est quæstio.

An spe-

An species ejus vera sint, distributiva & commutativa? ubi *negativam* amplectitur *Buridanus: Affirmativam* plerique alii, cum *Aristotele*, lib. 5. cap. 3. Et quid ni conceptus formari genericus possit, quem ex æquo admittant species istæ æquitate geometrica & arithmetica distinctæ? videatur *Thomas*, 2. 2. q. 61. art. 1. *Soto*, lib. 3. q. 6. 1.

§. 15. Quæritur (3) *An, & quænam sit differentia inter justitiam commutativam & distributivam?*

Resp. *Affirmativam* defendunt scholæ Ethicæ: quibus commutativa & distributiva differunt & distinguuntur ratione;

(1) *Actionum: Distributiva* actio est distribuere inter alios: *commutativa* permutare cum aliis, aut corrigere inæqualitatem rerum permutandarum.

(2) *Objectorum: Distributiva* versatur circa ea, quæ communiter inter plures sunt distribuenda, *commutativa*, circa rerum permutationem.

(3) *Personarum: Distributiva* proprie pertinet ad eos, qui personam sustinent publicã: *commutativa* ad privatos homines qui inter se contrahunt: undę illa videtur esse politica, hæc œconomica.

(4) *Proportionis: Distributiva* servat proportionem geometricam, respectu personarum: *commutativa* arithmeticam, respectu, pretii rerum, quæ permutantur.

Amesio plenior & accuratior videtur hæc distinctio, quæ & *Thomæ* olim arrisit.

§. 16. (1) *Distributiva* est quasi totius ad partes: *commutativa* est partis ad partem. Siquidem distributio honorum & præmiorum incipit à toto, ut majore, commutatio æqualitatem juris inter partes commutantes respicit. Quamvis ratio justitiæ distributivæ *Gregorio de Valentia* non tam posita videatur in habitudine illa communitatis ad partes, quam in ordine omnium partium ejus inter se: quia tum demum præmia juste distributa censentur, cum ita se habet præmium unius civis ad præmium alterius, sicut unius se meritum habet ad meritum alterius: quæ proportio & æqualitas non est inter rempublicam & cives, sed tantum inter cives. *Opponitur & hoc*, quod vindicatio injuriæ, quæ actus est *Justitiæ commutativæ*, consistitque in æqualitate, quæ est inter eum, qui injuriam fecit, & qui passus est, ad rempublicam quoque pertineat. Vide *Horneium* Eth. lib. 3. cap. 11. n. 23.

(2) In *distributiva* traditur, quod debetur, non quasi antea fuerit in possessione, aut domino recipientis, aut illi applicatum, sed ex ęquitate applicandum. In *commutativa* redditur debitum, tanquam jam proprium applicatum, & possessio alterius.

(3) In

(3) In *distributiva* directe observatur proportio, quam habet persona una ad aliam, respectu rei tradendæ: In *commutativa* nihil observatur nisi proportio rei acceptæ & redditæ.

§. 17. Objicitur in contrarium.

(1) *Distributiva & commutativa non distinguuntur objecto: Ergo Specie non differunt*: Antecedens prob. *Quia utraque versatur circa pecuniam.*

Resp. *Antecedens*, de objecto proprio secundum rationem formalem considerato, negatur. *Probatio* est inconsequens. Quia sub alio formali consideratur pecunia in actu *justitiæ distributivæ*, sub alio in *actu commutativæ*. In illo, quatenus est præmium personæ debitum eique proportionatum: in hoc, quatenus est pretium æquale rei commutatæ.

Deinde *probatio Antecedentis* etiam hoc nomine inconsequens est: quia, præter pecuniam, alia quoque sunt *objecta* particularia, eaque distincta, quibus differunt *commutativa* & *distributiva*: ut supra vidimus.

§. 18. (2) *Et commutativa & distributiva refertur ad reipubl. bonum atque felicitatem. Ergo officio & fine non differunt.*

Anteced. prob. *Quia omnes virtutum actus referendi sunt ad commune bonum, ad quod etiam à justitia universali diriguntur.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia non eodem modo referuntur: Diversitatem ostendit *casus*: quia *destribuens justitia* ad dignitatem personæ, *commutans* ad æqualitatem rei ac juris refertur. Quod si vero tam æqualitas rei & juris, quam dignitas personæ ad commune bonum Reipubl. refertur, cur *distributiva* potius, quam *commutativa*, ad commune bonum referri dicitur? Diversitas igitur hæc potius arridet: quod *distributiva* immediatius ad commune bonum, quam *commutativa*, referatur. Civitatis actiones justæ publicæ erga subditos proxime tendunt ad conservationem Reipublicæ: Actiones vero privatæ privatorum erga se invicem proxime tendunt ad conservationem privatorum & inde ad conservationem Reipubl. quasi reflectuntur: quia Reipubl. salutem promovet salus subditorum & privatorum.

Interim *Gregorio de Valentia* & *Molinæ* differentia potior videtur in *ratione debiti*. *Justitia distributiva* respicit illud debitum quo aliquid ea ratione alicui debetur, quod pars sit communitatis, bonaque Reipubl. si in ea redundent & dividenda sint, partibus Reipublicæ debeantur. *Justitia* vero *commutativa* respicit quodcunque aliud debitum, quod quovis alio titulo cuique debetur.

Quæritur (4) *An distributio præmiorum & pœnarum instituenda sit secundum proportionem geometricam?*

Resp.

Resp. *Affirmativa* defenditur in plerisque scholis modernis Ethicis, quam ex professo quoque defendunt in Ethicis *Conimbricenses*, disp. 9. q. 1. art. 2. *Golius, Magirus, Sebast. Foxius*, &c.

Ratio est, (1) quia in distributione pœnarum & præmiorum attendenda sunt merita personarum, quæ quasi mensura sunt præmiorum & pœnarum, & è variis æstimantur circumstantiis, secundum proportionem rationis. Hoc vero in proportione *Arithmetica* & *commutatione rerum* non attenditur. Ubi res tantum cum rebus absolute conferuntur, nulla personarum habita ratione. Unde ad *commutationem* nihil interest, sive cum probo, sive cum improbo fiat *commutatio*, sive cum Principe, sive cum subdito.

(2) Si in distributione præmiorum & pœnarum nullus esset attendendus personarum respectus, sed res solæ simpliciter & absolute essent attendendæ, secundum *proportionem arithmeticam*, pari afficiendus esset pœna, qui privatum & Magistratum contumelia affecisset, qui patrem & qui servum occidisset, qui alienam uxorem & qui ancillam violasset, qui cum homine & qui cum bruto rem habuisset, &c. Atqui falsum consequens, teste experientia & legibus, quæ pro ratione personarum delinquentium & earum, in quas delinquitur, mitigant vel exasperant pœnas.

§. 21. Pro *contraria sententia* objicitur.

(1) *Qui respicit in judicando personas & non res tantum, is est προσωπολήπτης: Atqui justus judex non est προσωπολήπτης? Ergo justus judex in judicando & distribuendo non respicit personas.*

Propositio manifesta est: *quia προσωπολήπτης significat personarum acceptatorem, seu respectatorem.*

Assumptio probat. Quia *προσωποληψία est species injustitia. Unde Paulus* ait, Rom. 2. *apud Deum non esse προσωποληψίαν.*

Resp. *Propositio* simpliciter vera non est: *probatio* inconsequens est: quia non tam *vis nativa*, quam *usus* vocis attendi debet, secundum tritum illud: *verba valent usu sicut numi.* Usu autem recepto προσωπολήπτης dicitur non quivis, qui personarum habet respectum: sed qui certas personæ qualitates respicit ad rem præsentem, de qua in judicio agitur, non pertinentes, & secundum eas sententiam legi contrariam pronunciat, veluti cum mitiorem judex sententiam fert in homicidam, vel adulterum, propter cognitionem, affinitatem, aut alia privata merita. Hujusmodi personarum respectus alienus est à *justitia distributiva*. De persona-

personarum acceptione, vide *Amesium* de conscientia lib. 5. cap. 5.

§. 22. (2) *Per justitiam distributivam præmia quoque distribuuntur sine respectu personarum, sola meritorum, quæ proxime præmium attingunt, habita ratione. Ergo distributiva Justitia non semper exercet suos actus secundum geometricam proportionem.*

Antecedens prob. *Quia præmia, quæ jure possunt exigi pro servitio impenso, non admittunt respectum personarum, sed tantum considerationem servitii impensi ejusque cum præmio, seu mercede, collationem. Unde pro eodem labore idem dandum est præmium, sive probus, sive improbus, sive nobilis, sive ignobilis, &c. sit, qui laborem impendit.*

Resp. Clariss. *Amesius* negat *antecedens*: *Probationem* arguit inconsequentiæ: quia præmiorum, quę jure possunt exigi pro impenso servitio, & ex pacto debentur, tanquam pro merito condigno, distributio & collatio non pertinet ad *distributivam*, sed ad *commutativam justitiam*: quia attenditur æqualitas ejus, quod quis accipit, ad id, quod impendit.

§. 23. (3) *Pœnæ distribuuntur plerunque sine respectu personarum, solarum habita ratione injuriarum, ut paribus plectantur suppliciis. Unde & leges paribus culpis pares dictant pœnas absque respectu personarum. Ergo justitia distributiva non exercetur semper secundum proportionem Geometricam, sed & sæpe secundum Arithmeticam, æqualitate constituta inter pœnam & culpam.*

Resp. Negatur *consequentia*: rationem reddit *Amesius*: quia pœnarum distributio non pertinet ad justitiam distributivam, sed ad commutativam: quod probat: quia semper respicit injuriam irrogatam; ut pari plectatur supplicio.

Omnem vero pœnarum distributionem ad justitiam referre commutativam, ita ut omnis fiat secundum proportionem arithmeticam, sine respectu personarum, nimis durum multis videtur. Videatur ratio secunda pro *affirmativa*. Interim aliquam saltem pœnarum distributionem esse potius *justitiæ commutativæ*, quam *distributivæ*, negari non potest: quia fit secundum proportionem arithmeticam, sine respectu personarum, per æqualitatem pœnæ & culpæ in se consideratæ.

§. 24. Probe hoc ponderandum iis, qui prœmia & pœnas omnes ad solam pertinere *justitiam distributivam* docent, & in hac non nisi proportionem geometricam observari volunt. Unde patet *affirmativam* sine limitatione vix posse defendi: quia

ejusdem rationis præmia non sunt, ut supra quoque ἐκθ. secunda monuimus. In pœnis decernendis & infligendis in universum proportionem non *geometricam*, sed *arithmeticam*, non obstante personarum respectu, qui interdum concurrit, attendi debere, multorum quoque est sententia, quam & *Amesio* arridere modo ostendimus. Ubi præcipua difficultas est circa personarum respectum cum *proportione arithmetica* & *justitia commutativa* conciliandum. Culpas enim ratione personarum, contra quas delinquitur, modo leviores, modo graviores æstimari, & inde pœnas mitigari vel exasperari, extra controversiam est: qua de re sequenti quęstione dispiciemus.

Quæritur (5) *An vindicatio, seu ultio, qua delicta pro meritis corriguntur, quoad rem ipsam in judice, sit actus justitiæ distributivæ?*

Resp. *Affirmativam* amplectuntur *Peripateticorum* scholæ Ethicæ: quia pœnæ & pręmia, secundum receptissimam sententiam, objecta sunt *justitiæ distributivæ:* Atqui vindicatio & ultio est pœnæ inflictio.

§. 26. Interim *negativam* propugnat D. *Amesius* sequentibus argumentis.

(1) Quia in ea æqualitas spectatur inter culpam & pœnam.

(2) Quia redditur quod debetur, ex merito præcedente.

(3) Quia Respubl. recuperat suum honorem, quantum fieri potest; ex restitutionis paritate.

(4) Quia vindicta reddit partem læsam, cui injuria fuit illata, quantum fieri potest aliis civibus, quoad immunitatem, æqualem.

§. 27. Hisce rationibus concludit *Amesius, ultionem esse actum Justitiæ commutativæ, non distributivæ*: Quod consentaneum est iis, quæ quæstione præcedente ad objectionem tertiam sunt dicta. *Amesio* assentitur *Hornejus*, Eth. lib 3. cap. 13. qui pro se pugnantem laudat *Aristotelem* & veteres Ethicos omnes num. 9. inter quos *Averroes*, *Thomas*, *Cajetanus*, *&c.* Imo addit, apud omnes veteres Philosophos inauditum esse, *correctionem ullius debiti ad justitiam distributivam spectare*, unde errorem contrarium, JC. potius, quam Philosophis condonandum judicat: Cum, non illorum, sed horum sit quæstionem hanc decidere: etiamsi jure cautum est, ut in pœnis irrogandis discrimen personarum attendatur, aliterque plectatur servus, aliter homo liber, neque eodem modo famosus, & qui famæ est integræ.

§. 28. *Wesenbecius* ait, à legibus quidem constitui pœnas *arithmetica proportione*, ita ut lege talionis pœna commensuretur delicto

delicto: à justitia vero & magistratu leges exequente rem ad *geometricam proportionem* reduci: Quod admodum incogitanter à docto viro assertum judicat Cl. *Hornejus*: Idque non sine causa: Quia vera & justa legis justæ executio nulla potest esse, nisi cum id fit, quod fieri lex jubet, & plane eo modo, quo jubet. Injuste igitur *geometrica proportione* plectetur, quod *arithmetica* plecti lex jubet: Siquidem contraria legi est executio: Injuste personarum respectus attenditur, quem non attendit lex: & inauditum, alius justitiæ actum esse præceptum de re facienda, alius actionem juxta præceptum conformatam. Interim non tam est incauta & iniqua lex, ut nullas attendat circumstantias, sciens ne quis, an inscius, ex malitia, an ebrietate, &c. facinus perpetrarit.

§. 29. Neque vero pœnæ sunt aliquid, quod sub *distributionem* cadat. Quod enim distribuitur id commune & communitatis est inter membra distribuendum, ut pecunia publica, agri ab hostibus capti, dignitates à republ. conferendæ, onera civibus imponenda, &c. Hujusmodi vero res non sunt pœnæ. Non enim supplicia inter cives ita dividenda sunt, veluti pecunia publica è thesauro reipubl. producta, ut singuli cives, pro ratione loci, quem in republ. tenent, partem aliquam auferant: neque quisquam ideo punitur, quia civis est, uti partem pecuniæ publicæ ideo accipit, quia civis est: alias omnes & singuli cives essent puniendi, & ideo quidem, quia cives. Ita civem esse, res esset plena periculi: plura videantur apud eundem n. 15.

§. 30. Nec juste pœnas irrogari posse *geometrica proportione*, idem ex *Soto* & aliis probat, n. 14.15. ex collatione eorum, quæ ad proportionem geometricam & arithmeticam pertinent, & observari in republ. solent. Si proportione geometrica irrogandæ essent pœnæ, pro eodem delicto nobilis & liber acrius, ignobilis & servus mitius esset puniendus: Quia, non obstante meritorum paritate, per *justitiam distributivam* plus accipit nobilis, quam ignobilis, plus liber quam servus &c. Atqui absurdum illud. Sic justa æstimatur distributio, etiamsi unusquisque tantum non consequitur, quantum meretur: Sed quantum ex summa distribuenda, quæ in promtu est, quisque suo loco percipere potuit. Ita vero pœnarum irrogatio institui nec potest nec debet: semper pro meritis irrogandæ sunt pœnæ. *Quomodo vero attendi in pœnis irrogandis persona possint, ut tamen proportio maneat arithmetica & locum habeat justitia commutativa*, porro jam explicandum restat.

§. 31. Certum est, culpas pœnasque leviores & graviores æsti-

mari ex respectu personarum læsarum & lædentium: gravius peccat & punitur, qui libidinem suam impuram & illicitam explet in alterius conjuge, quam in virgine vel vidua; qui conjugatus, quam qui cælebs, scortatur; qui patrem vel matrem, quam qui alium sanguine sibi non junctum occidit: Qui magistratum, quam qui privatum contumelia afficit &c. Ubi non attendendum, quæ interdum de reo sumatur pœna, sed quæ juste sumi possit & debeat: Quia non exemplis, sed legibus judicandum. Sic idem delictum in se consideratum quandoque gravius in uno, quam in altero, gravius in servo & ignobili, quam in libero & nobili, puniri videtur, salva tamen justitia: *Quod an fieri possit proportione arithmetica*, quæritur. Monent igitur, qui pœnas omnes secundum *proportionem arithmeticam* irrogari volunt. (1) *Duplicia in universum esse delicta, quarum alia ex proæresi, alia ex imbecillitate humana committuntur:* de illis negant quæstionem esse: quæ & gravius in nobili & eo, qui in dignitate est constitutus, puniri volunt: Quia graviora sunt, quam si eadem alius perpetrasset: Quod probantem vide *Hornejum* n. 16. reliqua igitur quæstio de his tantum. (2) *Aliud esse cum constat de προαιρέσει mala, aliud cum præsumitur tantum:* Ubi constat, nullam esse prærogativam nobilis & in dignitate constituti hominis: Ubi non constat, deberi prærogativam nobili: Quia potius hic ex imbecillitate præsumitur deliquisse, qui alias raro deliquit, quam alius de plebe, qui sæpius deliquit: Proæresin vero delicta plurimum aggravare. (3) *Pœnam, quæ qualitate una & eadem sæpe est, quantitate tamen differre, prout alia atque alia persona afficitur ea.* Ita servo, aut perdito nebuloni, mitior est pœna fustigari, quam capite plecti: ingenuo autem & vere nobili gravior. Hinc fieri, ut nobilis, cum pœna afficitur in speciem mitiori, æque tamen graviter puniatur atque alius, qui gravius puniri videtur: Quia etiam una circumstantia efficere potest ut una alias & eadem pœna duplo sit major, quando uni infligitur, atque est, cum alteri infligitur, veluti oculo privari longe gravior est pœna ei, qui unum duntaxat oculum habet, quam qui duos habet: Ille enim plane excæcatur, hic ex parte tantum.

§. 32. Hinc inferunt, *non violari proportionem arithmeticam, quando mitius interdum puniuntur viri nobiles & in dignitate constituti, quam alii ignobiles & de vulgi fæce:* Quia supponitur heic delictorum imparitas, quam gignunt imbecillitas & proæresis, & major præsumtio imbecillitatis in nobili, quam in alio, qui alias magnopere peccata non cavit. Atqui ut delicta, omnibus probe ponderatis circumstantiis, paria paribus sunt vindicanda

dicanda pœnis, sic etiam imparia imparibus, idque secundum *proportionem arithmeticam*, & *justitiam commutativam*.

§. 33. *Atqui*, inquis, *justitia commutativa personas non respicit*. Respondent, dignitatem personæ plane per accidens heic respici, quæ per se in *distributiva* respicitur: In qua præmia meritis non æquantur, sed personis: In *commutativa* vero pœnæ delictis semper æquari debent: cui non obstat, quod personarum respectus ut delicta, sic & pœnas aggravet & elevet. Hinc *Thomas*. 2. 2. q. 61. art. 2. ad ult. *Conditio personæ in justitia distributiva attenditur secundum se, in commutativa secundum quod in hoc diversificatur res*. Rectæ rationi hæc consentanea judicamus.

§. 34. Quæritur (6) *An vindicta privata sit injusta?*

Resp. *Affirmativa* defenditur sequentibus argumentis.

(1) Quia maleficium vindicare pertinet ad eum, qui potestate est superior. Atqui privatus, qua talis, privato potestate non est superior.

(2) Quia vindicta est actus judicii; quem usurpare & exercere juste non potest, qui idoneus judex non est: Atqui nemo privatus judex est idoneus in causa propria.

(3) Quia privatus non potest per se ad proprios vindictæ fines pertingere, sunt enim *fines vindictæ justæ* tres, ut eum, qui punitur, emendet: ut punitione unius alios meliores reddat: ut parti læsæ & aliis deinceps securitatem præstet: Quorum nihil privata vindicta assequitur: Sed potius contraria omnia: Cum adversarium magis magisque irritet, aliis exemplum scandali plenum præbeat, tandemque sibi & aliis vexationem accersat.

(4) Quia vindicta est propria DEI, Deut. 32. v. 35. Rom. 1. v. 19. Heb. 10. v. 30. Non potest igitur juste exerceri, nisi ab iis quibus commissa à DEO est: *Quorum ultio est Dei ultio*. Num. 31. v. 2. Atqui privato non est commissa à DEO.

Objicitur.

§. 35. (1) *Defensio sui est juris naturalis: Atqui vindicta privata est defensio sui: Ergo vindicta privata est juris naturalis adeoque injusta non est*.

Resp. *Propositio* simpliciter, absolute & universaliter non conceditur. Non quævis defensio sui est juris naturalis, respectu cujuscunque animalis. Etiamsi enim jus naturale omnia concernit animalia, tamen certas admittit limitationes, respectu animalium rationalium, hoc est hominum: quibus per jus naturale non omnia sunt concessa eo modo quo brutis, seu animalibus irrationalibus. Unde jus naturale, respectu hominum, per

legem, seu jus morale, limitatur. Sic, *exempli gratia*, conjunctio maris & fœminæ est juris naturalis, quæ tam brutis quam hominibus est concessa, alia tamen cautione hominibus, quam brutis. Quia in brutis non attenditur ratio sanguinis proximi certique ordinis, quæ in hominibus per legem Dei attenditur. Unde non quævis conjunctio hominis masculi cum fœmina est juris naturalis, sed ea, quæ cum lege Dei scripta consentit, vel certe in lege scripta non prohibetur. Idem judicandum de defensione sui, quam cum brutis quidem homo communem habet, attamen divina lege scripta limitatam: unde servandus in ea ordo, ad quem servandum non sunt obligata bruta.

Sic & vindicta privata in quæstione intelligitur, non quam exercet quicunque privatus, sed quam privatus sine jussu aut permissu superioris, vel Magistratus, exercet. Unde nec *assumtio* simpliciter & absolute vera est.

§. 36. (2) Vim vi repellere licet: Ergo vindicta privata est licita.

Ratio conseq. *Quia per vindictam privatam vis vi repellitur.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est. Vim vi repellere licet cum *moderamine inculpatæ tutelæ*, in casu ultimæ & indeclinabilis necessitatis non semper & quocunque modo. Unde nec *consequentia* est bona. Quia vis vi repelli potest etiam sine vindicta privata in specie sic dicta: ut ante ostendimus.

§. 37. (3) Rem suam vi vel furto ablatam ab iniquo possessore licet repetere & per vim quoque invito extorquere: Ergo vindictam privatam licet exercere.

Resp. Negatur *consequentia:* Quia rem suam ab iniquo possessore repetere & invito per vim quoque extorquere non est actus vindictæ privatæ, sed justitiæ ad se ipsum relatæ. Justus enim & alteri & sibi suum tribuit.

§. 38. Et hæc quidem, secundum receptam sententiam. Interim si *vindicta privata* ea sit appellanda, quæ exercetur à privato, simpliciter negari haud potest, justam esse privatam aliquam vindictam, nempe quam leges permittunt publicæ: Ut constat de defensione sui, quando vis vi repellitur à privato cum *moderamine inculpatæ tutelæ:* & repetitione rei suæ per vim injusto possessori extortæ. Nisi forte negandum putes, vindictam dici privatam debere, quam publicæ permittunt leges: quia tum privatus magistratui suam quasi manum commodat: ut in aliis fieri solet vindictis publicis, quas per ministros exercet magistratus. Ita vero vindicta privata non erit, nisi quæ à privato contra leges exercetur; de cujus iniquitate nemo sanæ mentis dubitare potest.

§. 39. Vin-

§. 39. Vindictæ privatæ cupidus, vindictam Deo præripiens, *Domine*, videtur exclamare, *gladium mihi cede, tu nimis bonus, nimis tardus in puniendo es, ego istum & istum sic feriam, ut se feriri sentiat*: Non obstantibus gravissimis illis interdictis, *Mea est ultio & retributio*, Deut. 32. v. 35. *Ne ulciscitor, neque iram asservato in populares tuos*, Levit. 19. v. 18. *Ne dicas, rependam malum: Exspecta Jehovam & servabit te*: Prov. 20. v. 22. *Ne dicito, quemadmodum fecit mihi, ita faciam ei, reddam isti viro secundum opus ipsius*, Prov. 24. v. 29 *Videte ne quis malum pro malo cuipiam reddat, sed beneficentiam semper sectamini, tum inter vos mutuo, tum erga omnes*. 1. Thessal. 5. v. 15. &c. Siracides cap. 28. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. gravissimis rationibus à vindicta privata dehortatur. (1.) Quia vindictæ cupidus vindictam incurret. (2.) Quia, qui læsit nos, amicus, socius & proximus noster est, naturæ lege nobis conjunctissimus. (3.) Quia qui te offendit, non Deus, non Angelus est, sed homo, æque atque tu innumeris erroribus obnoxius. (4.) Quia & tu sæpe alios offendisti, & ignosci tibi cupis. (5.) Quia qui noxam intulit, carne constat fragili ad noxas pronissima. Quid ergo caro in carnem sævit? (6) Quia pro homine vindictæ cupido nemo intercedit. Adversum se ipsum precatur, quando petit remitti sibi peccata, sicut & ipse remittit aliis. Ipse potius invertit precationem: *Domine*, inquit, *secundum peccata mea ne facias mihi, neque secundum iniquitates meas retribuas mihi: sed ego, Domine, huic nebuloni, secundum merita illius faciam, secundum offensas illi retribuam: dignus est vindicta*.

Sed multa sunt, quibus tueri se vindictæ cupiditas solitat.

§. 40. (1) *Indignius me tractavit, quam ut oblivisci, aut veniam impertiri possim*: Er hat mirs gar zu grob gemacht.

Resp. Quam vero improbe & indigne tu Deum sæpe tractas, quam majestatem ejus graviter lædis, præcepta negligis &c. Et tibi spem veniæ præcidi cupis.

§. 41. (2) *Habenda est honoris ratio, officio fungor publico: omnino igitur vindicandus contemtus.*

Resp. Atqui prophetæ quoque & Apostoli officiis functi sunt publicis,& maximis: fuerunt enim legati Dei. Nihilominus tamen capitalissimis hostibus culpam condonarunt & veniam dederunt.

Atqui vindiciis, inquis, *& tuitione interdum est opus, propter officium & statum.*

Resp. Sed non privatis, innoxiis & certa lege strictis vindiciis.

§. 42. (3) *Nullam nebuloni ansam dedi, ut tam hostiliter me laceraret.*

Resp. Si ansam dedisses, de injuria conqueri non posses, & condonandi occasionem non haberes.

§. 43. (4) *Non leviculum est quod nequam in me molitus est.*

Resp. Si levior fuit injuria, levius erit præmium condonatæ: Si gravior, præmium quoque erit majus. Solent injuriæ, veluti numi, in latissimas deduci bracteas.

§. 44. (5) *Sum nobilis & magnæ autoritatis.*

Resp. Hostium tuorum animæ tua non sunt deteriores: corporibus pares estis: lutum estis: *Si vindicta te vincat libido*, inquit *Tertullianus, non generosus, non nobilis, sed peccati servus es.*

§. 45. (6) *Quamvis me non ulciscar, tamen, ut me ulcisci nolim, non possum.*

Resp. Omnino potes, si adnitaris. Potuerunt alii, possunt alii: quidni & tu: nisi forsan libidinis tuæ imbelle mancipium esse velis. Vindictæ ignem, qui in te ardere incipit, extingue prius, quam inextinguibilis accedat gehennæ ignis.

§. 46. (7) *Ut maxime injuriam condonem, tamen oblivisci non possum.*

Resp. Stulta est fraus & merus clementiæ fucus, nolle aliquid ulcisci, & tamen non velle oblivisci. Ulciscitur, qui non obliviscitur; alit enim odium & iram, vindictæque captat occasionem: *ex corde* condonandum: quod non facit, qui injuriæ non obliviscitur. In sacris literis synonima sunt, peccatorum non meminisse, seu oblivisci, & nolle ulcisci.

§. 47. Quæritur (7) *An convitium retorquere in convitiatorem liceat?*

Resp. Pro affirmativa stant veteres nonnulli. *Bonum ingenium*, inquit *Sallustius, contumelia accenditur. Et Cicero*, 3. in Verrem. *Habet quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri boni difficillime possunt.* Et *Cestius Pius* apud Senecam: *Non potest generosus animus contumeliam pati. Plutarchus* de præcept. Reipubl. gerend. *Quia plerique*, inquit, *in hoc negotio continere se non possunt, sæpenumero non inutiliter maledicentium ora responsis obturantur: Esto responsio brevis neque iram præ se aut stomachum ferat, sed mansuetudinem cum joco & gratia tamen utrumque mordentem.*

Titus Vespasianus apud *Suetonium*, in vita ejus cap. 9. de jurgio quodam senatoris equitisque Romani ita pronunciat: *Non oportere maledici senatoribus, re maledici civile fasque esse.*

Plautus in Asinar. *Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?*

Idem in Pseudol. *Contumeliam si dices, audies:* cui affine illud Ce-

lud *Celsi* apud *Gell.* lib. 7. cap. 17. *Audibis male, si male dicis mihi.*

Sic in Anthol. græc. lib. 1. c. 35. epigr. 2. *ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖον κ' ἐπακούσαις.* Stat quoque praxis philosophorum & Politicorum cum veterum tum recentium: Unde retorsiones hujusmodi facetæ & ingeniosæ occurrunt multæ.

Diogenes à Calvo quodam convitiis petitus respondit. *Tibi contumeliam non dico, sed capillos tuos laudo, quod malam effugerint calvam.*

Idem objicienti quod falsam olim monetam signasset: *Fateor* inquit, *fuisse tempus, quo talis eram, qualis tu nunc es: qualis autem ego nunc sum, tu profecto futurus es nunquam.*

Chrysippus multis ab improbo quodam convitiis lacessitus: *Optime*, inquit, *fecisti, quod nihil eorum quæ in te sunt, tacueris.* Ita falsam potionem propinanti ex eodem rursus propinavit poculo.

Anacharsis Attico cuidam exprobranti, quod in Scythia natus esset: *Mihi*, ait, *probro est patria, tu patriæ. Levis plaga*, addit alius, *sed grande vulnus.*

Q. *Optimius* vir consularis adolescens non adeo bene audiit. Cum igitur *Ægilio* homini festivo, sed qui mollior fractiorque videbatur, fœmineos mores exprobraret. *Quid tu Ægilia mea*, inquiens, *quandq ad me venies cum tua lana & colu?* Lepide hoc retorsit *Ægilius*: *Non pol, audeo: quia ad famosas accedere mater vetuit.*

Catulus oratori *Philippo* dicenti: *Quid latras, catule?* prompte respondit. *Quia furem video.*

Lucius Crassus censor, *Cn. Domitio* collegæ per convitium exprobravit, quod murenam in vivario mortuam lacrymis prosecutus fuisset. *At tu*, regessit Domitius, *cum uxores tres extuleris, nullam emisisti lacrymam.*

Priscæ nobilitatis quidam non tam censu, quam avorum imaginibus, opulentus, cætera vir magnus, ad nuptiarum suarum solemnia inter alios nobiles viros amplissimæ virum familiæ prædivitem invitaverat, & nonnihil protervus, familiæque vetustate, ut fieri solet, turgidus, ut convivam minus priscæ & mercimoniis contaminatæ nobilitatis sugillaret, *olfacio*, inquit, *saccum piperis*: cui alter fœnum in cornu gerens & dicti proterviam dexterrime retundens, *Et ego*, inquit, *olfacio saccum mendicitatis.*

§. 48. Justa hæc videtur convitiantis linguæ passio, quando in caput convitiantis dicta recidunt: quamvis non æque justa sit

 retor-

retorquentis actio, idque de sententia *Scripturæ-Theologorum* & *Philosophorum.*

Apud *Matthæum*, cap. 5. v. 22. gravissima est *Christi* prohibitio & criminatio. *Ego dico vobis, quicunque irascitur fratri suo temere, tenebitur judicio. Quicunque vero dixerit fratri suo Raca, tenebitur consessu: Quisquis autem dixerit*, fatue, *tenebitur gehenna ignis.*

Gregorius Nyssenus. orat. 4. contra Eunom. Dedecus est, inquit, viro prudenti, non sane convitiantem audire, sed ad ea, quæ dicuntur, convitia retorquere.

Petrus Alexandrinus, apud Theodoret. lib. 4. histor. Eccl. cap. 20. *convitium, qualecunque sit illud, est tolerabile, præsertim his, in quorum animis Christi prudentia & doctrina habitat.*

Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 7. *Satius est tacere, quam contradicere peccatum peccato addendo. Passus es malum,* inquit Augustinus, *ignosce; ne duo mali sitis.*

Isidor. lib. 2. epist. 297. *Non quid illum audire, sed quid te loqui deceat, cum animo tuo reputare debes.*

Rationem quoque reddit *Ambrosius* lib. 1. off. cap. 5. *Qui injuriam facit, nos similes sui facere desiderat: Quod si taceas, si dissimiles, solet dicere quid taces? loquere, si audes. Sed non audes, mutus es, elinguem te feci Si ergo taceas, plus rumpitur: Victum se reputat, irrisum posthabitum atque illusum. Si respondeas superiorem se factum arbitratur, quia parem invenit.*

Tertullianus de patientia, cap. 8. *Omnis injuria seu lingua seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissima duritia vibratum & obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuosa, & nonnunquam repercussum in eum, qui emisit, reciproco impetu saviet. Nempe idcirco quis te lædit, ut doleas: Quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus evertis non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.* ὁ τὸ ἀλοιδόρητον ὀνειδίζων παραμυθίαν εὑρεῖν τοῦ πάθους οὐ δύναται: Basil. homil. κατ᾽ ὀργιζομένων, vide & *Chrysost.* homil. 21. in Epist. ad Rom.

Annuunt Philosophi: *Uterque* (Epicurus & Seneca) *hortatur contemnere & injurias & quas injuriarum umbras ac suspiciones dixerim contumelias: Ad quas despiciendas non sapiente opus est viro, sed tantum conspiciente, qui sibi possit dicere.* Utrum merito mihi ista accidunt, an immerito? *Si merito, non est contumelia, judicium est: Si immerito, illi qui injusta facit, erubescendum est.* Seneca, de constant. cap. 16.

Idem c. 17. *Genus ultionis est, eripere ei, qui fecit, contumeliæ volupta-*

voluptatem. Solent dicere, miserum me, puto, non intellexit. *Adeo fructus contumeliæ in sensu & indignatione patientis est.*

Idem præcipit Epictetus, Enchirid. c. 27. vide Commentatorem *Arrianum*, lib. 1. cap. 25. & *Simplicium* Interpretem, in cap. 65. Ubi egregie monet etiam fructum aliquem ex conviciis capiendum. *Nam aut verum est convitium, aut falsum. Si verum, quid ringimur & sævimus? Malum aliquod nostrum rejectum est; nobis fortaße ignotum. Si falsum est convitium, nihilominus ferendum est, cum nihil nobis noceat, si nolimus nocere.*

§. 49. Exempla patientiæ & mansuetudinis hujus inter gentiles quoque sunt frequentia: Unum duntaxat & alterum attigisse sufficiat. *Demosthenes* conviciis lacessitus, *Committor*, inquit, *in certamen, in quo qui superior evaserit, inferior est, & qui vicerit, victus est. Aristippus* à quodam contumelia affectus secessit nonnihil: maledico autem persequente & dicente? *Fugis improbe? Etiam*, inquit, *fugio. Nam tu potestatem habes maledicendi, ego vero non audiendi. Lysander* cuidam peregrino convitia in ipsum jacienti dixit: *Crebro ista dicito, dicito absq; intermissione, si fortassis animi tui mala, quibus plenus videris esse possis egerere.* Plutarch. *Diogenes* dicentibus, *Hi te rident*: respondit: *Ego vero non rideor.*

§. 50. Quæritur (8) *An juste in eos exerceri vindicta possit, qui à culpa sunt immunes?*

Resp. Negatur: *Ratio* est: Quia natura sua vindicta est pœna. Atqui pœna justa in ratione sua formali respectum includit ad culpam præcedentem, tanquam causam meritoriam: Ubi igitur culpa est nulla, ibi justa quoque pœna locum non habet.

§. 51. Excipitur.

(1) *Possunt externa quædam commoda subduci quandoq; nulla præcedente singulari culpa. Ergo puniri possunt, qui à culpa sunt immunes.*

Antecedens prob. Quia exempli gratia, *leprosus juste amovetur à publica administratione & privata hominum conversatione: quamvis culpa ejus non interveniat: non enim lepra est culpa.*

Resp. *Negatur* conseq. Quia subductio illa commodorum externorum, quando culpa non intervenit, ut leprosi exemplum docet, proprie non est vindicta vel pœna: Sed medicina necessaria vel ad præservandum à malo futuro, vel ad conservandum in bono præsenti. Ita --- *Immedicabile vulnus*

Ense recidendum est ne pars sincera trahatur.

Ne latius grassetur incendium, etiam proximi innocentis domus diruitur.

§. 52. (2) *Filij quandoq; calamitatem juste patiuntur ex culpa*

non

non propria sua, sed parentum: Quando nempe parentes ob delicta facultatibus & omnibus exuuntur & sic innocentes filii ad paupertatem rediguntur. Ergo juste exerceri vindicta potest in eos, qui à culpa sunt immunes.

Resp. Negatur *consequentia*, si in *consequente* vindicta intelligatur directa & per se. Cum enim ad paupertatem rediguntur filii innocentes, propter parentum facultatibus suis juste exutorum delicta, redundat ad eos pœna per indirectam & quasi per accidens: quia facultatum illarum ipsi nondum erant domini, sed parentes, quibus eripi non potuerunt absque futura filiorum paupertate: Veluti morte quoque multari non possunt parentes, quin liberi fiant orbi & miseriores. Unde patet, quæ & qualis in quæstione intelligi debeat vindicta innocentium.

Alii respondent: Quod filii quandoque calamitatem juste patiuntur ex culpa, quæ parentum est propria, hoc inde esse, quod filii politice considerati sint quasi membra suorum parentum & sic à parentibus dependeant, ut non possint parentes puniri sine damnis liberorum: Quo respectu in liberos non damna tantum, sed & culpæ à parentibus redundabunt: adeoque non patientur simpliciter innocentes. Totius culpa membrorum quoque est: Uti & membri culpa in totum quandoque derivatur.

Interim non quamvis pœnam cum parentibus communem habent liberi innocentes: Non enim morte multatis parentibus, innocentes quoque liberi multantur morte: Uti nec propter parentum infamiam quamcunque, illico redduntur infames. Quæ igitur, ante parentum culpam pœnamque, propria liberorum fuerunt actuque ab iis possessa, iis per sequentem parentum culpam & pœnam juste privari non possunt, si à culpa immunes fuerunt. Quæ vero in parentum adhuc sunt potestate, ad liberos aliquando transitura, si retineant ea parentes, non possunt transire, si amittant: Unde hoc respectu parentum damna & pœnas tandem sentiunt liberi innocentes, idque parentum culpa. Neque habent de quò juste heic conqueri adversus judices possint liberi: Quia justa passi sunt parentes: Qui & se & liberos vitæ subsidiis privarunt. Ita quoque accipienda lex divina: *Filius non portabit iniquitatem patris*: Ezech. 18. v 20. De hoc argumento differentem vide *Rivetum*, Expl. Decal. pag. 101. 102. &c.

§. 55. (3) *Subditi innocentes quandoque juste luunt peccata suorum principum aut regum: Ergo vindicta juste potest exerceri, etiam in eos qui à culpa sunt immunes.*

Antecedens prob. *Exemplo Israelitarum, è quibus* L X X. *M. tridui spacio peste sunt extincta propter peccatum Davidis, qui*

qui populum numeravit. 2. Samuel. 24. v. 13. 15. *Ubi ipse rex testimonium innocentiæ perhibuit extinctis*, v. 17. *Ego peccavi, &c. hæ autem hæ oves quid fecerunt?*

Resp. *Antecedens* negatur. Ipse Jehova contradicit Ezech. 18. v. 4. *Anima quæ peccat ipsa morietur. Cum quis erit justus exercebitque jus & justitiam &c. omnino vivet* v. 5. 9.

Probatio ex allegato loco inconsequens est. In conspectu Dei nemo hominum est innocens, Psal. 143 v 2. In omnibus igitur Israelitis, qui triduo illo ceciderunt, justam mortis causam invenit Deus. Innocentes vero *David* pronunciat, non simpliciter & absolute, sed certo duntaxat respectu: Quia speciali & singulari delicto plagæ isti extraordinariæ occasionem non ipsi, sed David præbuit: Ipse enim, non populus, numeravit Israelem. Peccatum igitur hoc singulare vindicavit Deus in populo & rege per populum peccatorem: Qui cecidit propter peccata propria, triduo autem isto, modoque isto, propter peccatum regis. Tempus modusque mortis in absoluto est Dei arbitrio.

Quando, regibus delirantibus, plectuntur Achivi, hoc est, pœnas Dominantium luunt subditi, plerunque aliquod subditorum intervenit peccatum. Putandum igitur id fieri propter aliqualem culpæ participationem, vel per *expressam consensionem*; vel per *dissimulationem*, vel per *intermissam redargutionem*. Nihil horum ubi ex parte subditorum occurrit, & tamen propter deliria regum principumque ad arma temere ruentium, suosque subditos expilantium aut hostium prædæ exponentium, subditi affliguntur, justa quidem illa est, respectu Dei, pœna: Quando coram ipso innocens est nemo: Sed injusta, respectu regum & principum delirantium & injusta bella moventium. De suo militent, injusta qui movent bella, sine subditorum consensu vel approbatione: non de subditorum bonis. Secus qui faciunt, & non minus in subditos suos innocentes hostiliter sæviunt, quam hostes exteri, justissimam Dei vindictam tandem sentiunt.

§. 56. (4) *Deus, pro jure suo absoluto hominem etiam peccati expertem æternis cruciatibus potest subjicere: Ergo juste vindicta exerceri potest contra innocentem.*

Antecedens à Theologis scholasticis asseritur. Unde Gregor. *Arim.* in 1. Sent. dist. 1. dub. 1. scribit, *Deum non futurum injustum, si pro arbitrio, absq; peccati interventu, B. Virginem addiceret æternis suppliciis.* & *Biel* in ead. q. *Si justus aliquis immerito esset condemnatus, gratias Deo ageret, quod esset objectum divinæ justitiæ. In hanc ire sententiam & Augustinus videtur in libr. de prædest. & grat. c. 16. Neq; alienus ab ea est Lutherus in servo arbitr.*

arbitr. Quomodo hoc justum sit, inquit, *ut immeritos damnet, (Deus) incomprehensibile est modo. Creditur tamen, donec revelabitur Filius Hominis.*

Resp. 1. Si *consequens* loquatur de vindicta hominum, vel quæ ab hominibus juste exerceri potest, negatur *consequentia.* Non enim quod Deo licet, illico homini quoque licet: plus Deo in hominem, quam homini in hominem licet.

2. *Antecedens* admodum temerarie asseritur extra scripturam, contra scripturam & rectam rationem. Nuspiam scriptura ait, externis cruciatibus hominem peccati expertem à Deo juste subjici posse. Imo contrarium ait, *nempe mortem esse peccati stipendium*, Rom. 6. v. 23. *Animam quæ peccavit, morituram.* Ezech. 18. v. 4. 20. *Eum, qui justus fuerit, jus ac justitiam exercuerit, omnino victurum.* v. 4. 9. *Absit tibi*, inquit ad Jehovam Abraham, *ut facias tale quippiam morti tradendo justum cum injusto, ut ita fiat justo sicut injusto! Absit tibi! An judex totius terræ non exerceret jus?* Genes. 18. v. 25. De absoluto Scholasticorum jure nihil novit Abraham.

Secundum rectam rationem, justa pœna non infligitur, nisi propter culpam. Justa pœna est actus *justitiæ vindicatricis*: hujus vero objectum est iniquitas.

Hic *Calvinus* de occulta providentia, pag. 735. ad art. 1. *Quod de absoluta potestate nugantur Scholastici; non solum repudio, sed etiam detestor: Quia justitiam ejus ab imperio separant.*

§. 57. Quæritur (9) *An judex semper ferre sententiam debeat, secundum allegata & probata?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur hoc sensu: *Quotiescunque sententiam fert judex, secundum allegata & probata ferre debet.* Rationes sunt. (1) Quia judex judicat ut persona publica & vice Reipubl. Non potest igitur censeri recte & ex officio sententiam ferre, nisi eandem sententiam etiam Respubl. censeri possit ferre & probare. Atqui Respubl. recte non posset procedere, nisi secundum scientiam publicam, quæ habetur ex allegatis & probatis. Igitur secundum hæc judicandum, aut à judicio abstinendum. (2) Si contra vel præter allegata sententiam ferre judex posset, maxima inde sequerentur incommoda. Iniqui enim judices possent absolvere nocentes, & damnare innocentes, sub prætextu privatæ scientiæ ab allegatis & probatis discrepantis: & sic omnia perverterentur judicia, omnisque defensio & accusatio enervari per judicis libidinem posset. (3) Quia alia ratione consuli Reipubl. tranquillitati non potest. Perpetuis agitari motibus & seditionibus Rempublicam necesse esset,

esset, si firmum innocentia præsidium in testibus nullum haberet, si de innocentia triumpharet iniquitas.

§. 58. Sed maximus heic oboritur scrupulus:

Si judex in sententiâ ferenda semper esset alligatus ad allegata & probata, posset utique & deberet capitis damnare eum, quem evidenter nosset innocentem esse. Atqui absurdum consequens: Ergo & antecedens.

Connexi ratio est: *Quia interdum allegata & probata sunt falsa, de quorum falsitate evidenter constat judici: etsi sufficientes omnibus aliis & toti Reipubl. videri possunt probationes.*

Resp. *Connexum* nego: *probatio* est inconsequens: Quia abstinere potest & debet judex à judicio & condemnatione judiciali & publica, si evidenter sciat falsa esse allegata & probata: neque à condemnatione tantum, sed & ab absolutione: hoc est, ab omni pronunciatione sententiæ: quamvis testimonium perhibere innocentiæ possit & debeat. Innocentem damnare & nocentem absolvere privatim vel publice, nemo tenetur. Mendax est & contra conscientiam peccat, quisquis pronunciat esse verum, quod falsum esse certo novit. Homicida est quisquis innocentem damnat ad mortem, si innocentem esse noverit, si falsis eum urgeri testibus noverit. Ad sententiam hanc iniquissimam & homicidialem cogi nemo potest: præstat mori innocentem, quam ad mortem damnare innocentem. Quæcunque tandem adhibeantur distinctiones & quærantur effugia.

§. 59. Ajunt nonnulli *distinguendum esse inter veritatem & conscientiam judicis publicam atq; privatam: illius tantum, non hujus habendam esse rationem in ferenda sententia.*

Resp. Nihil hoc ad rem facit. Quam enim appellant veritatem publicam, si aliter pronunciet & testetur, quam res est, non publica est veritas, sed calumnia publica, quam execrari, si sciat, judex tenetur, minime vero omnium propter eam damnare innocentem. Eadem est ratio conscientiæ publicæ cum privata pugnantis conscientia.

§. 60. Quæstionem hanc prolixe tractat *Hornejus* Eth. lib. 4. c. 4. n. 10. & seqq. ubi variis aliorum recitatis & ponderatis sententiis, tribus conclusionibus rem totam complectitur.

Prima. *Reus sufficienter convictus contra acta absolvi non potest, nec ad id judex obligatur, quamvis innocentem eum esse sciat.*

Secunda. *Judex inferior relinquat causam superiori, si fieri id utiliter & cum commodo Reipub. potest.*

Tertia. *Quoties judex cogitur judicare, non peccat, si secundum acta & probata judicet, cum id sit ejus officii: Nec ipso reo injuriam*

viam facit, sed vel ii, qui falsum testimonium deposuerunt, vel humanorum judiciorum conditio, quæ rectius institui nequeunt, imo injustissima futura sunt, nisi ex actis judicetur. num. 14.

§. 61. Resp. Primæ assertioni subscribimus, hoc tamen sensu & conditione. Quod judex non obligetur ad absolvendum vel condemnandum reum judicio publico sufficienter convictum, si innocentem eum esse evidenter noverit: tum enim à judicio plane abstinendum, ut supra diximus.

Secundam quoque probamus.

Tertiam improbamus eique contradicimus.

(1) Ad sententiam ferendam judex cogi non potest, si præcise nolit: Quia absolute cogi voluntas non potest: Est autem voluntatis pronunciatio sententiæ.

(2) Judex, si secundum acta & probata judicaret contra conscientiam suam, damnaretque innocentem, vel absolveret nocentem, graviter peccaret, ut ante ostendimus.

(3) Non est officium judicis, judicare secundum allegata, quæ novit esse falsa, & damnare innocentem, quem nocentem esse testes mentiuntur.

(4) Judex, qui contra conscientiam suam, secundum allegata falsa, damnat innocentem, injuriam ipsi facit maximam: quam & falsi testes faciunt.

(5) Recta humanorum judiciorum ratio hoc non requirit, ut judex innocentem contra conscientiam damnet, vel nocentem absolvat. Judicio abstinendum est, si sine læsione conscientiæ & perversione judicii non possit judicari.

§.63. Quæritur(10) *An lex talionis sit toleranda in Republica?*

Resp. *Lex talionis* appellatur Græcis ἀντιπεπονθὸς, per quam quis vicissim patitur, quod alteri fecit. *Pythagoricum* hoc appellari jus solet; quia *Pythagoras* id maxime ursisse dicitur: qui jus & justitiam aliud nihil nisi *talionem* esse voluit, idque autoritate *Rhadamanti*, *Æaci* & *Minois*, judicum infernalium probavit, quorum sententiam versiculus exprimit.

Εἴκε πάθοι, τά κ' ἔρξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο h. e.

Lex recta est, cum quis patitur, quæ fecerit ipse. vel:

Judicium, si quis, quæ fecit, perferat, æquum est.

§. 64. Huic *Pythagoricæ talioni* totis viribus se opponit *Aristoteles*, lib. 5. Eth. cap. 9. cujus argumenta sunt.

(1) *Ab exemplo.* Si quem Magistratus percusserit, huic vicissim magistratum percutere non licet. Si vero quis Magistratum percusserit, non tantum reseriendus, sed & summo supplicio erit afficiendus.

(2) *Ab*

(2) *Ab agendi circumstantiis.* Quia plurimum interest, utrum sponte nostra, vel inviti, utrum ignorantes vel præmeditati, utrum malitiosi, an incauti, aliquid faciamus. Ab hisce circumstantiis manat vis omnis justitiæ & æquitatis.

(3) *A consuetudine multarum civitatum;* quæ in media urbe *Gratiarum delubra* solebant excitare & consecrare: Quibus innuebant, omnia ad *Justitiam* cum gratia, ad *æqualitatem* cum favore, ad *sententiam* judicis cum prudentia & lenitate referenda esse. Vide *Cæl. Rhodig.* A. LL. lib. 23. cap. 17.

§. 65. Quis vero credat à sapientissimo *Pythagora* ejusmodi probatum *talionis jus*, quod omnem personarum & circumstantiarum respectum atque considerationem excluderet. Neque hoc persuaderi sibi *Camerarius* patitur.

§. 66. Longe ante *Pythagoram* jus talionis sancivit in lege sua Deus Levit. 24. v. 18. 19. 20. *Si quis intulerit corporis vitium proximo suo, quemadmodum fecit., sic fiat ei: fractura esto pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente: prout intulerit corporis vitium homini, ita infertor ei:* Quod repetitur Deut. 19. 21.

Et heic quis crediderit, legem hanc nullam admisisse personarum & circumstantiarum, quarum *Aristoteles* meminit, considerationem atque respectum? Atqui ipse Deus in lege sua distinxit inter *homicidia voluntaria* & *casualia*, quibus eandem pœnam non constituit, loca videantur, *Exod.* 21. *Num.* 35. *Josua*, 20. v. 3. 4. Sic & peccatis per ignorantiam commissis longe mitior est pœna, quam iis, quæ à scientibus & volentibus sunt perpetrata, Johan. 15. v. 22. Luc. 12. v. 47. 48.

§. 67. Cum igitur cum lege talionis non pugnet respectus & consideratio personarum aliarumque circumstantiarum, quæ culpam pœnamque minuere vel augere possunt, statuimus, eam in republ. non tantum esse tolerandam, sed & maxime observandam: cum hac tamen cautela, *ut privata vindicta exulare jubeatur, & res tota æquo atque prudenti judici permittatur.* Rationes sunt.

(1) Quia *talionis legem* ipse Deus in populi sui republ. sanxit tanquam justissimam: cujus abrogandæ causa justa non apparet.

(2) Quia in ea maxime urgetur justa pœnæ ad culpam proportio.

(3) Quia per eam à proposito proximum lædendi absterrentur improbi, unde *Isidor. Pelusiota.* epist. 86. *Quod lege cautum est ut oculus pro oculo excludatur, non est crudele neq; immane: Sed, siquidem is sensus, qui prima fronte apparet, accipiatur, justitia plenum est. Si vero interior sensus expendatur, etiam humanitate*

refertum est. Nam ut eum, qui alteri quid inique facere meditatur, compescat metu similis perpessionis, & ita improbitatem reprimat, ideo hoc jure merito sancivit.

(4) Quia eadem lex non *Christianis* tantum, sed & gentilibus usitata & probata fuit, ut à plurimis constat exemplis, quæ passim sunt obvia. Imo nec *Aristoteles* simpliciter damnat *talionis jus*, sed tantum pro *æqualitate arithmetica*, non pro *geometrica*, ut *Piccolomineo* videtur, Introduct. ad Grad. decem. c. 13. Fatetur enim *civitatem eo conservari maxime ut par pari referatur, ne, si minus contingat, servitus videatur.* Memorabile exemplum subministrat *Dubravius* in *Carolo* IV. Cum nobilis quidam *Zachora* sacerdotem utroque privasset oculo, quod erroris in religione eum accusasset, &, ad *Carolum* delata injuria, *Zachora* admissum facinus excusasset, quod animum in potestate non habuisset, & pro satisfactione pecuniam obtulisset, dicentem interpellavit *Carolus* & hanc sententiam tulit. *Non posse in hoc casu satisfactionem sibi absque talione constare, quando case in integrum restitui oculi nequeant. Sed oportere Zachoram pariter atque sacerdotem perdere oculos suos, neq; aliter jus esse æquabile*, lib. 22. hist. Bohem. p. 184.

Sic *Hercules Diomedem*, Thraciæ regem, qui hospites suos equis laniandos objiciebat, eodem supplicii genere sustulit.

Theseus latronem *Scyronem* qui hospites in mare dejecerat, eodem præcipitavit. *Plutarch.*

Vetranius Thurinus, qui fumum vendiderat, ab *Alexand. Severo* necatus est fumo. *Lamprid.*

§. 68. Objicitur in contrarium.

Christus in N. T. *talionis legem videtur expresse abrogasse.* Matth. 5. 38. *Audivistis dictum fuisse, oculum pro oculo & dentem pro dente. Ego vero dico vobis, ne resistatis malo. Similia Paulus præcepit.* Rom. 12. v. 17. *nemini malum pro malo vicissim reddentes*, & 1. Cor. 6. v. 7.

Resp. *Antecedens* simpliciter non datur. Vindicat Christus legem à corruptelis Pharisæorum, non abrogat plane. Non igitur prohibet quo minus paria paribus referat Magistratus. Sed ne in vindictam privatam quis erumpat, & vim vi temere repellat, quod Græca Phrasis notat: μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ, vide *Bezam* in notis. Jure apud Magistratum agere, & honestis justisque actionibus injuriam arcere, extra scandali majoris dati casum, cuivis est permissum: ut supra ostendimus: & sic etiam allegata *Pauli* testimonia sunt accipienda. Quod illa *Pauli* volunt. *Cur non potius injuriam patimini? cur non potius damnum accipitis?*

§. 69. Quæ-

§. 69. Quæritur (11) *An lex talionis locum quoque habeat in contractibus emtionis, venditionis* &c.

Resp. Qui *jus talionis à Pythagora ἁπλῶς* & simpliciter assertum opinantur, in emtionibus & venditionibus admittere id non possunt: quia ex indigentia nati sunt contractus isti. Emit quis calceos, quia calceos non habet: pro calceo igitur dare calceum non potest: vendit alter, quia pecuniam non habet: qui pro pecunia dare pecuniam non potest. Igitur *talionis jus* non nisi *κατ' ἀναλογίαν* in contractibus hisce locum habebit: ubi par pari referendum *κατ' ἀναλογίαν*, hoc est, *æqualitatem proportionalem* inter res, quæ materia sunt contractuum. Ita qui calceum non habet, emit calceum tanto pecuniæ precio, quantum est calcei pretium: illud igitur quando persolvit, par pari *κατ' ἀναλογίαν* retulisse dicitur, & hoc modo secundum *legem talionis* contraxisse. Hac cessante æqualitate, rempublicam collabi necesse est. Oculo per injuriam excluso æqualius pretium quia nullum est, præter oculum ejus, qui exclusit, ideo oculum pro oculo perdi lex divina vult. Inter oculum & pecuniam ea esse æqualitas non potest, quæ inter calceum & pecuniam.

§. 70. Quæritur (12) *An æqua sit lex talionis in testem falsum statuta*. Deut. 10. v. 16. 17. 18.

Resp. Lex illa est. *Si surrexerit testis injurius in aliquem, ad testificandum in eum apostasiam: Tum sistent se duo viri, quorum fuerit controversia ista, coram Jehova, ante sacerdotes aut judices, qui erunt in diebus illis. Cumque inquisiverint judices illi bene, si ecce testis falsus est testis ille, falsum testatus contra fratrem suum: omnino facietis ei, quemadmodum molitus fuerat facere fratri suo, ut tollas malum è medio tui, & qui reliqui sunt, audientes timeant, neque pergant deinceps facere simile quicquam huic rei mala in medio tui. Ne igitur parcito oculus tuus, vita pro vita, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede.*

§. 71. Testis falsus heic intelligitur, non qui ex ignorantia probabili vel inconsiderantia, aut errore falsum dixerit testimonium sed qui destinato consilio & malevolentia in aliquem surrexerit, falsoque ipsum opprimere testimonio voluerit. Quod gravissimum contra Deum & proximum est peccatum, tenditque in humanæ societatis eversionem, adeoq; merito vindicatur ea pœna quam proximo conflavit aut conflare voluit. Rationes sunt:

(1) Quia falsus hujusmodi testis innocentem sanguinem fudit, si non actu, saltem animo, & quantum in ipso. Atqui justum est, ut, qui hominis sanguinem effudit, per homines sanguis ejus fundatur. Gen. 9. 6.

 (2) Quia

(2) Quia proportionem pœnæ ad culpam lex ista observat.

(3) Quia ad humanæ Societatis conservationem tendit, ut à tali flagitio ex metu pœnæ alii absterreantur: Quem finem ipsa lex notat.

§. 72. *Atqui magistratus*, inquis, *non voluntatem, sed factum punit.*

Resp. In tali casu falsi testimonii, quem descripsimus, ex lege divina voluntas quoque pro facto habetur, quando de ea plane constat.

§. 73. Quæritur (13) *An pœnam lege divina capitalem magistratus recte possit facere non capitalem, & vel plane condonare, vel in mulctam pecuniariam mutare?*

Resp. Posse magistratum pœnam legibus tantum humanis capitalem condonare, vel in mulctam pecuniariam mutare, extra controversiam est, Qui enim potestatem habet legis ferendæ, idem & auferendæ habet: Qui pœnam pro autoritate constituit aut exasperat, idem & remittere aut mitigare potest, modo sine προσωποληψία id faciat.

§. 74. Quæ vero lege divina capitalis est, in eam nihil juris est Magistratui, nisi eæ sint facti circumstantiæ, ut probabile sit etiam divinos judices aliquam adhibituros fuisse moderationem. *Ratio* manifesta est. Quia magistratus est subditus Dei. Atqui subdito, sine consensu Domini, dispensare contra legem Domini nefas est Deinde in constitutione pœnarum non est dubium, quin exactissimam proportionem inter culpam & pœnam Deus observet. Unde abire ab ea, salva justitia, magistratus non potest.

§. 75. Hinc judica, lector, quid sentiendum sit de homicidiis & adulteriis, quæ lege Dei capitalia sunt, capitaliter per Magistratum non punitis, sed vel plane condonatis, vel exilio tantum aut pecuniaria pœna vindicatis. De *homicidii* pœna lex est. Num. 35. v. 31. *Ne accipitote redemtionis pretium pro ullo occisore, qui sons sit, dignus morte. Sed omnino morti traditor:* & Deut. 19. v. 11. *Ne parcito oculus tuus ei*, (homicidæ) *sed tolles reatum sanguinis innoxii ex Israele, ut bene sibi sit.*

De *adulterii* pœna lex est, Deut. 22. v. 22. *Si quis deprehendatur cubans cum muliere maritata, omnino morientur pariter ambo, vir, qui cubavit cum muliere, & mulier ipsa. Sic sustuleris malum è medio tui.* Aures heic arrigite, judices! Quot homicidia, quot adulteria hodie morte non vindicantur. In eos qui suspecti sunt adulterii, imo quos fama etiam accusat, quam frigide multis in locis inquiritur!

§. 76. Objicitur. *Atqui nec adulterium, nec homicidium Davidis*

Davidis capitaliter est punitum, sed condonata ipsi est mortis pœna, 2. Samuel. 12. v. 13. *Ergo dispensari contra legem divinam potest*.

Resp. *Consequens* si loquatur de dispensatione humana: negatur *Consequentia*. *David* ipse fuit Magistratus, qui superiorem non habuit nisi Deum, cui uni subjectus fuit: unde pœnam istam non homo, sed Deus condonavit: qui judiciorum suorum rationem reddere nulli tenetur. Interim culpam Patris morte filii vindicavit Deus, & sic in filio gravissime Patrem punivit. v. 14. 15. &c. pœnas etiam alias denuntiavit gravissimas, v. 10. 11. 12. Igitur impune non tulit *David* adulterium & homicidium: neque dubium est, quin morte acerbiores *Davidi* pœnæ illi acciderunt.

§. 77. Quæritur (14) *An pœnam divina lege non capitalem liceat humano Magistratui facere capitalem.*

Resp. Negant hoc cordati *Theologi*, JC. & *Ethici*. Ratio est. Quia proportio inter culpas & pœnas a Deo constituta est omnium exactissima, à qua sine injustitia abire homo non potest: cui in divinam quoque legem nihil est permissum, pertinet huc quæstio, *de furti pœna*, quæ hodie est ignominiosissima & capitalis, olim autem per legem Dei capitalis non erat. Vide *Ames.* in Th. Cas. lib. 5. cap. 52. q. 1. & *Rivet.* explic. decal. p. 363.

§. 78. Objicitur.

(1) *Crescentibus delictis, exasperandæ sunt pœnæ?*

Resp. Exasperandæ, sed ita, ut modus non excedatur: ut proportio inter culpam & pœnam observetur. Neque dubium est, quin & olim frequentia fuerint furta.

(2) *Lex forensis Mosaica est abrogata. Ergo ex ea de furti pœna non est statuendum.*

Antecedens simpliciter verum non est. Abrogata est in iis tantum, quæ Rempub. Israeliticam in specie solam attinebant. Tu vero proba capitalem hodie furti pœnam debere esse, quæ capitalis olim esse non debuit: & æquiorem esse proportionem inter furtum & pœnam non capitalem. Hodie ad forenses *Mosis* leges in plurimis provocant religiosi JCti Omnibus modis dolendum & deplorandum, quod miseri nos homunciones arbitrium nobis sumimus de divinis legibus, & humanæ potius, quam divinæ Majestatis leges veneramur *Friderici II.* Imperatoris, constitutio suspendii supplicium dictat furi qui quinque solidos, aut plus abstulerit. Quantus rigor! Quem tamen posteriora mitigarunt secula in plerisque *Imperii Romani* dicasteriis: quamvis interim capitale maneat furtum, quod in parvis sæpius iteratum à

parvis & privatis. Olim *Cato* apud *Gellium*, lib. 11. cap. 18. dixit. *Fures privatorum furtorum in nervo atque compedibus vitam agunt: fures publici in auro atque in purpura.* Quid dictum credas *Catonem* si in nostra incidisset tempora? *Diogenes* conspicatus quendam, qui phialam ex ærario sustulerat, duci à Magistratu, quos ἱερομνήμονας vocabant: *Magni*, inquit, *fures parvum ducunt: Laert.* lib. 6.

§. 80. Quæritur (15) *Qui & quot sint actus justitiæ commutativæ?*

Resp. Actus justitiæ commutativæ à *Conimbricensibus* numerantur XII. potissimum.

(1) *Emptio*, qua quod tuum est, meum fit justo pretio.

(2) *Venditio*, qua quod meum est, tuum fit justo pretio.

(3) *Usus fructus*, quo quis jus habet utendi & fruendi alienis rebus, salva eorum substantia, ita ut non tantum fructus earum, *exempli* gratia, horti vel agri, possit percipere, sed & aliis vendere, imo hortum etiam, vel agrum alteri locare.

(4) *Usus nudus*, quo quis habet jus utendi tantum rebus alienis, non autem fruendi: unde nec vendere aliis fructus, nec fundum locare alteri potest.

(5) *Mutuatio*, qua accipiuntur res mobiles quas non tantum reddere tenetur, qui accepit, sed & pro usu earum satisfacere.

(6) *Conductio*, qua accipiuntur res immobiles sub certo pretio, quas restituere tenetur is, qui eas pretio utendas accepit.

(7) *Depositio*, qua res alicui traditur, non ad usum; sed ad conservationem.

(8) *Pignoris acceptio*, qua res alicui traditur non ad usum, sed cum obligatione restituendi, quando solutum id, cujus gratia acceptum pignus.

(9) *Fidejussio*, qua fit promissio solvendi reddendique aliquid pro alio, si ille non solvat.

(10) *Promissio simplex*, quam non antecedit petitio promissionis.

(11) *Stipulatio*: quæ promissio est præcedente petitione impetrata.

(12) *Transactio*, quæ concordia est circa rem litigiosam, seu quam lis præcessit.

§. 81. Referuntur quoque huc pacta omnia & conventiones contractusque *innominati*: Quales, *do ut des*: *Facio ut facias*: *Do ut facias*: *Facio ut des.* vid. *Conimb.* disp. Eth. 9. q. 1. art. 3. Longe tamen latius ab aliis extenduntur contractus & commutationes ad *justitiam commutativam* pertinentes, idque ex sententia *Ari-*

tia *Aristotelis*. Unde Casus cum aliis commutationes distinguit in *voluntarias* & *invitas*: quarum *illas* tantum *Conimbricenses* attingunt. *Has* distinguit iterum in *clandestinas* & *violentas*: *illarum* species recenset. *furtum*, *adulterium*, *veneficium*, *lenocinium*, *servorum solicitationem*, *occultam cædem*, *falsum testimonium*. Harum *verberationem*, *vincula*, *mortem*, *rapinam*, *mutilationem*, *convitium*, *contumeliam*. Unde patet ad commutativum quoque referri pœnas, seu punitionem. lib. 5. cap. 2. vide & *Hornejum* Eth. lib. 3. cap. 13. n. 2. 3.

§. 82. Quær. (16) *Quæ mensura sit rerum commutandarum?*

Resp. Geminam *Aristoteles* assignat mensuram, utramq; communem: quarum una est *indigentia*, altera, *pecunia*. Illa est *naturalis*, hæc *civilis*, ab hominibus constituta & inventa, ad commutationes & contractus faciliores reddendos: *Indigentia* quanti res quælibet sit commutanda, definit. *Pecunia* res apte adæquat, & ad parilitatem traducit. Absque *indigentia* fuisset, nulla commutandarum rerum necessitas hominibus incubuisset. Ideo enim commutantur res, ut ejus, quo quisque eget, particeps fiat per id, quod habet. Omnes si omnia haberent, commutatione nulla opus esset. Medium ad commutationem & adæquationem rerum communius & accommodatius nullum est, quam *pecunia*, qua parari possunt omnia, quibus egemus, non quidem *natura*, sed *hominum instituto*, quorum æstimatio pretium numo fecit, qui omnibus aliis adæquatur rebus in commutationem venientibus, & ubique terrarum inter gentes cultiores reperitur. Quamvis olim non ita fuerit, quando merces mercibus sunt permutatæ, inter quas frequentissimum & usitatissimum commutationis medium erant *pecudes*, quibus primi mortales abundabant. In hujus rei memoriam æs pecudis insigniri figura cæpit: Unde *pecunia* dicta, Plin. lib. 33. cap. 3. Æs primum *Phidon* in *Ægina* Insula signasse fertur. Alii tamen primam æris signationem ad *Saturnum*, alii ad *Servium* regem referunt.

Objicitur in contrarium.

§. 83. (1) *Si indigentia esset mensura, tum, qui magis indiget majori pretio emeret. Atqui falsum consequens*: Ergo.

Assumtio probatur: *Quia hac ratione pauperes opprimerentur.*

Resp. *Connexi consequentia negatur:* Quia mensura est *indigentia* non particularis, hujus vel illius, sed communis, per quam pondus pretiumque rerum cognoscitur.

(2) *Eorum quæ ad ornatum & dignitatem, ad delicias & voluptatem emuntur, indigentia non est mensura. E. non omnium commutabilium est mensura.* Antecedens probatur.

 Quia

Quia iis, quæ ad ornatum & delicias emimus, non habemus opus, quibus facile carere possumus.

Resp. *Antecedens* negamus, *Probatio* simpliciter vera non est. Etiamsi enim iis absolute & simpliciter, tanquam plane necessariis, ut victu & amictu, opus non habemus: tamen propter decorum & dignitatem status atque conditionis carere commode non possumus. Hinc purpura non minus decet principem, quam pannus rudis & vilis pauperem: & sic utriusque mensura est indigentia.

§. 85. (3) *Fuit commutatio ante inventionem pecuniæ: Ergo universalis & necessaria mensura non est.*

Resp. Negatur *consequentia*. Quia commutatio ante inventionem & usum pecuniæ non fuit rerum tam multarum, neque inter populos tam longe dissitos. Quæ hodie fieri sine pecunia non posset.

§. 86. (4) *Res animatæ commutabiles, ut plantæ, armenta pecudes pisces, aves &c. pluris æstimandæ sunt, quam omnes orbis divitiæ, teste Arist. 2. Metaph. Ergo non possunt pecunia mensurari.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. In rebus animatis distinguenda *essentia* ab *usu*: Ratione *essentiæ* res animatæ pluris æstimandæ sunt, quam omnes divitiæ in rebus inanimatis consistentes: adeoque pecunia mensurari non possunt.

Ratione *usus humani* res animatæ cadunt sub mensuram pecuniæ, & singulæ pluris non sunt æstimandæ, quam pecunia aut aliæ divitiæ inanimatæ: *Usus* pretium facit nummo, sive argenteo, sive aureo, &c. absque quo esset, magni non fierent sive aurei, sive argentei numi. Cur autem *aurum*, præ aliis metallis, ad hosce usus potissimum adhibeatur, & in deliciis sit, docentem vide *Plinium* lib. 33. cap. 3. *Tartaria* numos habet papyraceos forma quadrata, quibus impressum est regis signum: habet & alios ex mori corticibus.

§. 87. Quæritur (17) *Quibus modis & mediis justum dari possit & accipi pretium in contractibus venditionis, emtionis, locationis? &c.*

Resp. (1) *Si emptor, ut minuere pretium possit, nihil dolose detrahat emendis mercibus: & venditor, ad augendum pretium contra conscientiam non amplificet mercium suarum dignitatem:* Quod solenne est mercatoribus nimis merces suas laudantibus & alienas vituperantibus: Solenne quoque emptoribus merces supra modum extenuantibus: juxta illud Proverb. 20. v. 14. *Pessimum est, ait emptor, sed cum digressus fuerit, tum se ipsum laudat.*

(2) *Si*

§. 88. (2) *Si pretium à magistratu constitutum postuletur & detur.* Solet autem multis in locis constitui in iis, quæ ad victum pertinent, & potissimum in annona. Præsumitur justa esse magistratus æstimatio, nisi contrarium sit manifestum: quod fieri quandoque solet; quando nempe magnam annonæ copiam ipse magistratus vendere cogitat, & sibi, non subditis, servit. Occurrit quoque in eo iniquitas: quando in magna caritate minui pretium prohibetur: quod in emtoris favorem constitui tantum debebat in termino magnitudinis: ita ut minui quidem, non tamen augeri possit. Universaliter vera non est regula. *Res tanti valet, quanti potest vendi:* nisi limitatio addatur, de qua paulo post.

§. 89. (3) *Si communem fori virorumque bonorum & prudentium sequamur æstimationem;* quæ vim tacitæ legis habet, & periculum deceptionis cum alterius damno excludit. Secundum hanc communem fori & bonorum æstimationem, admitti potest regula. *Res tanti valet, &c.*

§. 90. (4) *Si, deficiente publica taxatione communique æstimatione, pretium permittatur judicio intelligentium, omnes circumstantias rectè ponderantium.*

§. 91. Hoc denique *observandum.* Precium autoritate magistratus constitutum consistere in indivisibili, quoad terminum magnitudinis, ita ut augeri à venditore non possit. Quod vero per communem æstimationem, partiumque conventionem statuitur, habere suam latitudinem, intra quam, ex occasione, augeri minuique potest.

Triplex hinc assignari *pretium* solet: *rigidum* & *summum*; secundum terminum magnitudinis. *Mite, infimum, pium,* secundum terminum parvitatis. *Medium* seu *mediocre*, secundum recessum ab utroque extremo.

§. 92. Quæritur (18) *An justæ sint causæ justum mutandi* pretium?

Resp. Causæ sunt justæ, quæ petuntur.

(1) *Ex officio mercatoris & venditoris:* Qui non tantum mercem in se consideratam pretio æstimare debet, sed & tempus, curas, labores & sumptus, quos in conquirendis, conservandis & distrahendis mercibus impendit. Unde minuuntur vel augentur precia, pro ratione temporis, curarum, laborum & sumptuum, qui in mercibus conquirendis, conservandis, &c. sunt impensi. Hinc etiam res majore æstimantur pretio apud mercatores, quam alios privatos, qui proprios suos vendunt proventus, annonam, lanam, pecudes, vina, &c. cavenda tamen iniquitas in æstiman-

dis laboribus & impensis, neque propter labores & impensas non necessarias, aut minus cautam emptionem augenda sunt mercium pretia.

(2) *Ex modo vendendi.*

Exempli gratia.

§. 93. Quando merx emptorem quærit, tum justum rei pretium vilescit, & communis minuitur æstimatio propter emptorum raritatem. Ubi tamen conscientiæ quoque & æquitatis habenda ratio, ex parte emptorum, ne nimis imminuant pretium & venditoris damnum augeant.

Quando emptores quærunt merces: tum enim æstimationem auget emptorum copia.

Quando simul magna venditur mercium copia, & non minutim, tum enim minuitur pretium, quia emptorum minuitur copia.

Quando minutim, vel per mensuras minutiores venduntur merces: tum enim augetur pretium: quia plures sunt emptores, majorque est in mercibus servandis & distribuendis labor.

(3) *Ex damno in venditorem redundaturo.*

Tum enim venditor amplius aliquid potest exigere: quia per æquitatem naturalem, quantum fieri potest, se indemnem servare debet. Quod tum maxime locum habet, quando venditorem sollicitat emptor.

§. 94. Quæritur (19) *An ludi contractus sit licitus?*

Resp. Ludi contractus est, quo inter se ludentes conveniunt, ut victori à victo aliquid tribuatur.

Contractus hic per se illicitus non est.

(1) Quia conventio talis in potestate convenientium justa potest esse.

(2) Quia ordinari potest ad finem bonum, ex intentione bona.

(3) Quia eo modo exerceri potest, ut nullam secum trahat violationem vel religionis, vel charitatis, vel justitiæ.

§. 95. Fit tamen illicitus & vitiosus, si lucrum ex ludo intendatur notabile.

(1) Quia intentio hæc repugnat fini contractus ludi, qui est *honesta recreatio & oblectatio ludentium*: non lucrum cum alterius conjunctum damno.

(2) Quia colludentes vel sunt *pares*, & sic prodigalis est temeritas, absque ulla necessitate, notabilem pecuniæ summam tali exponere periculo: vel *impares*, & sic iniquitate & dolo vitatur contractus, dum unus vel nullum, vel exiguum suum periculum damni cum spe lucri alterius maximo periculo opponit.

(3) Quia

(3) Quia nemo mortalis tam est absolutus suæ pecuniæ dominus, ut, absque justa causa verbo Dei probata, magnam ejus summam vel alienare, vel periculo alienationis exponere possit: præsertim si habeat, quibus honeste alendis sit obligatus.

(4) Quia nemini licet lucrum quærere ex alterius damno, quod in ludo lucri causa instituto manifeste fit.

(5) Quia magnis perturbationibus atque execrationibus, jurgiis atque cædibus hæc ludentium intentio occasionem præbet.

§. 96. Eorum autem ludorum contractus probantur, in quibus aliquod est certamen aut exercitium *virtutis*, *ingenii*, vel *corporis*, &c. Qui sorte constant ludi, qualis est *alea* ludus plane improbantur prudentibus & religiosis viris.

(1) Quia nullum in iis est certamen & exercitium virtutis, ingenii, corporis, &c.

(2) Quia sors natura sua specialem continet appellationem ad divinam providentiam, adeoque res est sacra. Atqui *non est bonum ludere cum sanctis*: ut vetus habet proverbium.

(3) Quia hujusmodi ludi singularem præbent collusoribus ansam variorum peccatorum: ut testatur experientia.

§. 97. Quæritur (20) *An pretia rerum arbitrio & æstimationi venditorum sint permittenda*;

Resp. Pro *affirmativa* nonnulli allegant regulam juridicam: *tanti valet res, quanti vendi potest*. Sed iniquissime: nec enim hic est regulæ sensus, nisi omnis injustitiæ patronam eam esse velis: videatur *limitatio* q. 14. expressa.

§. 98. Itaque negativam defendimus his rationibus.

(1) Quia *justitia commutativa* naturæ sequitur vestigia: Unde necesse quoque est, ut illud ipsum, per quod rerum pretia in permutationibus æstimantur, sit quiddam ex natura dependens, adeoque pretium constituatur primario, non ex arbitrio venditoris, sed ex natura & dignitate rei.

(2) Quia mensura cujuslibet rei debet esse determinata, non infinita: cum igitur plerunque mercatoris in divitiis congerendis occupati æstimatio & cupiditas sit infinita, adeo, ut nullo habito respectu pretium pro re sua tantum petat & recipiat, quantum ab emente potest extorquere, sequitur, arbitrio & æstistimationi ipsius, pretia rerum absolute non esse permittenda. Concludit igitur *Aristoteles*, eum esse legitimum pretiorum in commutandis rebus taxatorem, qui & naturæ amicus & quantitate non infinitus est.

§. 99. Quæritur (21) *An per innocentiam liceat rem ab alio minoris emere quam valet?*

Resp.

Resp. Si is, qui magni pretii rem parvo pretio vult vendere, non intelligat rei pretium, emptor vero intelligat, noveritque majus id esse, quam à venditore æstimetur, utique, per justitiæ commutativæ regulam & innocentiæ legem, non potest minoris emere, quam valet.

Ratio est: quia venditor, quantumvis inscius, læditur. Atqui ne inscius quidem est lædendus. Unde laudatur *Quintus Mutius Scævola*, qui cum fundum aliquando empturus pretium sibi legitimum indicari jussisset, postquam venditor id indicasset, aperte & ingenue dixit: *Se pluris æstimare fundum*, addiditque præterea centena millia.

§. 100. Quod si vero pretium rei non ignoret venditor, & ex libera voluntate de eo aliquid emptori remittat, tum utique salva justitia commutativa, res emi potest viliori pretio, quam valet. *Ratio* est: quia magni pretii rem venditor, sine ulla injustitiæ labe, emptori potest donare, nedum aliquid de pretio remittere.

§. 101. Quæritur (22) *An quis possit rem suam pluris vendere, quam in se valet?*

Resp. *Non potest*: quia contractus hujusmodi adversatur *justitiæ commutativæ* legibus, quæ inter res & pretia requirunt æqualitatem, ne alterutra pars permutantium injuste lædatur, adeoque alter cum alterius detrimento ditescat. *Tollendum*, inquit Cicero, *in rebus contrahendis omne mendacium.* Atqui plerunque mentiuntur, qui rem pluris vendunt scientes, quam in se valeat.

§. 102. Quæritur (23) *An illicita reddatur venditio propter defectum rei venditæ?*

Resp. Defectus in re vendita triplex potest occurrere & considerari.

Unus *secundum speciem rei*: ut si quis cuprum vendat pro auro; vinum aqua dilutum, pro vino sincero: Quid pro quo.

Alter *secundum quantitatem*, quæ per mensuram agnoscitur, sive pondus ea sit, sive alterius rationis mensura, ut ulna, modius, &c. Unde defectus est vel in levitate ponderis, vel in parvitate ulnæ aut modii.

Tertius *secundum qualitatem*: ut si pecus vendatur ægrum pro sano: merx vetustate & situ vitiata pro recenti: ut institores solent & aromatarii.

Omnes & singuli hi defectus illicitam reddunt venditionem, si venditor lædens eos sciverit, emptor autem læsus nesciverit: Siquidem hoc modo manifesta fraus in venditione committitur.

Quod

Quod si vero venditor nesciverit: venditio quidem non est injusta formaliter, quia dolosa & fraudulenta non est, attamen *materialiter*, adeoque damnum compensare emptori venditor tenetur, quando defectus innotuerit.

§. 103. Objicitur (1) *Defectus secundum speciem rei non reddit illicitam venditionem: Ergo multo minus defectus secundum quantitatem aut qualitatem.*

Antecedens prob. *Exemplo auri alchymici, quod vendere pro naturali licet: quia ad omnes humanos usus æque est idoneum, atque aurum naturale, nempe ad vasa & similia alia.*

Resp. *Antecedens* negatur: *probatio* vel falsa vel inconsequens est: Aurum alchymicum vel *verum* vel *fucatum* est: Si *verum*, specie non differt ab eo, quod naturale appellari solet: quando & ipsum naturale dici potest, etiamsi naturam ars juverit & direxerit.

Si *falsum*: Illicita erit venditio, & falsum, quod ad omnes humanos usus æque idoneum sit fucatum aurum. Est enim veri auri in medicina quoque usus propter eximias ejus vires, quas fucatum aurum non habet. Neque satis firma est *consequentia*: Quia cum defectu secundum qualitatem interdum gravior conjuncta esse potest læsio, quam cum defectu secundum speciem rei: ut è sequentibus patebit.

§. 104. (2) *Defectus secundum speciem rei, in venditione potest esse sine ulla emptoris læsione. Ergo venditionem non reddit illicitam.*

Antecedens prob. *Si quis sciens vendat medicamentum agroto, non quod voluit ille, sed quod pellendo morbo æque sit idoneum, & ejusdem pretii, ubi fraus & dolus non intervenit, etiamsi emptor, quod voluit, pro pecunia sua non accepit.*

Resp. *Consequens*, si particulare sit, nobis non contradicit. Non enim omnis secundum speciem rei defectus illicitam facit venditionem: sed ille tantum, quo emptor nescius à venditore sciente læditur: qualis defectus non est, quem ratio secunda attingit.

§. 105. (3) *Mensura rerum, quæ in usum hominum veniunt, non sunt certæ & determinatæ, sed alibi majores, alibi minores; quod & Philosophus monet, lib. 5. Eth. cap. 7. Unde defectus secundum quantitatem rei venditæ evitari facile non potest: Ergo per eum non redditur illicita venditio.*

Resp *Antecedens*, quoad partem priorem; *quod mensuræ in universum & ubique non sint certæ & determinatæ*, verum est: sed nulla est rationis *consequentia*. Qui enim vendit, certa & determinata

terminata mensura hujus vel illius loci vendit, cui pretium emptor accommodat. Secus si fecerit venditor, fraudem committit. Posterior pars *quod defectus secundum quantitatem rei venditæ, propter mensurarum inæqualitatem, evitari facile non possit à venditore*: falsum est, & è priori parte inferri non potest.

§. 106. (4) *Nosse defectum rei venditæ, secundum qualitatem, requirit magnam scientiam, quæ plerisque deest venditoribus. Ergo defectus ille venditionem illicitam reddere non potest.*

Antecedens patet: *quia docti tantum internas rerum qualitates & affectiones notas habent.*

Resp. Antecedens simpliciter verum non est: *Probatio* partim falsa, partim inconsequens est. A venditore non requiritur, ut omnes & occultas etiam rei venditæ qualitates notas habeat: Sed eas tantum, per quas redditur humanis usibus apta, & quarum respectu vendi emique solet: ut varia generis aromata ad varia condimenta: Cui usui non serviunt, quæ vitiata vel corrupta sunt.

§. 107. Quæritur (24) *An promissio semper obliget?*

Resp. Trita est sententia: *Omne promissum cadit in debitum.* Est tamen quando non obligat promissio.

(1) Si res promissa fiat inutilis, illicita vel impossibilis.

(2) Si ita rerum personarumque mutetur status, ut, prudentum judicio, promissor non censeatur voluisse eventum illum comprehendere.

(3) Si pars altera remittat, quod in gratiam ipsius promissum fuit.

(4) Si, qui vicissim promisit, implere promissum nolit.

(5) Si promissum aliquid sit ob causam, quæ non subesse postmodum reperitur.

Non trahi huc debet infame quorundam *Pontificiorum* dogma, de fide hæreticis non servanda: de quo vide *Rivetum* in expl. Decal. pag. 411. & libri hujus cap. 31. q. 14.

III.

Adversantur innocentiæ duo injustitiæ genera: Unum eorum qui inferunt injuriam: Alterum eorum, qui deserunt injuria affectum. Utroq; enim modo nocere proximo quis potest.

Ἔκθεσις.

§. 108. Quæritur (25) *An innocentiæ, quam Justitiam commutativam appellamus, duo sint extrema, lucrum & damnum?*

Resp.

Resp. Duo hæc *justitiæ commutativæ* extrema constituit *Aristoteles* lib. 5. Eth. cap. 4. *Lucrum* vero intelligit, quando plus boni & minus mali, *damnum* quando plus mali & minus boni, in commutatione existit. Hæc duo extrema ad mediocritatem reducere & medium *arithmeticum* constituere *justitiæ est commutativæ*, ne commutatio fiat cum unius tantum partis commodo, & alterius incommodo: quod innocentiæ adversatur. Intelligitur autem hoc loco *lucrum*, non quodvis (datur enim honestum quoque & justum lucrum) sed *nimium* & *immodicum*, cum notabili alterius damno conjunctum & æqualitati *arithmeticæ* adversum: quale est flagellatorum annonæ & fœneratorum, qui non magis lucro, quam alieno detrimento pascuntur, ut *Ambrosius* loquitur: & quotidiana licitatione debitorem vendunt. Idem *Ambros.* de Tobia.

§. 109. Objicitur.

Virtutis extrema sunt duo vitia moralia: Atqui lucrum & damnum non sunt vitia moralia: Ergo.

Resp. Extrema dicuntur respectu vel *mediocritatis*, quoad nos: & sic duo sunt vitia: vel *æquitatis*, quoad rem ipsam: & sic damnum & lucrum pro extremis habentur.

Quæritur (26) *Uter sit injustior, qui plus distribuit, an qui plus accipit?*

Resp. Qui plus distribuit, de sententia *Aristotelis*, lib. 5. cap. 10.

Rationes sunt.

(1) Quia à distribuente incipit injustitia & inde in accipientem transit.

(2) Quia magis libera est distribuentis, quam accipientis, voluntas: ille enim dando quasi modum præscribit, quem sequitur, qui accipit.

(3) Quia in errorem inducit accipientem, qui justam distribuentis æstimationem esse sibi persuadet.

Exceptio tamen heic attendenda: *Si à sciente & volente fiat distributio sine coactione & ignorantia excessus.* Quæ si occurrant in distribuente & non accipiente, injustior erit qui accipit, quam qui distribuit.

CAPUT

CAPUT XXXI.

De

VERACITATE.

THESIS I.

VERACITAS *est justitia, per quam rem, sicut se habet, efferimus.*

II.

Veracitatis adjuncta duo sunt: *candor & fides.*

III.

Candor aperte cum proximo agit, &, quæ audit, dextre interpretatur.

IV.

Fides est dictorum, conventorumque constantia.

V.

Sub fide taciturnitas quoque comprehenditur, quæ arcana sibi credita, aliis non patefacit.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM veracitatis est, cum *res ipsa*, de qua aliquid significandum est: tum *sermo, vultus, gestus* & *omnis vitæ actio*, tanquam signa, per quæ aliquid significamus.

Officium veracitatis est significare simpliciter, quid res sit, vel non sit, & gradum quoque legitimum rei significare, quod res tanta sit, vel non sit. Veracitatis quoque est, recte aliorum dicta, male nunquam interpretari, nemini adulari, stare promissis, non aliud dicere, aliud cogitare, neminem ulla in re decipere. Unde verax ab Aristotele appellatur. (1) *ἐπιεικὴς*, hoc est, *justus & æquus*, qui solius virtutis amore, sine respectu privati commodi, id de qualibet re affirmat, quod ejus est natura: (2) *αὐθέκαστος*, hoc est, in singulis factis & dictis sibi similis, sibique perpetuo constans in sermone & vita: (3) *ἐλαττωτικὸς*, hoc est, qui mavult sua extenuare, quam amplificare: quia *extenuatio* habet significationem modestiæ;

amplificatio

amplificatio autem conjuncta est cum injustitia: quo enim plura sibi quis tribuit, eo plura aliis detrahit. *Veracitas* cum omnes homines, tum vel imprimis judices decet. Unde ex collo ejus, qui olim inter *Ægyptiorum* judices principem obtinebat locum, *imago Numinis* pendebat gemmis & auro exornata: quam *veritatem* nuncupabant: & hoc signo innuebant, judicis cordi orique veritatem inesse semper debere; testibus *Diodoro Sicul.* & *Æliano*, lib. 14.

§ 3. Rationes veracitatis amorem & studium nobis commendantes & suadentes hæ sunt: *τὸ ἀληθὲς δεῖ φράζειν*: inquit *Plato*: *οὐ δεῖ ψεύδεσθαι*: inquit *Æschines*.

(1) Quia hominis proprie est investigatio & inquisitio veri: *Cicero*.

(2) Quia veritatis amore ad Deorum immortalium naturam quam proxime accedimus. *Pythagoras*.

(3) Quia veritas ejusque amor humanæ societatis vinculum est: Etenim, sublata inter homines veritate, contractibus amplius non est locus, concidit mutuus hominum affectus & amor; imo pejus homini cum homine, quam cum bruto convenit: siquidem insignia fidelitatis documenta homini exhibent multa bruta: ab insidiosis vero & sub amoris externa simulatione crudelitatem tegentibus omnes sibi cavent.

(4) Quia mentiri servile est vitium & cunctis mortalibus infestandum: *Plutarch.* *τὰ ἀληθῆ λέγειν ἱεροπρεπὲς ἀλον. ψεύδεσθαι δουλοπρεπές.* *Plato.* *τὸ ψεῦδος οὐ μόνον ὑπὸ θεῶν ἀλλὰ καὶ ὑπ' ἀνθρώπων μισεῖται.* *Mendacium Diis & hominibus est exosum.* Hinc veteres Jamb. *Nil vanitate mentiendi turpius, Odere divi, odere homines mendacium.*

(5) Quia scriptura mendacium ad autorem Satanam refert, qui pater mendacii & ab initio mendax appellatur. Joh. 8. v. 44.

(6) Quia multis modis exitiosum est mendacium: Siquidem 1. vinculum & catena est omnium vitiorum. 2. Omnem mendaci fidem adimit. 3. Maximarum injuriarum causa est. 4. Omnis mali compendium est. Prolixè & eleganter hoc probantem vide *Drexelium* in Phaeth. orb. cap. 36.

Interim suum quoque Laudatorem invenit *Mendacium*, qui est *Elias Major*, Uratislaviensis, qui prolixa oratione laudibus ejus velificatur. Quin & *patrem mendacii* Diabolum, publicè laudasse fertur *Bruno Italus*, idque Wittenbergæ, ut in encomio invidiæ meminit *Dornavius*. *Non est mendacium tam impudens*, inquit *Plinius*, *quod assertorem non habeat.*

Exempla virtutis hujus insignia occurrunt apud Ethnicos: *Epaminondas* ne per jocum quidem mentiri voluit. *Pomponius Atticus* ne audire quidem mendacium voluit. *Persæ* tantum veracitati honorem habuerunt, ut ei, qui tertium in mendacio fuisset deprehensus, perpetui silentii legem indixerint & à publicis munerious removerint. Apud eosdem Præceptores id potissimum egerunt, ut veritatis amorem & mendacii odium pueris instillarent. *Artaxerxes* linguas mentientium trisulco affigi clavo curavit. De *Juliano Mamertinus* ita: *Mira est in Principe nostro mentis linguaque concordia. Non modo humilis & parvi animi, sed servile vitium scit esse mendacium. Titus Pomponius*, amicus *Ciceronis*, nec ipse mentitus est, nec ferre mentientes potuit teste *Cornel. Nepot. Ammonius Alexandrinus* tam fuit veritatis studiosus, ut nunquam mentitus fuerit, teste *Volaterrano*.

§. 6. Præcepta de veracitate petantur ex *ἐκθέσει* prima, de officio veracitatis: Interim unicum hoc observetur.

Veracitatis directrix sit prudentia. Sunt enim tempora & loca quibus vel tacere præstat, quam profiteri verum, vel certe aliquam veri partem retinere, quam omne verum proferre. Sic *exempli* gratia: in veritate dicenda non sunt violandæ leges taciturnitatis: quia taciturnitas æque virtus est atque veracitas.

Igitur verum dicere illud non tenemur, ad quod reticendum vel per conscientiam, vel per leges obligati sumus. Ex eodem fundamento licet quoque Magistratui ad tempus dissimulare subditorum scelera, quæ per necessitatem temporis punite non potest. Ita nec hostibus tenemur detegere nostra consilia & stratagemata: uti nec ebriis & furiosis rationem nostræ fidei: quia gemmæ non sunt ante porcos projiciendæ.

§. 7. Quæritur (1) *An veritas seu veracitas sit virtus moralis?*

Resp. *Affirmativam* comprobat definitio expressa Thes. I. Est enim species justitiæ: cui competit quoque definitio virtutis moralis: *propositum vivendi secundum legem:* Specialis vero lex est: *Non dices falsum testimonium.*

§. 8. Objicitur in contrarium.

Nulla virtus moralis est in intellectu. Atqui veritas est in intellectu: Ergo veritas non est virtus moralis.

Assumtio prob. *Quia objectum est intellectus.*

Resp. *Assumtio* de veritate ethice considerata, quam in specie veracitatem appellamus, negatur: Est enim habitus, quo verbis significamus, quod in animo sentimus: seu propositum animi sensa per idonea signa patefaciendi, quod principaliter non est intellectus, sed voluntatis.

Veritas,

Veritas, inquit Casus, *considerata materialiter est in re ipsa: formaliter, est in oratione, quæ signum est veritatis: Effective est in intellectu, cujus cum re est conformitas: finaliter est in voluntate*, quæ per illam in omni sermone ad verum dicendum flectitur.

§. 9. (1) *Virtus moralis est medium: Veritas non est medium: Ergo non est virtus moralis.*

Assumptio probatur: *quia nullus est veritatis excessus: cum nemo verum dicendo modum possit excedere.*

Resp. Negatur *assumptio:* consistit veritas in medio duarum falsitatum, quarum altera affirmat id esse, quod non est: altera negat id esse quod est: illa est *arrogantia*, hæc *dissimulatio*.

Probatio simpliciter vera non est: modum excedit arrogans: excedit etiam, qui veritatem intempestive prodit: quæ prudenter tractanda: uti in defectu peccat, qui occultat, quod patefaciendum erat.

§. 10. (3) *Veritas est objectum virtutis, nempe fidei: Ergo ipsa non est virtus.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: duobus modis accipitur veritas, vel pro virtutis *objecto;* quæ æqualitas est intellectus aut signi ad rem intellectam & signatam, quam fides apprehendit: vel pro habitu animi sensa, ut sunt, eloquendi, quæ virtus est, quam proprie veracitatem appellamus.

§. 11. Quæritur (2) *An veritas sit specialis virtus?*

Resp. *Affirmativa* defenditur hoc argumento.

Quæ virtus humano actui confert specialem bonitatis rationem, ea est specialis. Atqui veritas, vel veracitas, humano actui specialem confert bonitatis rationem: Ergo veritas est virtus specialis.

Assumtio prob. Quia specialis humani actus est bonitas, quando exteriora nostra vel signa, vel facta recte ordinantur ad aliquid, tanquam signum ad signatum, quod fit per veracitatem, qua verba nostra & alia signa conformantur nostris cogitationibus vel animi sensis: quod solius est veracitatis.

§. 12. Objicitur.

(1) *Bonitas non est specialis virtus: Ergo nec veritas est specialis virtus.*

Antecedens prob. *Quia virtus omnis est bonitas.* Ratio conseq. *Quia verum & bonum convertuntur.*

Resp. Negatur *conseq. Ratio* est inconsequens: Bonum & verum, quatenus sunt universales Entis modi convertuntur ita, ut omne bonum metaphysice sit verum & omne verum bonum: quamvis non tam *ratione formali*, aliter enim definitur bonum; aliter verum: quam *Subjecto*, veritas autem, ut hoc loco considera-

tur Ethicè, non est *Entis modus*, seu affectio generalis, sed speciale bonum est, per specialem bonitatis rationem, quæ est in conformitate signorum externorum cum internis animi sensis: adeoque non convertitur cum bono universali, etiamsi rationem ejus in se quoque habet, ut species naturam generis.

§. 13. (2.) *Cujus actus pertinet ad quamlibet virtutem, id non est virtus specialis: Atqui veritatis actus pertinet ad quamlibet virtutem: Ergo veritas non est virtus specialis.* Assumptio prob. *Quia veritatis actus est manifestatio ejus, quod ad hominem pertinet. Hoc vero ad omnem virtutem pertinet: Quia quilibet virtutis habitus manifestatur per actum proprium.*

Resp. *Assumptio* de actu veritatis proprio negatur. *Probatio* de actu proprio falsa est: manifestatio ejus, quod ad hominem pertinet, non est actus veritatis proprius; omnis virtus per actum suum se manifestat aliquo modo, quamvis non omnis ex intentione principali.

Manifestatio autem veritatis propria concernit animi sensa per externa signa, & verba imprimis consona: seu conformia intellectui: Unde non habitus tantum, ut in aliis virtutibus, sed scientia & conscientia ex principali intentione manifestatur..

§. 14. Quæritur (3) *An veritas sit pars vel species justitiæ?*

Resp. *Affirmativam* cum *Thoma* & aliis amplectitur autor:

Ratio est: virtus per quam alteri redditur debitum, & quæ æqualitatem in rebus constituit, est justitia: Atqui veritas alteri reddit debitum & æqualitatem in rebus constituit: Ergo veritas est justitia, seu species justitiæ. *Propositio* constat ex definitione justitiæ: *Assumptio* prob. Quia in civili societate proximo debemus manifestationem veri: qua, ut & fide cessante, humanam dissolvi societatem necesse est. Unde Apostoli præceptum, ad Ephes. 4, v. 25. *Deposito mendacio loquimini veritatem quisque proximo suo: nam sumus alii aliorum membra*: reperitur idem Coloss. 3. v. 9. Eadem veritas æqualitatem constituit, quando signa adæquat animi sensis.

§. 15. Objicitur (1) *Veritas alteri non reddit debitum. Ergo non est justitia.*

Antecedens prob. *Quia animi nostri sensa aliis patefacere non tenemur, per taciturnitatem.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est: Etiamsi enim omnia animi nostri cogitata omnibus & quocunque tempore patefacere non tenemur: tamen, cum vivere inter homines absque cogitationum & sensorum animi communicatione non possimus, veritatem proximo debemus, quoties cum ipso loqui necesse

qui necesse est, ut ante ostendimus. Debitum hoc, inquit *Thomas*, non tam est legale, quam morale. Etsi & legale appellari nil prohibet, præsertim in publica testimonii dictione.

(2) *Veritas pertinet ad intellectum, justitia autem est in voluntate. Ergo veritas non est justitia.*

Antecedens prob. *Quia ut bonum est voluntatis objectum, ita verum intellectus.*

Resp. *Antecedens* exclusivè verum non est: *probatio* inconsequens est. Veracitas, quatenus est cognita, pertinet ad intellectum tanquam objectum ejus. Quatenus verò per externa signa est manifestanda, ad voluntatem pertinet.

§. 17. Quæritur (4) *An veritas magis declinet ad minus?*

Resp. Affirmat hoc *Aristoteles*, observandum autem duobus modis *declinari in minus*, nempe *affirmando*, quando quis sibi per sermonem minus tribuit boni, quam habet: & *negando*, quando quis negat sibi inesse bonum, quod verè inest. Declinatio in minus *priori modo* accepta, veritati amica est; quia in majori etiam minus est: & minus qui sibi verè tribuit, non illico majus negat, etiamsi per modestiam & prudentiam non eloquitur. Majus enim facilè sibi non tribuit, qui prudens est, etiamsi majus sibi inesse novit: quia, qui magna de se prædicant, quamvis verè prædicent, tamen graves & molesti sunt aliis, quibus videntur velle antecellere: contra, qui minora sibi tribuunt, grati & accepti sunt: quia aliis non se præferunt, sed communi hominum sorte acquiescunt. Majora verò qui sibi tribuunt, quàm habent & se habere sciunt, in veritatem peccant.

Declinatio in minus *posteriori modo* accepta veritati adversatur, quamvis minus, quàm majoris, quod non inest, jactantia. Etiamsi enim utraque repugnat veritati: tamen prudentiæ, quæ moderatrix est veritatis, repugnat magis affirmatio majoris, quod non inest, quam negatio ejusdem, quod inest: quia illa gravis & molesta aliis est, hæc non est.

§. 18. Objicitur in contrarium:

(1) *Qui minus & qui majus dicit, quam est, incurrit in mendacium: veluti non magis est falsum, quatuor esse quinque quàm quatuor esse tria. Ergo veritas non inclinat potiùs in minus, quàm in majus: sed ab utroque extremo refugit.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: quia *declinatio in minus* est gemina: quarum utraque veritati non repugnat, sed altera tantùm: ut ostendimus: Exemplum, quod adducitur, dissimile est: declinatio in minus per affirmationem non negat majus, etiamsi minus tantùm affirmat: quia cum exclusione majoris

non affirmat. Qui vero dicit, quatuor esse tria, manifeste falsum dicit.

§. 19. (2) *Veritatis medium non est propinquius uni extremo, quam alteri, cum sit æqualitas in medio consistens punctuali, seu indivisibili, & neque additionem neque detractionem patiatur. Ergo non magis declinat veritas in minus, quam in majus.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: veritatis medium propinquius est extremo, quod minus seu declinationem in minus appellamus per *affirmationem*: estque veritas æqualitas in puncto consistens indivisibili, quoad majus & minus per *negationem*: non quoad minus per *affirmationem*. Majus enim, quam est, qui affirmat, simpliciter mentitur: minus qui affirmat, quam est, non mentitur, nisi majus expresse excludat.

§. 20. Quæritur (5) *An teneamur semper & omni loco vera dicere? Negatur*, ob sequentes *rationes*:

(1) Quia veri manifestatio quandoque est intempestiva: adeoque reticeri potest veritas sine offensione Dei, sine scandalo & incommodo proximi, sine læsione nostræ conscientiæ. Ita inter furentes & sanguinolentos idololatras, nulla externa urgente necessitate, religionem veram sponte & aperte profiteri, & carnificum se manibus objicere, nemo tenetur. Requirit in nobis servator noster non tantum *simplicitatem columbinam*, sed & *prudentiam serpentinam.* Matth. 10. v. 16. vetatque *gemmas objici porcis*, Matth. 7. v. 6. Neque innocentem ad supplicia quæsitum prodere quisquam tenetur: quia tam exosum est crimen proditio quam mendacium.

(2) Quia occultationis sæpe justa & honesta est causa: quando nempe lex taciturnitatis & fides data silentium nobis imperat. Ita secreta principis sui prodere per fidem datam & obligationem non debet consiliarius, vel senator: & arcana in amici sinum deposita non sunt evulganda: vide cap. 20. de decenti silentio.

§. 21. Objicitur. *Mentiri nunquam debemus. Ergo vera dicere semper tenemur.* Ratio conseq. *Quia negato uno contrariorum, affirmatur alterum.*

Resp. Negatur *conseq.* Ratio non conceditur, nisi de contrariis immediatis, quorum idem subjectum est capax. Atqui mentiri & verum dicere non sunt contraria immediata; datur enim tertium, justis & honestis de causis *reticere*. De fide in specie interrogati ab eo, qui jure nobis imperare confessionem potest, tenemur respondere & verum confiteri. Matth. 10. v. 32. 1. Pet. 3. v. 15. Privatus si interroget, & creare periculum confessio possit, respondere non tenemur. Sed tacere vel expresse recusare.

VI. *Adver-*

VI.

Adversatur veracitati mendacium, *quod est vitium, quo contrarium ejus, quod animo sentimus, ore, gestu, vel calamo proferimus & persuadere alteri cupimus.*

Ἔκθεσις,

§. 1. GRave peccatum omne est mendacium, adeoque modis omnibus fugiendum. Quia (1) est Deo abominabile & graviter puniri solet. *Proverb.* 6. v. 17. 19. & 12. v. 22. & 21. v. 18. & 19. v. 5. 9. (2) Provenit ab instinctu Diaboli, Johan. 8. v. 44. (3) Pars est hominis veteris exuendi & mortificandi. Ephes. 4. v. 25. Coloss. 3. v. 9. (4) Inordinatio mentis est in se se. Quia contra ordinem naturæ oratio mentientis, quæ mentis esse interpres debet, à mente plane dissentit. (5) Est inordinatio ad proximum, cui veritatis observantiam quisque debet ex juris divini atque naturalis obligatione. (6) Singulari modo majestatem Dei lædit: est enim Deus autor & amator veritatis, qui suæ veracitatis imaginem impressit conservandam homini. (7) Turpis est abusus linguæ, *quam hominis gloriam* scriptura appellat. (8) Quia contractus & societates humanos turbat. (9) Quia omnia autoritate & fide mendacem spoliat, ineptum que reddit ad officia Christiana & civilia.

§. 2. Interim mendaces linguæ passim sunt obviæ in omni sexu, ætate, & conditione hominum: frequentissimæ vero inter *mercatores.* Memorat *Cæsarius* lib. 3. mirac. cap. 37. duos *Colonienses* cives ob mendacium & perjurium aliquando gravissime reprehensos à Curione suo. Ubi horum alter, *Domine*, inquit, *mercaturam facturus & mentiri sciat necesse est & jurare: hæc nostra est Rhetorica: absque hac esset, fame periremus. At enim, inquit Curio, hoc grande nefas est divina lege vetitum.* Ad quæ illi: *Quis mercatorum*, ajunt, *hanc legem servet?*

Mendaciorum nomine præ aliis populis olim infames fuerunt Cretenses: Unde illud Poetæ ab Apostolo quoque laudatum: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται: Cretenses semper mendaces.* Iniquior est legatis definitio illa, quam in aulis jam percrebuisse scribit *Drexelius* de universis linguæ vitiis, cap. 37. *Legatus est vir bonus, peregre missus ad mentiendum Reipublicæ causa. Ægyptiis* quoque olim nullus fuit mentiendi modus & summa impunitas. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 10.

Mendaciorum nocumenta latè diducentem vide *Drexelium* in Phaëthon. orb. cap. 36.

VII.

Mendacium ad excessum inclinans speciali nomine arrogantia, Græcis ἀλαζονεία, quando quis plus sibi arrogat & tribuit, quàm revera possidet: ad defectum inclinans εἰρωνεία appellatur, quando quæ nobis, aut aliis revera insunt, planè negamus inesse.

Ἔκθεσις.

§. 1. Notæ mendacii species duæ sunt, ***arrogantia*** & ***calumnia***. ***Arrogantia***, secundum *Aristotelem*, res gloriosas fingit, quæ non insunt, aut iis, quæ adsunt, majores: ***Exemplum*** ejus in *Diocletiano* habemus, qui inter Imperatores primus adorari voluit, *fratrem Solis* & *Lunæ* se nuncupavit, edictoque sanxit, ut pedes suos omnes oscularentur. Hujus imitatores sunt *Pontifices Romani*: *Attila* jactabat, stellas præ se cadere; terram tremere, & se malleum esse totius orbis. *Nero*, majorem se putabat esse, quam ut salutaret quenquam, aut salutanti respondcret. Cum *barba* ejus primum raderetur, juvenalia festa ab eo sunt instituta, & pili in sphæram auream conjecti *Jovi Capitolino* consecrati. Barbari reges moderni & ipsi arrogantissimi sunt.

§. 2. *Calumnia* clanculum aliena bona vel extenuat, vel planè negat, mala vero, aut quæ non sunt, comminiscitur, aut quæ sunt, supra modum exaggerat. Calumnia, inquit *Lucianus* Sophista, delatio est inscio & absente reo, ubi plerunque fides habetur parte inaudita altera.

Imaginem calumniæ ab *Apelle* pictam describit *Lucianus*, in *Sophista*. Digna est pictura, quæ sedulo & attente inspiciatur: quia calumniæ deformitatem monstrosam exquisite repræsentat. *Vir prælongis auribus*, *quales* Midæ *fuerunt*, *in solio velut judex considet & accedenti* calumniæ *opem largiter promittit. Viro sedenti duæ mulieres adstant*, Ignorantia & Suspicio. Calumnia *fucata forma mulier accedit, iram ac rabiem spirans & manu sinistra facem accensam concutiens, dextra juvenem capillis prehensum ac supplices manus cœlo porrigentem trahens. Hanc anteit vir deformis, pallidus, acutum cernens macilento vultu, exesis ocu-*

sis oculis, tanquam si diuturno morbo contabuisset, quem facile conjicias esse Livorem. *Quin & aliæ mulierculæ duæ comitantur, quæ* calumniæ *ornatrices dicuntur; quarum alteri nomen est* Sycophantia, *seu*, Insidiæ, *alteri* Fallacia. *Infame* Midæ *tribunal fugit, quæ genibus repit, fœmina, luctum præ se ferens pulla laceraque veste. Pœnitentia hæc vocatur, quæ, capite in tergum reflexo, madidis oculis abeuntem* veritatem *prosequitur.* Hactenus pictura & imago Calumniæ, in omnibus aulis, ut quidam ait, patentissimo loco proponenda. *Artabanus*, apud *Herodotum* lib. 7. *In calumnia*, inquit, *duo sunt qui faciunt injuriam & unus qui patitur. Qui enim calumniatur, injurius est, quod non præsentem accusat: Similiter injurius est, qui accusanti fidem habet, cum prius credat, quam rem probe cognoscit: Et illi, cui absenti detrahitur, ob id fit injuria, quod ab altero insimulatur, ut malus ab altero talis esse putatur. Tribus simul damnosus est calumniator*, inquit Basilius; *Nam & illi, quem traducit, injurius est, & auditori suo & ipse sibi.* Apud *Romanos* delatores & calumniatores frontis inustione puniebantur.

Vespasianus delatores flagellis cæsos per amphitheatri arenam traductos partim venire, partim in ultimas Insulas taansportari jussit. *Suetonius.*

Artaxerxes adeo mendacium aversatus est, ut mendacis hominis linguam triplici clavo affigi jusserit. *Alex.* ab *Alex.*

Domitianus eos urbe exegit. *Marcus Antoninus Pius*, calumniatores, qui, quæ dixerant, probare non poterant, capitali supplicio affici jussit.

Hebræi sapientes dicere soliti sunt: *omnis, qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est ut canibus projiciatur.* In *Tenedo* insula lex fuit, autore *Suida*, ut pone judicem cum securi staret carnifex in hoc paratus, ut si quis falsi testimonii, falsæ accusationis, aut cujuscunque tandem mendacii convictus esset, illico securi feriretur. Unde proverbium: *Tenedia securis.*

§. 3. Turpissimæ matris, *Mendacii*, tres sunt turpissimæ filiæ, lingua *fraudulenta:* lingua *fallax*, lingua *fucata*: *Prima* est astuta, versuta, subdola, veteratrix, tortuosa, callida & in plicas quasi plurimas sinuosa diffunditur: aliud agit, aliud simulat, & non tam vult videri formosa, quam arguta & acuta: quæ etiamsi semper non decipit, tamen satis ei est posse decipere & simplicem non haberi.

Secunda Varroni videtur à fando nomen sortita: quia fando decipit & contra, quam dixit, facit. Appellatur *fallacia* veritas palliata,

liata, quæ vel alterius odium, vel suum attendit commodum. Unum hoc agit *fallax* lingua, ut quibuscunque modis alios fallat.

Tertia hoc agit, ut nunquam non picta & cerussata sit, instar meretricis vetulæ: de qua Psal. 55. v. 22. *Blanda sunt ejus, butyrina verba, dum bellum insidet animo ejus: molliora verba oleo, sed stricti sunt gladii.*

§. 4. *Harum trium sororum*, inquit, *Drexelius, amicitiam innumeri ambiunt, ipsi etiam pene infantes, qui subinde prius fallere, quam fari norunt. Plurimum autem laborant hæ tres sorores ut Aulicos & magnatum famulos sibi semper benevolos habeant, quo eos facili nisu, veluti dociles discipulos, forment ad suas leges.*

Has leges conceptissimis verbis ita scriptas esse Jesuita ait, ut merito quis dixerit:

Hæc jura aut diabolus dictavit, aut diaboli mater, superbia.

Ad rogandas leges illas plurimum contulisse ait hominem, qui quinquaginta annis aulam sectatus est: quas *Diaboli decalogum* appellat. Sunt eæ.

I.

Nihil cuiquam credas, quantumvis in speciem amico, quantumvis arridenti. Complexanti, deieranti. Nullum tibi ex animo amicum existimes, neque tu sis ulli: ita tamen comis & blandus esto singulis, perinde quasi neminem non ames.

II.

Officiorum istorum esto largissimus, quæ nil habent impendii: saluta blande, complectere peramanter: cede viam. Honoris & amoris titulos repete; lauda affatim: pollicere largiter: promissis stare rusticum puta. Man gebe jhm Tittel und Ehre genug/ und breche es jhm an der Besoldung ab.

III.

Præda si qua affulserit, cave quisquam hominum tibi tam charus sit, ut eam illi cedas. Tu tibi semper proximus esto. Quoties de re agitur, vel patri verba sunt danda.

IV.

Proximum erit, si aulicus sis, ut factiones totius Palatinæ domus subodereris; sed ita, ne cui te facile admisceas. Si quos videris nihil non posse, his jungere, & vide ut te semper inflectas ad latus novis felicius. Nec pudeat aut pigeat assentari etiam morionibus, quos adverteris gratos esse Jovi.

V.

Vultum domi componito, ut is tibi paratus sit ad omnem fabulæ partem, & ne quid sinceri adfectus in facie subluceat, personam ac larvam sempergerito.

VI. *Nul-*

VI.

Nullum aperte lædas, à tergo potes: adulari ad amussim omnibus scias: decipi ab alio paganum, decipere alium, hoc civile & urbanum censeto: tibi autem ab omnibus, tanquam hostibus, caveto.

VII.

In omnibus nugis & diffamationibus esto lepidus congerro.

VIII.

Tantum ab alea temperato: multi ad hunc scopulum sic fecerunt naufragium, ut amissis mercibus, vix salvo capite per has procellas enatarint.

Per *aleam* hoc loco Cacodæmon intelligit pericula pro amicis subeunda: quam jaci *aleam* Diabolus non vult.

IX.

Ad rem augendam & stabiliendam ubique vigila: lucrum nusquam non venare: ideo semper esto querulus & petessens. Si quid tibi negetur, suborna qui petant suo nomine, tuo commodo.

X.

Memoria sic excellito, ut injurias silici, pulveri benefacta inscribas: ista verbis, illas pugnis rependito. Invidia laborare necessarium malum credito.

§. 5. Hujusmodi mendaciorum magister & fallaciarum artifex superioribus annis exstitit *Nicolaus Machiavellus*: qui hanc Aulis & orbi pestem propinare & literis mandare non erubuit. *Id mihi significare*, inquit, *videtur* Xenophon, *quod necessaria sit ars quædam decipiendi, si altum fastigium ascendere & insignes aliquos progressus velis facere: Item. Fraudem necessariam putamus omnibus, quicunque ex parvis initiis crescere & ad magnum quoddam fastigium conscendere conantur: quæ tanto minus turpis est, quanto quis magis illam poterit occultare & honesto aliquo prætextu tenere.*

§. 6. Sed heus tu Machiavelle, Deum audi. *Ne proferto contra proximum tuum falsum testimonium*: Exo. 20. v. 16. Deut. 5. v. 26. *A verbo mendacii procul abesto.* Exod. 23. v. 7. *Ne mentimini, neq; fallacia utimini ullus in proximum suum*: Levit. 19. v. 11. *Perditurus es, ô Deus, loquentes mendacium*: Psſ. 5. v. 7. *Obturabitur os loquentium mendacium.* Psa. 63. v. 12.

Audi aulicas *Davidis* leges, earumque rigidum executorem regem: *Animus perversus recedet à me, malum non agnoscam: Lingua lædentem apud me clam proximum suum ipsum exscindam: elatum oculis & tumentem animo ipsum non potero ferre. Oculi mei attendent ad veraces terræ, ut considеant mecum: ambulans via integra, is ministrabit mihi: Non habitabit intra domũ meam faciens*

faciens dolum, loquens mendacia non stabilietur coram oculis meis, singulis matutinis exscindam omnes improbos terræ ad rescindendum à civitate Jehovæ omnes, qui operam dant iniquitati. Psal. 101. v. 4. 5. 6. 7. 8.

De calumnia prolixè & eleganter differentem vide *Drexelium* in Phaëth. orb. cap. 32. 33. Calumniam optimè refutat, qui ei resistit innocentia.

§. 7. Quæritur (1) *An omne mendacium sit illicitum ?*

Resp. Ex *fine* vulgo distinguitur mendacium in *perniciosum*, *jocosum* & *officiosum*. Omne *perniciosum* illicitum esse uno omnes fatentur ore. De *jocoso* & imprimis *officioso* diversæ sunt doctorum sententiæ, aliis verò excusantibus & illicitorum numero eximentibus: aliis verò accusantibus & inter illicita numerantibus. Quæstio hæc olim inter *Patres* agitata, ubi multos invenit patronos *officiosum mendacium*, teste *Augustino*, quæst. 68. in Levit. *Penè*, inquit, *omnibus videtur, quod ubi nemo læditur, pro salute mentiendum sit*. Fuit in hac sententiâ quoque *Chrysostomus*: quem secutus *Cassianus*, *mendacio*, inquit, *utendum est, quasi helleboro, ad discrimen aliquod magnum depellendum*. Usi illi videntur *Platone* Magistro, qui magistratui saltem, quandoque mendacio opus esse docet. Vide *Perer. in* Gen. cap. 27. disp. 12.

§. 8. In contrariam sententiam abit *Aristoteles*, cujus lib. 4. Eth. cap. 7. memorabile dictum est: καθ' ἀυτὸ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν: hoc est: *per se mendacium est malū & vituperio dignum*. *Pythagoras* apud *Ælian*. lib. 12. de variâ historiâ, dicere solitus est, *duo hæc præclara data esse hominibus à DEO, vera dicere* & *beneficia in alios conferre: hæc enim maximè propria esse DEI & propter hæc simillimum DEI hominem fieri*. Quibus opposita duo in turpissimis habuerunt *Persæ*, ære alieno laborare & mentiri: æs enim alienum plerumque obstruit beneficentiæ fontem.

Acerrimus quoque mendacii, ut omnis, sic & *officiosi* hostis est *Augustinus*: cujus illustris est sententia in Enchirid. cap. 22. *Omne*, inquit, *mendacium ideò dicendum est peccatum, quia homo non solum quando scit ipse, quid verum sit, sed etiam quando errat & fallitur, sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur, & non sit. Omnis autem, qui mentitur, contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Et utiq; verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisq; notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur uti ad fallaciam non ad quod instituta sunt, peccatum est* Sic & *Isidorus*: *omne mendacii genus summopere fuge, & nec*

& nec casu, nec studio loquaris falsum: cave mendacium in omnibus. In eandem sententiam concedunt plerique omnes doctores *Scholastici*: plerique omnes Theologi orthodoxi, inter quos *Danæus* Eth. Christ. lib. 3. cap. 16. *Polanus*, Syntag. lib. 10. cap. 38. *Martyr*, in L. C. Tom. 1. pag. 667. *Rivetus*, in Expl. Decal. pag. 393. Memorabilia sunt illa *Pererij*, verba in Genes. 27. v. 18. 19. disp. 2. *Mendacium omne, qualecunque id sit, dummodò verè mendacium sit, malum est ac fugiendum, nullamque ob causam, nulloque in loco & tempore eo esse utendum, ita secundum sacram scripturam & rectam rationem manifestum est, ut id non animadvertisse doctissimos viros permirum videri possit*, Sic & *Pineda* in *Salomone prævio, Hispanorum* applaudentibus censuris lib. 1. cap. 1. n. 8. *Nullum*, inquit, *mendacium, quantumvis officiosissimum, peccatum non est. Adeo cavendum hoc vitium*, *inquit Drexelius* in orbis Phaëthonte, cap. 35. *& fugiendum, ut si salus plurium in unico, idque solum officioso vel jocoso mendacio dicendo verteretur, id tamen nentiquam liceret dicere: imo si suos quis parentes aliosve sibi conjunctissimos flammis demersos vel levi mendacio extrahere posset, mentiri tamen licitè non posset. Satius foret illos in igne deserere, quàm Deum falsitate offendere.* Idem cap. 36. *Theologorum*, inquit, *una omnium sententia est, neque etiam pro salute totius orbis licere cuiquam mentiri. Adeò damnosum est mendacium omne, ut nequidem honesto ut vocant, aut officioso, vel misericordi, mendacio mors ipsa prohiberi debeat.*

§. 10. In Ethicis recte *Velstenius: omnia mendacia peccati rationem habent, & gradu potius, quam specie differunt.* Assentitur *Hornejus.* lib. 3. Eth. cap. 10. n. 2. 3. Ratio est: quia omne mendacium vere proprie sic dictum, cui competit definitio mendacii, est vitium veritati contrarie & privative oppositum. Nullum vero vitium in rebus licitis numerari potest, aut debet. Ubique Spiritus Dei mendacium sine ulla limitatione & exceptione vituperat & prohibet in veteri & novo Testamento Job. 27. v. 3. 4. *Quam diu anima mea in me erit & Spiritus Dei in naso meo, non sunt locutura labia mea iniquitatem, neque lingua mea effabitur dolum, seu mendacium.* Psal. 5. v. 7. *perditurus es loquentes mendacium:* & 119. v. 29. *viam falsitatis amove à me*, & v. 30. *viam veritatis eligo:* & v. 43. *Ne abripe ab ore meo verbum veritatis.* Proverb. 12. v. 18. *Labium verax stabilitur in æternum; donec momentum transigam, lingua falsa* & v. 21. *Abominationi sunt Jehovæ labia fallacia*, & cap. 30. v. 8. *vanitatem & rem mendacem longe amove à me.* Similia in V. T. occurrunt plurima, inter quæ, Exod. 20. v. 16. Levit. 19. v. 11. Psal.

Psal. 40. v. 5. & 101. v. 7. Proverb. 6. v. 19. & 17. v. 7. & 21. v. 28. Jerem. 9. v. 5. Soph. 3. v. 3. cap. 1. v. 11. Ecclesf. 7. v. 11. 12. *Ne velis mentiri ullo mendacio: nam assiduitas ejus non est futura bono*, & 20. v. 25. & 25. v. 3. 4. & 34. v. 8. & 41. v. 21. In novo Testamento hujusmodi dicta & interdicta non minus sunt frequentia: videantur loca Johan. 8. v. 44. Ephes. 4. v. 25. Coloss. 3. v. 9. Jac. 3. v. 14. Joh. 2. v. 21. Apocal. 21. v. 27. quæ omnia de mendacio vere sic dicta, sine ulla limitatione, loquuntur: quibus persuasus *Innocentius III.* asseveranter *dixit*, *in scriptura prohiberi mendacium, etiam pro servanda alterius vita dictum*. Tit. de usuris, cap. 4. Competere vero *mendacio officioso* naturam mendacij, apparet primo, *ex communi omnium consensu*, siquidem mendacium ab omnibus appellatur. Deinde ex *definitione mendacii*, quam thesi sexta tradidimus. Rationem hanc ita amplificat & confirmat. *Pererius* in cap. 27. Gen. *Quod est secundum se malum ex genere, id nullo modo potest fieri bonum & licitum. Ut enim aliquid bonum sit, requiritur ut ad id omnia recte concurrant. Bonum enim ex integra causa est, malum vero ex singulis defectibus, Dionys. de devin.* Nom cap. 4. *Atqui mendacium est malum ex genere. Ergo &c.*

Assumtionem probat: *Quia est actus per se inordinatus & perversus & ordini naturæ Deique contrarius. Cum enim voces naturaliter sint signa eorum, quæ sunt in intellectu, contra naturæ ordinem est, ut aliquis voce significet id, quod non habet in mente, imo cujus contrarium habet in animo.* Item: *Mendacium secundum intrinsecam rationem continet naturalem quandam obliquitatem & deformitatem & pervertit ordinem naturæ & Dei. Verba enim data sunt homini, & in eum finem instituta, ut per ea, quod ipse inclusum & occultum habet in animo aperiat & declaret aliis: Non enim alia est via, qua possit animus & voluntas unius hominis, nisi per verba, notificari hominibus sine quibus unus homo aliis non est intelligibilis. In mendacio autem verba significant contrarium ejus, quod est in animo. Si magnam habet deformitatem discrepantia, & ut ita loquar, incongruentia, membrorum humani corporis inter se, vel cum toto corpore: quanto insignior deformitas æstimari debet, cum lingua, principale ac maxime necessarium hominis membrum, discrepat ab animo & oratio contraria est rationi.* Laudat ibidem *Augustini* sententiam: *Quisquis esse aliquod genus mendacii putaverit, quod peccatum non sit, decipiet seipsum turpiter: cum honestum se deceptorem arbitretur aliorum.* Neque negligenda illa *Gregorii*, ex lib. 18. Moral. cap. 27. in illa Jobi: *donec superest habitus in me* &c. *Quod dixit*

dixit Job prius iniquitatem, id postmodum repetens mendacium dicit: nam & omne mendacium iniquitas est, & omnis iniquitas mendacium: Quia profecto ab æquitate discrepat, quicquid à veritate discordat &c. & paulo post. *Vir sanctus ut perfecte adhæreat virtuti, nec studio perhibet se, nec præcipitatione mentiri: Summopere enim cavendum est omne mendacium: quamvis nonnunquam sit aliquod mendacii genus levioris culpæ, ut si quis vitam aliis præstando mentiatur. Sed quia scriptum est*, Sap. 1. *os quod mentitur, occidit animam*, & Psal. 5. *Perde omnes, qui loquuntur mendacium: hoc quoque mendacii genus perfecti viri magnopere fugiunt, ut ne vita quidem cujuslibet per eorum fallaciam defendatur, ne sua animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ.* Itaq; omnino improbamus illam *Platonis* vocem: *Licere viro bono Reipublicæ causa mentiri.* Idem tamen rectius sentit alibi. lib. 10. de Republ. *Etsi amicitia quadam & reverentia à puero mihi erga Homerum contracta me detinet: tamen veritati virum non censeo præponendum.* Quam in sententiam quoque *Justinus Martyr. Non est magis colendus plurisque faciendus homo, quam veritas.* Quo & illud pertinet: *Amicus Socrates, amicus Plato: magis amica veritas.*

Pro officioso mendacio à peccati & vitii suspicione liberando ita patroni ejus disputant, Theologi & Philosophi.

(1) *Officiosum mendacium conjunctum est cum insigni utilitate, & quandoque publica. Ergo non est illicitum. Antecedens ex historiis* manifestum est. Religiosæ olim virgines in persecutionibus castitati suæ consuluerunt per hujusmodi mendacia: exempla memorabilia duo recitat *Nicephorus* lib. 7. cap. 13.

Resp. Nego *consequentiam: Ratio* est, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, neque propterea licita mala, si per ea possint bona procurari. *Non ideo*, inquit, Augustinus, *ullum mendacium putandum est esse non peccatum: quia possumus aliquando prodesse alicui mentiendo. Possumus & furando alicui prodesse, possumus & adulterando: nec ideo tale furtum vel tale adulterium quisquam dixerit non esse peccatum. Videantur & alia Theologorum judicia, de quibus paulo ante.*

§. 12. (2) *Mendacium officiosum non proficiscitur ex habitu vel animo mentiendi consuetudine affecto, sed potius ad juvandum proximum in periculo constitutum propenso. E. est licitum.*

Resp. Nego *consequentiam*; ratio est, quia quæ per se mala & lege prohibita sunt, non fiunt bona ex intentione bona: neque omnis vitiosa actio ex habitu vel consuetudine fluit, sed plurimæ ex προαιρέσει, absque præeunte habitu, velut ex tempore nascuntur.

Stultus

Stultus est qui mentiendo periculum à se vel ab alio conatur avertere: si vel mortis sit periculum. Hinc illud *Augustini* in Psal. 30. *Quis observat vanitatem? Qui timendo mori moritur. Timendo enim mori mentitur, & moritur ante, quam moriatur, qui ideo mentiebatur ut viveres Mentiri vis, ne moriaris, & mentiris & moreris: Et cum vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris, incidis in duas, ut prius in anima, postea in corpore moriaris. Unde hoc nisi observando vanitatem.*

§. 13. (3) *Mendacio officioso non competit vera mendacii definitio, quam Augustinus tradit. Mendacium est falsa vocis significatio ex voluntate fallendi, Ergo mendacium officiosum non est proprie dictum mendacium.*

Antecedens probatur: *quia in mendacio officioso non est animus fallendi.*

Resp. *Antecedens* nego: *probatio* falsa est. Etenim qui persuadere alteri vult, ut pro vero habeat, quod falsum esse ipse novit, is animum fallendi ipsum habet, & si persuaserit, actu fefellit, etiamsi boni alicujus obtinendi causa id fecit.

§. 14. (4) *In officioso mendacio non est intentio nocendi vel lædendi proximum. Ergo id non est illicitum.*

Resp. Negatur *consequentia*: Non enim de ratione mendacii, quatenus est mendacium & morale vitium, oppositum veracitati, est intentio nocendi, sed fallendi, & contrarium ejus, quod sentis, eloquendi alterique persuadendi.

§. 15. *Mendacium officiosum proprie non est mendacium. Ergo non est illicitum per legem, non dices falsum testimonium: qua prohibentur tantum mendacia proprie dicta.*

Antecedens prob. *Quia tantum perniciosum in specie sic dictum proprie est mendacium; cui quatuor competunt requisita. 1. Ut rei affirmatio per se sit mendax. 2. Ut certo constet dicenti, falsum esse, quod ut verum profert. 3. Ut id fiat contra gloriam Dei & dilectionem proximi. 4. Ut contraria veri professio sit necessaria justa & utilis. Hæc requisita proprie dicti mendacii non competunt officioso mendacio.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* falsa est: proprie mendacium est non tantum *perniciosum* in specie sic dictum, sed & *officiosum* & *jocosum*. Requisita illa quatuor si sunt solius mendacii *perniciosi*, aliud nihil evincunt, quam *officiosum* vel *jocosum* mendacium non esse *perniciosum* in specie sic dictum; sed & requisita illa non sunt propria *perniciosi*: competunt etiam suo modo & gradu *officioso*, quod sic appellatur. *In officioso mendacio* rei quæ

vere

vere neganda erat, affirmatio per se est mendax: constat dicenti falsum esse, quod ut verum profert. *Mendacium officiosum* divinæ repugnat gloriæ, quia legi divinæ adversatur & dilectioni proximi, qui legis divinæ violatione offenditur, contraria vero professio est *necessaria*, si omnino aliquid affirmandum vel negandum: quia mentiri nefas est: eadem est *Justa*, quia divinæ legi est conformis: est *utilis*, quia obsequium divinæ legi præstitum nunquam est inutile.

§. 16. (6) *Officiosi mendacii exempla in sacris habentur: ut in Abrahamo & Rebecca.* Genes. 12. & 20. v. 2. *In Jacobo affirmante se esse primogenitum benedicendum.* Genes. 47. *In obstetricibus Ægyptiis.* Exod. 1. v. 19. *in Rahab.* Josuæ 2. v. 4. 5. *In ipso Christo fingente, seu simulante se longius progressurum, qui tamen progredi ulterius non cogitabat*, Luc. 24. v. 28.

Resp. Nego *consequentiam*, quoad exempla quatuor priora: *ratio* est: quia non exemplis, sed legibus est judicium. Nec refert, quod exempla illa scriptura non vituperet: Sufficit, quod mendacium non laudet. In obstetricibus *Ægyptiacis* non laudatur aut compensatur mendacium, sed pietas erga Deum & commiseratio erga infantulos *Judæorum*: interim absurdi nihil est si dicas, utramque illam virtutem in obstetricibus per mendacium nonnihil fuisse inquinatam. Certe mirum est, quid in mentem venerit *Szegedino*. L. C. pag. 422. asserenti, *mendacium officiosum commendari in Scriptura.* (1) *Timore Dei*, in obstetricibus *Ægypti* Exod. 1. v. 19. 20. (2) *Charitate*, in *Michol*. 1. Reg. 19. v. 13. *Jonatha* 1. Reg. 20. v. 28. (3) *Fide*, in meretrice *Rahab*, Josuæ 2. v. 4. Heb. 11. v. 31. &c. Quasi vero in hisce mendacium commendetur & non potius *timor DEI*, *fides* & *charitas*, quibus mendacii species se sociavit.

(2) *Antecedens*, quoad exemplum Christi, quod quintum est, negatur, verba Euangelistæ sunt: αὐτὸς προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι: ubi *vulgata* reddit, *finxit* se, &c. Erasmus, *præ se ferebat*. Beza & alii, *Simulabat*. Lutherus, **Er stelte sich als wolte er fürter gehen.** Atqui *Fictio*, *Simulatio* species mendacii est. *Thomas* 2. 2. q. 111. art. 1.

§. 17. Miras heic videre & audire glossas est, præsertim *Scholasticorum*, *qui officiosum mendacium* improbant: Veritati magis consona hæc est interpretatio. Christum composuisse quidem gestum motumque corporis, ut faciunt longius progressuri: non tamen id fecisse, ut crederent discipuli, eum longius velle progredi; quamvis id existimaturos non ignoraverit; sed ut ipsorum erga se amorem & hospilitatis affectum hac ratione excita-

ret. Putat tamen *Rivetus*, aptius fortean dici posse, intentionem Christi fuisse ulterius procedere, nisi à discipulis ad manendum fuisset invitatus: quo modo asylum heic nullum invenit *mendacium officiosum*: modo verbum προσποιεῖσθαι non obstaret: quod si *simulare* vel *fingere* cum plerisque reddideris, non videbitur scrupulus plane exemptus. Nam si intentio Christi fuit ulterius procedere, non erat cur id simularet, imo non simulavit se facturum, quod intenderat facere: Si simulavit, intentio ulterius procedendi nulla fuit, simulamus enim id velle & intendere, quod non intendimus & volumus Quid ergo tandem statuendum? salvo aliorum judicio, negaverim προσποιεῖσθαι reddi debere *simulare*. In eadem enim constructione significat quoque aperte profiteri, apud *Platon.* in Epist. & *Gazam.* de senect. Dixerim igitur, aperte Christum esse professum se ulterius processurum, sed cum conditione subintellecta, nisi amica discipulorum vi retineretur. Sic promissiones quoque & comminationes divinæ nonnullæ sunt conditionatæ, quamvis expresse additas conditiones non habeant.

§. 18. *Exempla* alia, quæ ex scripturis pro mendacio officioso adducuntur: ut *Mosis* Exod. 5. coram *Pharaone* affirmantis; se cum *Israelitis* itinere tridui in loco deserto profecturum, ut Deo sacra faciant & diem festum celebrent: cum tamen populum prorsus abducere constituisset: *Israelitarum*, Exod. 11. & 12. pretiosam *Ægyptiorum* supellectilem utendam sumentium. *Jaelis*, Jud. cap. 4. *Sisseram* ad se invitantis & quasi tutum receptum promittentis. *Samuelis*, 1. Sam. 16. simulantis se sacrificii causa venire *Bethlehemum*, cum tamen *Davidis* eligendi causa adesset, *Jonathanis*. 1. Reg. 20 Davidem ruri latitantem fingentis in patriam sacrificii causa discessisse. *Davidis*, 1. Samuel. 21. dicentis se à rege festinanter missum *Abimelecho* sacerdoti, ut commeatum & arma impetraret. *Elisæ*, 2. Reg. 6. *Syros* Dothanum ituros, ut prophetam caperent, *Samariam* deducentis & regi Israelitarum in manus tradentis. Hæc, inquam, & similia alia exempla *officiosum mendacium* non excusant, ut *Heiderus* opinatur, Philosoph. moral. part. 2. p. 762. vocatis in auxilium bonis finibus, quibus obtinendis mendacia servierint: quia in iis tantum veri est dissimulatio, vel reticentia, non mendacium: aut *facti* sunt, non *juris*. Observetur illud *Augustini*, de mend. lib. cap. 10. *quando nobis è Scripturis sacris mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur: aut si mendacia sunt, imitanda non sunt: quia justa esse non possunt.*

§. 19.

§. 19. Quæritur (2) *An mentiri & mendacium dicere sint idem?*

Resp. Non sunt idem: nam qui mentitur, is contra mentem suam loquitur & alium cupit fallere: qui vero mendacium dicit, neminem intendit fallere, sed ipse fallitur, dum verum esse putat, quod tamen falsum est. De hac quæstione videatur *Gellius*, lib. 11. cap. 11. ubi observanda sententia Nigidii. *Vir bonus præstare debet, ne mentiatur: prudens ne mendacium dicat.*

§. 20. Quæritur (3) *An aliquis verum possit dicere & tamen mentiri?*

Resp. *Potest.* Siquidem verum aliquis potest dicere Logice, quando pronunciat, quod res est: ut si dicat, *esse Antipodes:* & interim mentiri potest Ethice, *Si non credat esse Antipodes*, adeoque contra mentem suam dicat.

§. 21. Objicitur. *Mendacium semper opponitur veritati. Ergo verum dicendo mentiri nemo potest.*

Resp. Nec *antecedens* simpliciter est verum, nec *consequentia*. Mendacium, quatenus est vitium morale, semper opponitur veritati, quatenus est virtus: vel mendacium ethice consideratum semper opponitur veritati ethice consideratæ: Idem vero mendacium ethice consideratum non opponitur veritati Logice consideratæ. Est autem *ethice considerata veritas* consensio verborum vel signorum cum cogitatione & mente loquentis: *Logice* vero *considerata* est consensio verborum cum re ipsa verbis significata; unde *ethice* verum loquitur; qui ita loquitur, uti sentit: *Logice*, vero qui ita loquitur uti res est: adeoq; *ethice* verum eloqui potest etiam is, cujus verba cum re non consentiunt, modo consentiant cum loquentis interiore sensu: & *ethice* falsum loqui, cujus verba dissentiunt ab interiore sensu, etiamsi cum re consentiant, ut exemplum in responsione allatum docet.

§. 22. Quæritur (4) *An fabulæ, quales scripsit Æsopus, nec non Tropi, sint mendacia?*

Resp. Non sunt mendacia, quia iis, qui fingunt ejusmodi fabulas doctrinales, quique Tropis utuntur, non est fallendi; sed veritatem occultiore & jucundiore quadam ratione docendi animus. Eadem est ratio parabolarum, quæ in historia Euangelica sunt frequentes.

Sed cum in tropis numerari quoque & nominari soleat hyperbole non levis circa eam occurrit scrupulus. Sunt qui à mendaciis eam immunem non esse contendant: Unde *mendacii speciem* nominant, item *ementientem superjectionem:* à qua sententia alienus non est *Seneca. Omnis hyperbole*, inquit, *extenditur, ut*

 ad ve-

ad verum mendacio veniat. Itaque qui dixit.

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Quod non poterat fieri, dixit, ut crederetur quantam plurimum posset. Et qui dixit.

Hic immobilior scopulis, violentior amne.

Ne hoc quidem persuasurum, putavit, aliquem tam immobilem esse, quam scopulum. Nunquam tantum sperat hyperbola quantum audet, sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat.

Hinc *Drexelius*, aliis religiosior Jesuita, cum hyperbolicas exploratorum de *Cananea* incolis & urbibus relationes ex Deuteronom. 1. v. 28. produxisset, & similes alias. *Qui veritati studet*, inquit, *exaggerationes omittat, hyperbolas caveat: suo rem pretio efferat. Non convenit Comœdiæ cothurnus, nec Tragœdiæ soccus: tenuia tenuiter, grandia grandius efferenda: Sua rebus sit autoritas, parvis parva, magna magnis. Proximus mendacio est, qui augere rem solet, aut imminuere.*

In hanc sententiam & alii concedunt Theologi, qui ex hac hypothesi, quod hyperbole sit species mendacii, vel non sine mendacio, negant in scripturis esse hyperbolicas locutiones sive à Deo, sive à Prophetis aut Apostolis profectas, quamvis referri in iis, tanquam ab aliis, non sine mendacio, profectas, quales & istæ exploratorum sunt, haud negent.

§. 24. Attamen negatio hæc manifestis videtur Scripturæ exemplis revinci. Judicum 7. v. 12. dicuntur *Midianitarum* & *Hamalekitarum* Cameli fuisse innumerabiles, multitudine pares arenæ, quæ est in maris littore. Quæ comparatio Spiritui S. in Scriptura veteris Testamenti est familiarissima. Sic 1. Samuel. 13. v. 5. dicuntur *Philistæi*, quod quoad numerum, pares fuisse arenæ, quæ est in maris littore: Cui exæquatur quoque multitudo populi Israelitici 2. Samuel. 17. v. 11. Hos. 1. v. 10. & magnitudo animi Salomonis, 1. Reg. 4. v. 29. Sic indignatio *Jobi* dicitur gravior arena maris, Job. 6. v. 3. Omnes terræ reges dicuntur ad Salomonem venisse, 1. Reg. 4. v. 34. *Salomonis* tempore redditum dicitur Jeruschalaimis *argentū ut lapides* 1. Reg. 10. v 27. Sic Actor. 2. v. 5. *Hierosolymis* dicuntur fuisse *viri religiosi ex omni natione sub cœlo.* Inprimis vero insigne occurrit exemplum, Johan. 21. v. 25. ubi Euangelista ait, *si omnia, quæ fecit Christus, scribantur sigillatim, ne Mundum quidem capturum libros eos, qui scriberentur.*

Hyperbolicas esse has locutiones etiam Spiritui Sancto usitatas non video qui commode negari possit. Majorem fuisse arenarum maris

maris numerum, quam vel *Midianitarum*, vel *Hamalekitarum*, vel *Philistæorum*, *Israelitarum*, quis quæso negaverit? Omnes hi populi in unum collecti numerum dubio procul granulorum maris numerum haud æquabunt: qui tamen singuli æqualle arenam maris dicuntur. Gravior arena maris Jobi indignatio sine hyperbole dici non potest. Ad *Salomonem* omnes venisse terræ reges κατὰ τὸ ῥητὸν nemo facile admiserit: uti & Hierosolymis fuisse tum religiosos viros ex ultimis Indiis plagisque meridionalibus & septentrionalibus plane non est verisimile. Nationes dubio procul pleræque omnes recensentur, v. 7. 8. 9. 10. 11. in quibus nec ultimi sunt Indi orientales vel occidentales, nec ultimi populi Septentrionis vel Meridiei: & ne Germani quidem fuerunt. Locum Johannis 21. cum de scriptis libris proprie & κατὰ τὸ ῥητὸν intelligi non posse omnes videant, nonnulli ex Patribus quoque, ad declinandam hyperbolem, interpretantur de majestate & sublimitate rerum Mundi captum excedente: quod à simplicitate textus & narrationis alienum videtur: Siquidem animus Euangelistæ est, docere plurima fuisse à Christo miracula edita. quæ scripta in libro illo non sint, neque scribi, propter multitudinem, potuerint: quod frustra diceret, si rerum duntaxat majestatem & profunditatem intelligi voluisset: quando vel unicum Christi factum aut dictum excedere mundi hujus captum potuisset. Agnoscenda igitur hyperbole *cum Augustino* & aliis Patribus, adeoque negandum in mendaciis numerandas esse hyperbolicas locutiones: quibus si sapientes & veraces utantur viri, legentes vel audientes non magis intendunt fallere, quam si vel allegorice, vel metaphorice, aut metonymice, &c. loquantur: adeoque non magis illi, quam isti, ullius argui possunt mendacii. Ut enim utrobique absurdum est τὸ ῥητὸν, ita conveniens διάνοια.

§. 25. Observanda sunt illa *Augustini* ex tract. 124. in Johan. *Salva rerum fide plerunque verba excedere videntur fidem, quod non fit, quando aliquid, quod erat obscurum vel dubium, causa & ratione reddita, exponitur; sed quando id, quod apertum est, vel augetur, vel extenuatur, nec tamen à tramite significandæ veritatis erratur, quoniam sic verba rem, quæ indicatur, excedunt, ut voluntas loquentis, nec fallentis, appareat qui novit, quo usque credatur, à quo ultra quam credendum est, vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. Hunc loquendi modum græco sermone, non solum Græcarum verum etiam Latinarũ literarum magistri Hyperbolem vocant: qui modus sicut hoc loco ita in nonnullis aliis divinis literis invenitur*, &c. Sic & *Theoph*. in

cap.21. *Mos scripturæ est hyperbole uti.* Recte *Keckerm. in Rhetor. Hyperbolica oratio est, qua plus dicitur, quam in re ipsa est: Sive cum verba excedunt mensuram rerum, ita tamen ut absit mentiendi propositum, adsit tantum ornandi voluntas.*

§. 26. Quæritur (5) *An mentiatur, qui minus sibi tribuit, quam habet?*

Resp. *Distinctione* opus. Minus sibi aliquis tribuit vel prorsus negando, quod habet: vel affirmando non omne, sed aliquid, quod habet. Illud est mentientis: Hoc etiam vera dicentis: ut supra quæstione 4. vidimus.

§. 27. Quæritur (6) *An omnis simulatio sit morale vitium?*

Resp. *Affirmativam* defendimus cum *Thoma* 2. 2. q. 111. art. 1. Ratio est: Simulatio est mendacium: Ergo est vitium morale. *Antecedens* prob. Quia per externa signa contrarium ejus, quod est in animo, significatur. Atqui mendacium hoc est, sive signa sint verba, sive gestus, sive facta alia ad ejus, quod quis sentit, contrarium significandum comparata. Unde *Thomas, simulatio*, inquit, *propriè est mendacium quoddam in signis externorum factorum consistens.* Addit. *Non refert utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocunque alio facto.* Assentitur *Cicero* de Amicit. quando ait, *rerum omnium simulationem esse vitiosam, quod judicium veritatis tollat & adulteret, quodque veritatem deleat.* Alibi dicit, *frontem, oculos vultum persæpe mentiri. Arnobio*, lib. 2. advers. Gent. synonyma sunt, *simulare, mentiri, circumscribere, fallere, illaqueare, decipere, mente aliud volvere, aliud in facie polliceri.*

Objicitur in contrarium.

§. 28. (1) *Ipse quoque Deus aliquando simulavit: Ergo simulatio non est vitium morale.*

Antecedens probare conatur *Lutherus* ex cap. 22. Gen. cujus in commentario hæc sunt verba: *Deus dixit ad Abrahamum: Occide filium &c. Quomodo? Ludendo, simulando, ridendo. Felix sane & jucundus lusus! Sic fingit interdum à nobis se longius recedere & nos occidere; sed quis credit simulationem esse? Atqui apud Deum est lusus*, &c, *si liceret ita dicere, mendacium est.* Et paulo ante. *Quando mors oppetenda est, pii possunt ad Deum dicere: Non est mors, sed vita: tu ludis mecum, sicut pater cum filio, aliud dicis, aliud cogitas. Id nobis salutare mendacium est.* In hanc Dei simulationem consentit quoque *Gerhardus*, Jenensis Theologus.

Resp. *Antecedens* negamus. Simulatio mendacium est, quod tribui Deo non nisi per blasphemiam potest. Absit ut simulasse

Deum concedamus, quando *Isaacum* mactari jussit. Contrarium consilio & decreto suo nihil mandavit Deus, qui ad mactandum filium accingi Abrahamum voluit, & hac intentione mactari jussit; quod & fecisset, nisi vis major impedisset. Quomodo diversis Dei conceptibus & decretis, circa *Isaaci* mactationem, applicanda sint diversa signa, jam pridem in *Theologia Christiana* ostendimus, proleg. cap. 2. ad §. 5. *Lutheri* glossam plane repudiamus. Contra vero *Calvino* assentimur, de æterna prædest. volum. pag. 729. *Sive*, inquit, *nobiscum balbutit Deus, sive, quod nobis novit incomprehensibile esse, subticet: in ejus tamen sermone quicquam fictum aut simulatum esse negamus.* Bezæ assentimur, de prædest. contra Castell. vol. 1. pag. 417. *Deum aliud in ore, aliud in pectore gerere qui dixit, anathema esto.*

§. 29. (2) *Christus aliquando simulavit*, *Luc.* 24. v. 28. προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι: *Simulabat se ulterius progressurum: quo nomine mendacium officiosum Christo tribuit Lutherus in cap 20 Genes.*

Resp. *Antecedens* negamus, ad allegatum *Lucæ* locum jam ante respondimus, quæst. 1. Mendacium officiosum absurde Christo tribuitur, omne mendacium est vitium morale, adeoque illicitum vid. quæst. 1.

§ 30. (3) *David simulavit insaniam, apud regem Acischum,* 1. *Samuel.* 21. *v.* 14. *Jehu simulavit se idola velle colere*, 2. Regum 10. v. 18. 19. 20. &c. *Jacob simulavit se Esavum, ut paternam auferret benedictionem.* Genes. 27. v. 17. 18. 19. 20. 21. &c. *Joseph multa simulavit in actione illa cum fratribus*, Gen. 44. *Ergo non omnis simulatio est morale vitium.*

Resp. Negatur *consequentia*. Satius est fateri, Davidem aliquid humani passum, quam negare simulationem esse morale vitium.

§. 31. Neque est quod de peccato *Jehu* excusemus. L. Altioris indaginis sunt reliqua duo exempla *Jacobi* & *Josephi*. Et *Jacobum* quod attinet, non facto tantum ille simulat se *Esavum*, quando pellibus hœdorum lactentium manus & collum induit, ut *Isaaco* cæco palpanti videretur *Esavus* esse hirsutus, seu pilosus. v. 17. 18. sed & interrogatus quisnam esset, diserte respondit. *Ego sum Hesau primogenitus tuus.* v. 21. & 26. addiditque, *se fecisse, quemadmodum edixerit ipsi Pater:* hoc est, feram venatum esse: uti Esavo præceperat Isaac. v. 5. Atqui *Jacob* non fuit *Esau:* neque *Jacobum* venari jussit *Isaac:* neque venatus fuit *Jacob*. Valde heic se torquent Interpretes, & in tres distinctas

abeunt sententias. *Nonnulli* negant *Jacobum* sive dicto, sive facto mentitum esse aut simulasse. *Alij* concedunt mentitum esse & simulasse, sed negant mentiendo & simulando peccasse. *Alij* & mentitum esse & peccasse affirmant. Rationes pro singulis adductæ sententiis videantur apud *Pererium*, in Gen. cap. 27. disp. 2. 3. 4. & *Rivetum* in Gen. Exer. 119. Qui primam amplectuntur sententiam, historicam & simplicissimam *Mosis* narrationem miserrime torquent & eludunt: quibus etsi videri vult assentiri *Pererius*, tandem tamen fatetur, duo illa *Jacobi* dicta: *Feci sicut præcepisti mihi:* &, *comede de venatione mea* difficulter ad veritatis sententiam accommodari posse.

Alteram sententiam acriter impugnat *Pererius*.

Tertiam cum *Calvino* & *Riveto* nos amplectimur: quam non paucorum, nec ignobilium Doctorum esse *Pererius* affirmat, inter quos *Scotus* in 3. Sent. dist. 38. *Lyra*, in hunc locum. *Tostatus*, in eundem. *Adrianus*. Quod lib. 1. resp. ad. 3. *Lippomanus*, in Caten. in Genes. *Cajetanus* in illa verba. *Ego sum Esau primogenitus* tuus. Inter recentiores *Marius*, Professor Coloniensis comment. in *Pentateuch*. Neque quisquam ab ea absterret *Pererium*, nisi doctorum diversorum sentientium reverentia, ut ipse fatetur disputatione quarta extrema. Tam facto, quam verbis fallere intendit & fefellit *Jacobus* Patrem, instinctu matris *Rebeccæ*. Hoc igitur exemplo illicita esse non definit simulatio. Interim hanc ipsam ἀταξίαν, quæ in dictis factisque Rebeccæ & Jacobi occurrit, divina sapientia in finem direxit optimum.

§. 32. *Josephi* dicta & facta in veritatem & ipsa impingunt: ut res ipsa loquitur: verba, gestus & facta externa à mente *Josephi* discreparunt, vitiique moralis expertia non fuerunt. Fratres suos accusavit furti & ingratitudinis; quos neutrius esse reos sciverat. Finis non facit ut per se bonum sit, quod formaliter malum est: quale est omne mendacium.

(4) *Quatuor sunt simulationis species & modi, ut ex Scoto docet Pererius.*

§. 33. (1) *Simulatio noxia deceptionis ad fallendum alios perniciose, aut ad aliquid improbe obtinendum: qualis est in hypocritis & improbis mercatoribus.*

(2) *In loco & tempore utiliter usurpata ad juvandum, admonendum, instruendum aut corripiendum: qualis fuit Davidis apud Regem Achis* 1. Samuel. 21. v. 14. *& quali utuntur nonnunquam medici erga ægrotos curationem recusantes: quo refert quoque simulationem Josephi.*

(3) *Ex*

(3) *Ex divino instinctu & monitu profecta: qualis fuit Hebræorum Ægyptios spoliantium, & Josuæ contra hostes*, cap. 8. *ubi fugam simularunt Hebræi.*

(4) *In bello justo contra hostes adhibita, quam Stratagema militare appellant.*

Harum quatuor specierum prima est improba & damnanda: tertia laudanda: Secunda & quarta sine peccato adhiberi potest: Ergo non omnis simulatio est illicita.

Resp. Simulatio proprie dicta nobis ea est, qua per sensibile factum inprimis ejus, quod sentis, verumque judicas, contrarium alteri intendis persuadere: Mendacium in specie sic dictum a simulatione in specie sic dicta distinctum in verbis, non in factis, esse plerique volunt; & sic distinctas mendacii species constituunt, *simulationem* & *mendacium* in specie ita dictum: ita tamen ut non minus mendacium proprie & vere dictum sit simulatio, quam mendacium in specie sic dictum, quo aliter loqueris, aliter sentis. Interim in *verbis* quoque simulatio consistere vulgo dicitur. Quicquid sit, mendacium est proprie dictum, sive verbis, sive factis contrarium ejus, quod sentis, persuaderi alteri conatis. Jam species à *Scoto* & *Pererio* assignatas videamus.

Prima citra controversiam est mendacium proprie dictum, quod in specie *perniciosum* vulgo appellant.

Secunda pertinet ad *mendacium officiosum:* quod & ipsum nobis est mendacium proprie dictum, adeoque sine peccato non adhibetur.

Tertia à nobis non agnoscitur: Ut enim Deus non indiget mendacio nostro, Job. 15. Ita mentiendi autor est nulli. Neque Hebræis fuit, quando jussit eos petere ab Ægyptiis vasa aurea & argentea: petebant, non per vim eripiebant, quæ à Deo tanquam propria ipsis assignata erant. Exo. 11. v. 2. 3. In *Josuâ* non fuit simulatio proprie dicta, sed consiliorum duntaxat occultatio. Recessum *Hebræorum* cives *Haij* fugam sunt interpretati suo malo, non culpa & vitio Josuæ recessum imperantis.

Quartâ quoque nobis non probatur: Etsi Stratagemata, quibus consilia hosti occultantur & insidiæ struuntur, simpliciter non improbantur: nec enim necessario conjuncta sunt cum simulatione proprie dicta.

§. 34. *Excipit Pererius* & cum eo alii: *non eandem esse rationem verborum & factorum, quoad mendacium: verbis mentiri quocunque modo semper esse peccatum: factis autem mentiri & simulare non semper esse cum peccato conjunctum & mendacium proprie dictum.* Rationem reddunt: *quia dispar est*

ratio verborum & factorum ; quia etsi facta adhibentur etiam ut signa interioris sensus & voluntatis, ad id tamen verba per se & natura sua, atque eo ipso, quo verba sunt, instituta fuerunt : facta vero non nisi secundario & per accidens: Deinde verba conceptus animi distincte significant, facta confuse & indefinite : adeoque mendacium in verbis nunquam potest esse licitum, simulatio autem per facta & signa externa, quæ aliis acceptari sunt in alium finem, quam intendatur à nobis potest fieri licita.

Resp. *Exceptio* hæc partim nullius est momenti, partim dat, quod volumus : Hactenus par verborum & factorum est ratio: quatenus non minus factis, quam verbis hoc intendimus, ut contrarium ejus, quod sentimus, & in animo habemus, alteri persuadeatur, ut credat ille verum esse, quod falsum esse nos novimus, veluti *Jacobus* indutis pellibus hœdorum persuadere suo Patri *Isaaco* voluit, se esse Esavum. Non tam signi natura heic attendenda, quam intentio fallendi per signum. Etiamsi facta per se & natura sua non significant, quod simulator vult, tamen ad id significandum ab ipso adhibentur, & ad fallendum idonea judicantur. Quin & facta sunt, quæ ex hominum instituto non minus aliquid certi distincte significant, quam verba. Ita interrogantibus affirmate & negate respondemus motu capitis, quando annuimus vel abnuimus. Unde *Cicero* ait, *frontem oculos & vultum persæpe mentiri. Non refert*, inquit *Thomas*, quem supra allegavimus, *utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.* Neque falli nostra culpa dicimus, qui signa in alium accipiunt finem, quam à nobis intenduntur. Ubi intentio decipiendi per signa non est, ibi nec deceptio cuiquam exprobari potest.

§. 35. Quæritur (7) *An Socrates, quando interrogantibus, quam artem sciret, respondit, id unum scire, quod nihil sciret. Simulaverit & mentitus fuerit?*

Resp. *Cicero* lib. 1. off. *In omni oratione*, inquit, *dissimulatorem (quem εἴρωνα Græci nominaverunt) Socratem accepimus:* quod probari vix poterit, nisi dissimulatorem, seu εἴρωνα hoc loco interpreteris, quem *Aristoteles* ἐλλειπτικὸν nominat : qui minora sibi tribuit, quam habet : qui modesti quoque hominis character est. Interim quando hoc unum se scire dixit *Socrates*, quod nihil sciat, de simulatione & mendacio excusari potest & solet

(1) Quia non absolute, sed comparate se nihil scire sensit & phrasi illa significavit. Intellexit enim eorum, quæ scivit, vix ullam esse proportionem ad ea, quæ nescivit : præsertim si humana

mana scientia cum divina comparetur sapientia: tum enim illa pro ignorantia fuerit habenda.

(2) Quia ad omnimodam humanæ scientiæ imperfectionem dubie procul respexit: adeoque se nihil scire dixit, quia se nihil perfecte scire intellexit. *Unde oraculo*, inquit, *Minutius universis prepositus est: non quod omnia comperisset, sed quod nihil se scire didicisset. Ita confessa imperitiæ summa prudentia est.* Paulo aliter *Socratem* excusat *Lactantius*, de ira Dei cap. 1. Longius progressi *Anaxarchus* & *Metrodorus*, qui ne id quidem se scire dicebant, quod nihil scirent: *Laert.* lib. 9. *Sextus Empiricus* lib. 7. Qui tamen modum excesserunt & omnia certitudinis criteria sustulerunt: quæ quasi insania est & magna in Deum ingratitudo. Hos inquit, *Lactantius*, ignorationem & didicisse & docuisse: de fals. sap. lib. 3. cap. 27.

§. 36. Quæritur (8) *An mentales Pontificiorum, & Jesuitarum inprimis reservationes & æquivocationes verbales sint mendacia?*

Resp. Veritatis occultandæ modus est *reservatio mentalis*, usitata Pontificiis, & inprimis Jesuitis, etiam in judiciis: ut si reus dicat, *se non fecisse, aut nescire, quod fecit & novit*: & in mente interim reservet sensum: *quod non fecerit aut noverit ita, ut velit illud manifestare*. &c. Hujusmodi *reservationes mentales* & *æquivocationes*, mendacia esse, ipsamque mentiendi artem judicia eludentem, probatur.

(1) Quia testimonii doctrinam & naturam evertunt: quæ enim in mente reservatur sententiæ pars, nihil significat aut testatur.

(2) Quia profluunt ex intentione fallendi & contrariam veritati opinionem in alterius animo generandi.

(3) Quia per hujusmodi reservationes reus non tantum dicit & testatur, quod falsum est, sed etiam quod novit esse falsum: adeoque formaliter & materialiter, hoc est, perfecte mentitur.

(4) Si reus, qui hoc vel illud fecit, diceret se fecisse, utique verum diceret. Ergo falsum dicit & mentitur, quando negat se fecisse.

(5) Si *mentales reservationes* impedirent, quo minus mentiretur qui contrarium ejus, quod eloquitur, sentiret & sciret, omne excusari mendacium & pro non mendacio haberi posset. Siquidem nullum est mendacium, cum quo non conjungi possit & conjungi soleat mentalis aliqua reservatio. *Nihil tam falsum esse potest*, inquit *Azor*, lib. 2. cap. 4. *quod non queat ab omni mendacio*

mendacio liberari, si aliquid arbitratu nostro mente tacitum retineamus.

(6) In eandem sententiam & pontificii religiosiores concedunt: ut *Scotus*, de just. & jur. lib. 5. q. 6. art. 2. *Dicere, non feci, quod tamen feci, licet cum hac mentis limitatione, ut tibi significem, non est æquivocatio, sed mendacium. Scoto* assentitur *Covarruvias*, variar. resol. lib. 4. cap. 2. Improbitatem non excusat restrictio hujus licentiæ ad casus certos. Nempe licere putant, etiam sub juramento, absolute negare verbis, quod quis novit verum esse. 1. *Si audiverit illud in confessione.* 2. *si non juridice interrogetur à judice.* 3. *si per interrogationem injuria ipsi inferatur.* 4. *si adsit aliqua rationabilis causa.*

Per nullam *conditionum* harum mendacium evitatur vel licitum redditur. Aut dicendum quod scis & sentis, aut interroganti non respondendum, aut aperte recusanda confessio.

§. 37. Pro defensione sui objiciunt hi *æquivocatores* & *reservatores* exempla quædam scripturæ.

(1) *Christus* Matth. 9. v. 24 *de puellâ mortuâ dixit, non est mortua: per mentalem reservationem: intellexit enim hoc, respectu sua potestatis & voluntatis.*

Resp. 1. *Exemplo* hoc non possunt excusare mendacia sua: Quia prorsus est dissimile: nullum heic secretum confessionis; nulla præter jus facta interrogatio: nulla Christo illata injuria; nulla rationabilis causa ad æquivocationem Christum adigens: sed sermo usitatus Christo in communi conversatione.

2. Non tantum dixit Christus, *non est Mortuâ*: verum addidit, *sed dormit*: Unde sensus verborum Christi, ex circumstantiis, absque mentali reservatione, manifestus fuit: Quando enim dixit *dormire eam, non esse mortuam*, eam significavit ejus esse conditionem, quæ, non mortuorum, sed dormientium esse solet, ut mox suscitentur. Mortui enim ordinarie ante ultimum diem non suscitantur, Joh. 11. v. 24. Eadem phrasi eandem ob causam, Christus quoque usus est; eodem capite. v. 11. *Lazarus amicus noster dormit, proficiscor, ut à somno excitem eum*: ratio eadem est.

§. 38. (2) *Christus cum mentali reservatione dixit* Marc. 13. 32. *Filium nescire diem & horã ultimi judicii: ubi mentalem reservationẽ nonnulli dicunt hanc fuisse: ut discipulis aut aliis patefaciat.*

R. Non opus heic comminisci *Jesuiticam reservationem* aut *æquivocationem*: id enim, quod res erat, aperte Christus enunciavit: nescivit enim Filius, qua homo, etsi scivit qua Deus. In statu humiliationis *ignorantia pura negationis* non adversabatur humanæ Christi naturæ. §. 39.

§. 39. (3) *Christus Luc. 24. v. 28. Simulabat se longius iturum, qui tamen longius ire non cogitaverat.*

Resp. De hoc loco supra actum. Nos simulationem nullam admittimus. Ajunt tamen alii, simulationem fuisse non in *verbis* veritati contradicentibus, sed in *gestibus* veritati consentientibus. Composuit se dominus tanquam longius iturus, nisi in contrarium vehementer instarent discipuli.

§. 40. (4) *Christus dixit Johan. 7. v. 8. Ego non ascendam ad festum: qui tamen ascendere cogitaverat, uti & ascendit v. 10.*

Resp. In plerisque codicibus vetustis legitur, *οὔπω ἀναβαίνω*: *nondum ascendo.* Nonnulli habent, *οὐκ ἀναβαίνω*: quod *Syrus* interpretatur, *οὐκ ἀναβαίνω νῦν*: *Jam non ascendo.* Ratio additur in eodem textu. *Quia tempus meum nondum impletum* est. Sive igitur *οὔπω*, sive *οὐ* legatur è contextu manifesta est sententia & sine ulla æquivocatione prolata. Ascendit deinde, quando tempus fuit impletum. De hisce *Jesuitarum* æquivocationibus consule *Rivetum*, in Expl. Decal pag. 397.

§. 41. Quæritur (9) *An hæreticis sit servanda fides?*

Resp. Pertinet huc quæstio: quia datam servare fidem est actus veracitatis: occasionem quæstioni præbuerunt autores & patroni *æquivocationum* & *reservationum mentalium*, qui mentiendi artem profitentur. *Affirmativam* quæstionis approbant, quicunque mendacium oderunt, & in illicitis numerant: quicunque perfidiam execrantur & humanæ societatis vinculum esse fidem servatam credunt. Tolle fidem, & illico humanæ societatis dissolves compagem. *Nemo est*, exclamat Cicero, *qui non hanc affectionem animi probet atque laudet, qua non modo utilitas nulla quæritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides.* Apud *Tacitum Germanicus* clamitat. 1. Annal. *Se moriturum potius, quam fidem exueret. Fama & fidei damna*, inquiunt Consules apud Livium, lib. 3. *majora sunt, quam quæ æstimari possint.* Ille solus in tentorio Jehovæ commorabitur, & in monte sanctitatis ejus habitabit, qui ambulat integre exercetque justitiam, *qui loquitur veritatem ex animo suo, qui juratus in damnum suum non tamen mutat.* Psal. 15. v. 1. 2. 4. Aut igitur danda non est fides, aut si detur, servanda, etiam hæreticis. Nam & hi sunt homines, quibus falso illudere testimonio non magis licet, quam religiosissimis. Justæ actionis norma lex est, non hæc vel illa hominis conditio.

Infame hoc dogma, de fide hæreticis non servanda, quorundam est doctorum pontificiorum, inter quos, præter alios multos, est *Simanca Episcopus Pacensis*, de cathol. Inst. cap. 46. n. 52.

Nullo,

Nullo, nullo, nullo modo fides hæreticis servanda est, etiamsi juramento firmata sit. Item. *ad pœnam & odium hæreticorum hoc pertinet, quod fides illis data servanda non sit, non obstante juramento.* In specie vero pacem politicam Euangelicis promissam & juratam à Pontificiis servandam esse plurimi negant: hos inter *Cardinalis Hosius.* Epist. 197. 202. 210. ad regem *Poloniæ.* Et *Conradus Brunus*, de hæret. lib. 3. multis probare conatur, *pacificationes cum diversæ religionis hominibus initas esse irritas:* quia cum hujusmodi hæreticis Catholico nulla pax esse possit; ut illi offendi ac conteri non possint. Pertinet huc infamis illa *compositio pacis.*

§. 42. Longe tamen aliter per Dei gratiam, *augustissimus Imperator Romanus* cum augusto suo senatu collegio reliquisque illustrissimis ordinibus: qui iis etiam, quos alias pro hæreticis habent, datam fidem sancte & religiose servandam censent; monstrum contrariæ assertionis execrantes.

Interim sine fronte *Molanus*, tract. 2. Theolog. pract. scribit: *Mentiri hæreticos à Pontificiis Theologis doceri, hæreticis fidem servandam non esse.* Notum quoque est decretum Synodi *Constantiensis:* quod in hæc verba contrahit *Binnius: Decretum est à Synodo, non obligari patres concilii per salvum conductum à seculari potestate hæreticis concessum, eosque pertinaciter in hæresi permanentes justo judicio puniendi potestatem habere.*

§. 43. Quæritur (10) *An promissio certæ alicujus pecuniæ, pro conservanda vita latroni vel prædoni facta & juramento confirmata, obliget & servanda sit?*

Resp. Nobilem & difficilem quæstionem hanc judicat *Libenthal*, Colleg. Eth. Ex. 5. q. 8. Cujus *affirmativa*, ut ipse fatetur, multis arridet non tantum Theologis & Philosophis, sed & JCtis, inter quos *Joach. à Beust.* tract. de jurejur. *Speckhan.* cent. 2. Class. 2. q. 14. *Setzer*, tract. de Jurejur. lib. 1. cap. 20. n. 1. vix ullum esse cordatum Theologum aut Philosophum crediderim, qui *affirmativam* non amplectatur. Interim *negativam* serio propugnat *Libenthal.*

Affirmativa nostræ fidem facimus argumentis sequentibus.

(1) Promissio certæ alicujus pecuniæ pro conservanda vita latroni vel prædoni facta & juramento confirmata est de re possibili, licita & minime temeraria. Ergo obligat & servanda est.

Antecedens manifestæ veritatis est: Dari enim potest pecunia, vitam pecunia redimere licet, & res ardua est vitæ conservatio. Pluris qui facit pecuniam, quam vitam, indignus est vita.

(2) Licet præsenti pecunia à latrone vitam redimere: imo redimenda

dimenda est, si redimi possit ex tempore, etiam nullo interveniente juramento. Ergo redimenda quoque postquam, interveniente juramento promissorio, ad redemtionem te obligasti.

Antecedens est extra omnem controversiam. Pro *consequentia* infringenda nulla reddi potest idonea ratio. Accedit enim ad inæstimabile vitæ pretium omnium maxima obligatio per religiosissimam promissionem.

(3) Etiam hosti data fides est servanda, de sententia communi Gentilium & Christianorum, præsertim vero Theologorum. Ergo & prædoni vel latroni: qui hostis tuus est: Quis neget hodie militi & vastatori & incendiario, ad redimendas & conservandas fortunas, jurato promissam pecuniam esse solvendam, & sic fidem servandam. Quis neget ad hostem redeundum esse ei, qui reditum jurato promisit? Der auff Parol ist loß gelassen.

(4) Præstat mori, quam scientem & volentem juramentum, de re possibili, violare. Est enim juramentum hujusmodi invocatio Dei, qua ipse tanquam sponsor interponitur & severus perjurii vindex imploratur.

(5) Quia a tentorio Dei excluditur, qui etiam in damnum suum juratus mutat. Psal. 15. v. 4.

(6) Quia gravissime Deus *Zedekiæ* regi fuit iratus, quod datam juratamque regi *Babyloniæ* fidem violaverit, & Ægyptios contra Babylonium imploraverit. Ezech. 17. v. 13. 14. 15. Exempla è sacris petita alia videantur apud *Martyr.* in CC. L. pag. 661. *&* *Danæum* in Eth. lib. 2. cap. 9.

§. 44. Pro *negativa* stat & pugnat *Libenthal* sequentibus argumentis.

(1) *Juramentum latroni vel raptori præstitum est contra bonos mores. Ergo non est obligatorium.*

Antecedens prob. *Quia præstare prædoni vel latroni rem promissam est latrocinium & raptum comprobare, insuperque turpe est & contra utilitatem publicam prædoni aliquid dare, quem non maleficii accipere præmium, sed egestate laborare par est.*

Resp. *Antecedens* negatur: Est de re licita, possibili & in Dei legem non impingente. *Probatio* partim falsa, partim inconsequens est. Qui latroni ob vitam donatam præstat pecuniam promissam, non comprobat latrocinium vel raptum, sed juratam fidem servat cum improbatione & execratione latrocinii: neque unquam se obligavit ad comprobandum latrocinium, quod pœna dignum esse ipsi etiam latrones sciunt. Neque turpe est & contra utilitatem publicam prædoni dare, quod te daturum juraveris, quia dandi causa est honesta, nempe promissio juramento firmata,

firmata, eaque de re possibili & licita: potest cum vita redimi pecunia & licet eam redimere pecunia charior & pretiosior est vita, indignus est vita. Neque utilitas publica promovenda est per datæ & juratæ fidei violationem: magisque consulit utilitati publicæ, qui civem ejus unum conservat, quam qui pecuniæ alicujus jacturam declinat. Denique datur latroni promissa pecunia, non ut egestas ejus sublevetur, sed ut jurata fides serretur.

(2) *Si jurato promissa latroni pecunia esset danda, juramentum esset vinculum iniquitatis: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.*

Resp. *Connexi consequentia* negatur: Quia jurato promissam latroni pecuniam pro vita redimenda solvere non est iniquum, etsi ad hujusmodi juramentum adigere est iniquum. Itaque juramentum hujusmodi qui præstat; se jurisjurandi religione exsolvit & vitam redimit, quorum utrumque tenetur facere; etsi faciendi necessitatem latro per iniquitatem attulit.

(3) *Juramentum legitimum & obligatorium tres debet habere comites, veritatem, judicium & justitiam*: C. Etsi Christus, §. *Jacobus*, extra: de jur. jur. *Quod Latroni vel raptori fit, comites illos non habet: Ergo non est legitimum & obligatorium.*

Resp. *Assumtio* negatur. Est, ex parte promittentis & jurantis, *veritas*, est *judicium* & *justitia*, si, quod jurato promiserit, quoque præstiterit. Justum est præstare, quod jurato promiseris, si, quod promisisti, præclare sit possibile & divinæ non adversetur legi: Ex amore veritatis præstatur, quod hoc modo promissum præstatur: Neque sine judicio fit hæc promissio, ejusdemque impletio: Recte enim judicat, qui vitam pecunia redimendam judicat, recte judicat, qui juramentum de re possibili & Dei lege non prohibita factum violari non debere judicat. Miror quid in mentem venerit *Libenthalio.*

§. 47. Quæritur (11) *An Causidici bona conscientia in se recipere patrocinium causarum, quas malas esse sciunt, possint.*

Resp. De jure quæstio est; quo bonæ conscientiæ spectat mentio. *Factum* est tritissimum. Sunt ex causidicis multi, qui causarum deploratarum in se recipiunt patrocinium, quamvis jus & justitiam à se non stare probe norint. In hujusmodi cadavera rogati vultures magno ruunt impetu, quibus se pascere & saginare amant: etsi interdum & ingenii ostentandi ansam arripiunt: putant enim ingenium patroni & causidici magis elucere ex causæ injustæ, quam justæ, patrocinio. Unde manifestos etiam homicidas, latrones, fures, adulteros, &c. è magistratus & carnificis

nificis extorquere manibus per juris speciem anxie laborant. Clamitant, scriptitant, reos informant, à litis contestatióne dehortantur, prætextus conquirunt, circumstantias comminiscuntur, testes subornant & ad arbitrium miris modis invitum jus torquent artibus turbandi judicem variis in auxilium vocatis.

Ad quæstionem expedita responsio est: *Non possunt:* Quia sine mendaciis & fraudibus se nihil obtinere posse norunt. Unde mendaciis nocentes & reos instruunt, tergiversationes præcipiunt, & à veri investigatione omnibus modis abducere judicem nituntur, fidiculas legibus admoventes & mendaciis flagitia pingentes: ut tandem mala triumphet causa & ex maledicto semine aurea colligatur messis. Unde patronorum horum mendacia *Ludovicus Malvenda* nominat *deaurata*. Tu quæso, lector, cogita, utrum horum sit atrocius, homicidium, an defensio homicidii: Et an non præstet, homicidam esse pœnitentem, quam homicidæ defensorem pertinacem?

Galeatius, Mediolanensium dux, cum aliquoties audiisset, admodum vafro esse ingenio causidicum quendam, qui etiam in manifesto & liquido jure lites posset serere & satas alere, ad se accitum affatur. *Heus tu*, inquit, *debeo pistori centum aureos: quos solvere ipsi animus non est. Tu vero anne tueri me jure potes & rem protollere?* Annuit ille & promtam principi offert operam. Dux vero confessum rabulam primum acriter increpat; mox in crucem agi & laqueo suffocari jubet. Id si hodieque fieret multis in locis non adeo triumpharet injustitia.

§. 48. Non tamen deest, quod excipiatur: *Si non nisi bonarum causarum suscipiendum esset patrocinium, non haberent plerique causidici quod agerent & plane sterilia ipsis essent studia: mali etiam manerent indefensi. Atqui iniquum hoc.*

Resp. Perinde videntur hi disputare, atque *Colonienses* mercatores duo, quorum paulo ante facta mentio, qui cum propter mendacium reprehensi à Curione essent, *alter, ô Domine*, inquit, *videris nescire nos mercatores esse. Atqui mercaturam facturus jurare & mentiri sciat necesse est: hæc nostra est rhetorica. Sine hac fame periremus.* Sed fiat justitia & pereat mundus. Manifeste mali non sunt defendendi, sed puniendi.

CAPUT XXXII.

De

OBSERVANTIA.

THESIS I.

Observantia est justitia, per quam homines nobis ætate, statu, donisque superiores cultu quodam veneramur.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBJECTUM hujus virtutis præcipuum est cultus & honor externus iis, qui statu, ætate aut donis nobis sunt superiores, debitus. *Officium* igitur virtutis hujus est, sermone gestu & qua possumus externa significatione testari, quanti in animo facias eos, qui te superiores sunt. Ita *Seneca: Si consulem videris aut prætorem, omnia quibus honos haberi solet, facies: equo desilies, caput adaperies, semita cedes.*

§. 2. Ad observantiam nos excitant *rationes* & *exempla*. *Rationes* sunt.

(1) Quia æquum est, ut eos colamus & magnifaciamus, quos natura præ ceteris exornavit, iisque prætulit, inquit *Sigismundus* Imp.

(2) Quia adeo honestum est, ut maximam sibi virtutis opinionem excitent, qui aliorum mirantur & venerantur virtutes.

(3) Quia teste *Cicerone*, 2. de natura Deorum, suscepit vita consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tollamus.

(4) Quia & nos ab inferioribus observari cupimus. Atqui æquum est, ut quod tibi fieri vis, alteri quoque facias.

§. 3. *Exempla* virtutis hujus apud gentiles omnibus temporibus fuere illustria: Unde illud Poëtæ.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerit, & si
Barbato cuicunque puer.

Item.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.

Magni

Magni quoque Principes, antiquis seculis, venerati sunt eruditos: Sic *Scipio Africanus Ennium: Augustus Cæsar Virgilium. Dionysius Rex Platonem. Philippus & Alexander Magnus Aristotelem. Artaxerxes Hippocratem. Trajanus Dionem Chrysostomum*, quem aureo curru secum circumvexit. Sic & Philosophi etiam alii in pretio olim habiti à Magnatibus: Inprimis autem non inter Christianos tantum, ut constat de *Constantino Magno*, *Theodosio Juniore*, *Carolo* & aliis, sed & Gentiles, Theologi & sacerdotes in maximo habiti sunt pretio, & hodie etiamnum apud *Turcas* habentur. Cum olim *Saracenorum* Rex, *Aigolandus*, suum Christo nomen daturus à *Carolo M.* exceptus esset prandio, regii convivii apparatum, & principum virorum qui *Carolo* serviebant, & una lautissime epulabantur, magnificentiam admiratus, vidit tandem seminudos quosdam humilius accubantes & terra pene nuda prandentes: Ubi rem novam miratus, quinam hominum illi essent, qui humillimi & despicatissimi discumberent, sciscitatus est? Cui *Carolus*; *sunt*, inquit, *hi Aigolande, cœlestis Dei nuncii, qui ad me venerunt.* Quo attonitus responso *Aigolandus*, *Egone*, *inquit*, *tuum istum sequar Deum, cujus nuncios tu ita aspernaris, ut cum cæteri lautissime epulentur, ipsi omnium egentissimi contemtui & ludibrio tibi sint? Vale cum tuo fidei instituto. Sabellicus*, lib. 8. En. 8. ex *Turpino*. Judicavit igitur, & recte quidem, rex ille barbarus, Dei internuncios in magno habendos esse pretio & observandos, non à subditis tantum, sed & principibus, ad quos legatione, Christi nomine, funguntur. Iniquissimum enim Regum, Principum & Rerumpubl. legatos observare, Dei vero Legatos, negligere & contemnere. Interim *Caroli M.* quoque erga Antistites & sacerdotes pietatem atque observantiam prædicat *Eginhardus* in vita ipsius. In Concilio *Chalcedonensi* ultimus inter sacerdotes sedit *Constantinus M.* dixitque *sacerdotes*, *ceu Numina*, *ad hominem regendum constitutos esse*. Idem teste *Marull.* lib. 3. cap. 5. lata lege statuit, *plus honoris deberi homini in sacerdotali dignitate constituto, quam ulli alii vel domino vel regi: certum enim esse in illis honorari Christum, qui vicem Christi in terris gererent, in illis qui imperarent terræ.* Quamvis legem hanc nostra tempora vix sint admissura. Interim observetur *Pauli* præceptum 1. Timoth. 5. v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in sermone & doctrina*: & maximopere caveatur, ne indigni ad hanc dignitatem admittantur, vitiorum mancipia & dedecora sancti ministerii, homines imperiti, impii, leves,

rixosi, superbi, ebriosi, &c. Requiritur in legato Christi, non tantum *doctrina*, sed & *vita Christi*.

§. 4. Debent quoque observantiam *praeceptoribus* suis non privati tantum, sed & Principes: quando *res ipsis pretium & meriti mercedem*, de Sententia *Senecæ*, lib. 6. de Benef. cap. 15. non possunt solvere. M. *Antonius* Imperator præceptoribus suis tantum detulit honoris, ut imagines eorum aureas in *Larario* habuerit, & eorum sepulchra aditu, hostiis & floribus semper honorarit, *Julius Capitol.* in vita ejus. Hæc præceptorum observantia quam rara modo in terris est avis!

§. 5. *Præcepta* de virtutis hujus exercitio petantur ex *ladice* prima, de *officio* observantiæ. Observetur autem hic.

(1) *Etiam in hoste laudandam & magnifaciendam esse virtutem.*

(2) *Inania terræ pondera & fruges consumere nata haud magni debere fieri: ne, quod virtuti debetur, vitio tribuatur*: quæ intolerabilis injustitiæ species est, cui multi Principes sunt obnoxii.

§. 6. Quæritur (1) *An honor sit præmium virtutis?*

Cum hujus loci proprius sit *Honor*, aliquot de eo quæstiones expedire operæ pretium erit. Ipse Deus in lege sua omnem reverentiam, observantiam & submissionis atque venerationis significationem, quam superioribus debent inferiores, honoris appellatione complexus est, præcepto quinto, *Honora patrem.*

Ante quam autem ad quæstionem respondeamus, quædam honoris naturam & species aut gradus attingentia præmittemus. Definitur *honor* à *Speusippo*, in *Platonicarum* definitionum libro, *bonorum largitio propter virtutis officium.* Item *æstimatio & dignitas virtute acquisita.* A *Cicerone* in Bruto, ex *Aristotelis* sententia, *præmium virtutis judicio studioque civium delatum ad aliquem.* A *Piccolomineo* aliquanto accuratius, *præmium virtutis tributum à congruente judice ejus viro probo, ut ejus virtus refulgeat, cæterique ejus exemplo ad virtutem invitentur.* Unde patet *objectum* honoris, *seu materiam circa quam*, esse virtutem: occupatur enim honor circa virtutem, vel hominem, quatenus est virtute præditus. *Formam præmium*, Efficientem, judicem congruum, virum probum. *Finem*, splendorem virtutis externum & aliorum ad virtutis studium invitationem.

§. 7. *Observandum* vero, dupliciter accipi honorem, vel pro *meritis*, propter quæ absolute aliquis appellatur vir honoratus: qui honor internus dici solet: vel pro *externo signo* & testimonio merito-

meritorum, quod præmium nominatur. In hoc posteriore significatu hoc loco *honos* accipitur & definitur.

§. 8. Distinguitur honor in *divinum* & *humanum* : *divini honoris* partes explicant Theologi. *Humanus* est vel *servilis*, qui debetur Domino, propter metum: vel *naturalis*; qui debetur patri, propter naturæ impetum: vel *civilis*; qui debetur magistratui, propter justum imperium; felici propter virtutis præmium.

§. 9. *Gradus honoris* varii assignantur, vel ex *causis impulsivis*, hoc est meritis, propter quæ honos exhibetur : vel ex *subjectis recipientibus*, hoc est, iis, quibus honores tribuuntur: vel ex *materia*, hoc est, iis, quæ honoris loco tribuuntur, seu, quibus honor exprimitur.

Ratione *meritorum*, *primus honoris gradus* deberi dicitur virtuti divinæ: *Secundus* virtuti heroicæ : *tertius* sapientiæ humanæ: *quartus* virtuti morali.

Ratione *subjectorum* recipientium, *primus* honoris gradus debetur Deo: *secundus* separatis mentibus: *tertius* homini. Inter homines vero cum varii sint dignitatis gradus, ipsi quoque honoris gradus evadunt varii. *Alii* sunt magistratus, *alii* privati: magistratuum *alii* sunt superiores, *alii* inferiores: *alii* Imperatores, *alii* reges, *alii* principes &c. privatorum quoque alii aliis antecellunt.

Ratione *materiæ*, signum honoris & præmium virtutis consistit vel in verbis, vel in aliquo gradu dignitatis, vel in Insignibus. Ut videre est in Equitibus, in Doctoribus &c. Hinc *Aristoteles* lib. 1. Rhetor. honoris species gradusque recenset *immolationes*, *monumenta*, *carmina*, *præmia certa*, *lucos*, *proëdrias*, *sepulchra*, *Statuas*, *imagines*, *cibaria publica*, *gradus adorationum*, *fugam conspectus*, *munera &c.*

Distingui etiam solent *honor*, *laus*, *gloria*, *fama*.

Honor potissimum debetur & exhibetur actionibus virtutum.

Laus habitibus virtutum. *Gloria* magnitudinem laudis poscit, & in opinione communique hominum voce consistit. *Fama* etsi cum gloria maximopere conjuncta est: tamen ab ea aliquo modo etiam distinguitur. *Fama* præcipue pertinet ad mortuos vel vivos absentes. *Gloria* viventium & præsentium est.

§. 11. Jam ad *quæstionem* nos convertimus, cujus *affirmativam* amplectimur: Rationes sunt.

(1) Quia unanimi veterum *Platonis*, *Aristotelis*, *Ciceronis* & *Stoicorum* consensu, honor virtutis præmium definitur, ut supra vidimus.

(2) Quia experientia testatur, ob res præclare gestas & in-

ſignia virtutum exercitia cum publicos, tum privatos præclaris viris honores decerni & conferri. Nata hinc dignatio *Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, Doctorum*, &c. hinc decreti olim à *Romanis* triumphi, erectæ ſtatuæ &c. *Non credi poteſt virtus, quæ ſequeſtratur à præmio*: inquit *Caſſiodorus*.

(3) Quia honoris deſiderio ad virtutum ſtudia maxime inflammari ſolent ingenia liberalia. Unde Val. Max. ſcribit, *Fœtutu uberrimum alimentum eſſe honorem.* Et Plutarch. in apoph. *Qui virtuti honorem detraherent, eos ajebat Cato Major virtutem adoleſcentiæ adimere.* Et Salluſt. *Gloria alitur induſtria: ubi eam demſeris, ipſa per ſe virtus amara atque aſpera eſt,*

--- Tanto major famæ ſitis eſt, quam
Virtutis: Quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas?

exclamat *Juvenalis, ſatyr.* 10.

Non facile invenies multis ex millibus unum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.

Ovidius 2. de Pont. eleg. 3.

Bene & ſapienter, inquit *Symmach*. lib. 1. ep. 21. *majores noſtri ut ſunt alia ætatis illius, ædes Honori atque virtuti gemella facie junctim locarunt: commenti, ibi eſſe præmia honoris, ubi ſunt merita virtutis. Nutriunt*, inquit Caſſiod. lib. 2. epiſt. 16. *præmiorum exempla virtutes: nec quiſquam eſt, qui non ad morum ſumma nitatur aſcendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod, conſcientia teſte, laudatur. Vide Senecam* epiſt. 76.

(4) Rationem quoque ſubminiſtrat nominis etymon. Honor veteribus ſcribebatur *onor*, cujus origo græca eſt, vel ab ὀνίω, *proſum, juvo*, & *utilitatem adfero*: unde ὄνειαρ, *emolumentum*, ut honor ſit emolumentum virtutis, hoc eſt, præmium: vel ab ὠνέομαι, *emo*: unde ὦνος, *pretium*, quod venditori perſolvitur. Erit igitur *honos* virtutis pretium, ſeu id, quod virtuti perſolvitur: quod præmium quoque appellari ſolet; *Quantitates* in hiſce talibus ſæpe mutantur.

§. 12. Objicitur in contrarium.

(1) *Honor eſt objectum unius virtutis, nempe modeſtiæ. Ergo non eſt præmium virtutis in genere.*

Ratio conſeq. *Quia virtus in genere latius patet, quam virtus una.*

Reſp. Negatur *conſequentia*. Ita virtutis unius objectum eſt honor,

honor, ut sit præmium omnium. Modestia enim honorem expetit, tanquam præmium sui & omnium aliarum virtutum. *Ratio consequentiæ* est inconsequens.

(2) *Præmium virtutis constans & perpetuum esse debet: Atqui honor non est constans & perpetuus: Ergo non est præmium virtutis.*

Propositio prob. *Quia in alterius est potestate & dignis sæpe non exhibetur.*

Resp. Quatuor sunt in *Syllogismo* termini: aliud enim est, *debere esse constans & perpetuum:* aliud, *esse constans & perpetuum:* Honor etsi perpetuum & constans præmium virtutis non est, tamen esse debet: obligantur ad honorem virtuti exhibendum, etiam qui non exhibent: & præmium rei recte dicitur, quod debetur rei, etiamsi non redditur.

§. 14. (3) *Honor exhibendus est etiam iis, qui virtute præditi non sunt. Ergo virtutis præmium non est.* Antecedens probatur: *quia superioribus debetur etiam virtute non præditis*, sed *potestate tantum & autoritate excellentibus, nempe principibus, parentibus, præceptoribus, dominis citra respectum virtutis moralis.*

Resp. Ex *antecedente* hoc tantum elici consequens potest: *Honor non est solius virtutis præmium:* Atqui præmium virtutis esse non desinit, etiamsi solius virtutis præmium non est: Ita *panis* primarium esse hominis alimentum non desinit, etiamsi solius hominis alimentum non est. Interim superioribus, etiam virtute non præditis, non absque consideratione virtutis tribuitur honor; videatur sequens quæst. 11. *observandum* tamen heic.

(1) *Aliud esse finem, aliud præmium.* 2. *aliud præmium internum, aliud externum:* Honor virtutis est præmium debitum, non finis; est enim honor propter virtutem, non virtus propter honorem. Præterea honor virtutis est præmium externum & à virtute separabile, etsi semper ei debetur ab aliis: non internum, quod à virtute est inseparabile, saltem quoad partes principales. Hoc vero *felicitas* est. Etiamsi igitur beatitudinis præmio tandem compensatur virtus; non tamen hoc obstat, quo minus temporarium quoque virtutis sit pretium *honor.* Unde male reprehensus à *Vive Aristoteles*: neque firma *Scaligeri* consequentia Exer. 317. sect. 3.

§. 15. Quæritur (2) *An honor sit præmium solius virtutis?*

Resp. *Affirmativam* comprobat definitio honoris receptissima in Scholis Philosophorum: nempe *præmium virtutis*, &c. Unde colligere est: nemini honorem exhibendum, nisi pro-

pter virtutem. Τιμὴ inquit *Plato*, δόσις ἀγαθῶν ἐν ταῖς δι' ἀρετὴν πράξεσι διδομένων, item: ἀξίωμα ἀπ' ἀρετῆς. *Aristoteles*, lib. 4. Eth. cap. 3. τῆς ἀρετῆς ἆθλον ἡ τιμὴ, καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς. Et 2. Polit. cap. 7. ἆθλον ἡ ἀρχὴ αὕτη τῆς ἀρετῆς ἐστι. *Cicero* lib. 5. Epist. 10. *Is qui vere appellari potest honor, non invitamentum ad tempus, sed perpetua virtutis est præmium.* Stant igitur pro *affirmativa* sapientes.

§. 16. Objicitur tamen scrupulus non contemnendus.

Etiam principibus & parentibus malis nulla virtute præditis, nec non Dominis improbis, per Dei legem, debetur honor: Saltem ideo, quia sunt Principes & Parentes atque Domini nostri. Ergo honor non est præmium solius virtutis, & propter alias quoque causas exhibendus honor.

Antecedens patet, Exod. 20. v. 14. 1. Timoth. 6. v. 1. Eph. 6. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13. 14. 15.

Resp. Negatur *consequentia*: ratio est: Quia etiam principes, parentes & Domini improbi, & ab honestate atque virtute alieni, nihilominus honorantur & honorari debent, propter virtutem, non quidem propriam, sed alienam: quia Dei gerunt vices, à quo præfecti nobis merito honorantur propter officium honorabile: quod gradum honoris requirit sublimiorem: cum ipsius Dei in eo refulgeat virtus & majestas, vide *Thomam* 2. secundæ q. 63. art. 3.

§. 17. Quæritur (3) *An honor virtutis intellectualis quoque premium sit, nempe scientiæ, & sapientiæ humanæ?*

Resp. *Pro negativa* militant hæc argumenta.

(1) Propter scientiam & sapientiam à virtute morali sequestratam vitiisque moralibus inquinatam homo contemtum & vituperium meretur. Ergo honor non est præmium virtutis intellectualis.

(2) Aristoteles lib. 1. Moral. cap. 6. expresse ait, nos laudari & dignos laude reddi per virtutes morales, & non per eas, quæ ad rationem, vel intellectum, pertinent.

(3) Per virtutes intellectuales beneficia in alios non conferimus: Ergo virtutum intellectualium præmium non est honor.

Antecedens patet: Quia benefacere est munus virtutum moralium. *Ratio conseq.* Quia honor est animi gratitudo & recepti beneficii præmium.

§. 18. Pro *affirmativa* pugnant sequentia argumenta.

(1) Aristoteles lib. 1. de anima in proœm. ait, *Scientiam esse rem præclaram & honore dignam.* Idem in proœm. *Metaphys.*

phys. non aliam, inquit, *quam hanc*, *decet honorabiliorem putare : quæ enim divinissima est*, *eadem etiam est honoratissima* ; ubi loquitur de humana sapientia ; *Metaphysica*. Unde arguitur.

(2) Quæ virtus maxime in consideratione divinorum versatur, ea maxime digna est honore. Atqui sapientia maxime in consideratione divinorum versatur : Ergo.

(3) Contemplatio est finis eminentior actione, seu praxi. Ergo honor contemplationi, adeoque scientiæ & intelligentiæ, præstantior competit, quam praxi, vel virtuti morali, cujus finis est praxis.

Antecedens prob. Quia per contemplationem homo propius ad Deum accedit, quam per actionem. *Ratio conseq.* Quia tanto exquisitior debetur rei honor, quanto præstantior ea est.

§. 19. *Piccolomineus* dissidium hoc ita componit :

1. *Honor*, *quatenus est civile & populare præmium*, *magis proprie & proximius competit virtuti morali & ejus actionibus*, *quam intellectuali.*

2. *Honoris gradus eminentior,quem reverentiam appellamus*, *sapientiæ competit*, *tanquam bono eminentiori.*

Pro *priori* assertione faciunt argumenta *negativa :* pro *posteriori* argumenta *affirmativa.*

Sententiam nostram ita breviter explicamus.

§. 20. 1. *Sapientia contemplativa per se & in se considerata est bonum amabile*, *optabile & honorabile.*

Quia præclarum est Dei donum, quo similis Deo evadit homo, unde ab *Alcinoo* appellatur. Ὁμοίωσις πρὸς τὸ θεῖον : *Similitudo cum divinitate :* qui porro eam definit ἐπιστήμην θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων. *Scientiam divinarum humanarumque rerum.*

§. 21. 2. *Sapientia contemplativa*, *in specie sic dicta* (varie enim vox hæc accipitur) *à virtute morali sejuncta*, *honore dignum hominem non efficit.*

Ratio : quia contemptu & vituperio dignus est, qui sapientiam vitiis moralibus inquinat. Unde *Metaphysicum*, *Physicum Mathematicum*, imo & *Theologum*, *Jurisconsultum*, *Medicum*, si fur, homicida, adulter, perjurus, blasphemus, mendax, scurra, &c. sit, nemo prudens honorat, nisi forte cogatur. Quæ etiam causa, quod *Diabolum* nemo pius honoret, quamvis forte scientia omnes *Philosophos*, *Theologos*, *Jurisconsultos* & *Medicos* superet : quia Dei hominumque est hostis, omnium scelerum & flagitiorum architectus. Sic Rex *David* in

tentorio Dei commoraturos dicit eos, qui contemnunt improbos, timentes vero Jehovæ honorant Psalm. 15. v. 4. Igitur Scripturæ dicta: *Honorem sapientes possident*. Proverb. 3. v. 35. *Extolle sapientiam & exaltabit te: honorabit te, cum amplexaberis eam: indet capiti tuo adjectionem gratiæ, coronam ornatissimam tradet tibi.* Proverb. 4. v. 8. 9. de *sapientia practica* vel conjuncta cum praxi morali accipienda.

§. 22. 3. *Sapientia cum virtute morali conjuncta honore dignissimum hominem efficit, & Deo simillimum.*

Ratio: Quia per virtutem sapientia est pura, sancta, innocens, talemque reddit possessorem, qui proxime ad Deum accedit; quando non tantum sapientia, sed & sanctitate Deo evadit similis. Patet hinc, quid probent, vel non probent, rationes pro *affirmativa* & *negativa* adductæ. Contemplationem simpliciter digniorem & eminentiorem esse praxi virtuosa, non damus: Siquidem consistere illa potest cum impietate & improbitate: adeoque sola & sine virtute morali meliorem possessorem non reddit: hæc vero etiam sine contemplatione meliorem reddit. Malim igitur esse practicus moralis, sine contemplatione, quam contemplator subtilis, sine praxi morali. vide *Aristotel.* in problem. sect. 30. q. 11. Cogita quæso, uter in conspectu Dei sit honoratior, rudis aliquis & pius probusque: an eruditus improbus & impius?

§. 23. Quæritur (4) *An honor externus sit bonorum externorum maximum?*

Resp. *Negativam* tuemur sequentibus argumentis.

(1) Quia quo major, eo brevior, est honor. Unde *Theopompus Pylius* majores honores ipsi decernentibus, respondit: τὰς μὲν μετρίας τιμὰς ὁ χρόνος αὔξει, τὰς δ' ὑπεραιρούσας ἀφανίζει: h. e. *Mediocres honores tempus auget, nimios abolet. Plutarch.* in Apoph. De *Demetrii Phalerei* trecentis statuis, quæ in honore ejus fuerunt erectæ, nullam corrupit ærugo aut situs, sed omnes, vivente ipso, eversæ sunt. *Demadis* statuæ in matulas sunt conflatæ. *Plutarch.* in præcept. Reipubl. gerend. Magnificam *Albani* statuam *Antuerpienses*, post recuperatam libertatem confregerunt: in quam ita lusit *Baudartius*:

Ecce Alba exultat, vanaq; ab imagine sperat
Æternas populi laudes, quas fama negaret:
En pede monstra premit domiter modo sculptus in are!
Gloria victa fuit, tenuesq; evasit in auras.

Abolet autem honores magnos cum *ingratitudo*, tum *invidia*: monstra duo non minus frequentia, quam ferocia.

(2) Quia

(2) Quia magni honores laudesque levitatem animi etiam modestissimo cuique adferunt, ut se jam tales esse, quales prædicantur, existiment: *Dio Cass.* lib. 44. cujus Græca sunt: τὸ ὑπερβάλλον τῶντε τιμῶν καὶ τῶν ἐπαίνων χαυνοτέρους πως καὶ τοὺς πάνυ σώφρονας, ὥστε καὶ τῶν ἐπαίνων ἀληθῶς γίγνεσθαι δοκῶσι, ποιεῖ. Unde *Sulpitius Severus* dialog. 1. de virt. moral. *Ut ex virtute honor, ita ex honore vanitas cœpit obrepere*: & Salvi. epist. 2. *Pedissequa plerisque novi honoris est arrogantia*: Et *Zeno Veronensis*, serm. priore, de Psal. 130. *Nulli facilius efferuntur, nisi quos inopinati honoris culmen extollit*. Notum est tritum illud: *Honores mutant mores, raro in melius.*

(3) Quia cupide non sunt ambiendi: ut suo ostendemus loco. Videtur tamen in *affirmativam* inclinare *Aristoteles*, qui lib. 4. Moral. Nicomach. cap. 3. scribit. *Honorem bonorum externorum esse maximum*: quod arguere etiam videtur *sitis* honorum maxima, quæ plerosque homines fatigat.

Ad *Aristotelis* locum respondet *Piccolom.* sub honore etiam dilectionem, seu amorem, à Philosopho includi. Hominum sitis nihil probat: non enim quid faciant homines, sed quid facere debeant, attendendum.

§. 14. Quæritur (5) *An honor expeti debeat?*

Resp. Honor *internus* est vel *externus*. *Internus* est meritum, cui debetur honor externus. *Externus* est signum & testimonium, inprimis publicum, interni, vid. *Picolom.* Grad. 8. cap. 31. Hinc duabus assertionibus ad quæstionem respondemus.

Una: *Honor internus omnino & maxime est expetendus.*

Ratio est evidens & efficax: Quia internum honorem qui negligit: & quo frigidius est desiderium interni honoris, eo frigidius est studium virtutis: quod tamen frequentissimum esse par est. Sunt autem merita præclara virtutum exercitia & actiones: ex quibus uti virtutes nascuntur, ita & propter eas habitus morales comparantur: adeoque habitibus virtutum sunt præstantiores.

§. 15. Altera: *Honor externus modice est expetendus, non importune flagitandus.*

Cum modice sit expetendus, *ratio* est: Quia præmium est extremum virtuti debitum, idque ex *judicio divino* & *humano*. Superiores Deus honorare jubet præcepto quinto. *Honora patrem & matrem.* Exod. 20. v. 12. quo pertinent & illa, *qui sectatur justitiam & benignitatem, consequetur vitam, justitiam & honorem.*

honorem. Proverb. 21. v. 21. *Qui observat dominum suum honorabitur.* Proverb. 27. v. 18. *Filius honorat patrem & servus dominum suum. Quod si pater sum, ubi honor meus? Et si Dominus sum, ubi reverentia mea, ait Jehova exercituum.* Malach. 1. v. 6. *Reddite omnibus, quod debetis, cui honor (debetur) honorem,* Rom. 13. v. 7. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* 1. Timot. 5. v. 3. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*, &c. 1. Timoth. 5. v. 17. *Omnes honorate*, 1. Pet. 2. v. 17. *Honore alii alios præite:* Rom. [illegible] v. 10. De *humano judicio* dubium plane nullum est. Per honorem externum probitas & meritum innotescunt: quibus ad imitationem alii inflammantur & authoritas conciliatur, ad munera sive *Ecclesiastica*, sive *Politica* tanto rectius obeunda.

§. 26. Cur importune non sit flagitandus *ratio* est: Quia qui importune honorem flagitant, negligere censentur. Appetere enim & flagitare non alterius, sed sui gratia, videntur, de honore magis solliciti, quam de virtute: unde indigni honore judicantur, quia virtutem negligunt, & malunt videri honorati, quam honore digni propter virtutem. Honor præmium esse debet *maxime voluntarium*, & est, si judicio exhibeatur recto.

Quo autem impotentius flagitatur, eo minus est voluntarius: quia per importunitatem etiam invitis extorquetur: & plerunque tanto exhibetur major, quanto minus expetitur & flagitatur. Magnanimi dum populares honores negligunt, eminentioribus se dignos reddunt. Unde negligi eos jubet *Aristoteles*: Pertinet huc illud *Ciceronis* pro Plancio: *Equidem primum ut honore dignus essem maxime semper laboravi: Secundo ut existimarer: tertium fuit illud, quod plerisque primum est, honos.* Maxime hac impingunt, qui vanæ gloriæ sunt cupidi: de quibus multa *Drexelius*, de recta intentione, lib. 2. cap. 4.

Objicitur in contrarium.

§. 27. (1) *Honores comitem habent animi levitatem, & arrogantiam, ut* quæst. præcedenti 5. rat. *ostendimus. Ergo plane non sunt expetendi.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est: Honoribus non per se, sed per accidens, comites se adjungunt *levitas* & *arrogantia:* vitio subjectorum, seu hominum quibus sæpe honores sine virtutum meritis obtingunt: virtus enim & arrogantia non moratur in eadem sede.

§. 28. (2) *Jubent nos S. Patres vitare & despicere honores, cum fumi evanescant, & in pejus mores mutent.* Ergo &c.

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est, ipsi quoque Patres

tres ſimpliciter honores non contemſerunt, ſed tanquam debitos ſibi appetiverunt, idque citra reprehenſionem, quantiſper intra limites ſe continuerunt. Unde Apoſt. 1. Timoth. 3. v. 1. *Si quis Epiſcopatum appetit præclarum opus deſiderat.* Tandem vero nimia Epiſcoporum ambitio Eccleſiam Chriſti graviſſime afflixit, & in eum adduxit ſtatum, in Eccleſia potiſſimum Latina, ut à tyrannide non procul abſuerit regimen. Teſtes habemus *Romanorum Pontificum* vitas & hiſtorias. Reprehendunt igitur S. Patres ambitionem & nimiam honorum ſitim à ſuperbia accenſam: quæ [illegible]ſtis eſt in Eccleſia & Politia.

[illegible]. 29. (5) *Chriſtus in Phariſæis reprehendit amorem πρωτοκλισίας, primorum conſeſſum in cœnis & conventibus, & prohibet diſcipulos ſuos vocari Rabbi, hoc eſt Doctores: quia unus eſt Doctor, Chriſtus*, Matth. 23. v. 6. 7. 8. *Ergo honores appeti prohibet.*

Reſp. Negatur *conſequentia*, ſi conſequens de modico honorum appetitu loquatur. Reprehendit Chriſtus in Phariſæis non modeſtiam in honore debito ex[illegible]do, ſed inſolentiam & faſtum in eo immodice & impotenter flagitando & quaſi imperando. Non vult diſcipulos ſuos appellari *Rabbi*, hoc eſt, *Magiſtros* vel *Doctores*: *Non ideo*, inquit *Auguſtinus* in Pſ. 77. *hoc dictum, ut vocabulum honoris humani de loquendi conſuetudine tolleretur: ſed ne gratia Dei, per quam in æternam vitam regeneramur noſtræ vel poteſtati vel ſanctitati cujuſquam hominis tribueretur.* Non prohibetur, inquit Theophylact. τὸ θέλειν καλεῖσθαι, ſed τὸ ἐμπαθῶς θέλειν καλεῖσθαι: quia docendi dignitas propria ſolius eſt Dei. Non vult igitur Chriſtus quemquam appellari *Magiſtrum*, vel *tanquam primarium & unum illum*, qui κυρίως & natura eſt, non indulgentia: ſecundum *Hieronym.* vel ob *ſolam ambitionem*; Secundum *Theophyl.* vel ſimpliciter abſque *exceptione ſuperioris.* Non autem ſimpliciter improbari Deo dignitatem & appellationem *Rabbi* ab homine uſurpatam, inde palam eſt: quia Magiſtratus etiam *Deos* appellari patitur & appellat ipſe Deus, propter excellentiam officii, per quod Dei vices in hiſce terris gerunt: Vide Pſalm. 82. v. 6. Rom. 13. v. 4. Et Chriſtus ipſe dedit alios *Apoſtolos*, alios *Prophetas*, alios *Euangeliſtas*, alios *Paſtores* & *Doctores*. Epheſ. 4. v. 11. Sed & aliud è textu evidens depromi argumentum poteſt. Si *Rabbi* nemo ſimpliciter debet appellari: etiam *Pater* nemo ſimpliciter appellari debet. Atqui falſum conſequens: Ergo & antecedens. *Connexum* probatur. Quia in eodem textu Matth. 23. v. 9. Chriſti habetur prohibitio. *Patrem veſtrum neminem appelletis in terra: quia unus eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt. Aſſumtio* manifeſta eſt.

Ubique

Ubique enim scriptura Parentes nostros appellat *Patres*, & hoc ipsum nobis commendat nomen, quod nostri nos officii, in exhibendo honore, admonet: vide Prov. 1. v. 8. 9. & 6. v. 20. 21. & 20. v. 20. & 30. v. 17. & passim alibi. Male igitur titulis *Doctorum* & *Magistrorum*, qui ab *Academiis* conferuntur eruditis viris & juvenibus, tanquam testimonia & præmia eruditionis publica, nonnulli rigidiores honorum contemptores objiciunt locum Matth. 23. de quo hactenus. Laudabilis est *Academiarum* consuetudo, modo honores isti non conferantur nisi dignis, & falsa ne dentur testimonia, *sumaturque pecunia, & in Germaniam mittantur asini*: modo non insolescant juvenculi, & recens cr[illegible]ti veteranis in capillos insolenter non involent turgidi & imaginariæ eruditionis vento distenti, quasi eruditionis specimina non possint edi, nisi calamo bile infecto, nisi stylo venenato in existimationem piorum doctorumque virorum stricto & adacto: quibus occinendum:

--- Didicisse fid[illegible] artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Vel si mavis illud.

--- Didicisse ignaviter artes.
Indurat mores, & sinit esse feros.

§. 30. Quæritur (6) *An honor pueris quoque competat?*

Resp. Pro *affirmativa* militat:

(1) *Experientia:* quia videmus principum & magnorum virorum filiis etiam in pueritia, honorem à viris quoque prudentibus exhiberi & longe præferri plebeiorum liberis. Atqui parentes nil facere præsumuntur, nisi quod rectæ rationi consentaneum.

(2) *Ratio:* quia sunt vivæ parentum imagines & effigies: *Licinius Calvus*, apud *Livium*, lib. 5. Et sunt *pars parentum*: quasi rami ex stirpe. *Lipsius*, cent. 111. ad Belg. ep. 6. *sunt columna familiarum.* Euripid. sunt *spes Parentum*, *memoria nominis*, & *subsidium generis.* Cicero, pro Cluent. Quisquis igitur filium puerum contemnit, in filio patrem contemnit.

(3) Quia virtutis præmia conferri parentibus solent ea lege, ut ad filios quoque infantes & pueros jure hæreditario transmittant. Ut videre est in dignitatibus hæreditariis & feudis.

§. 31. Contra vero pro *negativa* pugnat ratio.

Quibus meritum & virtus non competit, eis honor, virtutis præmium, quoque non competit: Atqui pueris meritum & virtus non competit: Ergo nec præmium virtutis, hoc est honor, ipsis competit.

Assumptio probatur: *Quia virtus est constans propositum vivendi*

vendi secundum legem : propositum hoc in pueros , qui legem non intelligunt , vel nesciunt , non cadit.

§. 32. Litem hanc componimus *triplici assertione* & *distinctione* :

Una : *Honor hæreditarius etiam pueris competit.*

Honor hereditarius appellatur præmium virtutis datum parenti vel majoribus , ea lege , ut ad filios quoque vel filias transeat : Cujusmodi est dignitas *Principis* , *Comitis* , *Baronis* , *Nobilis* , &c. propter virtutes & merita à superiori collata :

Item *feuda* bene meritis data. Hæc etiam filiis & infantibus competere res ipsa testatur : Unde *Principum* , *Comitum* , *Baronum* , *Nobilium* filii nascuntur *Principes* , *Comites* , *Barones* , *Nobiles* : ad eosdem hæreditario jure transmittuntur quoque *Principatus*, *Comitatus* , &c. Pertinet huc ratio pro affirmat. 3.

§. 33. Altera : *Honor non hæreditarius , qui virtutis propriæ est præmium , non competit infantibus & pueris.*

§. 34. Tertia : *Honor non hæreditarius , præmium virtutis parentum competit pueris ob spem , & merita parentum , quos etiam in liberis suis vel post mortem , honorari par est.*

Ob *spem* honor pueris competere dicitur : quia spes est , parentum virtutes ipsos imitaturos : secundum illud *Horatii* , lib. 4. od. 4.

> *Fortes creantur fortibus : & bonis*
> *Est in juvencis , est in equis patrum*
> *Virtus : nec imbellem , feroces*
> *Progenerant aquilæ columbam.*

Ita *Quintilianus* , lib. 5. cap. 10. *Similes parentibus ac majoribus suis filii plerunque creduntur : & nonnunquam ad honeste turpiterque vivendum inde causa fluunt.*

Et *Cassiodor.* lib. 2. ep. 14. *Ferarum catuli sequuntur parentes : à cespite suo virgulta non discrepant : propago vitis propriæ servit origini , & discrepet homo à suo fusus initio ?*

Pertinet huc prob. 1. & 2. pro affirmat :

§. 35. Quæritur (7) *An honor defunctis quoq; competat.*

Resp. *Affirmativa* defenditur.

(1) Quia & in liberis civitatibus , & apud reges iis , qui in bello ceciderunt , honores decernuntur : Arist. lib. 3. Moral. cap. 6. de *Ægyptiis* hoc narrat *Diodorus Siculus* , sanctissime apud ipsos esse constitutum , quod parentes aut majores ad æternam habitationem translatos impensius honorent. Pertinet huc lex : *Honoratorum virorum laudes in concione memorantor.* Cicero lib. 2. de LL.

(2) Quia

(2) Quia ſepulchra & ſtatuæ ipſis eriguntur: quæ honoris ſunt ſpecies. *Ariſt.* lib. 1. Rhetor.

(3) Quia merita multorum poſt mortem durant, qui igitur poſt ſe relinquunt virtutum ſuarum merita, quidni & præmia fuerunt meritorum?

(4) Quia defunctis ob merita ipſorum præclara delati honores ad virtutis ſtudium & cultum excitant vivos: Et *juſtiorem ſibi mortis conditionem relinquunt, qui eos, qui de vita deceſſerunt, ornant*, Cic. pro Rabir.

§. 36. Pro *contraria* ſententia excipitur.

(1) *Ariſtoteles*, in lib. 3. Moral. cap. 6. ait: *Mortem eſſe extremum omnium rerum, nihilq́; reliquum eſſe mortuo videri, neque bonum, neque malum. Ergo honor ad defunctos non pertinet.* Ratio conſeq. *quia bonum eſt honor.*

Reſp. Negatur *conſeq.* 1. Quia ſola *Ariſtotelis* autoritas non ſufficit: ad probandam defunctorum conditionem & ſtatum ejusmodi, per quem nec bonum, nec malum ad ipſos pertineat. Rectius dixiſſet, *& bonum & malum ad ipſos pertinere.* quia parte ſui nobiliore ſuperſtites ſunt, adeoque felices vel infelices. 2. Ait *Piccolomineus Ariſtotelem* loqui de *mortuis* quatenus ſunt mortui, & de bono atque malo, quod ſentiant: non de omni ſimpliciter, quod memoriam ipſorum, in qua ſuperſtites ſunt, attingat.

§. 37. (2) *In defunctis nulli ſunt virtutum habitus. Ergo ipſis præmium virtutis honor non competit.*

Antecedens eſt *Ariſtotelis: qui animi habitus in morte ait evaneſcere.* lib. 3. de an. text. 20.

Reſp. *Antecedens* ſolius *Ariſtotelis* authoritate ſufficienter non probatur. Non videntur ſimpliciter denegandi mortuorum omnes virtutum & vitiorum habitus: quamvis in bonis emendetur imperfectio, in malis etiam augeatur pravitas. 2. *Conſequentia* eſt nulla: quia honorantur defuncti, non ob præſentes ipſorum virtutes, ſed ob præteritas, imo ob merita quoque præſentia, quæ cùm defunctis omnia non extinguuntur. Ita laudamus & honoramus defunctos Eccleſiarum reformatores euangelicos: quorum etiamnum in Eccleſiis exſtant merita. Laudamus defunctos *Germaniæ* libertatis aſſertores: quorum etiamnum fruimur laboribus & periculis.

§. 38. Quæritur (8) *An etiam mali bonos poſſint honore afficere?*

Reſp. Malos heic intelligimus, qui à virtutis ſtudio ſunt alieni, adeoq; veri virtutis æſtimatores, propter judicium corruptum non ſunt. Ab hiſce bonos honore affici poſſe negamus. Rationes ſunt.

(1) Quia

(1) Quia corruptum in iis est judicium: unde, an dignus sit honore, quem malus defert, certo constare non potest: Siquidem suspectum est testimonium iis, quibus est notus, & quibus ignota virtus tua. Unde in civilibus ad testimonii dictionem & veritatis evictionem non admittuntur infames & scelerati. Hi igitur ut veritati publicum perhibere testimonium per leges non possunt, ita nec pro testibus alienæ virtutis admitti possunt. Atqui honor est testimonium alterius virtuti perhibitum. *Nescienti quid laudet aut vituperet*, inquit Plato, *non est adhibenda fides*: hujusmodi est vir improbus.

(2) Quia suspectam reddunt virtutem ejus, quam testimonio honoris ornare velle videntur: cum enim gaudeat simili simile, & id amet, similis potius malorum, quam bonorum, videtur, qui à malis laudatur & honoratur.

Objicitur pro *contraria* sententia:

Etiam mali coram bonis capita aperiunt, manus osculantur, genua inflectunt, iis loco cedunt, & similia honoris signa edunt. Ergo bonos possunt afficere honoribus.

Resp. Negatur *conseq.* Quia honore aliquem afficere, hoc loco, est virtuti testimonium perhibere, ita ut per id innotescat ea aliis, quibus ignota fuit: quod externis istis ceremoniis non conficitur, si ab improbo noto tibi ignoto exhibeantur.

§. 39. Quæritur (9) *Utrius honor sit magis, honorati an honorantis?*

Resp. Occasionem quæstioni huic præbet *Aristoteles*, qui l. 1. Moral. cap. 5. ait, *honorem magis esse honorantis, quam honorati*: quæ etiam vulgo recepta est sententia: quamvis non desint qui contradicant. *Aliis* igitur magis est honorantis, quam honorati; *aliis* magis honorati, quam honorantis: *aliis* partim honorati, partim honorantis: *vel* tam honorantis quam honorati. Suis singuli nituntur rationibus:

Quod magis sit honorantis, quam honorati, probatur sequentibus argumentis.

(1) Quia honor est actio honorantis, non honorati: Atqui actio magis est agentis, quam patientis.

(2) Quia honor est in facultate & potestate honorantis, non honorati

(3) Quia honor est testimonium virtutis. Atqui testimonium potius est ejus, qui testatur, quam ejus, de quo testatur.

(4) Quia honor est à recto judicio de virtute aliena: Id vero est honorantis, non honorati.

In hanc quoque sententiam concedit *Seneca*, epist. 103. *Si laudare*

dare dignos honesta actio est: ita laudantis bonum est, cujus est actio, non nostrum, qui laudamur, ut justitia etiam, per quam redditur unicuique quod suum est, præsertim viri justi esse dicitur.

§. 40. Contra vero *quod magis sit honorati, quam honorantis*, probatur sequentibus argumentis.

(1) Quia honor est præmium virtutis. Atqui præmium ejus est, cui competit res, ob quam datur præmium.

(2) Quia honor honorato tribuitur: Atqui ejus est unumquodque cui tribuitur.

(3) Quia ab honore denominatur honoratus, non honorans: potius igitur est honorati quam honorantis.

(4) Quia honor est operatio transiens ab honorante in honoratum. Atqui actio transiens est in recipiente, non in agente: ut constat ex 3. Phys.

(5) Quia dedecus & ignominia est recipientis potius, quam adferentis. Atqui oppositorum eadem est ratio.

(6) Quia magis appetitur ab honorato, quam ab honorante. Qui & honorantis & honorati esse dicunt, præcedentibus argumentis pro honorante & honorato adductis utuntur.

§. 41. Sententias hasce conciliat. *Piccolomineus* distinctione honoris, quem quatuor accipi modis docet, 1. *pro merito* 2. *pro materia.* 3. *pro signo*, quatenus est signum. 4. *pro actione proba.* Acceptum pro *merito* ait esse honorati, cui adimi non potest: unde vir honore dignus etiam postremo sedens loco, magis est honoratus, quam indignus, si primum occupet locum: hujus honoris quisque acerrimus defensor esse debet.

Acceptum pro *actione proba*, dicit esse honorantis: ob quam ipse quoque honore dignus redditur.

Acceptum pro *materia & signo*, mediave inter honorantem & honoratum: pendere enim ex honorante & transire in honoratum: illius esse ut tribuentis: hujus ut recipientis: proprie tamen esse honorati, uti omnia, quæ transeunt à tribuente in recipientem.

Nondum tamen omnis videtur exhausta difficultas.

§. 42. Constat honorem esse honorantis, constat, esse honorati, constat utriusque esse. Interim, si formale honoris spectes, quod est, *præmium virtutis esse*, reliqua adhuc est quæstio, quam ab initio proposuimus. Utrius sit potius, honorantis, an honorati?

Resp. Etsi utriusque, & dantis & accipientis, honorantis & honorati, est præmium: tamen *magis est honorati, quam honorantis:* Rationes sunt:

(1) Cujus

(1) Cujus est meritum virtutis, ejus magis est præmium ejus, nempe honor: Atqui honorati est meritum virtutis: Ergo honorati magis est præmium virtutis, nempe honor.

Propositio patet: Quia præmium datur propter meritum. *Assumptio* prob. Quia propter meritum suum honorantur.

(2) Qui magis præmium expetit & de eo accepto lætatur, ejus est magis. Atqui honoratus magis præmium expetit, & de accepto lætatur: Ergo honorati magis est præmium.

(3) Cui præmium destinatur, & qui eo fruitur, ejus est magis, quam alterius, cui non destinatur & qui eo non fruitur. Atqui honorato præmium virtutis destinatur, & honoratus eo fruitur: Ergo honorati potius est, quam honorantis, cui non destinatur, & qui eo non fruitur.

§. 43. Excipitur.

Atqui & honorans fruitur: quia propter honorem alteri exhibitum se dignum honore reddit, & vicissim ab aliis honoratur.

Resp. Possidendo fruitur honorans non illo præmio, quo honoratum afficit, sed alio, quo propter honorem virtuti exhibitum, ab alio afficitur.

§. 44. Quæritur (10) *An honoris & vitæ æqualis esse defensio debeat?*

Resp. Defensio æqualis hoc loco ea intelligitur, qua quis per vim non minus honorem, quam vitam defendit: & ut, pro vitæ defensione, vim quandoque vi repellit, vulnerando & occidendo: ita & pro honoris vindicatione adversarium quandoque vulnerat & occidit.

Hoc igitur sensu *negativa* defenditur: Rationes sunt.

(1) Quia non omnis defensio, sed moderata tantum & quæ non est vindicatio, permissa est legibus. Atqui honorem aut famam, qui vulnerando vel occidendo defendit, is moderationem excedit, & vindictam exercet: *Matth. Steph.* cent. 1. q. 9. *Vasquez* lib. 1. controvers. illust. c. 12. n. 2.

(2) Quia non est tantum honoris, quantum vitæ amittendæ periculum: Et honoris defendendi plura & paratiora possunt esse media, quam vitæ: cui vis intentata sæpe repelli non potest nisi per vim: qua ad defendendum honorem opus non est. Cæde alterius nemo se potest defendere, nisi se aliter tueri non possit; & ne sic quidem semper.

(3) Quia vita semel amissa restitui nequit: Honor per injuriantem, ut loquuntur, læsus, suæ restitui potest integritati.

§. 45. In *affirmativam* ruunt vulgo multi, & præsertim milites, qui leviculam honoris læsionem vulneribus & cædibus vin-

 dicare

dicare solent, factumque sequentibus defendunt argumentis.

(1) *Crudelis est & dicitur, qui famam suam negligit: E. æque est illa defendenda atque vita.*

Resp. De æqualitate defensionis, quam supra definivimus, negatur *consequentia:* Famam suam non negligere, sed defendere potest, etiam qui per vim vulnera & cædes non defendit.

§. 46. (2) *Vita & fama paribus ambulant passibus & æquiparantur: Ergo æque defendi possunt & debent.*

Resp. *Antecedens* non datur, nisi in casibus quibusdam certis, in quibus par est vitæ famæque quoad restitutionem, ratio: ut in casu violenti stupri, &c.

§. 47. (3) *Bonis viris injuria metus major, quam mortis esse debet.* l. 1. §. Item Divus ff. ad l. Corn. de Sicar. *Ergo æque repellenda injuria atque mors.*

Resp. *Antecedens* optima ratione negari posset, nisi humanæ legis habenda esset ratio. Non omnis injuria pari cum morte passu ambulat, neque restitutio adversus mortem datur, quæ adversus injuriam datur. Insanus igitur fuerit vir bonus & innocens, si quamcunque injuriam magis quam mortem, metuerit. Sed, misso antecedente, *consequentia* negatur. Non minus de repellenda injuria, quam morte, nobis laborandum, etiamsi modo eodem utraque non repellitur.

§. 48. (4) *Quod quis homicidium, ob corporis vel salutis suæ tutelam fecit, impunitum debet manere* l. 3. in fin. C. ad L. Cornel de Sicar. *Ergo etiam per vim defendendus est honor.*

Resp. Lex illa non videtur loqui, nisi de defensione vitæ, quæ fit adhibito *inculpatæ tutelæ moderamine:* unde nulla erit argumenti *consequentia:* Quod generaliter scriptum est, id ex aliis locis & ratione æquitatis temperandum est, ajunt Legum Interpp.

§. 49. Quæritur (12) *An honor criminatione læsus per retorsionem, seu recriminationem, defendi possit?*

Resp. *Affirmatur*, cum hac limitatione: Si recriminatio fiat, non injuriandi, sed purgandi sui causa, & si injuria verbalis eadem, non nova, retorqueatur: Rationes sunt:

(1) Quia qui hoc modo recriminatur, se purgat & injuriam à se removet: quod licitum.

(2) Quia lex ait, ei merito esse ignoscendum, qui provocatus injuriam retorquet. L. Qui cum major. 14. §. libertas ff. de bonis libert.

(3) Licet probrosos verbis impetere probrosis, quibus sunt digni: Ergo etiam in criminantem licet retorquere criminationem.

Antece-

Antecedens prob. Exemplo Christi, qui *Pharisaos* & *Scribas* appellat *stultos, hypocritas, sepulchra dealbata, serpentes, progenies viperarum:* Matth. 23. v. 23. 27. 33. &, qui ante ipsum venerunt, *fures* & *latrones*, Iohanni 10. v. 8. Iohannis, qui *Pharisaos* & *Sadducaos* vocavit progenies viperarum, Matth. 3. v. 7. *Pauli*, qui *Elimam* Magum appellat filium Diaboli, hostem omnis justitiæ, plenum omni dolo, & ad quodvis scelus facilitate.

Ratio *consequentia:* Quia qui innocentem criminatur, probrosus est, & opprobrium suum audit merito.

(4) Quia, qui criminatur innocentem, est testis falsus adeoque dignus pœna, qua innocentem criminando afficit vel, afficere conatus est. Deut. 16. v. 19. &c. Dignus igitur idem est, qui criminationem suam ipse audiat.

§. 50. Objicitur.

(1) *Qui criminationem retorquet in criminantem, is se non tuetur, sed ulciscitur. Ergo peccat & actione injuriarum tenetur.*

Antecedens prob. *Quia is demum tueri se dicitur, qui cavet ne ab adversario lædatur: qui vero jam læsus est, veluti cui facta jam est injuria verbalis, se non dicitur tueri, sed ulcisci injuriam illatam, quando retorquet eam: veluti verberatus, qui reverberat, ulciscitur accepta verbera: quando factum infectum reddi nequit.*

Ratio consequentiæ. *Quia prohibita est ultio privata.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est. Nam & qui per criminationem jam læsus est, se defendit, non quidem criminationem declinando & infectam reddendo, sed suspicionem criminis inhærentis per retorsionem à se amoliendo & cavendo, ne talis ab aliis habeatur, qualem ipsum criminator dixit esse. Præcaveri autem efficacius non potest præsertim apud ignotos, quam per retorsionem. Tum enim in criminantem devolvitur probandi onus, quo quantisper non defungitur; crimen in ipso hæret, telo in caput ejus repercusso: alia est ratio acceptorum verberum.

§. 51. (2) *Christus jubet nos benedicere iis qui nos devovent*, *Matth.* 5. v. 44. & *Christiani convitiis affecti bene precari debent.* 1. Corinth. 4. v. 12. *Ergo convitia retorquere Christianis est nefas.*

Resp. Negatur *consequentia*, *Ratio* est, quia in allegatis locis non prohibetur legitima defensio, quam nec Vetus nec Novum Testamentum improbat. Sed privata vindicta etiam iis, in quos criminationem retorquemus, bene dicere & bene precari possumus, ut mentem eis meliorem DEUS det: quam du-

 bio procul

bio procul etiam *Elymæ* precatus est *Paulus*, quando appellavit eum Diaboli filium & hostem omnis justitiæ: Sic & *Petrus* cum ad *Simonem Magum* dixisset; *Argentum tuum tecum pereat &c. non est tibi pars neque sors in hoc negotio: cor tuum non est rectum in Dei conspectu:* nihilominus resipiscere eum jussit & rogare Deum, *si forte remissurus esset ipsi cogitationem cordis.* Actor. 8. v. 22.

§. 52. Quæritur (12) *An etiam gradus & honores Academicos, quales sunt gradus* Magisterii & Doctoratus, *ambire liceat?*

Resp. *Affirmativam* tuemur.

(1) Quia sunt debita virtuti & eruditioni præmia, quæ modice appetere cuivis digno etiam per modestiam & humilitatem fas est. *Tribuenda est*, inquit, *Cassiodor.* lib. 2. epist. 28. *justis laboribus compensatio præmiorum: quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athletam populus palma designat esse victorem. Sudores bellicos civica corona testatur. Exspectant etiam equos præmia sua, & tanta justitiæ vis est, ut nec illis tardius detur laboris præmium, qui sentire non poterant denegatum.*

(2) Quia publica sunt virtutis & eruditionis testimonia. *Nemo enim præmium percipit ante experimentum*, Minutius Felix: Testis igitur experimenti est præmium.

(3) Quia virtutis & eruditionis augendæ sunt incentiva & ὑπεκκαυτήρια. *Acuent ad bonas artes*, inquit *Plinius* lib. 2. ep. 7. *juventutem adolescentibus quoque* (digni sint modo) *tanta præmia constituta: acuent principes viros ad liberos gignendos.* Idem ad *Trajanum: Præmia bonorum malorumque bonos & malos faciunt.* Et *Livius* lib. 4. *Nihil non aggressuri sunt homines, si magno conatu magna præmia proponantur.* Et *Symmach* lib. 10. *ornamentis honorum incitatur imitatio & virtus æmulatione alitur exemplo alieni honoris.* Et *Valer. Max.* lib. 2. cap. 6. *virtutis uberrimum alimentum est honos.*

§. 53. Non igitur audimus rigidos illos, qui gradus *Academicos* improbant vel contemnunt, argumentis, quæ magni momenti nobis non videntur.

(1) *Christus nos prohibet appellari Magistros & Doctores.* Matth. 23. v. 8. 10. *Ergo non sunt ambiendi vel conferendi honores & tituli Doctorum & Magistrorum.*

Resp. Negatur *consequentia:* quæ *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter* nulla est. Christus nos prohibet appellari *Magistros* & *Doctores*, secundum quid, & certo duntaxat modo: nempe κατ'

pe κατ' ἐξοχὴν *Doctores* & *Magistros*: quo modo unus Christus est *Doctor* & *Magister*: ut *Hieronymus* interpretatur: vel ex sola ambitione & cupiditate præ aliis eminendi: ut *Theophylactus* vult. Alias si simpliciter firma esset consequentia; ratione simili posset inferri; nec patrem esse quenquam appellandum: quia diserta quoque Christi verba sunt: *Patrem vestrum neminem vocetis in terra: unus enim est pater vester, qui in cœlis est.* Simpliciter quoque prohibenda esset appellatio *Doctorum.* Atqui ipse Christus Ecclesiæ suæ dedit *Doctores*, Ephes. 4. v. 11. Et *Paulus* ait, se constitutum *Doctorem gentium*, 1. Timoth. 2. v. 7. De communi Patris appellatione manifesta res est.

§. 54. (2) Gradus isti sæpe indignis conferuntur, & numerata pecunia, redimuntur: Ergo veræ virtutis & eruditionis testimonia non sunt, adeoque nec expetendi, nec admodum honorifici sunt. *Antecedens* comprobat experientia, & vulgatum illud Italorum: *Accipimus pecuniam & asinos mittimus in Germaniam.*

Resp. Negatur *consequentia.* Propter abusum rei bonæ & honestæ res ipsa bona & honesta non est tollenda: nec desinunt præmia virtutis esse testimonia, etiamsi ignavis quoque interdum obtingunt.

§. 55. Quæritur (13) *Cur reverentiam & honorem exhibituri caput aperiamus?*

Resp. Causam *Plinius*, lib. 38. cap. 6. hanc assignat: *Capita aperiri magistratus non venerationis causa jusserunt, sed valetudinis, ut firmiora ea consuetudine fierent.* Hanc *Plinii* sententiam probabiliorem reddit *Herodotus*, in *Thalia*, ubi ait, *Persarum capita adeo esse fragilia, ut si ferire velis, vel solo calculo perforare possis: contra vero Ægyptiorum tam firma, ut vix lapidis ictu elidi possint: idque ideo accidere: quod Persæ à pueris caput operiant, & pileos atque tiaras gestent: Ægyptii vero nudo & raso capite incedant, capitisque os ad solem compactius reddant.*

§. 56. Minus tamen placet à *Plinio* allegata causa: quia nimis est generalis & ad firmanda capita parum videtur conducere exigua illa aperti capitis mora, quæ in exhibitione honoris trahitur. Si indurari capita commode non possent, nisi per apertionem: etiam extra honoris exhibendi causam & occasionem à Magistratu mandanda esset apertio: cum subditorum paucissimi Magistratibus sæpe occurrant & pauciores diu in ipsorum conspectu hæreant.

§. 57. *Plutarchus* in probl. hanc assignat causam: *quia ho-*

nor & gloria sunt splendidum quiddam, illustre & apertum.

Plenius hoc explicat *Cælius Rhodiginus* lib. 20. cap. 12. cujus hæc observatu digna sunt verba: *Divinissimo in nobis membro divinitus enitescentem in aliquo præstantiam reverenter & religiosa quadam observantia excipere congruentissimum fuisse arbitror: quando non corporea, non fluxa & instabili nostra parte cœleste donum honore prosequimur, sed mente quæ (ut Lactantius scribit ac prius docuerat Plato) in summo capite collocata, tanquam in arce, sublimis speculatur omnia & contuetur.*

§. 58. Quæritur (14) *Unde originem traxerit mos, quo honorem exhibituri, coram honoratis manus suas ori adhibent easque osculantur?*

Resp. Prisca *Ethnicorum* religio & superstitio deosculationem manuum, venerationis signum, induxit: Solebant illi oscula figere idolorum suorum manibus. Inde ritus ad homines quoque & Principes de Republ. bene meritos translatus, quorum manus subditi in venerationis testimonium sunt osculati. De *Catone* ex provincia digrediente scribit *Plutarchus*, *milites manus ejus reverenter fuisse exosculatos.* Tandem vero cum incivilius videretur ad manuum principis osculationem admittere quemlibet, consuetudine priore sublata, vel minus frequenter usurpata, ad manuum propriarum osculationem est deventum. Mos tamen uterque etiamnum hodie viget, ita tamen ut osculatio manuum Principis, vel alterius honorati viri aut fæminæ, non adhibeatur, nisi manum sponte porrexerit, qui honorandus est. Plerunque etiam ad pedum quasi oscula se demittunt venerabundi, in signum submissionis: qui ab antiquitate quoque ritus est petitus. Videatur *Muretus*, lib. 10. var. lect. cap. 1. scribit *Pomponius Lætus*, *Diocletianum*, & *Cajum Caligulam*, honoris & subjectionis causa, pedes quoque sibi exosculandos præbuisse. Quem ritum etiamnum hodie imitantur *Pontifices Romani*: qui regum quoque legatis pedes osculandos exhibent. Non Petrum illi sequuntur ducem, sed *Diocletianum* & *Caligulam* tyrannos. Vid. *Guilielm. Stuck.* in descript. sacrorum sacrificiorumque gentilium pag. 87. 88.

§. 59. Quæritur (15) *Utri in discumbendo sedendoque primus debeatur locus honorisque prærogativa, Patri privato, an filio Magistratu?*

Resp. Mota hæc olim quæstio, cum ad Philosophum *Taurum* Athenas, visendi cognoscendique ejus gratia, venisset clar. v. præses *Cretæ*, provinciæ, & cum eo simul ejusdem præsidis pater: Ubi, introeunte in cubiculum Philosophi provin-

ciæ præside, &, cum eo, patre, placide assurrexit *Taurus*, & post mutuam salutationem resedit. Allata mox una sella est, inquit *Gellius*, quæ in promptu erat, atque, dum aliæ promebantur, apposita est. Invitavit *Taurus* patrem præsidis, ut sederet: atque ille ait: *Sedeat hic potius, qui populi Romani Magistratus est.* *Absque præjudicio*, inquit *Taurus*, *tu interea sede, dum inspicimus quærimusque, utrum conveniat, tene potius sedere, qui pater es, an filium, qui Magistratus est.* Et cum Pater assedisset, appositumque esset aliud filio quoque ejus sedile, verba super ea re *Taurus* facit, cum summa inquit *Gellius*, Dii boni! honorum atque officiorum perpensatione! eorum verborum sententia hæc fuit.

In publicis locis atque muneribus atque actionibus patrum Jura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum & connivere. Sed cum extra rempublicam in domestica re atque vita sedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari discumbatur; tum inter filium Magistratum & patrem privatum, publicos honores cessare: naturales atque genuinos exoriri. Hoc igitur, inquit, quod ad me venistis, quod colloquimur nunc, quod de officiis disceptamus, privata actio est, Itaque utere apud me ijs honoribus prius, quibus domi quoque vestræ te uti priorem decet.
Gell. lib. 2. cap. 2. Acquievit in hac sententia populi *Romani* magistratus, quem rustici fastus damnaturus fuisset Philosophus, si patri se postponi ægre tulisset. De barbaro & rustico seculi nostri fastu quid tibi, lector, videtur?

§. 60. De quæstione, An, *convivas qui convivio excipit, ipse debeat collocare, an vero collocationem convivarum arbitrio permittere?* vide *Plutarch.* lib. 1. Sympos. quæst. 2. ubi differunt *Plutarchi pater*, *Plutarchi frater*; *Plutarchus & Lamprias Plutarchi avus.* Quæstionis partem *priorem* affirmat Pater Plutarchi: *Posteriorem* Frater: Arbiter *Plutarchus* media incedit via, quæ hæc est, *si adolescentes, cives aut familiares convivio excipias, convivis permittenda collatio, sin in magistratu constitutos, aut natu grandiores, ipse collocabis singulos pro gradu dignitatis & honoris*. Tandem accedit *Lamprias*, qui quo ordine singuli sint collocandi, docet. *Non adjungendus diviti dives, juveni juvenis, principi princeps, amico amicus:* hanc enim collocationem putat otiosam esse & benevolentiæ parandæ augendæque minus accommodatam: *Sed homini de rebus ad humanitatem facientibus libenter disserenti studiosus audiendi & discendi, moroso mansuetus, loquaci seni adolescens audiendi avidus,*

 glorioso,

glorioso subsannator, iracundo tacitus, diviti munifico probus pauper, rixoso mansuetus. Igitur in collocatione non dignitatis, sed ingeniorum, rationem haberi vult *Lamprias*: quod sine offensione vix fiet. Hac de quæstione ex professo agentem vide *Stuck.* Antiquit. convival. lib. 2. cap. 35.

II.

Adversatur observantiæ irreverentia.

Ἔκθεσις.

EXEMPLIS irreverentiæ nostra abundat *Germania* inter senes & juvenculos, inter cives & rusticos, nobiles & ignobiles.

CAPUT XXXIII.

De GRATITUDINE.

THESIS I.

HACTENUS de justitia communi, quæ omnibus debetur: *restat ea, quæ benefactoribus tantum debetur, diciturq;* Gratitudo: *quæ est justitia jucundam accepti beneficii memoriam conservans.*

II.

Memoria hæc cum voluntatis, tum facti declaratur signis.

III.

Signa voluntatis sunt indicia, quibus animum promptum nos habere ad beneficiorum acceptorum recompensationem ostendimus: quo in genere sunt vota & preces pro salute proximi, officiorum nostrorum item oblatio.

IV.

Signa facti sunt dona & officia vicissim proximo præstita, quibus exhibita nobis beneficia rependere aliquo modo conamur.

Ἔκθεσις.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBIECTUM gratitudinis sunt beneficia accepta ac signa voluntatis & facti, quibus memoria beneficiorum jucunda declaratur.

§. 2. *Officium* ejus in quatuor consistit partibus, quarum 1. *Agnitio* beneficii accepti. 2. *Memoria* ejusdem beneficii. 3. *Contestatio* beneficii agniti & memoria conservati. 4. *Compensatio*, si in nostris ea sit viribus. Unde patet verum esse, quod Theologi & Ethici agunt: gratitudinem in se duas complecti virtutes, *veritatem* & *justitiam*.

Per *veritatem* enim agnoscimus beneficia accepta & nullo modo dissimulamus: per *justitiam* autem id, quod accepimus, compensare nitimur. Sic è contrario duo pessima in se vitia continet *ingratitudo*, nempe *mendacium & injustitiam*.

§. 3. Ad gratitudinem nos hortantur *rationes* & *exempla*.

Rationes sunt.

(1) Quia gratitudo est vera virtus non solum maxima, sed omnium virtutum reliquarum mater: *Cicero*.

(2) Quia nihil tam est laudabile, quam referre bene meritis gratiam: *Seneca*.

(3) Quia nihil est grato animo honestius: *Omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt, in omni judiciorum diversitate referendam bene merentibus gratiam, omnes uno ore affirmabunt, in his discors turba consentit. Seneca.*

(4) Quia ingratitudo suis quasi venis omnia alia crimina & vitia quasi inclusa continet & ad omnem turpitudinem aditum patefacit: *Xenophon*.

§. 4. Exempla hujus virtutis apud veteres illustria sunt.

Attalus eandem *Asiam* populo *Romano*, à quo dono acceperat, rursus legavit. *Populi Romani* magna in bestias quoque gratitudo fuit. Quotannis enim olim *Anser* splendide admodum in lectica & veste stragula pretiosa solemni pompa gestabatur, quod, in obsidione *Capitolii*, Gallis arcem noctu invadentibus, anserum clangore vigiles excitati fuerint. *Plutarchus* in quæst. Rom. 98. & lib. de *fortuna Romanorum*. Idem populus, *Tiberio* imperante, corvum sepelivit, portantibus duobus *Æthiopibus* servis, præcinente tibicine & Musicis: cum prius eum qui corvum occiderat, lapidibus obruissent. Causa honoris exhibiti fuit, quod corvus nominatim *Drusum* & *Germanicum* Cæsares, multosque præterea alios, tandem etiam totum populum salutasset. *Plin.* lib. 10.

lib. 10. cap. 43. *Valer. Max* lib. 5. cap. 2. Quanta fuerit *Alexandri Magni in Bucephalum* equum gratitudo, ex historiis notum est. Similia vide apud *Camerar.* Hor. subcis. cent. 1. c. 21.

Crito Philosophus, ut in *Socratem* præceptorem suum gratus esset, toto vitæ suæ tempore necessaria ei suppeditavit. *Furnius* cum patri suo partes *Antonii* secuto à *Cæsare* veniam impetrasset. *Hanc*, inquit, *Cæsar*, *unam habeo injuriam tuam: effecisti ut viverem & morerer ingratus.* *Diogenes*, cum amico suo *Carisio*, à quo pecuniam dono acceperat, rependere non posset: *Dii*, inquit, *qui pia facta vident, dent tibi longe meliora & præstantiora, quam fuerunt, quæ in me collata sunt.* *Alphonsus Arragonum & Siciliæ Rex*, teste *Panormitano*, à nemine unquam se gratitudine & officio vinci passus est. Majus exemplum hominis grati ac pii, quam Corvini in Cæsarem, nullum fuit. *Vellejus.*

§. 5. *Præcepta* de gratitudine observentur sequentia.

(1) Gratus qui facto esse nequit, animo saltem sit in gratitudinem prono. *Sæpe enim*, inquit Seneca, *& qui gratiam retulit, ingratus est; & qui non retulit: nam, ut omnium aliarum virtutum, ita hujus ad animum tota æstimatio redit. Hic si in officio est, quicquid defuit, fortuna peccat;* lib. 4. de benef. cap. 21. ubi duo constituit gratorum hominum genera. *Gratus dicitur, qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddit. Et gratus dicitur, qui bono animo accepit beneficium, bono debet. Veluti artifex est etiam, cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt: nec minus canendi peritus, cujus vocem exaudiri fremitus obstrepentium non sinit.* Pertinet huc illud Ovidii.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.
Hac ego contentos auguror esse Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cæso non minus agna bove.

Idem sibi vult illud Poëtæ Græci. Χαρίτων δὲ τεθυμὸς ἄριστος. h. e. optimus Gratiarum animus.

(2) Etiam qui benefactori gratias egit, beneficiorum memoriam nunquam debet deponere. Unde *Gratiæ* finguntur juvenes, quia beneficiorum memoria non debet senescere. *Seneca. Nihil magis præstandum est, quam ut memoria nobis meritorum hæreat, quæ subinde reficienda est, quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit, & qui meminit, jam refert.* Idem.

(3) Beneficia non nimium festinanter reddenda sunt. Passim hoc inculcat præceptum *Seneca* in libris de beneficientia. *Qui festinat*

festinat reddere, inquit lib. 4. *non habet animum grati hominis, sed debitoris: &, ut breviter dicam, qui nimis cito cupit solvere, invitus debet, qui invitus debet, ingratus est.* Et lib. 6. *Ista nimia festinatio ingrati est. Non vis reddere acceptum beneficium, sed effugere.* Ibid. *Exonerare se vult & gravi sarcina liberare. Multum interest, utrum properes referre gratiam, ut reddas beneficium, an ut ne debeas.* Ibid. *Non est trepidandum, quam cito reponamus, nec properandum intempestive: quia æque delinquit, qui ad referendum gratiam properat tempore alieno, quam qui suo cessat. Qui nimis de beneficio reddendo cogitat, nimis cogitare alterum de recipiendo putat.*

(4) In beneficio reddendo habenda potius conscientia, quam famæ ratio. Unde *Seneca. Male agit, qui famæ, non conscientiæ, gratus est.*

(5) Beneficium qui meruit, de reddendo nihilominus debet cogitare.

(6) *Ex Hesiodi* præcepto, eadem mensura reddendum est, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. Laudat præceptum hoc *Cicero*. Laudat Ambrosius.

(7) Qui gratus futurus est, statim, dum accepit, de reddendo cogitet; Etsi retributio non nimis festinanda. *Seneca.*

§. 6. Quær. (1) *An omni benefactori debeatur gratiarum actio?*

Resp. *Affirmativa* defenditur hac ratione: Quia benefactor est quasi causa & principium beneficiarii. Ut igitur omnis effectus ad causam suam naturaliter convertitur: Sic & beneficiarius ad benefactorem converti debet per gratitudinem, seu gratiarum actionem: quod nisi fecerit, maximum ἀχαριστίας crimen non evitabit, & naturæ atque justitiæ ordinem evertet. Unde *Ambrosius*, lib. 1. offic. *Quid tam contra officium*, exclamat, *quam non reddere, quod acceperis.* Tendit huc Apostoli præceptum 1 Thessal. 5. v. 18. *In omnibus gratias agite.*

Objicitur tamen in contrarium.

§. 7. (1) *Si omni benefactori deberetur gratiarum actio, sibi ipsi quoque gratiarum actionem aliquis deberet:*

Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.

Connexi ratio est: *Quia in se ipsum conferre aliquis beneficium, uti & nocere sibi potest.*

Resp. *Connexum* negatur. *Probatio*, de beneficio in specie sic dicto negatur. *Sicut non est liberalis*, inquit *Seneca*, *qui sibi donat, nec clemens, qui sibi ignoscit, nec misericors qui malis suis tangitur, sed qui aliis: Ita etiam nemo sibi ipsi beneficium dat, sed naturæ suæ paret, quæ movet ad refutanda nociva & ad appetenda pro-*

da proficua. In iis igitur, quæ ad se ipsum sunt, non est gratitudo, vel ingratitudo, sed quæ ad alium sunt. Gratitudo species est justitiæ, quæ ad alium potius, quam ad se ipsum est.

§. 8. (2) *Beneficia nonnulla non dantur cum gratia, sed cum contumelia vel tristitia. Ergo gratiarum actio iis non debetur.*

Antecedens *in confesso est*: Ratio consequentiæ est: *Quia gratiarum actio est quædam gratia compensatio.*

Resp. Negatur *consequentia*. *Probatio* est inconsequens: Ambigua est vox, *gratia*: quæ vel de affectu dantis, vel de ratione & natura dati potest accipi: Omne beneficium est gratia quædam, vel includit gratiam: quamvis non omne cum gratia dantis administretur. Debetur igitur gratiarum actio, respectu gratiæ datæ, quamvis non concurrat gratia dantis: etsi major debetur, quando utraque concurrit gratia. Quod si vero atrox sit contumelia, quæ a dante proficiscitur in accipientem, vel obtrudi sibi patientem, tum nomen & naturam beneficii amittit, quod datur: adeoque *antecedens* negabitur. Beneficium à *Seneca* definitur: *Benevola actio tribuens gaudium capiensque tribuendo, in id, quod facit, prona & sponte sua parata.* Definitionem hanc non admittit actio contumeliosa & tristis. Avari fere semper trepidante manu largiuntur.

§. 9. (3) *Nulli debetur gratiarum actio ex eo, quod suam utilitatem procurat. Atqui nonnulli beneficia dant propter utilitatem suam: Ergo saltem his non debetur gratiarum actio.*

. Resp. *Propositio* est distinguenda: Nulli debetur gratiarum actio ex eo, quod tantum suam utilitatem procurat: cum hac limitatione, seu exclusione, *conclusio* nobis non contradicit; neque enim beneficium dat alteri, qui solam suam, & non alterius quoque, procurat utilitatem. Quod si vero & suam & alterius procuret utilitatem, non est defraudandus omni gratiarum actione: quia non desinit esse beneficium, ex quo ad benefactorem quoque aliquid redundat emolumenti.

Multum interest, inquit Seneca, *utrum aliquis beneficium det nobis sua causa, an nostra, an sua & nostra.*

Qui tantum sua causa dat, sibique soli, non accipienti prodest, non obligat sibi accipientem, sed se potius accipienti. Qui tantum nostra, plene sibi accipientes obligat. Qui sua & nostra, ex parte accipientes obligat. *Summa enim malignitatis est*, inquit Seneca, *non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo affecit.*

§. 10. (4) *Servi in dominum beneficio non debetur gratiarum actio:*

actio : E. non omni benefactori debetur. Antecedens prob. *Quia hoc ipsum, quod servus est, Domini est.*

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est, uti nec *probatio. Sunt quædam*, inquit Seneca, lib. 2. de benef. cap. 21. *quæ leges nec jubent, nec vetant facere, in his servus materiam beneficii habet. Quam diu præstatur, quod à servis exigi solet, ministerium est, ubi plus, quam quod servo necesse est, beneficium. Ubi in affectum amici transit, desinit vocari ministerium*, &c.

§. 11. Quæritur (2) *An beneficium statim debeat compensari?*

Resp. *Negativam* adstruit Seneca, rationibus, quas supra E'κθ. 3. præcepr. 3. ex eodem autore adduximus. Observandum tamen, in beneficio ejusque compensatione duo esse consideranda & distinguenda, *affectum* & *donum*. Quoad *affectum*, statim compensandum est beneficium: quod compensatur hoc modo, si ad compensationem te obligatum agnoscas, & compensare apud animum serio proponas. Quoad *donum*, tempus exspectari debet, quo opportuna benefactori & grata beneficiario sit compensatio.

Objicitur in contrarium.

§. 12. (1) *Quod debemus sine certo termino, id statim restituere tenemur. Atqui compensationem beneficiorum debemus sine certo termino. Ergo statim præstare tenemur.*

Resp. *Propositio* nec de *legali*, nec de *morali* debito universaliter vera est. Minime vero de *morali*, quod ex honestate debentis dependet, & reddendum ad præscriptum virtutis, quæ nimis festinatam compensationem non requirit.

§. 13. (2) *Actio moralis ex majore animi fervore profecta est laudabilis. Atqui extemporanea beneficii compensatio est actio moralis ex majore animi fervore profecta: Ergo est laudabilis.*

Resp. *Propositio* est limitanda: Actio moralis ex majore animi fervore profecta & *secundum virtutis præscriptum* ordinata, est laudabilis. Hujusmodi vero actio non est extemporanea beneficii compensatio: quia virtutis præscriptum requirit certam temporis locique circumstantiam benefactori honestam & beneficiario gratam.

§. 14. Quæritur (3) *Utrum compensatio fieri debeat secundum affectum an effectum benefactoris?*

Resp. Notat *Thomas* compensationem beneficii posse ad tres virtutes pertinere, ad *justitiam*, ad *gratiam* & ad *amicitiam*: Ad *justitiam* magis proprie sic dictam quæ pertinet, debiti legalis rationem habet, veluti in mutuo & similibus; & facienda *secundum*

secundum quantitatem dati, seu effectum benefactoris: quod extra controversum est.

Ad *gratiam* quæ pertinet, facienda secundum *affectum* dantis potius, quam effectum & quantitatem dati? Ratio est: quia gratia beneficium respicit, quatenus gratis est impensum: ubi sincerus dantis attendendus animus: Secundum illud Senecæ, de benef. lib. 1. cap. 6. *Beneficium non in eo, quod fit, aut datur consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo.*

Ad *amicitiam* quæ pertinet, fit in amicitia *utili*, vel *honesta*. Compensatio in *amicitia utili* facienda secundum utilitatem, hoc est, dantis effectum potius quam affectum. Quia, cessante aut deficiente utili æquali, quod amicitiam hanc conglutinat, ipsa cessat amicitia.

Compensatio in *honesta amicitia* facienda secundum dantis affectum, quia potissimum heic habenda virtutis ratio, per quam ut affectus se prodit, ita potissimum attendi debet. Unde *Seneca* lib. 1. cap. 7. *Nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parva magnifice, & qui exiguum tribuit, sed libenter.*

Objicitur in contrarium.

§. 15. (1) *Beneficium consistit in effectu: est enim effectus benefactoris in beneficiarium transiens. Ergo compensatio ejus facienda secundum effectum.*

Resp. *Antecedens* exclusive verum non est: consistit beneficium in effectu *materialiter*, sed in affectu *formaliter* & principaliter. Effectus igitur in amicitia honesta & gratia ex affectu æstimandus: ut ex *Seneca* modo ostendimus: quia aliud est debiti moralis compensatio, aliud negotiatio.

§. 16. (2) *Gratia compensans beneficia, est species vel pars justitiæ: Ergo æqualitatem dati & accepti attendit, & per consequens, effectum potius, quam affectum:* Ratio conseq. *quia justitia respicit æqualitatem dati & accepti.*

Resp. Negatur *consequentia: probatio* universaliter vera non est: Late patet justitia; neque par omnium partium est ratio specifica. Aliter procedit *justitia commutativa*, aliter *distributiva*, aliter *justitia in specie sic dicta*, aliter quæ *communiter* ita dicitur, & quæ per quandam reductionem pertinet ad genus justitiæ specialius sic dictæ. Vulgo justitiæ species non nisi duæ numerantur, *commutativa* & *distributiva:* quibus plures alii addunt, quos & autor noster sequitur.

§. 17. Quæritur (4) *An plus per compensationem sit reddendum, quam in beneficio acceperis.*

Resp. *Affirmativa* defenditur, hac ratione: Quia, qui beneficium

neficium accepit in specie sic dictum, ex debito honestatis obligatur ad compensationem, qua gratis aliquid impendat. Atqui non videtur gratis aliquid impendere, qui quantitatem accepti beneficii non excedit, vel minus impendit. Siquidem qui minus reddit, non reddit quod accepit: qui par reddit, tantum, quod accepit, reddit, adeoque gratis nihil reddit, accepto nihil addit. Quod si vero affectu par aut superior esse nequeas, saltem ut affectu superes opera danda erit. Ad impossibile nemo obligatur. Plus igitur reddendum, si possis, & quidem commode, ut ne plane pereat accepti beneficii fructus, & compensatio evadat damnosa compensanti.

§. 18. Excipitur.

(1) *Parentibus aequalis compensatio fieri non potest. Ergo ad compensationem accepto beneficio majorem omnes non obligantur.* Ratio conseq. *Quia ad impossibile nemo obligatur.* Antecedens *Aristoteles probat lib. 8. Eth. circa finem. Parem parentibus referri gratiam non posse, constans sapientum est sententia. Et esse & vivere à parentibus habemus, quod rependere ipsis non possumus.*

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est, *& inconsequens* probatio. Etiamsi in omnibus par aut major referri gratia parentibus non potest, tamen in aliquibus potest: etiamsi effectu non potest, tamen affectu potest & voto.

§. 19. (2) *In qualibet virtute excessus est vitiosus. Ergo plus reddere per gratitudinem, quam acceperis, vitiosum est: siquidem cum ex usu conjunctum est.*

Resp. *Antecedens* non conceditur, nisi de excessu virtuti privativè opposito & moraliter malo. Est excessus in sola actionis moralis latitudinem quandam admittentis intensione: quo vitiosa actio non redditur. Est etiam excessus in *objecto* virtutis, quod modo minus, modo majus est, ut in *objecto* gratitudinis: qui moralem compensationem illico vitiosam non reddit.

§. 20. (3) *Si compensatio major deberet esse accepto beneficio, sequeretur eum, cui fit compensatio, de novo obligari compensanti, nempe ad compensationem excessus. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.* Assumtio prob. *Quia sic processus daretur in infinitum.*

Resp. *Assumtio* negatur: *probatio* est inconsequens. Derivatur debitum gratitudinis ex *charitate:* qua ita plene nunquam defungimur, ut debere proximo desinamus. *Nemini quicquam debete*, inquit Apostolus, Rom. 13. v. 8. *nisi hoc, ut alij alios*

 diliga-

diligatis. Obligationem gratitudinis interminabilem esse, non est inconveniens, inquit *Thomas*. Posset tamen & *connexum* negari. Qui enim compensat supra beneficium, debitum solvit honestatis, quo necessario & vicissim non obligat eum, cui facta est compensatio: etsi novæ compensationi occasionem præbet.

§. 21. (4) *Si plus semper reddendum esset: quam accepisti, damnosa esset beneficij acceptio. Atqui damnosum esse beneficium nulli debet*. Ergo.

Resp. *Connexum* negatur: quia plus reddendum cum conditione, quam in *affirmativa* probatione expressimus.

§. 22. Quæritur (5) *Utrum æstimatio accepti beneficij potius ad accipientem, an ad dantem spectet?*

Resp. Potius ad *accipientem*: ob sequentes Rationes.

(1) Quia hac ratione accipientes magis grati, & dantes magis gratiosi redduntur.

(2) Quia, qui pretium beneficio constituit, remunerationem cogitat vel exspectat: atqui de remuneratione cogitare non est dantis sed accipientis.

(3) Quia fraudem arguit & avaritiam, si, qui dat, præscribit & æstimat, quantum reddi debeat.

(4) Quia beneficia vendere dator cogitat, qui æstimat.

§. 23. *Qui vendit, rem suam æstimat. Ergo qui beneficium dat, æstimare quoque debet.* *Ratio* conseq. *Quia ut est in justitia commutante, sic & in amicitia.*

Resp. De beneficio proprie & in specie sic dicto, quod debitum infert morale, negatur *consequentia*: ratio non conceditur, nisi de amicitia *utili*, quæ retributionem alterius beneficii intendit & exspectat: aliter se res habet in *honesta*, quæ beneficia non vendit sed donat.

§. 24. (6) *An beneficia bene docentium æquari possint?*

Resp. Negatur.

(1) Propter excellentiam animi, quem ornant: cui nullæ pares sunt divitiæ.

(2) Propter dignitatem sapientiæ, quam conferunt.

(3) Propter infinitam rerum varietatem quas explicant.

(4) Propter bonum incommutabile & divinum, ad quod nos referunt.

§. 25. Tanti res pretii est sapientia humana! Unde *Aristoteles* erga Philosophiæ professores ita nos vult esse animatos, ut erga Deos. Horum igitur si æquari beneficia non possunt, quæso, æquari poterunt eorum, qui sacrorum oraculorum sunt interpretes & Dei ad nos internuncii ad animorum nostrorum salutem

lutem promovendam! Hinc *Paulus*, 1. Cor. 9. v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum fuerit, si nos vestra carnalia messuerimus?* Hodie longe aliter vulgus judicat, & non vulgus tantum. Quam ferax, Deum immortalem! ingratum hoc & infelix seculum discipulorum ingratorum! Inusta olim nota ingrato hospiti: anne sine nota ingratum discipulum dimissurus judex fuisset?

Objicitur.

A discipulis compensationes accipiunt praeceptores, ab auditoribus verbi ministri: Ergo justa compensatio in hisce talibus potest fieri.

Resp. Negatur *consequentia*. Ratio est: quia discipuli praeceptoribus, & auditores verbi praeconibus non *rei* solvunt pretium sed *operae*: quod deserviunt; quod à rebus suis avocati ipsis vacant: unde mercedem non meriti, sed occupationis suae ferunt. *Seneca*, lib. 6. de Benef. cap. 15. vide & sequentia. 16. 17.

§. 27. *Quid si vero non suppetat, per paupertatem, unde operae solvas pretium praeceptori?*

Resp. Tam nemo est pauper, quin operae pretium praeceptori persolvere, quin occupationis suae mercedem ab eo ferre praeceptor possit. Docet hoc exemplo suo *Æschines*, docet judicio suo *Socrates*: Utrumque laudat *Seneca*, de benef. lib. 1. cap. 8. *Socrati* cum multa multi, pro suis quisque facultatibus, offerrent, *Æschines*, pauper auditor, *Nihil*, inquit, *dignum te, quod dare tibi possim, invenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo*, Meipsum. *Hoc munus rogo, qualecunque est, boni consulas, cogitesque alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Cui Socrates. *Quid ni tu*, inquit, *magnum munus mihi dederis, nisi forte parvo te aestimas? Habebo itaque curae, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi.* Vicit *Æschines* hoc munere *Alcibiadis* parem divitiis animum, & omnium juvenum opulentorum munificentiam, de sententia *Senecae*.

V.

Gratitudini adversatur ingratitudo, seu ingrati animi, quod ἀχαριστίαν Graeci appellant.

Ἔκθεσις.

§. 1. MUlta sunt ingratorum genera, inquit Seneca, *ut furum, homicidarum: quorum una culpa est. Caeterum*

rum in partibus varietas magna. Ingratus est, qui beneficium accepisse negat, quod accepit: ingratus est, qui dissimulat, ingratus, qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est. Illi enim, si non solvunt, tamen debent: & exstat apud illos vestigium certe meritorum intra malam conscientiam conclusorum. Hic nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est.

§. 2. Fugienda modis omnibus ingratitudo.

(1) Quia grave & intolerabile est vitium, quod dissociat homines & concordiam, qua imbecillitas nostra fulcitur, scindit & dissipat. *Seneca.*

(2) Quia non referre beneficiis gratiam & est turpe, & apud omnes habetur. *Seneca.*

(3) Quia ingratum etiam ipsi culpant mali. *Plautus.*

(4) Quia omnes immemorem beneficii oderunt. *Cicero.*

(5) Quia infra homicidas, tyrannos, fures, adulteros, raptores, sacrilegos, & proditores ingratus est: cum omnia ista ab ingrato sint animo, sine quo vix ullum magnum facinus crevit. *Seneca.*

§. 3. *Exempla* ingratitudinis ante oculos, proh dolor, nimis multa versantur. Perstringunt vitii hujus nomine historici *Athenienses*, quorum infamis fuit ingratitudo erga optime meritos, *Theseum*, *Solonem*, *Aristidem*, *Themistoclem*, *Phocionem*, *Timotheum*, *Socratem*, *Demosthenem* & *Philippum Macedonem.*

Romani quoque ingrati fuerunt erga *Camillum*, *Scipionem*, *Lentulum*, *Servilium*, &c. & *Carthaginenses* erga Xanthippum. *Valer. Max.* lib. 9. cap. 6. Nota est historia de *hospite ingrato*; apud *Senec.* lib. 4. de benef. cap. 37.

§. 4. Quæritur, *An dari debeat adversus ingratum actio?*

Resp. *Negativam* amplectitur *Seneca*, sequentes ob causas.

(1) Quia omnium pars optima beneficii periit, si actio, sicut certæ pecuniæ, aut ex conducto, aut ex locato, datur. Est enim speciosissimum, quod dedimus vel perdituri: quod totum permisimus accipientium arbitrio. *Si appello, si ad judicem voco, incipit non beneficium esse, sed creditum.*

(2) Quia res honestissima est referre gratiam: Atqui desinit esse honesta, si necessaria est. Non enim magis laudabit quisquam gratum hominem, quam eum, qui depositum reddidit, aut, quod debebat, extra judicem solvit.

(3) Quia non est gloriosa res gratum esse, nisi tutum est ingratum fuisse.

(4) Quia huic legi uni omnia fora vix sufficerent: Quis enim

nim erit, qui non agat? Quis, cum quo non agatur?

(5) Quia, qui sit ingratus, nulla lex monstrat, cum sæpe & qui reddidit, quod excepit, ingratus sit, & qui non reddidit, gratus.

(6) Quia nemo huic rei satis idoneus judex inventus est: quod probantem vide *Senecam*, de Benef. lib. 3. c. 8.

(7) Quia dies beneficio reddendo non dicitur, sicut pecuniæ creditæ. Potest igitur, qui nondum reddidit, reddere: nec nominari tempus potest, intra quod deprehendatur gratus.

(8) Quia maxima beneficia probationem non habent. Sæpe intra tacitam duorum conscientiam latent, neque induci hoc unquam poterit, ut non dentur beneficia sine teste.

(9) Quia certa ingratis pœna non potest constitui: non una omnibus: quia disparia sunt beneficia: non inæqualis & pro cujusque beneficio, major vel minor. Si intra pecuniam versetur taxatio, quædam beneficia vitæ sunt, & majora vita. His quæ pronunciabitur pœna? Minor beneficio? Iniqua erit. Par & capitalis? Quid inhumanius, quam cruentos esse beneficiorum exitus?

(10) Quia vox, *redde quod debes*, alias æquissima est & jus gentium præ se fert: in beneficio autem turpissima. Quid enim reddet? Vitam debet, dignitatem, securitatem, sanitatem. Reddi maxima quæque non possunt: aut pro his aliquid, quod tanti sit. Atqui interit hoc modo beneficii dignitas, si mercedem id facimus: &c.

§. 5. Objicitur (1) *Privilegiorum quorundam parentibus datorum extra ordinem habetur ratio. Ergo beneficiorum quoque aliorum haberi debet, & adversus ingratos danda actio.*

Resp. *Consequentiam* negat *Seneca* propter dissimilitudinem, quæ est inter parentes & alios benefactores. Hoc ostendentem vide *Senecam*, lib. supra alleg. cap. 11.

§. 6. (2) *Tardiores ad beneficia danda facimus non vindicando data, nec inficiatores eorum afficiendo pœna. Ergo danda adversus ingratos actio.*

Resp. Partim *antecedens*, partim *consequentiam* negat *Seneca*. Quia 1. multo tardiores erimus ad accipienda beneficia, si periculum causæ dicendæ nobis imminere sciamus. 2. Per hoc ipsi quoque ad danda erimus tardiores: quia nemo libenter dat invitis. 3. Minuitur gloria ejus beneficii, cui diligenter cautum est. 4. Ut maxime pauciora sint futura beneficia, tamen veriora erunt. Atqui nihil est mali beneficiorum inhiberi temeritatem: hoc enim ipsum secuti sunt, qui nullam legem huic constituerunt,

nor & gloria sunt splendidum quiddam, illustre & apertum.

Plenius hoc explicat *Cælius Rhodiginus* lib. 20. cap. 12. cujus hæc observatu digna sunt verba: *Divinissimo in nobis membro divinitus enitescentem in aliquo præstantiam reverenter & religiosa quadam observantia excipere congruentissimum fuisse arbitror: quando non corporea, non fluxa & instabili nostra parte cœleste donum honore prosequimur, sed mente quæ (ut Lactantius scribit ac prius docuerat Plato) in summo capite collocata, tanquam in arce, sublimis speculatur omnia & contuetur.*

§. 58. Quæritur (14) *Unde originem traxerit mos, quo honorem exhibituri, coram honoratis manus suas ori adhibent easque osculantur?*

Resp. Prisca *Ethnicorum* religio & superstitio deosculationem manuum, venerationis signum, induxit: Solebant illi oscula figere idolorum suorum manibus. Inde ritus ad homines quoque & Principes de Republ. bene meritos translatus, quorum manus subditi in venerationis testimonium sunt osculati. De *Catone* ex provincia digrediente scribit *Plutarchus*, *milites manus ejus reverenter fuisse exosculatos.* Tandem vero cum incivilius videretur ad manuum principis osculationem admittere quemlibet, consuetudine priore sublata, vel minus frequenter usurpata, ad manuum propriarum osculationem est deventum. Mos tamen uterque etiamnum hodie viget, ita tamen ut osculatio manuum Principis, vel alterius honorati viri aut fœminæ, non adhibeatur, nisi manum sponte porrexerit, qui honorandus est. Plerunque etiam ad pedum quasi oscula se demittunt venerabundi, in signum submissionis: qui ab antiquitate quoque ritus est petitus. Videatur *Muretus*, lib. 10. var. lect. cap. 1. scribit *Pomponius Lætus*, *Diocletianum*, & *Cajum Caligulam*, honoris & subjectionis causa, pedes quoque sibi exosculandos præbuisse. Quem ritum etiamnum hodie imitantur *Pontifices Romani:* qui regum quoque legatis pedes osculandos exhibent. Non Petrum illi sequuntur ducem, sed *Diocletianum* & *Caligulam* tyrannos. Vid. *Guilielm. Stuck.* in descript. sacrorum sacrificiorumque gentilium pag. 87. 88.

§. 59. Quæritur (15) *Utri in discumbendo sedendoque primus debeatur locus honorisque prærogativa, Patri privato, an filio Magistratu?*

Resp. Mota hæc olim quæstio, cum ad Philosophum *Taurum* Athenas, visendi cognoscendique ejus gratia, venisset clar. v. præses *Cretæ*, provinciæ, & cum eo simul ejusdem præsidis pater: Ubi, introeunte in cubiculum Philosophi provinciæ

ciæ præside, &, cum eo, patre, placide assurrexit *Taurus*, & post mutuam salutationem resedit. Allata mox una sella est, inquit *Gellius*, quæ in promptu erat, atque, dum aliæ promebantur, apposita est. Invitavit *Taurus* patrem præsidis, ut sederet: atque ille ait: *Sedeat hic potius, qui populi Romani Magistratus est. Absque præjudicio*, inquit *Taurus*, *tu interea sede, dum inspicimus quærimusque, utrum conveniat, tene potius sedere, qui pater es, an filium, qui Magistratus est.* Et cum Pater assedisset, appositumque esset aliud filio quoque ejus sedile, verba super ea re *Taurus* facit, cum summa inquit *Gellius*, Dii boni! honorum atque officiorum perpensatione! eorum verborum sententia hæc fuit.

In publicis locis atque muneribus atque actionibus patrum jura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum & connivere. Sed cum extra rempublicam in domestica re atque vita sedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari discumbatur; tum inter filium Magistratum & patrem privatum, publicos honores cessare: naturales atque genuinos exoriri. Hoc igitur, inquit, quod ad me venistis, quod colloquimur nunc, quod de officiis disceptamus, privata actio est, Itaque utere apud me ijs honoribus prius, quibus domi quoque vestræ te uti priorem decet.

Gell. lib. 2. cap. 2. Acquievit in hac sententia populi *Romani* magistratus, quem rustici fastus damnaturus fuisset Philosophus, si patri se postponi ægre tulisset. De barbaro & rustico seculi nostri fastu quid tibi, lector, videtur?

§. 60. De quæstione, An, *convivas qui convivio excipit, ipse debeat collocare, an vero collocationem convivarum arbitrio permittere*? vide *Plutarch.* lib. 1. Sympos. quæst. 2. ubi differunt *Plutarchi pater, Plutarchi frater*; *Plutarchus & Lamprias Plutarchi avus.* Quæstionis partem *priorem* affirmat Pater Plutarchi: *Posteriorem* Frater: Arbiter *Plutarchus* media incedit via, quæ hæc est, *si adolescentes, cives aut familiares convivio excipias, convivis permittenda collatio, sin in magistratu constitutos, aut natu grandiores, ipse collocabis singulos pro gradu dignitatis & honoris.* Tandem accedit *Lamprias*, qui quo ordine singuli sint collocandi, docet. *Non adjungendus diviti dives, juveni juvenis, principi princeps, amico amicus:* hanc enim collocationem putat otiosam esse & benevolentiæ parandæ augendæque minus accommodatam: *Sed homini de rebus ad humanitatem facientibus libenter disserenti studiosus audiendi & discendi, moroso mansuetus, loquaci seni adolescens audiendi avidus,*

glorioso subsannator, iracundo tacitus, diviti munifico probus pauper, rixoso mansuetus. Igitur in collocatione non dignitatis, sed ingeniorum, rationem haberi vult *Lamprias*: quod sine offensione vix fiet. Hac de quæstione ex professo agentem vide *Stuck.* Antiquit. convival. lib. 2. cap. 35.

II.

Adversatur observantiæ irreverentia.

Ἔκθεσις.

EXEMPLIS irreverentiæ nostra abundat *Germania* inter senes & juvenculos, inter cives & rusticos, nobiles & ignobiles.

CAPUT XXXIII.
De
GRATITUDINE.

THESIS I.

HACTENUS de justitia communi, quæ omnibus debetur: *restat ea, quæ benefactoribus tantum debetur, diciturq́; Gratitudo: quæ est justitia jucundam accepti beneficii memoriam conservans.*

II.

Memoria hæc cum voluntatis, tum facti declaratur signis.

III.

Signa voluntatis sunt indicia, quibus animum promptum nos habere ad beneficiorum acceptorum recompensationem ostendimus: quo in genere sunt vota & preces pro salute proximi, officiorum nostrorum item oblatio.

IV.

Signa facti sunt dona & officia vicissim proximo præstita, quibus exhibita nobis beneficia rependere aliquo modo conamur.

Ἔκθεσις.

Ἔκθεσις.

§. 1. Objectum gratitudinis sunt beneficia accepta ac signa voluntatis & facti, quibus memoria beneficiorum jucunda declaratur.

§. 2. *Officium* ejus in quatuor consistit partibus, quarum 1. *Agnitio* beneficii accepti. 2. *Memoria* ejusdem beneficii. 3. *Contestatio* beneficii agniti & memoria conservati. 4. *Compensatio*, si in nostris ea sit viribus. Unde patet verum esse, quod Theologi & Ethici agunt: gratitudinem in se duas complecti virtutes, *veritatem* & *justitiam*.

Per *veritatem* enim agnoscimus beneficia accepta & nullo modo dissimulamus: per *justitiam* autem id, quod accepimus, compensare nitimur. Sic è contrario duo pessima in se vitia continet *ingratitudo*, nempe *mendacium & injustitiam*.

§. 3. Ad gratitudinem nos hortantur *rationes* & *exempla*. Rationes sunt.

(1) Quia gratitudo est vera virtus non solum maxima, sed omnium virtutum reliquarum mater: *Cicero.*

(2) Quia nihil tam est laudabile, quam referre bene meritis gratiam: *Seneca.*

(3) Quia nihil est grato animo honestius: *Omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt, in omni judiciorum diversitate referendam bene merentibus gratiam, omnes uno ore affirmabunt, in his discors turba consentit. Seneca.*

(4) Quia ingratitudo suis quasi venis omnia alia crimina & vitia quasi inclusa continet & ad omnem turpitudinem aditum patefacit: *Xenophon.*

§. 4. Exempla hujus virtutis apud veteres illustria sunt.

Attalus eandem *Asiam* populo *Romano*, à quo dono acceperat, rursus legavit. *Populi Romani* magna in bestias quoque gratitudo fuit. Quotannis enim olim *Anser* splendide admodum in lectica & veste stragula pretiosa solemni pompa gestabatur, quod, in obsidione *Capitolii*, Gallis arcem noctu invadentibus, anserum clangore vigiles excitati fuerint. *Plutarchus* in quæst. Rom. 98. & lib. de *fortuna Romanorum*. Idem populus, *Tiberio* imperante, corvum sepelivit, portantibus duobus *Æthiopibus* servis, præcinente tibicine & Musicis: cum prius eum qui corvum occiderat, lapidibus obruissent. Causa honoris exhibiti fuit, quod corvus nominatim *Drusum* & *Germanicum* Cæsares, multosque præterea alios, tandem etiam totum populum salutasset. *Plin.* lib. 10.

lib. 10. cap. 43. *Valer. Max* lib. 5. cap. 2. Quanta fuerit *Alexandri Magni in Bucephalum* equum gratitudo, ex historiis notum est. Similia vide apud *Camerar.* Hor. subcis. cent. 1. c. 21.

Crito Philosophus, ut in *Socratem* præceptorem suum gratus esset, toto vitæ suæ tempore necessaria ei suppeditavit. *Furnius* cum patri suo partes *Antonii* secuto à *Cæsare* veniam impetrasset. *Hanc*, inquit, *Cæsar*, *unam habeo injuriam tuam: effecisti ut viverem & morerer ingratus. Diogenes*, cum amico suo *Carisio*, à quo pecuniam dono acceperat, rependere non posset: *Dii*, inquit, *qui pia facta vident*, *dent tibi longe meliora & præstantiora*, *quam fuerunt*, *quæ in me collata sunt*. *Alphonsus Arragonum & Siciliæ Rex*, teste *Panormitano*, à nemine unquam se gratitudine & officio vinci passus est. Majus exemplum hominis grati ac pii, quam Corvini in Cæsarem, nullum fuit. *Vellejus.*

§. 5. *Præcepta* de gratitudine observentur sequentia.

(1) Gratus qui facto esse nequit, animo saltem sit in gratitudinem prono. *Sæpe enim*, inquit Seneca, *& qui gratiam retulit*, *ingratus est; & qui non retulit: nam, ut omnium aliarum virtutum*, *ita hujus ad animum tota æstimatio redit*. *Hic si in officio est*, *quicquid defuit*, *fortuna peccat*; lib. 4. de benef. cap. 21. ubi duo constituit gratorum hominum genera. *Gratus dicitur*, *qui aliquid pro eo*, *quod acceperat*, *reddit*. *Et gratus dicitur*, *qui bono animo accepit beneficium*, *bono debet*. *Veluti artifex est etiam*, *cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt: nec minus canendi peritus*, *cujus vocem exaudiri fremitus obstrepentium non finit*. Pertinet huc illud Ovidii.

Ut desint vires, *tamen est laudanda voluntas.*
Hac ego contentos auguror esse Deos.
Hæc facit, *ut veniat pauper quoque gratus ad aras*,
Et placeat cæso non minus agna bove.

Idem sibi vult illud Poëtæ Græci. Χαρίτων δὲ τεθυμὸς ἄριστος. h. e. optimus Gratiarum animus.

(2) Etiam qui benefactori gratias egit, beneficiorum memoriam nunquam debet deponere. Unde *Gratiæ* finguntur juvenes, quia beneficiorum memoria non debet senescere. *Seneca. Nihil magis præstandum est*, *quam ut memoria nobis meritorum hæreat*, *quæ subinde reficienda est*, *quia nec referre potest gratiam*, *nisi qui meminit*, *& qui meminit*, *jam refert*. Idem.

(3) Beneficia non nimium festinanter reddenda sunt. Passim hoc inculcat præceptum *Seneca* in libris de beneficientia. *Qui festinat*

festinat reddere, inquit lib. 4. *non habet animum grati hominis, sed debitoris: &, ut breviter dicam, qui nimis cito cupit solvere, invitus debet, qui invitus debet, ingratus est.* Et lib. 6. *Ista nimia festinatio ingrati est. Non vis reddere acceptum beneficium, sed effugere.* Ibid. *Exonerare se vult & gravi sarcina liberare. Multum interest, utrum properes referre gratiam, ut reddas beneficium, an ut ne debeas.* Ibid. *Non est trepidandum, quam cito reponamus, nec properandum intempestive: quia æque delinquit, qui ad referendam gratiam properat tempore alieno, quam qui suo cessat. Qui nimis de beneficio reddendo cogitat, nimis cogitare alterum de recipiendo putat.*

(4) In beneficio reddendo habenda potius conscientia, quam famæ ratio. Unde *Seneca. Male agit, qui famæ, non conscientiæ, gratus est.*

(5) Beneficium qui meruit, de reddendo nihilominus debet cogitare.

(6) *Ex Hesiodi* præcepto, eadem mensura reddendum est, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis. Laudat præceptum hoc *Cicero*. Laudat Ambrosius.

(7) Qui gratus futurus est, statim, dum accepit, de reddendo cogitet; Etsi retributio non nimis festinanda. *Seneca.*

§. 6. Quær. (1) *An omni benefactori debeatur gratiarum actio?*

Resp. *Affirmativa* defenditur hac ratione: Quia benefactor est quasi causa & principium beneficiarii. Ut igitur omnis effectus ad causam suam naturaliter convertitur: Sic & beneficiarius ad benefactorem converti debet per gratitudinem, seu gratiarum actionem: quod nisi fecerit, maximum ἀχαριστίας crimen non evitabit, & naturæ atque justitiæ ordinem evertet. Unde *Ambrosius*, lib. 1. offic. *Quid tam contra officium*, exclamat, *quam non reddere, quod acceperis.* Tendit huc Apostoli præceptum 1 Thessal. 5. v. 18. *In omnibus gratias agite.*

Objicitur tamen in contrarium.

§. 7. (1) *Si omni benefactori deberetur gratiarum actio, sibi ipsi quoque gratiarum actionem aliquis deberet:*

Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.

Connexi ratio est: *Quia in se ipsum conferre aliquis beneficium, uti & nocere sibi potest.*

Resp. *Connexum* negatur. *Probatio*, de beneficio in specie sic dicto negatur. *Sicut non est liberalis*, inquit *Seneca*, *qui sibi donat, nec clemens, qui sibi ignoscit, nec misericors qui malis suis tangitur, sed qui aliis: Ita etiam nemo sibi ipsi beneficium dat, sed naturæ suæ paret, quæ movet ad refutanda nociva & ad appetenda pro-

da proficua. In iis igitur, quæ ad se ipsum sunt, non est gratitudo, vel ingratitudo, sed quæ ad alium sunt. Gratitudo species est justitiæ, quæ ad alium potius, quam ad se ipsum est.

§. 8. (2) *Beneficia nonnulla non dantur cum gratia, sed cum contumelia vel tristitia. Ergo gratiarum actio iis non debetur.*

Antecedens *in confesso est:* Ratio consequentiæ est: *Quia gratiarum actio est quædam gratia compensatio.*

Resp. Negatur *consequentia. Probatio* est inconsequens: Ambigua est vox, *gratia*: quæ vel de affectu dantis, vel de ratione & natura dati potest accipi: Omne beneficium est gratia quædam, vel includit gratiam: quamvis non omne cum gratia dantis administretur. Debetur igitur gratiarum actio, respectu gratiæ datæ, quamvis non concurrat gratia dantis: etsi major debetur, quando utraque concurrit gratia. Quod si vero atrox sit contumelia, quæ a dante proficiscitur in accipientem, vel obtrudi sibi patientem, tum nomen & naturam beneficii amittit, quod datur: adeoque *antecedens* negabitur. Beneficium à *Seneca* definitur: *Benevola actio tribuens gaudium capiensque tribuendo, in id, quod facit, prona & sponte sua parata.* Definitionem hanc non admittit actio contumeliosa & tristis. Avari fere semper trepidante manu largiuntur.

§. 9. (3) *Nulli debetur gratiarum actio ex eo, quod suam utilitatem procurat. Atqui nonnulli beneficia dant propter utilitatem suam: Ergo saltem his non debetur gratiarum actio.*

. Resp. *Propositio* est distinguenda: Nulli debetur gratiarum actio ex eo, quod tantum suam utilitatem procurat: cum hac limitatione, seu exclusione, *conclusio* nobis non contradicit; neque enim beneficium dat alteri, qui solam suam, & non alterius quoque, procurat utilitatem. Quod si vero & suam & alterius procuret utilitatem, non est defraudandus omni gratiarum actione: quia non desinit esse beneficium, ex quo ad benefactorem quoque aliquid redundat emolumenti.

Multum interest, inquit Seneca, *utrum aliquis beneficium det nobis sua causa, an nostra, an sua & nostra.*

Qui tantum sua causa dat, sibique soli, non accipienti prodest, non obligat sibi accipientem, sed se potius accipienti. Qui tantum nostra, plene sibi accipientes obligat. Qui sua & nostra, ex parte accipientes obligat. *Summa enim malignitatis est*, inquit Seneca, *non vocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo affecit.*

§. 10. (4) *Servi in dominum beneficio non debetur gratiarum actio:*

actio : E. non omni benefactori debetur. Antecedens prob. *Quia hoc ipsum, quod servus est, Domini est.*

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est, uti nec *probatio. Sunt quædam*, inquit Seneca, lib. 2. de benef. cap. 21. *quæ leges nec jubent, nec vetant facere, in his servus materiam beneficii habet. Quam diu præstatur, quod à servis exigi solet, ministerium est, ubi plus, quam quod servo necesse est, beneficium. Ubi in affectum amici transit, desinit vocari ministerium*, &c.

§. 11. Quæritur (2) *An beneficium statim debeat compensari?*

Resp. *Negativam* adstruit Seneca, rationibus, quas supra Ex. 3. præcept. 3. ex eodem autore adduximus. Observandum tamen, in beneficio ejusque compensatione duo esse consideranda & distinguenda, *affectum* & *donum*. Quoad *affectum*, statim compensandum est beneficium: quod compensatur hoc modo, si ad compensationem te obligatum agnoscas, & compensare apud animum serio proponas. Quoad *donum*, tempus exspectari debet, quo opportuna benefactori & grata beneficiario sit compensatio.

Objicitur in contrarium.

§. 12. (1) *Quod debemus sine certo termino, id statim restituere tenemur. Atqui compensationem beneficiorum debemus sine certo termino. Ergo statim præstare tenemur.*

Resp. *Propositio* nec de *legali*, nec de *morali* debito universaliter vera est. Minime vero de *morali*, quod ex honestate debentis dependet, & reddendum ad præscriptum virtutis, quæ nimis festinatam compensationem non requirit.

§. 13. (2) *Actio moralis ex majore animi fervore profecta est laudabilis. Atqui extemporanea beneficii compensatio est actio moralis ex majore animi fervore profecta: Ergo est laudabilis.*

Resp. *Propositio* est limitanda: Actio moralis ex majore animi fervore profecta & *secundum virtutis præscriptum* ordinata, est laudabilis. Hujusmodi vero actio non est extemporanea beneficii compensatio: quia virtutis præscriptum requirit certam temporis locique circumstantiam benefactori honestam & beneficiario gratam.

§. 14. Quæritur (3) *Utrum compensatio fieri debeat secundum affectum an effectum benefactoris?*

Resp. Notat *Thomas* compensationem beneficii posse ad tres virtutes pertinere, ad *justitiam*, ad *gratiam* & ad *amicitiam*: Ad *justitiam* magis proprie sic dictam quæ pertinet, debiti legalis rationem habet, veluti in mutuo & similibus; & facienda

secundum

secundum quantitatem dati, seu effectum benefactoris: quod extra controversum est.

Ad *gratiam* quæ pertinet, facienda secundum *affectum* dantis potius, quam effectum & quantitatem dati? Ratio est: quia gratia beneficium respicit, quatenus gratis est impensum: ubi sincerus dantis attendendus animus: Secundum illud Senecæ, de benef. lib. 1. cap. 6. *Beneficium non in eo, quod fit, aut datur consistit, sed in ipso dantis aut facientis animo.*

Ad *amicitiam* quæ pertinet, fit in amicitia *utili*, vel *honesta*. Compensatio in *amicitia utili* facienda secundum utilitatem, hoc est, dantis effectum potius quam affectum. Quia, cessante aut deficiente utili æquali, quod amicitiam hanc conglutinat, ipsa cessat amicitia.

Compensatio in *honesta amicitia* facienda secundum dantis affectum, quia potissimum heic habenda virtutis ratio, per quam ut affectus se prodit, ita potissimum attendi debet. Unde *Seneca* lib. 1. cap. 7. *Nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parva magnifice, & qui exiguum tribuit, sed libenter.*

Objicitur in contrarium.

§. 15. (1) *Beneficium consistit in effectu: est enim effectus benefactoris in beneficiarium transiens. Ergo compensatio ejus facienda secundum effectum.*

Resp. *Antecedens* exclusive verum non est: consistit beneficium in effectu *materialiter*, sed in affectu *formaliter* & principaliter. Effectus igitur in amicitia honesta & gratia ex affectu æstimandus: ut ex *Seneca* modo ostendimus: quia aliud est debiti moralis compensatio, aliud negotiatio.

§. 16. (2) *Gratia compensans beneficia, est species vel pars justitiæ: Ergo æqualitatem dati & accepti attendit, & per consequens, effectum potius, quam affectum:* Ratio conseq. *quia justitia respicit æqualitatem dati & accepti.*

Resp. Negatur *consequentia: probatio* universaliter vera non est: Late patet justitia; neque par omnium partium est ratio specifica. Aliter procedit *justitia commutativa*, aliter *distributiva*, aliter *justitia in specie sic dicta*, aliter quæ *communiter* ita dicitur, & quæ per quandam reductionem pertinet ad genus justitiæ specialius sic dictæ. Vulgo justitiæ species non nisi duæ numerantur, *commutativa* & *distributiva*: quibus plures alii addunt, quos & autor noster sequitur.

§. 17. Quæritur (4) *An plus per compensationem sit reddendum, quam in beneficio acceperis.*

Resp. *Affirmativa* defenditur, hac ratione: Quia, qui beneficium

neficium accepit in ſpecie ſic dictum, ex debito honeſtatis obligatur ad compenſationem, qua gratis aliquid impendat. Atqui non videtur gratis aliquid impendere, qui quantitatem accepti beneficii non excedit, vel minus impendit. Siquidem qui minus reddit, non reddit quod accepit: qui par reddit, tantum, quod accepit, reddit, adeoque gratis nihil reddit, accepto nihil addit. Quod ſi vero affectu par aut ſuperior eſſe nequeas, ſaltem ut affectu ſuperes opera danda erit. Ad impoſſibile nemo obligatur. Plus igitur reddendum, ſi poſſis, & quidem commode, ut ne plane pereat accepti beneficii fructus, & compenſatio evadat damnoſa compenſanti.

§. 18. Excipitur.

(1) ***Parentibus æqualis compenſatio fieri non poteſt. Ergo ad compenſationem accepto beneficio majorem omnes non obligantur.*** Ratio conſeq. *Quia ad impoſſibile nemo obligatur.* Antecedens *Ariſtoteles probat lib. 8. Eth. circa finem. Parem parentibus referri gratiam non poſſe, conſtans ſapientum eſt ſententia. Et eſſe & vivere à parentibus habemus, quod rependere ipſis non poſſumus.*

Reſp. *Antecedens* univerſaliter verum non eſt, *& inconſequens* probatio. Etiamſi in omnibus par aut major referri gratia parentibus non poteſt, tamen in aliquibus poteſt: etiamſi effectu non poteſt, tamen affectu poteſt & voto.

§. 19. (2) ***In qualibet virtute exceſſus eſt vitioſus. Ergo plus reddere per gratitudinem, quam acceperis, vitioſum eſt: ſiquidem cum ex uſu conjunctum eſt.***

Reſp. *Antecedens* non conceditur, niſi de exceſſu virtuti privativè oppoſito & moraliter malo. Eſt exceſſus in ſola actionis moralis latitudinem quandam admittentis intenſione: quo vitioſa actio non redditur: Eſt etiam exceſſus in *objecto* virtutis, quod modo minus, modo majus eſt, ut in *objecto* gratitudinis: qui moralem compenſationem illico vitioſam non reddit.

§. 20. (3) ***Si compenſatio major deberet eſſe accepto beneficio, ſequeretur eum, cui ſit compenſatio, de novo obligari compenſanti, nempe ad compenſationem exceſſus. Atqui falſum conſequens. Ergo & antecedens.*** Aſſumtio prob. *Quia ſic proceſſus daretur in infinitum.*

Reſp. *Aſſumtio* negatur: *probatio* eſt inconſequens. Derivatur debitum gratitudinis ex *charitate:* qua ita plene nunquam defungimur, ut debere proximo deſinamus. *Nemini quicquam debete*, inquit Apoſtolus, Rom. 13. v. 8. *niſi hoc, ut alij alios*

 diliga-

diligatis. Obligationem gratitudinis interminabilem esse, non est inconveniens, inquit *Thomas*. Posset tamen & *connexum* negari. Qui enim compensat supra beneficium, debitum solvit honestatis, quo necessario & vicissim non obligat eum, cui facta est compensatio: etsi novæ compensationi occasionem præbet.

§. 21. (4) *Si plus semper reddendum esset: quam accepisti, damnosa esset beneficij acceptio. Atqui damnosum esse beneficium nulli debet.* Ergo.

Resp. *Connexum* negatur: quia plus reddendum cum conditione, quam in *affirmativa* probatione expressimus.

§. 22. Quæritur (5) *Utrum æstimatio accepti beneficij potius ad accipientem, an ad dantem spectet?*

Resp. Potius ad *accipientem*: ob sequentes Rationes.

(1) Quia hac ratione accipientes magis grati, & dantes magis gratiosi redduntur.

(2) Quia, qui pretium beneficio constituit, remunerationem cogitat vel exspectat: atqui de remuneratione cogitare non est dantis sed accipientis.

(3) Quia fraudem arguit & avaritiam, si, qui dat, præscribit & æstimat, quantum reddi debeat.

(4) Quia beneficia vendere dator cogitat, qui æstimat.

§. 23. *Qui vendit, rem suam æstimat. Ergo qui beneficium dat, æstimare quoque debet.* Ratio conseq. *Quia ut est in justitia commutante, sic & in amicitia.*

Resp. De beneficio proprie & in specie sic dicto, quod debitum infert morale, negatur *consequentia*: ratio non conceditur, nisi de amicitia *utili*, quæ retributionem alterius beneficii intendit & exspectat: aliter se res habet in *honesta*, quæ beneficia non vendit sed donat.

§ 24. (6) *An beneficia bene docentium æquari possint?*

Resp. Negatur.

(1) Propter excellentiam animi, quem ornant: cui nullæ pares sunt divitiæ.

(2) Propter dignitatem sapientiæ, quam conferunt.

(3) Propter infinitam rerum varietatem quas explicant.

(4) Propter bonum incommutabile & divinum, ad quod nos referunt.

§. 25. Tanti res pretii est sapientia humana! Unde *Aristoteles* erga Philosophiæ professores ita nos vult esse animatos, ut erga Deos. Horum igitur si æquari beneficia non possunt, qui, quæso, æquari poterunt eorum, qui sacrorum oraculorum sunt interpretes & Dei ad nos internuncii ad animorum nostrorum salutem

lutem promovendam! Hinc *Paulus*, 1. Cor. 9. v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum fuerit, si nos vestra carnalia messuerimus?* Hodie longe aliter vulgus judicat, & non vulgus tantum. Quam ferax, Deum immortalem! ingratum hoc & infelix seculum discipulorum ingratorum! Inusta olim nota ingrato hospiti: anne sine nota ingratum discipulum dimissurus judex fuisset?

Objicitur.

A discipulis compensationes accipiunt praeceptores, ab auditoribus verbi ministri: Ergo justa compensatio in hisce talibus potest fieri.

Resp. Negatur *consequentia*. Ratio est: quia discipuli praeceptoribus, & auditores verbi praeconibus non *rei* solvunt pretium sed *operae*: quod deserviunt; quod à rebus suis avocati ipsis vacant: unde mercedem non meriti, sed occupationis suae ferunt. *Seneca*, lib. 6. de Benef. cap. 15. vide & sequentia. 16. 17.

§. 27. *Quid si vero non suppetat, per paupertatem, unde operae solvas pretium praeceptori?*

Resp. Tam nemo est pauper, quin operae pretium praeceptori persolvere, quin occupationis suae mercedem ab eo ferre praeceptor possit. Docet hoc exemplo suo *Aeschines*, docet judicio suo *Socrates*: Utrumque laudat *Seneca*, de benef. lib. 1. cap. 8. *Socrati* cum multa multi; pro suis quisque facultatibus, offerrent, *Aeschines*, pauper auditor, *Nihil*, inquit, *dignum te, quod dare tibi possim, invenio, & hoc modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo*, Meipsum. *Hoc munus rogo, qualecunque est, boni consulas, cogitesque alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse.* Cui Socrates. *Quid ni tu*, inquit, *magnum munus mihi dederis, nisi forte parvo te aestimas? Habebo itaque curae, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi.* Vicit *Aeschines* hoc munere *Alcibiadis* parem divitiis animum, & omnium juvenum opulentorum munificentiam, de sententia *Senecae*.

· V.

Gratitudini adversatur ingratitudo, seu ingrati animi, quod ἀχαριστίαν Graeci appellant.

Ἔκθεσις.

§. 1. Multa *sunt ingratorum genera*, inquit Seneca, *ut furum, homicidarum: quorum una culpa est. Caeterum*

rum in partibus varietas magna. Ingratus est, qui beneficium accepisse negat, quod accepit: ingratus est, qui dissimulat, ingratus, qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est. Illi enim, si non solvunt, tamen debent: & exstat apud illos vestigium certe meritorum intra malam conscientiam conclusorum. Hic nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est.

§. 2. Fugienda modis omnibus ingratitudo.

(1) Quia grave & intolerabile est vitium, quod dissociat homines & concordiam, qua imbecillitas nostra fulcitur, scindit & dissipat. *Seneca.*

(2) Quia non referre beneficiis gratiam & est turpe, & apud omnes habetur. *Seneca.*

(3) Quia ingratum etiam ipsi culpant mali. *Plautus.*

(4) Quia omnes immemorem beneficii oderunt. *Cicero.*

(5) Quia infra homicidas, tyrannos, fures, adulteros, raptores, sacrilegos, & proditores ingratus est: cum omnia ista ab ingrato sint animo, sine quo vix ullum magnum facinus crevit. *Seneca.*

§. 3. *Exempla* ingratitudinis ante oculos, proh dolor, nimis multa versantur. Perstringunt vitii hujus nomine historici *Athenienses*, quorum infamis fuit ingratitudo erga optime meritos, *Theseum*, *Solonem*, *Aristidem*, *Themistoclem*, *Phocionem*, *Timotheum*, *Socratem*, *Demosthenem & Philippum Macedonem.*

Romani quoque ingrati fuerunt erga *Camillum*, *Scipionem*, *Lentulum*, *Servilium*, &c. & *Carthaginenses* erga Xanthippum. *Valer. Max.* lib. 9. cap. 6. Nota est historia de *hospite ingrato*; apud Senec. lib. 4. de benef. cap. 37.

§. 4. Quæritur, *An dari debeat adversus ingratum actio*?

Resp. *Negativam* amplectitur Seneca, sequentes ob causas.

(1) Quia omnium pars optima beneficii periit, si actio, sicut certæ pecuniæ, aut ex conducto, aut ex locato, datur. Est enim speciosissimum, quod dedimus vel perdituri: quod totum permisimus accipientium arbitrio. *Si appello, si ad judicem voco, incipit non beneficium esse, sed creditum.*

(2) Quia res honestissima est referre gratiam: Atqui desinit esse honesta, si necessaria est. Non enim magis laudabit quisquam gratum hominem, quam eum, qui depositum reddidit, aut, quod debebat, extra judicem solvit.

(3) Quia non est gloriosa res gratum esse, nisi tutum est ingratum fuisse.

(4) Quia huic legi uni omnia fora vix sufficerent: Quis enim

nim erit, qui non agat? Quis, cum quo non agatur?

(5) Quia, qui sit ingratus, nulla lex monstrat, cum sæpe & qui reddidit, quod excepit, ingratus sit, & qui non reddidit, gratus.

(6) Quia nemo huic rei satis idoneus judex inventus est: quod probantem vide *Senecam*, de Benef. lib. 3. c. 8.

(7) Quia dies beneficio reddendo non dicitur, sicut pecuniæ creditæ. Potest igitur, qui nondum reddidit, reddere: nec nominari tempus potest, intra quod deprehendatur gratus.

(8) Quia maxima beneficia probationem non habent. Sæpe intra tacitam duorum conscientiam latent, neque induci hoc unquam poterit, ut non dentur beneficia sine teste.

(9) Quia certa ingratis pœna non potest constitui: non una omnibus: quia dispatia sunt beneficia: non inæqualis & pro cujusque beneficio, major vel minor. Si intra pecuniam versetur taxatio, quædam beneficia vitæ sunt, & majora vita. His quæ pronunciabitur pœna? Minor beneficio? Iniqua erit. Par & capitalis? Quid inhumanius, quam cruentos esse beneficiorum exitus?

(10) Quia vox, *redde quod debes*, alias æquissima est & jus gentium præ se fert: in beneficio autem turpissima. Quid enim reddet? Vitam debet, dignitatem, securitatem, sanitatem. Reddi maxima quæque non possunt: aut pro his aliquid, quod tanti sit. Atqui interit hoc modo beneficii dignitas, si mercedem id facimus: &c.

§. 5. Objicitur (1) *Privilegiorum quorundam parentibus datorum extra ordinem habetur ratio. Ergo beneficiorum quoque aliorum haberi debet, & adversus ingratos danda actio.*

Resp. *Consequentiam* negat *Seneca* propter dissimilitudinem, quæ est inter parentes & alios benefactores. Hoc ostendentem vide *Senecam*, lib. supra alleg. cap. 11.

§. 6. (2) *Tardiores ad beneficia danda facimus non vindicando data, nec inficiatores eorum afficiendo pœna. Ergo danda adversus ingratos actio.*

Resp. Partim *antecedens*, partim *consequentiam* negat *Seneca*. Quia 1. multo tardiores erimus ad accipienda beneficia, si periculum causæ dicendæ nobis imminere sciamus. 2. Per hoc ipsi quoque ad danda erimus tardiores: quia nemo libenter dat invitis. 3. Minuitur gloria ejus beneficii, cui diligenter cautum est. 4. Ut maxime pauciora sint futura beneficia, tamen veriora erunt. Atqui nihil est mali beneficiorum inhiberi temeritatem: hoc enim ipsum secuti sunt, qui nullam legem huic constituerunt,

 ut cir-

ut circumspectius donaremus, circumspectius eligeremus, in quos beneficia conferrentur.

§. 7. (3) *Si nulla adversus ingratos danda esset actio, plures futuri essent ingrati.*

Resp. Negat *consequentiam* Seneca. Imo pauciores ingrati erunt: quia majore delectu dabuntur beneficia. Neque expedit notum omnibus fieri quam multi ingrati sint: quia pudorem rei tollet multitudo peccantium, & desinet esse probri loco commune maledictum.

§. 8. (4) *Si nulla adversus ingratos danda esset actio, utique impuniti erunt ingrati. At absurdum consequens.*

Resp. Negatur consequentia. Ratio negationis reddita est ex *Seneca*, ad quæst. 1.

Et hæc quidem ex sententia *Senecæ* disputata sunto. Interim ingratis pœnas quoque dictant leges: quæ donationem à donatore propter ingratitudinem revocari posse sanciunt. l. fin. C. de revoc. donat. Et ex causis ingratitudinis etiam liberi exhæredari & legitima privari possunt: Authent. non licet. C. de lib. præter. Novell. 115. cap. 3. vide *Camerarium* horar. subcis. cent. 1. cap. 21.

§. 9. Quæritur (2) *Cur, excepta Macedonum gente, apud nullam aliam data sit adversus ingratum actio.*

Respondet Seneca: *Quia, cum difficilis esset incertæ rei æstimatio, tantum odio damnatum hoc crimen, & inter ea relictum, quæ ad vindices Deos mittuntur.*

§. 10. Excipitur: *Si adversus ingratum non datur actio: impunitus erit ingratus: quod injustum.*

Resp. Negat hoc sequi Seneca: *Impunita*, inquit, *tu credis esse, quæ invisa sunt? aut ullum supplicium gravius existimas publico odio: Pœna est, quod non audet ab ullo beneficium accipere, quod non audet ulli dare; quod omnium designatur oculis, aut designari se judicat: quod intellectum optimæ rei ac dulcissimæ amisit. Testes ingratorum omnium Deos metuit, urit illum & angit intercepti beneficij conscientia.* Interim non apud *Macedones* tantum, sed & apud *Persas* data hæc actio: vide *Xenophon*. lib. 1. pæd. & *Themist*. Orat. de Amic. Imo apud *Athenienses* quoque, autore *Libanio*, in declamat. & *Polluce*, onomastici lib. 8.

§. 11. Quæritur (3) *An ingratitudo semper sit morale vitium & peccatum.*

Resp. *Affirmativa* defenditur hoc argumento: Quia *privativè*, vel, ut aliis placet, *contrariè* opponitur gratitudini, quæ citra controversiam est virtus moralis: cujus debitum est quoddam honestatis

honestatis debitum: Atqui virtuti privativè, vel contrariè, nihil opponitur, nisi vitium morale.

§. 12. Objicitur (1) *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest*, *Augustinus*, lib. 3. de lib. Arb. cap. 17. & lib. 1. Retract. cap. 9. *Atqui ingratitudo quandoque vitari non potest. Ergo ingratitudo semper peccatum non est.*

Assumtio prob. *Quia sæpe non habemus, unde reddamus: neque vitari semper potest oblivio: Atqui, Senecæ judicio, omnium ingratissimus, qui beneficij accepti obliviscitur?*

Resp. 1. *Propositio* simpliciter & universaliter vera non est. Omnis *ἀνομία* peccatum est, sive vitari, sive non vitari possit. Hinc *originalis culpa* peccatum est, etsi à nullo mortalium vitari potest: Et in peccati statu, ante regenerationem, plurima peccata vitari nequeunt: imo & post regenerationem: ut *Apostolus* conqueritur de se, Rom. 7. Igitur *Augustini* sententia in humano potius, quam divino foro, locum habet.

2. *Assumtio* negatur. *Probatio* falsa est. Nunquam nobis deest, unde reddamus: Qui enim vult reddere, æstimatur reddere, etiamsi præter reddendi voluntatem, aliud nihil habet.

Oblivio est vel ex *naturali defectu*, vel *ex negligentia:* illa excusat & vitari non potest: hæc vitari potest & non excusat; sed maximæ ingratitudinis reum peragit.

§. 13. (2) *Qui non vult aliquid debere, is non peccat: Atqui quidam ingratus non vult aliquid debere. Ergo quidam ingratus non peccat.* Propositio prob. ex *Apostolo* ad Rom. 13. v. 8. *Nemini quicquam debete, nisi* hoc, *ut alij alios diligatis:* Assumtio prob. *ex Seneca, qui ingratum esse ait, qui invitus debet.*

Resp. *Propositio* universaliter vera non est: *Probatio* est inconsequens: quia debitum gratitudinis derivatur ex amoris debito, à quo nullus absolvi velle debet. In eo igitur, qui debitum hoc invitus debet, defectus quidam est amoris erga benefactorem.

§. 14. Quæritur (4) *An ingrato sit dandum, si scias ingratum esse?*

Resp. *Seneca*, ex constitutione *Stoica*, distinguit *ingratos*: *Alter*, inquit, *ingratus est, quia stultus est. Stultus etiam malus est: qui malus est, nullo vitio caret. Ergo & ingratus est. Alter ingratus est, qui à vulgo dicitur, in hoc vitium natura propensus. illi*, inquit, *ingrato dabit beneficium vir bonus.* Rationem reddit. *Quia nulli dare poterit, si tales homines submoverit.* Putant enim *Stoici*, in singulis omnia latere vitia. *Huic ingrato, qui beneficiorum fraudator est, & in hanc partem procumbit animo, non magis dandum esse beneficium putat, quàm captatori: veluti*

 nemo

nemo pecuniam decoctori credet, aut depositum committet ei, qui jam pluribus abnegavit. Hinc subjungit. *Quomodo malè filiæ consulit, qui illam contumelioso & sæpè repudiato collocavit: quomodo malus paterfamilias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato Patrimonij sui curam mandaverit: quomodo dementissime testabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem. Sic pessime beneficia dare dicitur, quicunque ingratum eligit, in quem peritura conferat.*

§. 15. Distinguenda quoque sunt *beneficia*: Nonnulla ita sunt comparata, ut negari sine injuria non possint: ad quæ præstanda omnes omnibus obligamur, sive gratos, sive ingratos futuros sciamus. Cujusmodi sunt *conservatio vitæ, consolatio, damnorum imminentium aversio*, &c.

Alia sunt specialiora, quæ negari huic vel illi sine injuria, certis de causis, possunt: quando ad conferenda ea omnibus promiscue obligati non sumus, Cujusmodi sunt *promotio* ad *honores, præmia gratis data* &c. quibus indigni sunt ingrati, & in distributione eorum merito negliguntur.

Sunt beneficia quædam ita communia, ut dari gratis non possint, quin iisdem quoque fruantur ingrati: neque negari possint ingratis, quin simul quoq; negentur gratis. De quibus *Seneca. Satius est prodesse etiam malis, propter bonos, quàm bonis deesse, propter malos:* Ibidem exemplo utitur Deorum, qui multa ingratis tribuunt, quæ bonis paraverunt. *Diem, Solem, hyemis æstatisque cursus, & media veris autumnique tempora, imbres & fontium haustus, ventorum statos flatus pro universis invenerunt, excerpere singulos non potuerunt. Non poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura defluerent. Non poterat fieri, ut ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis* &c. vid. lib. 4. de Benef. cap. 28. Quamvis durius sit dictum, *non potuisse hoc fieri:* Deo nihil impossibile. Interim non fieri per providentiam Dei, & naturaliter quoque fieri non posse, certum est. Quam in sententiam quoque Christus Matth. 5. v. 45. *Pater cælestis facit*, ut *sol suus exoriatur super malos & bonos, & pluit super justos & injustos.* Et Lucæ 6. v. 35. *Benignus est Deus erga ingratos & malos.* Interim singularia quædam sunt Dei beneficia, quæ in ingratos non confert: cujusmodi sunt χαρίσματα electorum propria ἀμεταμέλητα.

Beneficium, inquit Seneca, *est opera utilis, sed non omnis opera utilis beneficium est.* Docet ibidem, ad beneficium duo requiri. 1. *Rei magnitudinem.* 2. *ut ejus causa faciam, ad quem volebam*

bam pervenire beneficium: dignum eum judicem, & libens id tribuam percipiensque ex munere meo gaudium. Unde è beneficiorum censu excludit, *res parvas*, quæ sunt infra nominis hujus mensuram: excludit quæ sine electione & gaudio dantur indignis: quæ non homini, sed humanitati dantur.

Objicitur.

§. 16. (1) *Ingrato per beneficium præbetur peccandi occasio. Ergo nullum ei dandum beneficium. Anteced. prob. Quia ingratitudinis ei datur occasio.*

Resp. Ingrato præbetur peccandi occasio non *per se*, sed *per accidens*, non culpa dantis, sed accipientis. Unde patet partim falsum esse *antecedens*, partim nullam *consequentiam*.

§. 17. (2) *Christus etiam inimicos diligere, iisque benefacere, à quibus gratitudo expectari non potest. Ergo quævis beneficia in ingratos sunt conferenda.* Anteced. patet. ex Luc. 6. v. 35.

Resp. 1. Ad *Antecedens.* Etiam inimici per beneficia quandoque nobis conciliantur & ad gratitudinem permoventur.

2. Negatur *consequentia*: quia non loquitur Christus de quibusvis beneficiis, sed indefinite de beneficiis: ad quæ conferenda nos invitat exemplo *Patris cœlestis*, erga ingratos quoque & malos benigni. Atqui non quævis beneficia ingratis & malis Deus confert, etsi multa confert. Unde ingratitudinem sæpe horribilibus pœnis vindicat & beneficia sua ingratis subtrahit.

§. 18. Quæritur (5) *An recte sit dictum: Ingratum si dixeris, omnia dixeris vitia?*

Resp. Verissime dictum. Quia ingratitudo fons est omnium vitiorum: neque sine ingratitudine in Deum aut proximum ullum est vitium. Hinc Seneca, lib. 1. de Benef. cap. 10. *Erunt homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores: infra ista omnia ingratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus crevit.* Idem lib. 4. cap. 27. *Nemo non ingratus est, qui malus est: habet enim omnia nequitia semina.*

Persæ olim ingratos homines nulla Deorum cura, nulla parentum, patriæ, amicorum adfici arbitrabantur, cujus comitem credebant *impudentiam*: quæ una omnium maxima dux ad turpissima quæque.

§. 19. Objicitur.

Si ingratitudo fons est omnium peccatorum, & in Deum aut proximum qui delinquit, ingratus est: Sequitur eam non esse vitium speciale. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.

Resp. Negatur *consequentia*. Etiamsi enim in quolibet peccato

est *materialis* in Deum vel proximum ingratitudo, quatenus nempe homo perpetrat aliquid, quod ad ingratitudinem aliquo modo referri potest: tamen *formaliter* demum ingratitudo est, quando beneficium, qua beneficium, actu contemnitur: quod speciale peccatum & vitium est ab aliis distinctum vitiis, etiamsi cum iis aliquo modo conjunctum est. Eadem & gratitudinis est ratio, quæ *materiam* in omni virtute invenit, etsi *formaliter* ab aliis distincta est.

CAPUT XXXIV.

De

JUSTITIA PROPRIA.

THESIS I.

HACTENUS de Justitia communi: *sequitur propria, quam solus Magistratus ad communem Reipub. statum incolumem conservandum exercet.*

II.

Estque togata vel bellica.

III.

Justitia togata est, quæ Rempublicam tempore pacis rectè administrat; conspiciturque in legum promulgatione & executione.

IV.

In legum promulgatione: cum leges promulgantur, quæ in nullius fraudem, in omnium salutem, cedunt.

V.

In executione: cum, pro circumstantiarum varietate, in delictis puniendis modo severitas, modo lenitas adhibetur.

VI.

Lenitas hæc, vel necessaria est in afflictorum & sine dolo malo peccantium delictis puniendis: vel probabilis, dum tolerabilior pœna, propter bonum publicum, de sanabilibus sumitur.

Ἐκθεσις.

Ἔκθεσις.

HINC *Symmachus* lib. 9. Epist. 40. *Ratio justitiæ semper habenda est: Sed circa nobiles probabilesque personas plus debet esse moderaminis, ut perspiciatur in discretione judicium.* Fugienda judici δωροφαγία, quæ mentes excœcat & à juris tramite abducit ad avia & præcipitia injustitiæ. *Injustissimum est*, inquit *Cicero*, *Justitiæ mercedem quærere.* *Antiphon.* apud *Stob.* ἐπισκοτεῖ γὰρ τὸ φρονεῖν τὸ λαμβάνειν. *Prudentia accipiendo obnubilatur.* *Pindarus*, Κέρδει καὶ σοφία δέδεται. Lucro etiam prudentia irretitur. Unde *lex quoque munera accipi vetat.* *Plin.* lib. 4. Ep. 9. *Neque fieri potest, ut vir bonus sit, qui tam turpiter habuerit pretio addictam fidem; seq; muneribus labefactandum & corrumpendum præbuerit.* Æschines.

VII.

Hactenus Justitia togata: *sequitur bellica, quæ bellum justum cum æquitate administrat.*

Ἔκθεσις.

§. 1. O*Bjectum* justitiæ togatæ est administratio Reipub. *Officium* consistit in legum promulgatione & executione, de qua in thesibus. Bellicæ justitiæ *objectum* est belli administratio æqua & justa, quod ejusdem & *officium* est. Juste autem administratur bellum, quod justis de causis suscipitur, quod cum innocentium damno & interitu non est conjunctum, in quo militaris licentia coërcetur, flagitia puniuntur & pietatis exercitia non intermittuntur, videantur Institutiones nostræ politicæ.

§. 2. Justitiæ hujus studium Principibus & Magistratibus commendant *rationes* & *exempla*. Rationes sunt.

(1) Quia justitiæ fruendæ causa olim bene morati Reges sunt constituti. *Cic.*

(2) Quia omnia regna crescunt foris militari labore & justa disciplina, domi modestia & justa gubernatione.

(3) Quia per injustitiam omnia corruunt, &, scriptura teste, transferuntur regna.

§. 3. *Exemplum* hic inprimis memorabile est *Romanorum*, qui justa disciplina & gubernatione ad tanti imperii fastigium olim

lim ascenderunt. Contra vero *Pœni*, ob depravatos mores & neglectam disciplinam, sibi interitum accelerarunt.

§. 4. *Præcepta* ex thesibus sequentia possunt exstrui.

(1) Summa lex Magistratui sit *salus populi*: ad hanc veluti metam omnes aliæ leges collineare debent.

(2) In executione adhibeatur *severitas*, si delicta sint gravia, publica, & ex destinato consilio facta: *lenitas* vero, si sine dolo malo sit peccatum, vel boni alicujus publici obtinendi ratio interveniat. Hinc *Agesilaus*, Lacedæmoniorum Dux, exercitum adhortari solitus est, ne bello captos inhumaniter tractet, sed homines esse cogitet, quibus aliquando uti posset Respublica.

(3) Bella nunquam suscipienda sunt nisi contra manifestam violentiam, aut amissa sint recuperanda, aut turbatores pacis comprimendi.

Ἔκθεσις.

§. 5. Quæritur (1) *Unde lex dicatur & quid sit?*

Resp. Lex à *legendo* dicta est. Rationem etymi *Piccolomineus* reddit; quod ex multis, quæ fieri possunt, consultatione & consensione aliqua sit lecta. *Varro* lib. 5. Quod olim ad populum sit lecta ex scripto: nempe ut omnibus nota esset & observaretur. Sic Rex à regendo dicitur. Minus concinne & grammatice à ligando nonnulli deducunt, eo quod hominum libertatem obliget & ad res certas adstringat. Græcis νόμος appellatur, à νέμω, distribuo: quoad suum cuique officium tribuat & assignet. Unde *Chaldæis* quoque lex dicta nimus, *Syris* & *Arabibus* namûs.

Variæ legis apud autores occurrunt descriptiones.

Aristoteli definitur λόγος, hoc est, ratio à prudentia & mente profecta.

Ciceroni, certa ratio à mente divina manans, quæ recta suadet, prohibetque contraria.

Seneca, justi, injustique regula.

Chrysippo, βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων: κανὼν δικαίων καὶ ἀδίκων: προστακτικὸς ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸς ὧν οὐ ποιητέον.

§. 6. *Piccolomineo*, ordo rectam gubernandi rationem includens, ex prudentia prodiens, subjecta legi per congruentia media in finem optimum dirigens, pœnam transgredientibus, obtemperantibus præmium decernens.

Ita plene definiri legem *Piccolomineus* arbitratur: quæ tamen specialior est definitio: Sunt enim leges de rebus parvis, quæ gubernandi rationem non adeo includunt, sunt quæ de rebus præcipiunt

piunt alias adiaphoris & mutari etiam ſubinde ſolent, nullo gubernationis detrimento. Quamvis *Platoni* eadem arriſerit definitio.

§. 7. Idem de *Ciceronis* definitione & *Chryſippi* deſcriptione prima *βασιλεὺς θείων* &c. judicamus: Sunt & hæ ſpecialiores, quam ut ſingulis applicari legibus poſſint. Generalior eſt *Senecæ* definitio, quæ *Chryſippi* quoque eſt, *κανὼν δικαίων καὶ ἀδίκων, προςακτικὸς ὢν* &c. Ita enim definienda lex in genere, ut non divinam tantum, ſed & humanam complectatur: non moralem tantum, ſed & forenſem & civilem, mutabilem. Ita ſpecialior quoque eſt illa *Ciceronis*, lib. 1. de leg. *Lex eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria*: Cujuſmodi eſt & illa, lib. 2. de leg. *Hanc video ſapientiſſimorum ſententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque ſcitum aliquod eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi prohibendique ſapientia*. Generalius igitur ita nobis videtur definienda: Sententia â recta imperantis ratione profecta & lata ſubditis, obligans ad obſequium cum promiſſione præmii obedientibus, & comminatione pœnæ inobedientibus debitæ.

§. 8. Quæritur (2) *An omnis lex ſit juſta?*

Reſp. Pro juſtitia omnium legum aſſerenda, militat anima legis, quæ eſt *recta ratio*. Quam ex divina mente derivant etiam Gentilium Philoſophi: ut videre eſt ex deſcriptionibus *Ciceronis*. Lex igitur, cum ex bono prodeat & in bonum dirigat, non videtur poſſe injuſta eſſe. Interim de injuſtitia & iniquitate multarum legum frequentes occurrunt querelæ: Unde & abrogandi eas Magiſtratui nonnunquam incumbit neceſſitas.

§. 9. Ad hanc dirimendam litem *Piccolomineus* diſtinguit inter ea, quæ *externa*, & quæ *interna* ſunt legibus. *Externum* nominat, quod lex ſit publica præceptio ex voluntate & decreto Principis prodiens. *Internum*, quod ducatur ex divina mente, congruat divinæ providentiæ, Deique mandatis ſit conſentanea, & ad bonum, quod per ſe & natura ſua eſt bonum, dirigat. Illam *externam* & popularem, hanc *internam* & principalem legis formam appellat. Illa ubi ſola eſt, legem conſtituit æquivocè ſic dictam: hæc ſola legem vere, abſolute, proprie & principaliter dictam: etiamſi non adſit approbatio & mandatum Principis: utraque legem abſolutiſſimam.

Hinc ad propoſitam quæſtionem duabus reſpondemus *aſſertionibus*.

§. 10. 1. *Lex per ſolam externam formam æquivocè & populariter*

lariter dicta non est justa.

Ratio est: quia ad justitiæ normam non est exacta, neque rectæ rationi congrua. Hanc igitur qui servat, servare jus dicitur, non absolute, sed in depravata republica, quatenus regitur non lege in specie sic dicta; sed edictis, decretis, institutis & mandatis Principis: quæ sæpe iniqua & injusta, imo & impia esse palam est. Huc referendæ sunt rationes *Hornei*, quibus probat, justitiam non esse de ratione formali legis in genere, Eth. lib. 4. cap. 3. n. 11. sunt eæ.

(1) Quia etymon legis, sive à *legendo*, sive à *ligando*, sive à *deligendo* dicatur lex, justitiam ejus necessario non evincit.

(2) Quia non est de essentia Reipub. ut sit bona.

(3) Quia verus & bonus esse civis potest, qui tamen non est vir bonus.

(4) Quia *Aristoteles*, lib. 3. Polit. cap. 7. & 5. Eth. cap. 9. leges alias assignat bonis Rerumpubl. formis, alias malis.

§. 11. 2 *Lex per internam formam verè & principaliter dicta semper est justa.*

Ratio est: quia ad justitiæ & rectæ rationis normam est exacta. Hanc qui servat, absolute jus, legem & legitimum servare dicitur.

§. 12. Interim *interna forma* aliquantò generalius videtur describenda & deducenda ex ratione recta, sive diuina, sive humana, quæ quanto ad divinam propius accedit, tantò rectior & perfectior est. Sunt leges quædam de rebus natura sua *adiaphoris*, de quibus contrariæ in diversis Rebuspublicis sunt leges, prout cuivis videntur ratione locorum, temporum & personarum, &c, accommodatiores: quæ prudentum permittuntur arbitriis, & humanæ potius, quam divinæ appellantur: Jn quibus satis esse creditur, si contrarias non habeant divinas leges, & quam fieri potest ad communia principia proximè accedant.

§. 13. Quæritur (3) *Cur legislatores olim suas ad Deos leges retulerint.*

Resp. Legislatores olim suas ad Deos Deasque retulisse leges historiæ testantur. *Draco* & *Solon* ad *Minervam*. *Numa* ad *Ægeriam*. *Charondas* ad *Saturnum*. *Minos* ad *Jovem*. *Plato* ad *Apollinem*. *Mercurius Trismegistus* ad *Mercurium*, &c. Factum hoc à legislatoribus quatuor potissimum ob causas.

(1) Ut veritatis & justitiæ opinionem suis conciliarent legibus. A Diis enim non nisi vera & justa proficisci apud populos in confesso erat.

(2) Ut autoritatem & obedientiam iis conciliarent: Siquidem ea Deorum est authoritas, ut obedientiam ei se debere omnes agnoscant.

(3) Ut

(3) Ut se quoque tanquam Deorum internuncios, populis commendarent.

(4) Ut varias legum conditiones & principia indigitarent, nempe sapientiam, quæ *Menervæ* tribuitur: regiam potestatem, quæ *Jovi*: justitiam, quæ *Soli* & *Apollini*. Potentem & persuasoriam eloquentiam, quæ *Mercurio*.

§. 14. Quæritur (4) *Quotuplex sit lex, & quid in specie sit lex naturæ, quos obliget?*

Resp. Lex est *divina* vel *humana*: illa Deum, hæc hominem habet autorem. Divina vel naturæ rationali à Deo est inscripta vel speciali patefactione promulgata: illa in specie appellatur *lex naturæ*, hæc S. *Scriptura*, distinguiturque in *moralem cermonialem* & *judicialem*.

§. 15. *Naturæ* lex à *Valentia* definitur. *Naturale rationis nostræ judicium* seu *dictamen, quo per lumen nobis ab æterna lege impressum & inditum evidenter cognoscimus esse facienda, quæ ita sunt recta & naturæ nostræ sunt consentanea, ut ea negligere sit deforme & naturæ repugnans: & contra ea esse vitanda, quæ facere turpe sit & naturæ rationali minime congruum.*

Lex hæc etiam post lapsum in homine est reliqua, *Apostolo* docente, ad Rom. 1. v. 18. 19. 20. 21. 28. 32. & cap. 2. v. 14. 15.

Eadem est ratio *juris naturalis*: quod, ut Aristoteles scribit, 5. Eth. cap. 7. ubique gentium unam vim obtinet: neque ideo valet, quod ita vel decretum sit, vel non decretum. De hoc jure naturali quæritur: *An solius humani generis, vel naturæ rationalis sit proprium?*

§. 16. Nonnulli ad bruta quoque id extendunt: Unde *Ulpianus* ait, *jus naturæ esse; quod natura docuit omnia animalia*; quæ multis probatur vel certe non improbatur descriptio. Ajunt, *jus naturale* esse etiam brutis commune, non quod reperiatur in illis, sed quia id in iis deprehendatur, quando in homine est, jus dicatur: Ut, quando analogum quiddam gratitudinis & justitiæ in nonnullis brutis observatur. Ita contra vim quoque se defendunt, sobolem alunt & protegunt. Interim nec justitia, nec injuria proprie sic dicta bruto competit: certè non magis propriè, quàm ratio. Jus enim ut est à ratione, vel ipsa est recta ratio, sic propriè non competit nisi naturæ rationali Neque uspiam legitur Deus brutis legem inscripsisse, vel promulgasse.

§. 17. Objicitur.

Bruta etiam injuriam possunt facere & per legem sunt punienda: Ergo lex & jus quoque ad ea pertinet. Antecedens prob. *Quia* Exod. 21. v. 28. *bos cornupeta, qui hominem occidit, lapidari jubetur*

Jubetur: Sic & Jumentum, quo cum homo cubuerit, ad mortem damnatur. Levit. 19. v. 15.

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* est inconsequens. Injuria activa in bovem non cadit: neque ideo occidi jubetur, quod injuriam fecerit, vel contra legem deliquerit: sed ut homini innotescat, quam grave sit peccatum homicidium, cum sanguis hominis etiam à bruto repeti debeat; quod se facturum Deus dixerat, Genes. 9. v. 5. Neque pœna hæc, ratione bruti, est proprie dicta, quæ *ἀνομίαν* præsupponit, sed actus divinæ potestatis in creaturam irrationalem, cedens in bonum creaturæ rationalis; certe non magis pœna, quam mactatio bruti divina lege concessa in usum hominum. Iumentum humano concubitu pollutum, ideo occidi vult Deus, ut tam nefandæ rei memoria aboleatur inter homines; veluti, ob similia alia delicta, quandoque ædificia quoque solent destrui. Itaque lex illa *de bove cornupeta & jumento occidendo*, non brutis, sed hominibus est lata.

§. 18. Quæritur (5) *Cur præter naturæ legem, opus quoque sit lege positiva?*

Resp. 1. Quia ad juris naturalis observationem in vita communi omnibus incumbentem necessariæ sunt peculiares nonnullæ dispositiones lege naturali non expressæ: quippe quæ universalis tantum est & de circumstantiis variis nihil præcipit.

(2) Quia nec præmia, nec pœnas in specie dictat lex naturalis: unde per leges positivas de omnibus illis necessario præcipiendum, ad confusionem & iniquitatem prohibendam.

(3) Quia ex fonte legis naturalis universalis derivare leges speciales, quæ necessariæ sunt in Republica, non est cujusvis, sed sapientum & prudentum duntaxat.

§. 19. Quæritur (6) *An leges civiles & humanæ obligent conscientias.*

Resp. *Affirmativam* amplectimur, si humanæ leges sint de rebus divinæ legi non adversis.

Rationes sunt:

(1) Quia humanæ leges violatæ inducunt culpam moralem, sive civilem. Quicquid vero culpam quamcunque inducit, id obligat conscientiam, quæ sensus est admissæ culpæ.

(2) Quia necesse est nos obedire Magistratui, propter conscientiam, Rom. 13. v. 5. Atqui Magistratui obedire est ejus edictis & legibus subesse. Lædit igitur conscientiam, qui edicta & leges Magistratus violat: adeoque edicta ejus conscientiam obligant.

(3) Quia omnis vis obligativa ligat conscientiam. Atqui omnis lex

mnis lex à quocunque superiori, sive Magistratu, sive parente, sive præceptore, sive patrefamilias, &c. lata dote divinæ legi non adversa, habet vim obligativam, siquidem obligare effectus est legis necessarius.

(4) Quia alias sine peccato & culpa resisti posset superioribus & negligi ipsorum jussa. Quod falsum & absurdum. Lubrico certe fundamento nitetur Principum Majestas, si divina voluntate & Majestate ea non niteretur, & Deo non resisteret, qui Magistratui resistit. Rom. 13. v. 2.

Quod si vero hominum jussa in Dei impingant leges, ut si Magistratus jubeat idolis servire, si jubeat ab agnita veritate discedere, & monstrosa amplecti dogmata, innocentes occidere, &c. tum cessat vis obligativa, & illud Apostolicum est opponendum: *Obedire oportet Deo potius, quam hominibus*, Act. 5. v. 29. *Contemnenda tum potestas timendo potestatem*, ut *Augustinus* loquitur, serm. 6. de verb. Dom.

§. 20. Objicitur pro negativa.

(1) *Christianæ libertati repugnat fidelium conscientias humanis obligari legibus. Ergo humanæ leges vim obligandi Christianorum conscientias non habent*, Antecedens prob. *Quia Christus nos liberavit ab omni obligatione humana circa indifferentia, de quibus sunt humanæ leges Unde illud Apostoli: in libertate, in quam vos Christus vindicavit, perstate, nolite fieri servi hominum.* Gal. 5. v. 1.

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est, nec ex allegato loco evincitur. Non enim obligatio conscientiæ *ad obedientiã*, sed tantum obligatio *ad cultũ* per leges humanas repugnat Christianæ libertati. Unde Christianos quoque Magistratui subjectos esse & obedire propter conscientiam idem vult Apostolus, ad Rom. 13. v. 5.

§. 21. (2) *Potestas civilis est temporalis. Ergo per leges suas obligare conscientias non potest.* Ratio conseq. *Quia æternæ potestati tantum obnoxiæ sunt conscientiæ.*

Resp. *Consequentia* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est: Sunt æternæ potestati obnoxiæ conscientiæ primo, & per se: temporali autem secundario, propter æternam: quę humanis legibus quoque obnoxias esse conscientias voluit. Unde divinæ repugnat ordinationi, qui humanę potestati à Deo ordinatæ repugnat.

§. 22. (3) *Finis civilium legum est pax externa: Ergo non attingunt conscientiam.*

Resp. *Antecedens* exclusive verum non est: Finis civilium le-

gum est non tantum pax *externa*, sed & *interna*, qua tranquillatur conscientia ex consideratione obedientiæ ei præstitæ cui resisti bona conscientia non potest, propter legem divinam Magistratui subjicientem.

2. Nec *consequentia* est solida: Quia ad externam quoque pacem obligamur, eamque violare illæsa conscientia non possumus.

§. 23. (4) *Magistratus non judicat de internis, nec videre potest, an aliquis contra conscientiam peccet. Ergo obligare per leges suas non potest conscientiam.*

Resp. *Consequentia negatur.* Obligatur enim conscientia non propter καρδιογνωσίαν, sed per ordinationem divinam, quæ obedire nos Magistratui vult propter conscientiam.

§. 24. (5) *Princeps non potest inferre pœnam spiritualem, aut delinquentem conscientiam punire, quantisper occulta manet. Ergo obligare quoque conscientiam non potest.*

Negatur *consequentia*. Quia obligatio conscientiæ sejungi potest ab inflictione pœnæ spiritualis: quæ ei soli competit, qui primo & per se conscientiam obligat, non ei qui secundario & per alium obligat.

§. 25. (6) *Conscientia solum Deum respicit: Ergo non leges civiles.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: Conscientia Deum respicit primo & per se; hominem vero secundario & propter Deum.

§. 26. (7) *Sola lex divina conscientiam obstringit: Ergo humanis legibus hoc non competit.*

Resp. Antecedens simpliciter & absolute verum non est: ut patet ex iis, quæ dicta sunt.

§. 27. Quæritur(7) *An inferior per mandatum superioris semper obligetur ad id faciendum, quod superior mandavit, & nunquam contra, si id speret ei, qui mandavit, utilius fore?*

Resp. De hac quæstione inter Philosophos olim quæsitum meminit *Gellius*, lib. 1. cap. 13. *Quæri*, inquit, *solet, an, negotio tibi dato, & quid omnino faceres definito, contra, quid facere debeas, si, eo facto, videri possit res eventura prosperius, exque utilitate ejus, qui id tibi negotium mandavit?*

Affirmativam multis arrisisse notat *Gellius*: Quorum ratio hæc fuit: *Ne, si spes sefellisset, culpa impatientiæ, vel*, ut alii legunt, *imparientiæ & pœna indeprecabilis subeunda esset. Si res forte melius vertisset, Diis quidem gratia habenda: Sed exemplum tamen intromissum videretur, quo bene consulta consilia religione mandati soluta corrumperentur.*

§. 28. Con-

§. 28. Contra vero *negativam* alii hac cautione sunt amplexi: Incommoda prius, quæ metuenda essent, si res gesta aliter foret quam imperatum est, cum emolumento spei pensitanda esse: & si ea leviora minoraque, utilitas autem contra gravior, spe, quantum potest, firma ostenderetur: tum posse adversum mandata fieri: quorum ratio fuit: *Ne oblata divinitus rei bene gerendæ occasio amitteretur.* Interim & hanc addiderunt conditionem: *Cum primis respiciendum ingenium naturamque illius, cujus res præceptumque esset, ne ferox, durus, indomitus, inexorabilisque sit:* Qualia fuerunt *Postumiana* & *Manliana* imperia. Nam si tali præceptori ratio reddenda sit, nihil faciendum esse monuerunt aliter, quam præceptum est. Adducitur hanc in rem exemplum *P. Crassi Muciani*, qui cum in consulatu *Asiam* provinciam obtineret, & *Leucas*, oppidum circumsidere & oppugnare pararet, opusque esset firma & procera trabe, qua arietem faceret & muros oppidi quateret, ad magistrum quendam ἀρχιτέκτονα scripsit, ut ex malis duobus, quos apud eos vidisset, uter major esset, eum mittendum curaret. Cum vero magister ἀρχιτέκτων comperisset, quamobrem malum desideraret: non uti jussus erat, majorem, sed quem esse magis idoneum aptioremque faciendo arieti, facilioremque portatu existimabat, minorem misit. Tum vero *Crassus* vocari eum jussit, & cum interrogasset, cur, non quem jusserat, misisset, causis rationibusque, quas dictabat, spretis, vestimenta detrahi imperavit, virgisque multum cæcidit: *Corrumpi atque dissolvi officium omne imperantis ratus, si quis ad id, quod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat.*

§. 29. *Summa* igitur huc redit. Dispensare quandoque de mandato superioris inferior potest, & aliter facere, quam præceptum est, hisce duabus positis conditionibus.

(1) Si spes sit certa majoris commodi & quidem publici, per mandati neglectum obtinendi, quam incommodi per obsequium declinandi.

(2) Si, qui mandavit, tractabilis sit & contrarii facti rationes videatur admissurus.

Et *posterior* quidem hæc conditio maxime attendenda iis, qui mandata acceperunt absoluta, nullaque conditione expresse limitata. Implicita niti conditione, vel ejus spe tantum, admodum est periculosum, nisi mandantis constet facilitas & tractabilitas. Testantur enim, historiæ res contra mandata felicissime gestas excusare autores & à pœna neglecti mandati liberare haud potuisse: præsertim ubi mandata fuerunt *militaria*: quæ rigidissima solent

 esse. Unde

esse. Unde *Clearchus* militum animis subinde hoc solebat inculcare: *Militi magis esse metuendum Imperatorem, quam hostem.* *Epaminondas* cum exercitum adversus *Lacedæmonios* duxisset, ipse *Thebas* profectus *Stesimbroto* filio omnem commisit exercitum, præcepitque, ne cum hoste manum consereret: Filius autē contumeliis hostium lacessitus pugnavit & hostes fudit. Reversus inde *Epaminondas* primum filium, tanquam victorem, coronavit: deinde capitis damnavit, quod mandata Patris neglexisset. *Plutarch.* in Epam.

L. *Papirius Cursor*, in bello Samnitico Dictator, *Q. Fabium Maximum*, equitum Magistrum, cui, ut intra vallum se contineret, &, se absente, manum cum hoste ne consereret, edixerat, ad supplicium poposcit, quod contra mandatum cum hoste congressus fuerit, quamvis non certam tantum victoriæ spem conceperit, sed & viginti millia hostium fuderit: *Livius* lib. 8. *Valer. Max.* lib. 2. cap. 6.

T. *Manlius Torquatus* filium, quod provocatus à *Geminio Metio*, Duce *Tusculanorum*, patre ignaro, ad dimicandum descendisset, diripi à lictore & in modum hostiæ mactari jussit, quamvis gloriosam ab hoste victoriam & magna spolia retulerit: *Valer. Max.* lib. 2. cap. 2.

A. *Posthumius* Dictator filium *Posthumium* victorem securi jussit percuti, quod præsidio progressus, non suo jussu, hostem fudisset. *Livius lib.* 4.

Cajus iis, qui in castris erant, præceptum dederat, ut in armis manerent: Cum vero filius ejus sub tempus æstuantis solis equum ad fluvium præterlabentem deduxisset; caput ejus abscindi jussit, quod edicto non paruisset, *Polyæn.* lib. 8. *Athenienses* missos in *Arcadiam* legatos, quod alia via, quam à Magistratu imperatum erat, profecti fuissent, morte crudelissima mactarunt, quamvis reliqua mandata summo studio perfecissent.

§. 30. Quæritur (8) *An semper, omnibusque Patris jussis sit obsequendum?*

Resp. Et hanc quæstionem olim in Philosophorum disceptationibus agitatam scribit *Gellius*, lib. 1. cap. 7. ubi in tres distinctas itum sententias. *Nonnulli* simpliciter negarunt, patri parendum esse: Alii simpliciter affirmarunt, in omnibus parendum: *Alii* denique media ingressi via in quibusdam parendum, quibusdam verò non obsequendum statuerunt.

Prima sententia, quæ primore adspectu infamis est, hoc nitebatur fundamento. *Aut rectè imperat pater, aut perperam. Si rectè imperat: non quia imperat, parendum, sed quoniam id fieri jus est.*

Jus est. Si perperam, nequaquam faciendum, quod fieri non oportet. Nunquam igitur patri parendum, quæ imperat.

§. 31. *Secunda sententia* nititur potestate patris in liberos: Postquam impium videtur, obsequium negare patri, cui honos in omnibus debetur. Magna verò honoris pars est obedientia.

§. 32. *Neutra* sententiarum harum probanda.

Prior nimis est cruda, primoque adspectu horrida & impia.

Si rectè pater imperat, non omnino parendum.

At, inquiunt, *parendum, non quia imperat, sed quia id fieri Jus est, seu quia alia superioris tenetur lege filius, ut si jubeatur suum cuique tribuere, studere temperantiæ, modestiæ, &c.*

Resp. 1. Etiam in hisce talibus, ad quæ divinis obligamur legibus, si inculcentur & imperentur à parentibus, meritò paremus, & imperantibus parere jure dicimur: quia quod DEUS præcipit, ipsi quoque parentes possunt & debent præcipere: unde & Deo & parentibus tenemur obedire. Veluti *Moses* olim divinas promulgando leges præcepisse populo dicitur: cui obedire quoque populus tenebatur. De hac obedientia vide Prov. 4. v. 3. 4. & 13. v. 1. & 19. v. 20. & 23. v. 22. Eph. 6. v. 1. 1. Timoth. 3. v. 4.

2. Non omnia quæ rectè imperari à parentibus possunt, per se & absolutè jus est fieri. Quia multa sunt natura sua ἀδιάφορα ad quæ, si absque speciali parentum sit præcepto, per jus non obligamur: cujusmodi sunt *in militiam ire, rus colere, honores capessere, causas defendere, uxorem ducere*, &c. quæ per se simpliciter nec impia nec inhonesta sunt. In his igitur principaliter parentibus, quando lex alia non urget, parere possumus & debemus.

At, inquias, *si pater imperet ducere uxorem infamem, propudiosam, criminosam, aut reum aliquem, ut Catilinam, Verrem, serio defendere: anne parendum fuerit?*

Resp. Minimè: quia tum amplius non est adiaphoron, quod præcipitur, sed inhonestum & turpe, ad quod paterna nos obligare non possunt imperia.

§. 33. *Posterior sententia* & ipsa est repudianda: Ratio est, Quia hoc modo etiam impia & inhonesta præcipientibus obediendum esset: quod tamen minime faciendum; Quia *Deo potius, quam hominibus obediendum.* Nunquam audiendi homines, si Deo obloquantur: Neque impietatis fiunt rei, qui impia parentum negligunt mandata. Sola igitur *tertia sententia* probanda: nempe obediendum parentibus, si honesta vel adiaphora imperent: non obediendum, si turpia. Interim, quando iniqua vel turpia mandantibus non paretur, leniter, verecunde & sine dete-

ſtatione nimia, ſineque opprobratione acerba reprehenſionis, mandata potius declinanda ſenſim & relinquenda, quam reſpuenda: ut *Gellius* loquitur. Rex *Thracum*, irruente in Græciam *Xerxe*, in montem *Rhodopem* aufugit, & filiis, quos ſex habebat, præcepit, ne contra Græcos arma ferrent. Quibus, cum patri morem non geſſiſſent, reverſis omnibus oculos eruit. *Ælian*. lib. 5. hiſt. var. & *Herodot*. lib. 8.

§. 34. Quæritur (9) *An juſta fuerit lex Solonis, cujus meminerunt Ariſtoteles & Gellius* lib. 2. cap. 12.

Si, ob diſcordiam diſſenſionemque, ſeditio atque diſceſceſſio populi in duas partes fieret, & ob eam cauſam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque, tum qui, in eo tempore, in eoque caſu civilis diſcordiæ, non alterutri parti ſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparatuſque à communi malo civitatis ſeceſſerit, is domo patria, fortuniſque omnibus careto, exul extorriſque eſto.

Reſp. Lex hæc, ut & aliæ *Solonis*, quas ab eo latas *Athenienſes* acceperunt, axibus ligneis ſunt inciſæ, &, ut ſempiternæ manerent, pœnis & religionibus ſancitæ.

Prima autem fronte iniqua videtur lex, quæ pœna dignos judicat, qui procul à ſeditione & pugna civili ſe removent. Quod ſi vero penitus atque alte uſus & ſententia legis inſpiciatur, non ad augendam vel fovendam, ſed ad finiendam ſeditionem hanc legem latam & comparatam, adeoque juſtam *Gellius* judicat, & ante ipſum prudentes alii. Rationem reddit hiſce verbis.

Nam ſi boni omnes, qui in principio coercendæ ſeditioni impares fuerunt, populumque partitum & amentem non deterruerunt, ad alterutram partem diviſi ſe adjunxerint, tum eveniet, ut, cum ſocii partis ſeorſim utriuſque fuerint, eoque partes ab iis, ut majoris authoritatis viris, temperari ac regi cœperint, concordia per eos potiſſimum reſtitui conciliarique poſſit: dum & ſuos apud quos ſunt, regunt atque mitificant, & adverſarios ſanatos magis cupiunt, quam perditos. Idem inter fratres quoque aut amicos diſſidentes oportere fieri cenſebat *Favorinus* Philoſophus.

§. 35. Quæritur (10) *An per legem ſubditus ſemper obligetur ad id volendum quod legiſlator vult.*

Reſp. Negatur, cum de divinæ, tum de humanæ legis obligatione. Et in ſpecie non ſemper tenetur id homo velle, quod Deus vult, ſed tantum id, quod Deus vult ipſe velle: quæ ſola eſt legis divinæ ratio & obligatio. Multa igitur vult Deus, quæ velle hominem non vult; quem ad ſola illa obligat, quæ velle ipſum vult. Itaque regula vitæ noſtræ eſt non arcana, ſed patefa-

cta Dei voluntas humanam obligans voluntatem. Hinc *Augustinus* in Enchirid. cap. 101. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bonâ multo amplius multoque certius voluntate. Nam illius voluntas mala nunquam esse potest: tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.* Sic ad filium mactandum obligabatur *Abrahamus* præcepto divino, quem tamen mactati noluit Deus. Quod igitur fieri Deus noluit, id facere Abrahamum jussit. Idem & inter homines usuvenit. Vide *Horneium*, Eth. lib. 4. cap. 3. n. 37.

§. 36. Quæritur (11) *An de lege sua, sive naturali, sive morali dispensare Deus possit?*

Resp. Sensus quæstionis ita explicatur: *An salva justitia divina & sine contradictione, dici possit per peculiare indultum Dei ab obligatione legis naturalis vel moralis quenquam liberari, ita ut in casu certo lex, ea quæ omnes obligat, iis circumstantiis, quibus obligat, eum non obstringat;* Quæstionis sic explicatæ *negativam* amplectuntur *Albertus M. Thomas, Hervejus, Cajetanus, Greg. de Valent.* Rationes sunt.

(1) Deus nihil potest agere contra justitiam suam: quæ non minus est immutabilis, quam ipse Deus. Ergo nec dispensare potest de lege naturali vel morali. *Ratio conseq.* quia lex hæc est quasi particula divinæ justitiæ.

(2) Nullum Dei decretum est mutabile, vel ita tolli potest, ut iisdem circumstantiis, quibus semel fieri aliquid jussit, & quidem simpliciter sine certi temporis definitione, id ipsum fieri postmodum nolit. Ergo nec lex est mutabilis. *Antecedens* patet: Quia instar hominis Deus non mutatur, *Num* 23. v. 23. neque negare se ipsum potest, 2. *Timoth* 2. v. 13. neque fieri hoc patitur summa Dei sapientia & bonitas, per quam non nisi optima Deus decernit, quorum pœnitere ipsum proprie non potest.

Ratio conseq. Quia lex, de qua loquimur, est Dei decretum, vel ejus patefactio.

§. 37. Contradicunt heic ex Scholasticis multi, inter quos *Occam, Bonaventura, Scotus, Ægidius Rom.*

Rationes sunt.

(1) *Deus de lege morali dispensavit, quando vasa aurea ab Ægyptiis commodato accepta Israelitas secum auferre jussit,* Exod. 11. v. 2. *quando Abrahamum jussit mactare, vel interficere filium,* Genes. 22. v. 2. Ergo.

Resp. *Antecedens* negatur: Probatio ex allegatis exemplis petita est inconsequens. Non jussit Deus Israelitas furari, contra le-

gem, *non furaberis:* nec jussit Abrahamum occidere filium, contra legem, *non occides.* Quod jussi erant facere Israelitæ, non erat furtum, nec homicidium, quod jussus est facere Abrahamus: quamvis, mandato Dei non interveniente, illud furtum, hoc homicidium fuisset. Justo judicio vasa aurea *Israelitis* commodata Deus ad *Israelitas*, tanquam legitimos possessores & dominos, transire jussit eorumque propria esse voluit. Ita filium *Abrahamo* Deus mactandum tradidit, quem si mactasset, non magis peccasset, quam quivis alius Magistratus, qui occidit, quos occidi lex Dei jubet. *Terra est Domini & plenitudo ejus:* cui licet de suo facere, quicquid vult, adeoque licuit etiam patri filium mactandum tradere, vide *Thom.* 1. 2. q. 800. art. 8.

§. 38. (2) *Homines de suis legibus possunt dispensare easque mutare: Ergo etiam Deus de lege naturali & morali potest dispensare:* Antecedens *in confesso est, & patet ex abrogatione legum & indultis contra eas specialibus.*

Resp. Negatur *consequentia.* Quia humanæ leges in specie sic dictæ & à divinis vel naturalibus distinctæ, sunt tamen dispositiones speciales commodiori legum divinarum observationi servientes, eæque variæ apud varios populos & respublicas, quas mutare vel de iis dispensare hactenus in hominum est potestate, si nihil detrimenti lex naturalis vel moralis ejusque observatio inde capiat. Dei vero lex sive hominis inscripta cordi, sive decalogo inserta, simpliciter universalis, sine ulla loci, temporis, vel personæ exceptione, jus & justitia est Dei, quæ immutabilis est, adeoque non magis de ea dispensare Deus potest, quam de sapientia & justitia sua. Homines revocare sententias suas possunt, quia in ferendis iis errare possunt.

DEUS non potest, quia non est ut filius hominis, quem, ex defectu sapientię, pœnitet.

§. 39. Quæritur (12) *An eodem modo obligent leges affirmativa & negativa.*

Resp. *Negatur: Affirmativa* obligat ad obedientiam, quoties datur occasio & commoditas. *Negativa* sine ulla exceptione obligat tota vita & omni tempore. Sic *exempli* gratia, lex quinta *de honorandis parentibus* obligat filios ad obedientiam, quoties honorandi Parentes occasio datur & opportunitas. Unde, deficiente occasione & commoditate, sine culpa suspendi potest actualis honor, & actu non honorari parentes: quando de iis actu semper cogitare non possumus, ne dum honorem iis deferre. Lex nona, *de falso testimonio non dicendo*, perpetuò ita obligat, ut singulis vitæ momentis à falso abstinere testimonio teneatur. Eadem

reliqua-

reliquarum legum *negativarum*, *non occides*, *non mœchaberis*, *non furaberis*, &c. est ratio: neque divinarum tantum, sed & humanarum.

§. 40. Quæritur (13) *An princeps quoque suis obligetur legibus?*

Resp. Cum *Cajetano* distinguendæ sunt leges principis: *Aliæ* sunt communes toti Reipublicæ, quarum rationes ad ipsum quoque extendi possunt principem, vel quarum observatio & usus æquè decet Principem atque subditos: *Aliæ* subditos tantum & certos ex civium numero concernunt. His non obligari principem extra controversiam est, illis obligari affirmant *Cajetanus* & *Valentia*, idque probant:

(1) Quia legem naturæ violaret princeps, si nollet obligari lege, quam toti tulit communitati, cujus ipse pars: Est enim lex naturæ: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

(2) Quia turpe esset, si pars, & præsertim caput, non congrueret cum toto in iis, quæ partibus omnibus sunt communia, & ad salutem totius corporis faciunt.

(3) Quia non videretur seriò toti præcipere civitati & reipublicæ bonum, à quo excludi se vellet.

(4) Quia quos [illegible]is ratio pariter attingit, eos quoque pariter obligare debet. Hujusmodi verò est ratio legis communis, respectu principis & subditorum. Pertinet huc, quod *Aristoteles* ait, lib. 5. Eth. cap. 6. *Non sinimus hominem dominari, sed rationē.*

§. 41. Objicitur.

Si princeps legi à se latæ esset subjectus, utique etiam pœnæ transgressoribus dictatæ esset subjectus. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens. Connexi ratio est: *quia lex ad obedientiam & ad pœnam obligat.*

Resp. *Connexi* consequentia negatur: *probatio* est inconsequens. Est enim legis vis triplex: *una* monstrandi, seu docendi, quid faciendum, quid omittendum: *altera* dirigendi, seu ad obedientiam obligandi, *tertia* cogendi, seu pœnam statuendi & à transgressoribus exigendi. Hæ legis virtutes ita sunt comparatæ, ut priores duæ à tertia separari possint, & respectu principis actu separentur. Is enim, respectu doctrinę & directionis, subjectus est legi, non respectu coactionis, legi, inquam, ab ipso latæ.

§. 42. *Princeps legi, de tributo pendendo, omnibus subditis seu toti reipub. & civitati à se latæ non est subjectus. Ergo suis legibus non obligatur.*

Resp. Negatur *consequentia*: 1. quia à particulari ad universale nulla est consequentia. 2. Quia ratio istius legis pariter prin-

cipem & subditos non concernit. 3. Quia lex de tributo pendendo est divina.

§. 43. (3) *Princeps legem à se latam potest abrogare, & sic ab ejus observatione se ipsum liberare. Ergo suæ legi necessariò non est subjectus.*

Resp. Negatur *Consequentia*: quia lex abrogata desinit esse lex & non magis civitatem, quam principem obligat.

§ 44. (4) *Si Princeps sua quoque lege teneretur, obedientiam sibi ipsi imperaret, & teneretur præstare. Atqui falsum hoc: Ergo & illud.*

Resp. Negatur *consequentia*. Quia à principe lata, quatenus principem obligat, non tam ipsius est principis præceptum, quam honestatis & justitiæ communis ad obsequium omnes obligantis. Est hac in parte princeps minister Dei. Unde quicquid ex Dei verbo vel secundum id præcipit, sub obsequij ratione universali, & principem & subditos obligat. Veluti lex per *Mosen* lata ipsum etiam *Mosen* obligabat. Alii respondent: Principi legem propriam servandam esse ex quadam ratione honestatis & decentiæ, non necessitate obligationis propriè dictæ.

§. 45. Quæritur (14) *An legis propriè dictæ rationem habeat, quod promulgatum non est.*

Resp. *Negatur.* Ratio est: quia lex propriè dicta obligat: non potest autem obligare, nisi promulgata sit. *Lex* inquit *Thomas*, 1. 2. q. 90. art. 4. *imponitur per modum regulæ & mensuræ. Regula vero & mensura actu non est, nisi quod applicatur his, quæ regulantur & mensurantur: Ut igitur obligandi vim obtineat lex, oportet eam applicari hominibus, qui secundum eam regulari debent, applicatio autem hæc tum fit, quando ex promulgatione in notitiam eorum deducitur.* Ut ergo sine obligatione lex est nulla, ita sine promulgatione quoque obligatio est nulla.

Objicitur.

§. 46. *Lex naturæ non promulgatur, & tamen est lex propriè dicta. Ergo etiam legis rationem habere potest, quod non promulgatum est.*

Resp. *Antecedens* negatur. Lex naturæ promulgatur & in notitiam venit per inscriptionem in corda.

(2) *Lex gratiæ ad fidem olim gentes obligavit ante promulgationem factam per Apostolos. Ergo ad legem non est necessaria promulgatio.*

Resp. *Antecedens* negatur. Non damnabuntur gentes ex Euangelio, quod nunquam cognoverunt, aut cognoscere potuerunt

runt per defectum revelationis, sed ex lege cordibus inscripta.

§. 47. Quæritur (15) *Quomodo differant leges naturæ & civiles?*

Resp. (1) *Notitia:* Leges naturæ omnes norunt & intelligunt, qui mentem habent sanam in corpore sano. Civilium legum vel omnium vel plerarumque notitia etiam multis doctissimis non obtingit: unde laborioso acquirenda est studio & institutione.

(2) *Causa efficiente.* Leges naturæ proximè sunt à Deo hominum inscriptæ cordibus. Civiles ab hominibus sunt, principum vel magistratus scriptæ jussu & promulgatæ autoritate. Unde illæ divinæ, hæ humanæ dicuntur.

(3) *Fine.* Leges naturæ solam spectant honestatem. Civiles salutem populi & utilitatem: etsi interim tendunt quoque ad illarum observationem.

(4) *Objecti amplitudine.* Leges naturæ obligant omnes homines. Civiles non obligant omnes, sed alicujus tantum magistratus subditos. Ita imperii *Romani* leges civiles non obligant eos, qui subditi imperii non sunt.

(5) *Constantia & duratione.* Illæ vim semper suam obtinent & abrogari non possunt. Hæ mutabiles sunt & sæpe mutantur.

(6) *Multitudine.* Civiles enim longe sunt plures, quam naturales. Sunt enim illæ de specialioribus, hæ de generalioribus.

§. 48. Quæritur (16) *Utrum præstet, legem, an hominem judicare & sententiam ferre?*

Resp. Cum distinctione respondemus.

(1) *Legem præstat sententiam ferre de generalibus nulla singulari & notabili circumstantia limitatis.*

Rationes sunt:

1. Quia lex ab affectibus nunquam transversa rapitur & sine προσωποληψίᾳ judicat; hominis vero animus sæpe affectibus turbatur & à justi tramite abripitur. Unde pulchre Aristoteles, lib. 3. Polit. cap. 12. ait: *Eos qui legem praeesse jubent, Deum praeesse jubere, qui hominem, quasi bestiæ imperium concedere.*

2. Quia leges de universalibus conscriptæ sunt à prudentissimis magna circumspectione, & habentur pro norma propemodum infallibili. Lex enim, quæ magna ratione non nititur, indigna est legis nomine. Quod utinam probè ponderarent respublicę nonnullæ, & absurdas atque iniquas nonnullas leges suas abrogarent.

§. 49. (2) *Hominem præstat judicare, vel sententiam ferre de singularibus.* Ratio est. Quia

Quia singularium maxima est varietas, quę legibus comprehendi & definiri nullo modo potest. Unde sine erroris periculo judicari de iis ex legibus generalibus non potest. Summumque jus in summam immutant injuriam, qui secundum leges generales pronunciant de casibus singularibus, nulla circumstantiarum habita ratione, quę variè immutare facta solent. Jlla igitur varietas hominis judicio probè ponderanda antè, quam ad regulam referatur, adeoque satius est prudentem judicare, qui singulares ponderare circumstantias potest, quam legem, quę illas non exprimit.

CAPUT XXXV.

APPENDIX PRIMA

De

Virtutibus intellectualibus.

Thesis I.

HACTENUS virtus moralis: *Cum morali intellectualem quoque conjungunt* Peripatetici, *quæ est habitus animi, quo mens nostra vel affirmando, vel negando verum enunciat.*

Ἔκθεσις.

§. 1. QUæritur (1) *An habitus mentis, quos vulgò appellant virtutes intellectuales, sint qualitates?* Resp. *Affirmativam* quæstionis amplectimur tanquam receptam in scholis Philosophicis: quæ omnes uno ore habitum qualitatis speciem constituunt & prædicant: ut constat ex prædicamento qualitatis, cujus species numerant quatuor, *habitum, potentiam naturalem, qualitatem patibilem & figuram.*

Idem evincit *definitio qualitatis*: Accidens à quo subjectum denominatur quale: vel forma accidentalis, per quam substantia est efficax: quam mentis habitibus competere palam est.

Patet idem ex remotione aliorum generum, seu prædicamentorum: Non sunt *substantiæ*, non *quantitates*, non *actiones*, non *relationes*,

relationes, &c. De *substantia*, *quantitate*, *actione* & reliquis prędicamentis minus principalibus dubium est nullum: *Relatio* patronos invenit, ut è sequentibus patebit. Ad hanc verò mentis habitus, tanquam species, referri non debere, probatur.

(1) Ralationi non accidit relatio: Atqui habitibus mentis accidit relatio ad *objecta*. Unde relata quidem possunt dici, relationes verò, quę affectiones sunt relatorum, non possunt.

(2) Omnis relatio indignior est, quovis accidente absoluto, eoque natura posterior: Atqui habitus mentis non sunt indigniores quovis accidente absoluto, &c. Ergo relationes non sunt. *Propositio* est canon logicus: *Assumtio* constat ex præstantia habituum mentis, cujusmodi sunt *intelligentia*, *sapientia*, *scientia*, *ars*, *prudentia*: quibuscum accidentia absoluta plurima ne comparanda quidem sunt.

(3) Relationes non tam sunt in subjectis, quam inter subjecta: Atqui mentis habitus non sunt inter subjecta, sed in subjectis.

(4) Relationes non habent necesse acquiri crebris actionibus, sed sæpe in momento exurgunt: Habitus mentis acquiruntur crebris actionibus.

(5) Per relationem, quatenus est relatio, substantia non est efficax, neque principium agendi est relatio: Atqui habitus mentis sunt agendi principia, per quæ efficacissimi sunt homines, &c.

§. 3. Contra vero *Piccolomineus* rationis habitus ad mentem relatos negat esse *qualitates*: sed contendit esse *relationes*, Grad. 5. cap. 5. quam in sententiam sequentia adducuntur argumenta.

(1) *Habitus non est species aliqua qualitatis ab aliis distincta, sed tantum relationem & consonantiam superaddit. Ergo nec habitus mentis sunt qualitates, sed tantum relationes.* Antecedens *alibi à se probatum ait Piccolomineus*.

Resp. *Antecedens* negant Scholæ Philosophicæ, in quibus receptissima est qualitatis in quatuor species distinctio, inter quas prima *habitus*: qui etsi referri ad aliud, tanquam *relatum* potest: tamen relatio propterea dici non debet: ut ante ostendimus.

§. 4. (2) *Si habitus mentis esset qualitas, utique in mente esset alteratio, quæ est motus ad qualitatem: Atqui, de sententia Aristotelis*, Phys. lib. 7. *in mente non est alteratio*: Ergo.

Resp. Quid tum, si maxime, de *Aristotelis* sententia, in mente non esset alteratio, anne propterea alterationi nulli obnoxia esset mens hominis, seu intellectus? Ne *Angelicus* quidem intellectus omnis est expers alterationis, nedum *humanus*, præsertim *perfectivæ*, cum etiam *corruptiva* in eum cadat, ut constat ex corruptione *Spirituum malignorum*, quorum obscuratus est intellectus

tellectus & perversa voluntas: ut & hominū post lapsum: quamvis interim immortales sint spiritus, ut & hominis anima.

§. 5. (3) *Qui scientiam acquirit per solam remotionem perturbationis, redditur sciens: ut dormiens, cum excitatur, non dicitur factus sciens, quamvis prius non valuerit uti scientia, sed, solo impedimento remoto, sciens apparet:* Phys. lib. 7. t. 20. *Ergo scientia non est qualitas per alterationem inducta in mentem.*

Resp. *Antecedens* negatur. Falsum heic supponitur *Platonis* dogma de speciebus & habitibus natura menti insitis & per sensus tantum impeditis: veluti dormientibus insunt habitus, qui tamen per somnum impediuntur, & solutis sensibus se exerunt, neque de novo acquiruntur. Nota est Platonis *reminiscentia*, quæ è scholis jam pridem est explosa, & ab ipso *Aristotele* improbata: etsi ex sententia *Platonis* in allegato loco loqui videtur *Thomæ*, *Toleto*, & aliis.

§. 6. (4) *Nihil novi in mente recipitur, ex sententia Aristotelis; quod vero recipitur, in phantasia recipitur, & per memoriam servatur; ut autem ad mentem pertineat, satis est relatio ad objectum per phantasiam & memoriam oblatum. Ergo habitus mentis non est qualitas, sed tantum relatio.*

Resp. *Antecedens* negatur, non obstante *Aristotelis* contradictione, de qua magnopere nobis non laborandum: etsi de novo impressæ menti qualitates *Aristotelicæ* doctrinæ non adeo videntur adversari. Ad hanc quæstionem pertinentia videantur plura apud *Toletum* & *Conimbric.* in 7. Phys. ad. tex. 20.

§. 7. Quæritur (2) *An habitus intellectuales sint in anima hominis rationali, vel mente, tanquam in subjecto.*

Resp. De *subjecto* habituum intellectualium distinctas quatuor sententias recenset *Piccolomineus*, Grad. 5. cap. 6. quarum *prima* est *Simplicii* & *Academicorum* mentem ab anima rationali distinguentium, & rationis habitus in duobus collocantium, nempe in *memoria* phantasiæ juncta, conservante idola, tanquam in *instrumento*: in *anima rationali* progressa & rationes coæternas habente, tanquam in *fundamento*.

Altera est *Alexandri Aphrodisæi*, qui mentem hominis propriam judicat mortalem esse, adeoque rationis habitus in anima mortali collocat, tanquam illic depositas, conservatas, & quiescentes considerationes, quæ suprema sint acies animæ, per quam homines ea præditi ad libitum operantur.

Tertia est *Thomæ* & multorum aliorum, qui habitus mentis statuunt esse qualitates primæ speciei in mente immortali receptas & conservatas.

Quarta

Quarta est *Aristotelis*, ut opinatur *Piccolomineus*, quam & ipse amplectitur, subjectumque habituum horum, non animam rationalem, sive mentem aut intellectum, sed phantasiam & memoriam statuit: quia anima rationalis & immortalis nulli novo accidenti potest subjici.

§. 8. Nobis quæstionis arridet *affirmativa*, quæ *Thomæ* est sententia. Unde moralium quoque virtutum subjectum esse animam rationalem supra ad cap. 3. q. 1. probavimus. Adeoque pro confirmatione hujus sententiæ argumentum est.

(1) *Habituum moralium subjectum, est anima rationalis: ut supra probavimus. Ergo & intellectualium; qui conjunctiores animæ rationali videntur, quam morales.*

(2) Anima rationalis novarum qualitatum est capax. Ergo idonea non est ratio, cur negetur esse subjectum habituum intellectualium: *Anteced.* prob. Quia per lapsum mens hominis fuit obscurata, quæ ante lapsum erat illuminata. Voluntas perversa, quæ ante erat recta. Post lapsum, per regenerationem, pulsis ignorantiæ tenebris, mens iterum illuminatur, & voluntas, pulsa perversitate & alienatione à Deo, ut ita loqui liceat, rectificatur. Neque tantum alterationum harum capax est anima rationalis, sed & mentes separatæ, seu Angeli, ut constat ex lapsu Angelorum, & scientia ipsorum acquisita, seu experimentali.

Ratio *consequentiæ*, quia præcipua *Piccolominei* ratio, cur neget mentem esse subjectum habituum intellectualium, hæc est, quod alterationis, qua novæ inducuntur qualitates, capacem eam non esse sibi persuadet.

(3) Evincit idem appellatio ab omnibus recepta & probata: quia mentis & intellectus appellantur habitus: Atqui habitus non est ejus, nisi quod subjectum est habitus: ut patet ex inductione. Neque rationē enervat hanc exceptio *Piccolominei*, quod rationis habitus & virtutes hæ dicantur, non quia in mente & in ratione, ut in subjecto, sint positæ: sed quod officium rationis & mentis sit eis uti. Hoc enim modo & virtutes morales appellari virtutes intellectuales possent & deberent: quia rationis officium quoque est iis uti: imo & dii corporis facultatumque inferiorum habitus dici mentis deberent: quia iis uti mens potest.

(4) Ratio & intellectus est subjectum specierum intelligibilium: Ergo etiam habituum intelligibilium: *Antecedens* in Scholis Philosophicis receptissimum est: videantur *Conimbr.* lib. 3. de anima, cap. 5. q. 3. art. 2. in Tract. de ani. separ. disp. 3. art. 3. & *Tolet.* in 3. de an. cap. 7. q. 21. *Hurtad. de Mendoz.* de anim. disp. 12. *Zabarell.* in lib. de specieb. intellig. *Scalig.* Exer. 307. s. 21. & alii.

Ratio *consequentiæ*: quia idonea reddi nulla potest ratio, cur specierum potius intelligibilium, quam habituum, capax sit anima rationalis.

(5) Anima rationalis & mens hominis est capax actionum suarum immanentium: Quidni igitur & habituum, qui ex actionibus illis crebris exsurgunt?

(6) Si habitus Intellectuales non essent in mente, tanquam in subjecto, utique mens à corpore separata nec sapiens, nec intelligens, nec sciens esset. Atqui *consequens* est falsum & absurdum: quia beatitudo non potest consistere cum privatione omnis sapientiæ, intelligentiæ & scientiæ, uti nec perfectio animæ rationalis.

(7) Phantasia non est capax universalium: Ergo nec sapientiæ, quæ est universalium: adeoque scientia non est in phantasia: sed in mente.

(8) Item est subjectum scientiæ & ratiocinationis. Atqui hujus subjectum & principium non est phantasia, sed mens & intellectus hominis.

(9) Si scientia, sapientia & intelligentia esset in phantasia, quam cum bruto communem habet homo, excellentia, sublimitas, & divinitas earum frustra prædicaretur.

(10) Quod scientiam & sapientiam acquirit, id eandem quoque possidet & intra se veluti thesaurum continet: Atqui non phantasia sed mens hominis, quamvis non sine ministerio phantasiæ, scientiam & sapientiam acquirit. Ergo.

§. 9. Sententiam suam *Piccolomineus* sequentibus argumentis propugnat.

(1) *Mens hominis nihil recipit & universalia non servat: Ergo habitus quoque intellectuales in se non recipit. Antecedens inter Aristotelis esse placita dicitur. Probat etiam Piccolomineus: quia quod immortale est, & à materia non pendet, nulli novo accidenti potest subjici.*

Resp. *Antecedens* negatur. An constans sit illa *Aristotelis* sententia, non adeo constat. Notum est ab *Aristotele* intellectum hominis comparari *rasæ tabulæ*, in qua scriptum nihil, scribi tamē possunt omnia. Probatio *Piccolominei* nulla est; negamus immortale nulli subjici novo accidenti: assertioni huic contradicit Theologia, ut supra ostendimus.

§. 10. *Mens est immortalis & instrumento corporeo non utitur. Ergo novam in se formam non recipit. Ratio conseq. Quia origo receptionis novæ formæ est materies.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est. Mens nostra etsi spiritus est expers materiæ, tamen immersa est materiæ, per quam

quam variè afficitur: Unde ex commercio ejus cum corpore sæpè functiones ejus læduntur, ut videre est in furiosis & mente alienatis. Neque corporeis instrumentis carere semper potest, ut constat ex spiritibus ipsi ministrantibus, quorum vitiis actiones mentis turbari palam est.

2. *Consequentia* quoque negatur, una cum probatione: non materia tantum, sed & spiritus novas formas accidentales recipit ut exemplo *Angelorum* ostendimus.

§. 11. (3) *Si habitus subjective essent in mente, nunquam delerentur: At falsum consequens: Ergo & Antecedens.* Connexum prob. *Quia solus materiæ fluxus & inconstantia est causa, ut formæ deleantur.*

Resp. *Connexum* negatur: *probatio* simpliciter vera non est: Per lapsum deleta fuit in anima rationali impressa, seu inscripta Dei imago, quamvis in ea materiæ fluxus non fuerit: Idem accidit *Angelis* apostatis. Interim probabile est multis, etiam impressas intellectui species aliquo modo pendere à phantasia, quantisper unita est corpori anima, adeoque per ejus defectum obliterari quoque posse. Mens corpori alligata fere semper conjunctam habet phantasiam: Unde tritum illud: *oportet speculantem intueri phantasmata.*

§. 12. (4) *Mens est res divina, ex se sufficiens ut rectè suo fungatur munere, non egens forma seu accidente mutabili, per quod intrinsecus dirigatur. Ergo impressos & inhærentes habitus non habet.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. Etiamsi mens, ratione originis, naturæ & facultatum, est res divina: tamen ut non in genere tantum, sed & in specie suo rectè fungi munere per omnes partes valeat, habitibus indiget, sive infusis sive acquisitis. Unde ab initio Deus non intellectu tantum & voluntate hominis animam instruxit, sed & imagine sua κατ' ἐξοχὴν sic dicta, hoc est, sapientia & justitia facultates ejus ornavit.

§. 13. (5) *Si intellectus in se ipso haberet & servaret habitum, tunc, ut phantasia sine externo sensu, ita mens sine auxilio phantasiæ operari valeret. Atqui falsum consequens: E. & antecedens.*

Resp. 1. *Connexum* negatur: quia magis pendet intellectus à phantasia, secundum receptam sententiam, non obstantibus impressis formis, quam sensus internus ab externo. Unde internus sensus operatur, ligato & non operante externo: quia species interni sensus non adeò pendent ab organis externorum sensuum & speciebus in iis existentibus. Intellectus vero non operari creditur sine phantasia: quia species intellectuales requirunt præsentiam

 sensilium

sensilium in phantasia existentium & asservatarum. 2. *Assumtio* quoque à nonnullis in dubium vocatur, etiamsi *Aristoteles* contrarium videtur sentire. Nihil enim mentem intelligere & agere nisi ad phantasmata conversam & phantasiæ ministerio usam, facilius dicitur quam probatur. Alienum hoc videtur à mentis divinitate: de qua plura alias.

§. 14. (6) *Si intellectus in se haberet ideas & rationes rerum, non egeret excitatione & motu facto ab externo, sed natura sua & essentia perinde atque Deus, omnia continenter intelligeret. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.* Assumtio prob. *Quia intellectus, ut intelligat, opus habet phantasmatibus à phantasia oblatis.*

Resp. *Connexum* non est satis firmum: non par est ratio divini & humani intellectus: quia ille infinitus & nunquam in potentia est: hic finitus & in potentia: unde simul, semper & actu omnia non potest intelligere, sed excitatione habet opus jam ad hos jam illos actus, per hæc & illa objecta: quamvis impressæ species non desint: uti & phantasia in omnes & singulas suas species semper non est intenta, sed modo in his, modo in illis componendis aut dividendis est occupata.

Neque *assumtio* caret omni scrupulo: ut ante diximus.

§. 15. Quæritur (3) *An habitus intellectuales proprie sint virtutes?*

Resp. Quæstio potissimum est de *habitibus contemplativis*, intelligentia, sapientia & scientia: *prudentiam* enim, quæ & ipsa est inter habitus intellectuales, virtutē esse extra controversiam est.

Esse vero omnes in universum habitus intellectuales virtutes, in scholis *peripateticis* in confesso est. Hinc enim nata distinctio virtutis in *moralem* & *intellectualem*: quarum illa in *pietatem* & *probitatem*, hæc in *practicam* & *contemplativam* distribuitur. *Aristoteles* habitus hosce expresse nominat virtutes. Accedit *ratio*. Habitus, qui est principium bene operandi, virtus est; Atqui habitus intellectuales, etiam contemplativi, sunt principia bene operandi. Ergo virtutes sunt.

Neque hujus *vocis* significatio apud *Latinos* recepta obstat, quo minus intellectuales habitus, etiam *contemplativi*, dici possint virtutes. Videantur quatuordecim virtutis significata in Lexico Philologico *Martinij*.

§. 16. Objicitur tamen pro contraria sententia.

(1) *Virtus est habitus practicus; est enim principium bene operandi: Atqui habitus intellectuales speculative non sunt practici. Ergo non sunt virtutes.*

(2) *Virtus*

(2) *Virtus hominem reddit civiliter bonum & felicem: Habitus intellectuales civiliter bonum & felicem non reddunt: Ergo non sunt virtutes.* Assumtio prob. *Quia habitibus intellectualibus speculativis etiam maligni spiritus sunt præditi, qui tamen pessimi & infelicissimi sunt.*

§. 17. (3) *Aristoteles* 4. *Topic. scientiam & virtutem distinguit ut diversa genera. Ergo scientia, quæ inter habitus intellectuales est, non est virtus.*

Thomas, prima 2. q. 57. art. 1. distinctione utitur, docetque habitum aliquem dici virtutem duobus modis: *uno*, quia facultatem bene operandi confert: *altero*, quia, præter collatam bene operandi facultatem, etiam ad usum bonum dirigit. Hac præmissa distinctione, habitus *intellectuales speculativos* affirmat virtutes dici *priori*, non *posteriori* modo: quia per se ad usum civiliter & moraliter bonum non dirigunt, ut virtutes morales, quæ voluntatem & appetitum perficientes, etiam *speculativos habitus* in bonum usum dirigunt: quibus pessime abutuntur maligni spiritus, omnis justitiæ, sanctitatis & charitatis expertes.

§. 18. Patet hinc solutio trium adversus receptam sententiam exceptionum. *Secunda* & *tertia* conceduntur non de virtute in genere: sed de virtute secundo modo dicta, cujus species non sunt habitus speculativi.

Prima propositio non est universaliter vera: *probatio* ejus est inconsequens. Latius patet *operativum*, quam *practicum*, vel *operatio*, quàm *praxis*: illa enim & internam & externam actionem opusque complectitur, & mentis speculationem seu contemplationem quoque includit: nam & hæc est intellectus operatio seu actio. *Hac theoria seu contemplationi* contra distinguitur, & opus respicit, ad quod per se præcedens actio seu cognitio dirigitur: veluti cognitio virtutis moralis tota ad praxin moralem dirigi debet: unde virtute morali præditus dicitur, non qui virtutis naturam & officia novit, sed qui ipso opere exprimit, & secundum virtutis præscriptum vivit. Aliter se res habet in *habitibus speculativis*, qui per se ad praxin propriam non diriguntur, & præter contemplationem opus aliud non intendunt. Vide quoque *Hornejum*, Eth. lib. 3. cap. 1. n. 2.

§. 19. Quæritur (4) *An ad Ethicum pertineat agere de virtutibus intellectualibus, præsertim speculativis?*

Resp. Quæstionem hanc tractat *Piccolomineus*, Grad. 5. cap. 4. ubi diversas *Aristotelis* & Interpretum sententias attingit, & excutit. Et quidem in Ethicis agere *Aristotelem* de habitibus quoque intellectualibus, palam est: quem ut & alios secuti *Peri-*

pateticos de hisce habitibus appendicem doctrinæ morali subjicere voluimus; quamvis, excepta prudentia, omnes *Autor* noster in institutionibus suis Ethicis præterierit: à quo, non obstante hac appendice, non adeo dissentimus.

§. 20. *Piccolominei* sententiam sequentibus complectimur assertionibus.

(1) *Omnes habitus pertinent ad Logicum, respectu modi & instrumentorum, quibus acquiruntur: etsi proprie ad eum pertinet scientia & opinio.*

Ratio. Quia omnis argumentatio scientiam firmam aut opinionem parit.

(2) *Omnes habitus pertinent ad Physicum: quatenus ad eum pertinet loqui de anima, de ejus facultatibus & operibus, ex quibus vel in quibus prodeunt, aut recipiuntur habitus.*

(3) *Civilis Philosophus tenetur omnes habitus cognoscere.*

Ratio est: Quia ejus officium est humanas actiones componere, hominem ad summum bonum dirigere, ad quod omnes conspirant mentis habitus: idque tenetur facere, ut ordinem statuat inter hominum gradus & conditiones, eas inter se comparando, honores recte decernendo, ut valeat utrumque summi boni gradum cognoscere & inter se comparare: quorum unus in actione, alter in comtemplatione consistit.

§. 21. Brevius alii: *Virtutes intellectuales pertinent ad Physicam, ratione subjecti quod est mens, cui inhærent. Ad Metaphysicam, ratione absolutæ cognitionis & divisionis Entis. Ad Logicam, ratione modi sciendi. Ad Ethicam, quatenus summum bonum respiciunt. Summa huc redit: Ethica sibi jure vendicare virtutes has videtur.*

(1) *Quia Ethicæ disciplinæ est proprium considerare summum bonum: adeoque & media ad hoc bonum pertinentia, inter quæ virtutes quoque sunt intellectuales.*

(2) *Ethicæ est agere de prudentia, quæ habitus est intellectualis. Ergo & de reliquis habitibus intellectualibus.*

(3) *Ethica ordinem statuit inter hominum gradus & conditiones, eas inter se comparando, honores recte decernendo,* &c. Ergo.

(4) *Ethica de omnibus agit virtutibus. Ergo etiam de intellectualibus.*

(5) *Intellectus & voluntas, virtutum subjecta, sunt inter se connexa. Ergo & harum facultatum virtutes connexa sunt & connexim debent doceri.*

§. 22. Sententiam nostram duabus assertionibus explicamus.

(1) *Ad Ethicum pertinet agere de prudentia, virtute intellectuali.*

lectuali. Extra controversiam hæc est assertio: siquidem prudentia quasi anima & directrix est omnium virtutum moralium; Unde ab autore nostro supra, cap. 5. th. 12. legum intelligentia & electio fuit appellata, & definita cognitio recte agendorum. Atqui virtutum moralium norma lex est. Siquidem supra definita virtus, *propositum vivendi secundum legem.* Unde patet virtutum moralium exercitia non posse esse sine prudentia singulas actionum virtuosarum circumstantias moderante: adeoque Ethicum de prudentia homogeneè præcipere.

(2) *De reliquis virtutibus intellectualibus, intelligentia, scientia, sapientia & arte præcipere, ad Ethicum æque non pertinet.*

Dissentimus heic ab iis, qui ducem *Aristotelem* sequuntur. *Rationes* assertionis nostræ sunt hæ:

(1) Ethicus, tanquam Philosophus practicus, non agit nisi de felicitate practica, adeoque non nisi de mediis ad *felicitatem practicam*, quam moralem & civilem appellamus, ducentibus. Atqui hujus media non sunt virtutes intellectuales contemplativæ, quæ non ad *practicam*, sed *theoreticam* felicitatem ducunt. Non igitur magis ad *Ethicum* pertinet præcipere de habitibus intellectualibus contemplativis, quam ad *Metaphysicum*, *Physicum* & *Mathematicum* de habitibus moralibus practicis.

(2) Si de mediis ad felicitatem theoreticam ducentibus præcipere deberet *Ethicus*, utique de *metaphysica*, *physica* & *mathematica* scientia præcipiendum ei esset: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. Connexi ratio est, quia felicitatem theoreticam conciliat non tam scientia in genere, quam species scientiæ, *Metaphysica*, *Physica*, &c.

(3) Habitus intellectuales contemplativi per se nec pios nec probos faciunt. Ergo præcipere de iis Ethici non est.

Antecedens patet, quia pessimi quique, imo & impuri Spiritus, pollent intelligentia & sapientia. *Ratio consequentiæ.* Quia ad pietatem & probitatem conciliandam spectant omnia Ethicæ præcepta homogenea. Eadem hac in parte *& artis* est ratio; quæ meliores per se non reddit.

§. 24. Rationes pro contraria sententia adductæ sententiam nostram non affligunt, igitur ad singulas ordine respondemus.

Ad (1) Ethicæ disciplinæ proprium est considerare summum bonum *practicum*, non *theoreticum*: quia disciplina est *practica*, non *theoretica*.

Ad (2) *Negatur consequentia:* Quia longe major est connexio prudentiæ cum virtutibus moralibus, quam reliquarum vir-

 tutum

tutum intellectualium, præsertim *theoreticarum*, imo & *artis*; quamvis sit practicus habitus.

Ad (3) *Antecedens* scrupulo non caret: *Politicæ*, potius videtur esse, vel certe non minus *politicæ*, quam *Ethicæ*, hominum gradus inter se comparare & honores decernere, præsertim publicos: neque tamen propterea ad *Politicum* pertinet de virtutibus intellectualibus theoreticis præcipere. Etsi comparationem illam *Politica* non institueret absque *Ethicæ* adminiculo, uti nec *Ethica* absque *Politicæ* opera. Sunt enim disciplinæ usu conjunctæ, quæ præceptis sunt distinctæ. Deinde & *consequentia* non est solida: siquidem *Ethicus* ordinem statuit inter hominum gradus & conditiones, secundum virtutum moralium merita, ad quæ æstimanda non adeo opus habet vel *arte*, vel *habitibus contemplativis*. Et si maxime iis opus haberet, non tamen de illis in Ethica ideo præciperet: quia, ut ante diximus, usu conjunctæ possunt esse disciplinæ, quæ tamen præceptis sunt distinctæ.

Ad (4) *Antecedens* non conceditur de omnibus in universum virtutibus, præsertim *theoreticis*.

Ad (5) Omnes virtutes & artes, omnesque disciplinæ sunt aliquo modo inter se connexæ, præsertim ratione *subjectorum*, intellectus & voluntatis, inter se connexorum, imo & operarum, quas sibi mutuas tradunt, conjunctarum. Unde veram *Platonis* vocem laudat *Cicero*, de orat *omnem doctrinam ingenuarum & humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri* Et pro *Archia* poeta; *omnes artes*, inquit, *quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur.* Quod & *Tertulliano* visum: *Nulla ars non alterius artis aut mater, aut propinqua est, nulla alterius vacat.* De mutuo omnium usu, *Aristoteles*, lib. Elench. Soph. πᾶσαι αἱ τέχναι χρῶνται κοινοῖς τισι. Neque tamen propterea confundendi artium limites. Interim, appendicis loco, visum nobis adjicere *definitiones*, & *distributiones* virtutum intellectualium, nec non præcipuas de iis controversias, ut Philosophiæ *peripateticæ* studiosis gratificaremur.

§. 25. Quæritur (5) *An virtutes intellectuales possint esse sine moralibus?*

Resp. Distinguendum inter virtutes intellectuales *practicas* & *theoreticas*: *Theoreticæ* sine moralibus citra controversiam esse possunt. Locupletem heic testem habemus experientiam. Siquidem in male moratis plurimis excellens est scientia divinarum & humanarum rerum, quæ sine intelligentia & sapientia, non est: In *spiritibus malis* plurimarum rerum scientia est eximia, pietatis, sanctita-

sanctitatis, & justitiæ nihil. Pertinet huc *improbus servus*, qui voluntatem sui Domini scit & intelligit, quam tamen non facit, Luc. 12. v. 47. cui *Apostolus* attestatur, Rom. 7. 15. 16. &c. Ut igitur virtutum moralium *theoria* potest esse sine *praxi*: Sic & intellectuales habitus contemplativi, sine moralib. practicis: præsertim cum per se ad praxin non dirigant theorici illi habitus.

§. 26. Objicitur in contrarium.

Beatus est homo, qui consequitur sapientiam & qui provehit, intelligentiam: melior est negotiatio ejus negotiatione argenti, & auro effosso proventus ejus &c. Arbor vitæ est prehendentibus eam, denique tenentium eam beatus quisque: Proverb. 3. v. 13. 14. &c. 18. Et: *In malitiosam animam non ingreditur sapientia, neque habitus in corpore, quod subjectum est peccato.* Sapient. 1. v. 4. *Ergo sapientia & intelligentia non sunt sine virtutibus moralibus.*

Ratio consequentiæ. *Quia sine moralibus virtutibus anima est malitiosa: neque sine illis vera est beatitudo, aut corpus peccato non subjectum.*

Resp. *Consequentia* negatur de sapientia & intelligentia, quam *Aristoteles* intelligit & definit, de qua allegata loca non loquuntur: sapientia, quam tantopere prædicat scriptura, non est *theoretica*, sed *practica*, vel certe cum praxi conjuncta: nempe cognitio divinorum mysteriorum conjuncta cum dilectione Dei: quæ non habitat in anima malitiosa & corpore, quod peccato mancipatum est.

§. 27. *Hactenus de virtutibus intellectualibus theoreticis*: practicæ sunt *Ars* & *Prudentia*: de quibus sunt nostræ assertiones.

(1) *Ars potest esse sine virtutibus moralibus.*

Testis *experientia*: Quia præstantissimos artifices interdum pessime moratos videmus. Loquimur autem de arte non in genere sic dicta, cujus speciem nonnulli Ethicam quoque constituunt, sed quæ in specie definitur, ἕξις μετὰ λόγου ποιητική: *Habitus cum ratione effectivus*: ut suo loco videbimus. Nec cum liberalibus, nec cum mechanicis artibus necessario conjunctæ sunt virtutes morales.

§. 28. (2) *Prudentia non est sine virtutibus moralibus.*

Ratio est: Quia prudentia est ratio τῶν πρακτῶν, hoc est, ut *Scholastici* loquuntur, *agibilium*; non tantum quoad universalia, sed & quoad particularia, circa quæ versantur actiones: Circa principia universalia τῶν πρακτῶν recte se habet homo vel per intellectum naturalem principiorum, quo cognoscit homo, non esse facienda mala; vel per practicam aliquam disciplinam. In particularibus

ticularibus ut recte procedat, non sufficit universale principium, in cujus applicatione errari facile potest: sed requiritur habitus, per quem recte judicetur de fine & singularibus actionum ad finem tendentium circumstantiis, adeoque appetitus refrænetur; qui contra prudentiam insurgit, eamque interdum labefactat. Hic vero moralis est habitus, seu virtus. Unde prudentia perfecta non potest esse absque morali virtute. Vide *Thomam*, prima 2. q. 58. art. 5.

§. 29. Excipitur (1) *Ars potest esse sine propria materia: ut faber sine ferro. Ergo & prudentia potest esse sine virtutibus moralibus, quæ sunt materia prudentiæ.*

Resp. Negatur *consequentia*: ratio est: quia virtutes morales sunt amplius aliquid, quam *materia* prudentiæ, & conjunctiores sunt cum habitu prudentiæ, quam ferrum cum habitu fabri: qui etsi acquiri sine ferro non potest, tamen esse sine ferro potest: aliter se habent virtutes morales, quas ut intime pervadit prudentia; Sic & carere iis nequit, sive in habitu, sive in actionibus particularibus earumque finibus considerata: ut ante ostendimus.

§. 30. (2) *Prudentiæ est bene consulere, ut constat ex 6.* Eth. cap. *9. Ergo potest esse sine moralibus virtutibus.*

Ratio *consequentiæ*: Quia multi bene consulunt, qui tamen virtutibus moralibus non sunt præditi.

Resp. Negatur *consequentia*: *probatio* partim falsa, partim inconsequens est. Vix est ut vitiis moralibus inquinati sint boni consiliarii: Cum enim affectibus mancipatam & subjugatam rationem habeant, in eos plerunque propendent & secundum eos consulunt. Neque prudentiæ tantum est bene consulere: sed & bene judicare atque præcipere: quod nisi passionum per virtutes morales removeantur impedimenta, fieri non potest.

§. 31. Quæritur (6) *An virtutes morales possint esse sine intellectualibus.*

Resp. Sententiam nostram duabus assertionibus explicamus & probamus.

(1) *Virtutes morales possunt esse sine scientia, sapientia & arte:* Fidem facit *experientia*, quæ testatur virtutibus moralibus multos esse præditos, qui nec *Physici*, nec *Metaphysici*, nec *Mathematici*, nec *Grammatici*, nec *Logici*, &c. sunt.

(2) *Virtutes morales non possunt esse sine prudentia & intelligentia.*

Ratio est: Quia moralis virtus est ἕξις προαιρετική, *habitus electivus consistens in mediocritate secundum rectam rationem.*

Atqui

Atqui rectam rationem ostendit prudentia ; & alias ad *bonam electionem* duo requiruntur, debita finis intentio : & idoneorum mediorum in finem ordinatio. *Intentio finis* à morali est virtute, quæ ad bonum rationi conveniens voluntatem & appetitum inclinat : *Ordinatio mediorum* fit per rationem recte consulentem, judicantem & præcipientem, quæ prudentiæ est.

Cum prudentia concurrit *intelligentia*, qua principia naturaliter nota in theoreticis & in practicis cognoscuntur : Principia vero illa practica virtutum moralium prima sunt fundamenta & quasi semina.

§. 32. Excipitur (1) *Nonnulli virtutibus moralibus sunt conspicui, in quibus rationis usus non adeo viget : Ergo virtutes morales possunt esse sine intellectualibus, quas rationis virtutes appellant.*

Resp. *Consequens* datur de aliquibus virtutibus intellectualibus : De omnibus, negatur *consequentia* : Quia, ut virtute morali sit præditus, non requiritur ut rationis usus in omnibus vigeat : Sufficit, si in aliquibus, quæ cum virtute morali sunt conjunctiora & prudentiam concernunt : cujus participes sunt etiam simpliciores, qui virtutum se studio & exercitio commendant.

§. 33. (2) *Nonnulli naturalem habent inclinationem ad bene operandum, etiam absque rationis judicio : Ergo virtutes morales possunt esse absque omnibus intellectualibus.*

Resp. Negatur *consequentia* : quia naturalis illa inclinatio ad hanc vel illam virtutem non est ipsa perfecta virtus : sed ejus tantum inchoatio, seu rudimentum : quod excoli & perfici non potest sine adminiculo prudentiæ : ut ante ostendimus.

II.

Virtus intellectualis est speculativa vel practica.

Ἔκθεσις.

§. 1. QUæritur (1) *Unde sit petenda distinctio virtutum intellectualium ?*

Resp. Unde petenda sit *distinctio virtutum intellectualium*, inter Ethicos non adeo convenit. Inprimis vero nobiles duo scholastici Doctores, *Thomas* & *Scotus* inter se dissident : quorum ille ex *fine* petendam distinctionem contendit : *hic*, non ex *fine*, sed ex *objecto*, circa quod versantur.

Rationes pro *Thoma* sententia sunt.

 (1) Quod

(1) Quod est alterius gratia, ab eo, cujus est gratia, recipit conditionem, terminum & distinctionem. Atqui omnes virtutes & habitus sunt alicujus muneris & functionis, tanquam finis gratia: Ergo inde distinctio petenda.

(2) Accedit & hæc ratio: ut causæ conspirant ad rei productionem, ita etiam ad distinctionem. Atqui ad rei productionem ita conspirant, ut finis non pendeat ex aliis, sed origo sit ordinis & directionis cæterarum. Ergo à fine potius, quam ab aliis, petenda distinctio.

§. 2. Hæc quoque *Aristoteli* arrisit sententia, lib. 3. de an. t. 49. & lib. 2. Metaph. 1. 2.

Rationes pro *Scoti* sententia sunt.

(1) *Cujus ratio est prior, ab eo potius petenda distinctio, quam ab eo, cujus posterior est ratio: Atqui objecti ratio est prior ratione finis: Ergo ab objecto potius, quam à fine petenda distinctio.* Assumtio prob. *Quia absolutum est prius relatione, quæ absoluto, tanquam fundamento, nititur*: *Atqui objectum consideratur prius in se, deinde refertur ad finem.*

(2) *In arte & scientia præcedit aliqua conditio interna, per quam arti competit una facultas, quæ repugnat scientiæ; Atqui conditio hæc artis & scientiæ oritur ab aliqua causa priore: quæ intellectus est & objectum. Unde ortum ducit, prima distinctionis ratio, quam sequitur, quæ à fine ducitur.*

(3) *Si distinctio habituum horum petenda est ex fine, quatenus est cognitus, sequitur ex objecto potius, quàm ex fine peti: Atqui verum prius, secundum Thomam: Ergo & posterius.* Connexi ratio est: *quia finis, quatenus cognitus, objecti potius, quam finis, rationem habet.*

§. 5. Tertius intervenit *Piccolomineus*, qui difficultatem per quatuor assertiones resolvit: quarum

(1) *Distinguit virtutes intellectuales per omne genus causæ.*

Ratio est: A quo esse rei pendet, ab eo petenda est distinctio: Atqui esse virtutum intellectualium pendet à quatuor causis: *efficiente, materia, forma, fine*, Ergo, &c. Distinguuntur igitur virtutes intellectuales *efficiente*, hoc est, producente habitum vel operationem: quia practicarum principium est prælectio, reliquarum intellectus. *Materia;* sive per eam intelligamus *subjectum inhærentiæ*, animi facultatem, sive *objectum*, seu *materiam circa quam*: *Forma*: quia formæ sunt alteræ & inter se diversæ. *Fine:* quia proprium habent finem.

(2) *Distinguuntur internis formis.*

Quia per has sunt variæ; veluti omnes aliæ res formis, seu ratione formali differunt.

(3) Ori-

(3) *Origo distinctionis petenda est ex fine.*

Teste *Aristotele*, 2. Metaph. t. 2. Hinc à fine nomen accipiunt, & nomen ab eo sumitur, à quo pendet distinctio.

(4) *Sine propria natura objecti non potest servari distinctio, quæ ex fine petitur.*

Unde colligit, *distinctionem virtutum ducere ortum à fine, proxime autem reperiri in objecto, ratione modi considerandi: qui tamen varius est modus*, pro varietate finis.

§. 4. Tandem, paucis ut nos expediamus, arridet nobis *Thomæ* sententia: adeoque principaliter ex fine petendam esse distinctionem habituum intellectualium arbitramur. Rationes sunt.

(1) Quia, communi Scholarum consensu, habitus intellectuales, ut & disciplinæ omnes aliæ, distinguuntur in *contemplativas* & *practicas*: quam ex fine petitam distinctionem res ipsa loquitur: siquidem finis disciplinæ, vel habitus contemplativi, est *Theoria*, vel contemplatio, finis habitus practici vel activi, *praxis*. Tendit hîc quoque ratio pro assertione tertia allata.

(2) Quia distinctio ex *efficiente*, *materia & forma* non adeo est evidens. Siquidem principium habituum practicorum non tantum est prælectio, sed & intellectus aliquo modo: nullius enim rei paratur cognitio & habitus absque intellectu. Sic ad comparandos habitus contemplativos concurrit quoque prælectio quædam.

Neque ex *materia in qua* & *circa quam*, principaliter peti potest distinctio. *In qua*, seu *subjectum inhærentiæ*, est intellectus omnium habituum intellectualium, ut supra probavimus, ad thes. 1. q. 2. unde & *intellectuales* apellantur: quo spectat quoque definitio intellectualis habitus. θ 1. tradita & in scholis *peripateticis* recepta. *Circa quam*, seu objectum, principaliter non distinguit: quia idem potest esse objectum variorum habituum: veluti hominem considerat *Physica, Medicina, Ethica.*

Si excipias: *In eodem objecto esse varium considerandi modum, adeoque hominem aliter à Physico, aliter à Medico, aliter ab Ethico considerari.*

Resp. Ita tandem distinctio devolvitur ad finem, tanquam originem distinctionis: quia considerandi modus varius à varietate finis desumitur.

Denique *Forma* habitibus improprie tribuitur, & *formalis* quoque *ratio* non adeo est ab habitibus distincta.

Referendæ huc quoq; rationes *Thomæ*, quas paulo ante produximus. Videatur & *Pererius*, de princip. lib. 1. cap. 3. & *Fonseca*, lib. 6. Metaph. cap. 1. q. 5. s. 5.

§. 6. Ad

§. 6. Ad *Scoti* rationes pro objecto breviter ita respondemus. Ad (1) *Assumtio* simpliciter vera non est: *probatio* est inconsequens: distinguendum est inter objectum *materialiter*, & *absolute* consideratum, seu ad certam disciplinam non relatum, & inter objectum *formaliter & relate* consideratum, seu ad certam disciplinam relatum. *Priori* modo ratio *objecti* est quidem prior ratione *finis*: attamen distinguere habitus & disciplinas non potest: quia sine relatione ad habitus, seu disciplinas, consideratur: Atqui principium distinctionis ab eo desumendum, quod ad habitum actu relatum est.

Posteriori modo ratio *finis* est prior ratione *objecti*: quia per finem objectum formale suum & considerandi modum sortitur, indeque potiori ratione distinctio, quam ab objecto petitur.

Ad (2) Ratio hoc tantum evincit: *non posse servari distinctionem sine propria natura objecti*: ut quarta habuit *assertio*: In *objecto* vero primam esse rationem & originem distinctionis, non evincit.

Ad (3) *Connexum* negatur: probatio simpliciter vera non est: potest & *finis* & *objectum* cognosci, ita ut nec *finis* in objectum, nec *objectum* in finem mutetur: videatur Aristor. 2. Phys. in fin. & lib. 2. de an. t. 49. Interim & *finis* quandoque *objecti* rationem habet: & tum distinctio petitur ex objecto rationem finis habente.

§. 7. Quæritur (2) *An virtus intellectualis recte distinguatur in speculativam & practicam.*

Resp. Ante, quam ad quæstionem respondeamus, termini breviter sunt explicandi. *Theoria* seu *speculatio*, unde habitus appellatur speculativus, est actio intellectus, cujus finis est sola cognitio rei, circa quam versatur, vel quæ in sola veri consistit cognitione, nec ulterius progreditur, vel dirigitur ad actionem, seu opus à cognitione distinctum. *Praxis*, unde habitus appellatur practicus, est actio alterius ab intellectu distinctæ facultatis, ad quam præcedens intellectus actio, seu cognitio, per se dirigitur, tanquam ad opus distinctum. Unde *habitus theoreticus* seu *speculativus*, principium est cognitionis ad opus aliud proprium per se non dirigentis: ut *Metaphysica*, *Physica*, &c. *Practicus habitus* principium est cognitionis ad opus aliud proprium per se dirigentis, ut *Ethica*, *Politica*, &c. Neque enim *Ethicæ* damus operam, ut virtutis moralis naturam tantum cognoscamus, sed ut cognitionem hanc ad praxin, hoc est, actiones virtuosas, transferamus. *Physicam* vero discimus, ut naturæ cognoscamus opera, non ut iis producendis nos exerceamus, quæ nec produci à nobis possunt.

§. 8. Hisce

§. 8. Hisce præmissis, quæstionis *affirmativam* defendimus sequentibus argumentis.

(1) Virtutis intellectualis subjectum est intellectus. Atqui intellectus est duplex, speculativus & practicus: Aristot. lib. 6. Eth. cap. 1. & lib. 3. de an. cap. 9. t. 46. & cap. 10. t. 49. Ergo virtus quoque ejus est speculativa vel practica.

(2) Philosophia distinguitur in speculativam & practicam. Ergo & habitus intellectuales. *Ratio consequentiæ:* quia habitus intellectuales sunt genera partium Philosophiæ.

(3) Felicitas hominis est speculativa & practica, lib. 10. Eth. cap. 7. Ergo habitus quoque intellectuales sunt speculativi & practici: *Ratio consequentiæ*: habitus intellectuales sunt media ad felicitatem comparandam.

(4) Objecta habituum intellectualium sunt vel cognoscibilia tantum, vel cognoscibilia & producibilia simul: Ergo habituum alii sunt speculativi alii practici. *Ratio conseq.* quia cognoscibilia tantum requirunt habitus contemplativos: cognoscibilia & producibilia simul practicos.

(5) Habituum intellectualium aliorum finis est sola cognitio, aliorum, propter cognitionem, operatio, quam *praxin* appellamus: Ergo recte distinguuntur in speculativos & practicos: quorum illi sola acquiescunt cognitione: hi præter cognitionem opus intendunt: *Ratio conseq.* Quia habituum distinctio ex fine petenda est: ut ante ostendimus.

Objicitur in contrarium.

§. 9. (1) *Respectivum non potest esse differentia absoluti: Ergo speculativum & practicum non sunt legitimæ differentiæ habituum:* Ratio consequentiæ *quia habitus* sunt *entia absoluta in prædicamento qualitatis: speculativum & practicum sunt respectiva.*

Resp. Negatur consequentia: *Ratio* partim *falsitatis*, partim *inconsequentiæ* vitio laborat. Habitus non tantum est ens absolutum: sed & certo respectu relatum: quatenus ad objectum suum cognoscibile refertur: quo modo & *objecta* relationem subeunt, quando ad habitus suos referuntur. Ut enim scientia est scibilis, sic & scibile scientiæ: quæ relata appellantur secundum dici.

§. 10. (2) *Si speculativum & practicum differentiæ essent specificæ habituum, idem habitus non esset speculativus & practicus simul: veluti quia homo & brutum sunt species animalis, idem animal simul non potest esse homo & brutum; Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.* Assumtio prob. *quia Medicina communiter dividitur in speculativam & practicam.*

Resp. *Thomas Connexi* negat consequentiam: quia eodem modo

modo non accipiuntur *speculativum* & *practicum*, quando habitus in genere per hujusmodi differentias distinguuntur, & quando unus aliquis habitus specialis, exempli gratia, *Medicina*, respectu diversarum partium, distinguitur in speculativum & practicum: Habitus enim *in genere* sic distinguuntur, ratione ultimi finis, in quo natura sua acquiescit habitus: qui est vel sola cognitio, vel, præter cognitionem, aliquod opus seu operatio. Habitus vero *specialis*, nempe *Medicina*, simul practicus & theoreticus esse dicitur, non ratione ultimi finis, sed ratione diversarum partium; quarum *alia* à praxi est remotior, cujusmodi in *medicina* est pars *pathologica*, de corporis humani constitutione sanitate, morbo, &c. *alia* propinquior; qualis est *therapeutica* de morborum curationibus per hæc vel illa remedia: Etsi ex ultimo fine æstimata *Medicina* non est nisi practica: quia *Pathologica* tendit ad *therapeuticam*.

Igitur recte quoque negari potest *assumtio*: siquidem *medicinæ* in speculativam & practicam distributio, quamvis sit communis, tamen legitima non est: quia etiam *pathologica* est practica, cum ad praxin dirigatur.

§. 11. (3) *Potest aliquis habitum eundem sibi comparare, solius scientiæ & cognitionis gratia, alius operis alicujus & praxis causa: Ergo practicum & speculativum non sunt differentiæ reales & essentiales habituum*: Anteced. *probatur exemplo Medicinæ, quam alii theoriæ tantum gratia, alii propter praxin discunt: unde illis est theoretica, his practica: adeoque mere accidentales & mutabiles hæ sunt differentiæ.*

Resp. Negatur *consequentia*: Quia finis disciplinæ æstimandus non est ex intentione & voluntate discentis, quæ contingens, varia & mutabilis: sed ex eo, ad quod per se ordinatur habitus, & cujus gratia primum est constitutus, disciturque communiter.

III.

Speculativa est, quæ res necessarias cognitionis gratia investigat. Estq; simplex vel composita.

Ἔκθεσις.

OBjectum virtutis speculativæ sunt res necessariæ, quæ arbitrio humano non sunt subjectæ, quales sunt res naturales pleræque. *Finis* est cognitio ad praxin non relata: ut ante diximus. Virtutem vero habitualem speculativam quando in *simpli-*

cem

cem & compositam diſtinguimus, receptam ſequimur ſententiam; de qua ſuo deinceps loco.

IV.

Virtus ſpeculativa ſimplex eſt, quæ ex ſimplici habitu res cognoſcit, eſtq́ intelligentia vel ſcientia.

V.

Intelligentia eſt habitus mentis ſimplex, quo principia prima ſcientiarum & actionum cognoſcimus, iiſq́ aſſentimur.

Ἔκθεσις.

OBjectum intelligentiæ ſunt principia & axiomata artium & ſcientiarum, quæ vulgo *κοιναὶ ἔννοιαι*, communes notiones, *principia nobiſcum nata*, appellantur, & ab hoc habitu excoluntur & perficiuntur.

Hujuſmodi principia ſunt: *quodlibet eſt vel non eſt, totum eſt majus ſua parte: Deus eſt colendus, benefactoribus referenda gratia*, &c. de quibus ſupra etiam fuit actum. *Piccolomineus* intelligentiam definit, *habitum humanæ mentis quo perinde atque oculo, prima cum actionum, tum contemplationis principia intuemur.*

§. 2. Quæritur (1) *An habitus intelligentiæ ſit neceſſarius?*

Reſp. *Affirmativam* defendimus ſequentibus argumentis.

(1) Quia apprehenſio primorum principiorum eſt prima mentis actio, quæ ita ad reliquas virtutes ſe habet, ut mens ad univerſam animam. Ab intelligentia igitur ſejunctæ virtutes aliæ quaſi luce, oculo & mente videri poſſunt deſtitutæ.

(2) Si nulla eſſet primorum principiorum cognitio, nullis rei aſſequi ſcientiam poſſemus: quia, primis ignoratis, perfecte nihil ſcitur.

(3) Quia mens explicare ſe per ratiocinationem, abſque hoc habitu, non poſſet: expoſcit enim ratiocinatio prænotionem definiti alicujus Principii, per quod in aliorum perveniat notitiam.

(4) Quia ignorantia primorum principiorum hominem quaſi in brutum transformat, imaginis divinæ delet veſtigia, & conſcientiæ vim quaſi abolet, quam primorum principiorum notitia & applicatio ſuſcitat.

§. 3. Objicitur. *Multi carent habitu intelligentiæ, ſeu, notitia primorum principiorum: qui tamen homines propterea non eſſe deſinunt. Ergo habitus ille non eſt plane neceſſarius. Antecedens conſtat*

stat exemplis rusticorum & multorum simplicium atque plebejorum.

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est: Qui usum rationis habet, nemo omnia ignorat principia prima: siquidem κοιναὶ sunt ἔννοιαι, quæ omnibus creduntur esse innatæ, & cum ipso rationis usu se produnt, nulla præeunte institutione, etiam in ipsis barbaris vitam quasi bestialem viventibus. Est hæc lex inscripta gentium cordibus, cui in plurimis sua conformant facta, ut *Apostolus* testatur ad Rom. 2. v. 2. *Consequentia* quoque nulla est: sic enim & virtutum moralium habitus necessarii non essent, quia perdita vitiorum mancipia plurima iis carent.

§. 4. Quæritur (2) *An intelligentia sit mentis virtus?*

Resp. *Affirmativa* defenditur his argumentis.

(1) Habitus flectens mentem ad firmiter assentiendum iis, quæ demonstrari nequeunt, est virtus mentis, seu intellectus: Atqui intelligentia est hujusmodi habitus. Ergo virtus mentis, seu intellectus est.

(2) Habitus mentem perficiens, bonum & perfectum opus reddens, & intellectum ad summum verumque bonum trahens est virtus. Hujusmodi habitus est intelligentia. Ergo, &c.

§. 5. Objicitur (1) *Omnis virtus versatur circa difficile: Intelligentia non versatur circa difficile. Ergo non est virtus. Assumtio* prob. *Quia facile est credere principia esse.*

Resp. *Assumtio* negatur: *Probatio* est inconsequens: Quia per intelligentiam non credimus tantum principia esse, sed etiam vim eorum plane perspectam habemus & ex effectis eadem probamus: quod difficile & omnibus non est obvium.

§. 6. (2) *Intelligentia est animi potentia ad assentiendum veris principiis per se satis efficax. Ergo non est virtus.* Ratio consequentiæ: *Quia animi potentia est naturalis: virtus non est naturalis, virtus est habitus, animi potentia non est habitus, sed species qualitatis ab habitu distincta.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum est. Intelligentia non accipitur tantum pro *potentia naturali*, sed & pro *potentia habitu acquisito*, ut hoc loco: & etiamsi principia nonnulla per se ita sunt perspicua, ut solo intellectus lumine nativo percipiantur: tamen alia sunt obscuriora & acquisiti habitus requirunt operam, ut perfectius cognoscantur & ex effectis probentur.

§. 7. Quæritur (3) *Quotuplex sit intelligentia?*

Resp. *Piccolomineus* Grad. 5. cap. 18. Intelligentiam ex *objecto* tripliciter distinguit.

(1) Intelligentia est *simplex* vel *complexa: illa* ad primam pertinet

pertinet mentis operationem, quæ est simplicium apprehensio: *ista* ad secundam, quæ est simplicium compositio & unius de altero affirmatio vel negatio. Est igitur *intelligentia simplex* terminorum simplicium: qui vel confusi sunt & generalissimi; ut *Ens, essentia*, cum *modis*, qui sunt *unum, verum, bonum*: vel distincti, & speciales, ut Deus &c. Essentiæ rerum per definitiones explicantur, quæ & ipsæ simplicibus accensentur terminis, quamvis è pluribus sint complicatæ vocibus. Intelligentia *complexa* est *principiorum complexorum*, seu propositionum omnibus hominibus notarum, quas *κοινὰς ἐννοίας* appellari ante diximus. Inter *principia complexa* primum & communissimum, in quod omnia alia resolvuntur, & per quod, ducendo ad absurda, demonstrantur, secundum receptissimam sententiam, hoc est: *De nullo simul vera est affirmatio & negatio*, unde proxime descendit alterum. *De quavis re vera est affirmatio vel negatio.* Eodem & hæc recidunt. *Quodlibet est vel non est: Duo contradictoria non possunt esse simul vera.*

(2) *Intelligentia est principiorum complexorum absolute primorum, vel in aliqua scientia determinata, ut Mathematica, Physica, primorum.*

Illa ad *intelligentiam* in specie sic dictam proprie & absolute pertinent: hæc non item. Unde distinctio hæc non adeo conveniens est. Quid enim attinet intelligentiam distinguere ex objectis, quæ ad intelligentiam non pertinent?

(3) *Intelligentia est principiorum practicorum in iis, quæ ad prudentiam pertinent, vel theoreticorum, quæ sunt demonstrationis & scientiæ.*

§. 8. Quæritur (4) *An intelligentia occupetur quoque circa principia prima practica?*

Resp. *Affirmativam* communiter amplectuntur scholæ: quam etiam tertia intelligentiæ divisio approbat. Ratio est. Quia unus mentis habitus sufficit ad principia prima practica & theoretica cognoscenda, seu mentem ad eorum assensum determinandam: veluti unus Theologiæ habitus sufficit ad assensum præbendum axiomatibus theoreticis & practicis, de Deo, operibus divinis & officiis pietatis atque probitatis.

§. 9. Attamen *contradicunt* alii. Unde *Alstedius* in sua Hexilogia cap. 1. regul. 8. ait, *Intelligentiam differre specie à synteresi, & intelligentiam* definit, Habitum contemplativum, quo homo inclinatur ad firmiter & evidenter assentiendum primis principiis *theoreticis*. *Συντηρήσει* vero, habitum practicum, quo quis redditur propensus ad assentiendum primis principiis *practicis*: de quibus supra, l. 1. c. 4.

Ratio Alstedii est: *Quia objecta intelligentiæ & συντήρησεως differunt specie. : nempe principia theoretica & practica* : *Atqui certa, inquit, est regula: Habitus & actus specie distinguuntur per objecta specie distincta.*

Resp. Atqui habitum eundem versari circa objecta particularia specie distincta, modo tamen considerandi eodem, & habitus diversos versari circa objecta specie eadem, modo tamen considerandi diverso, palam est ex inductione habituum specialium. In *Physica* & *Theologia*, quot sunt objecta specie diversa. *Physica, Medicina & Ethica* pro objecto particulari eundem habent hominem. Igitur considerandi modus & finis potissimum distinguit habitus, *Fonseca*, lib. 6. metaph. cap. 1. q. 2. sect. 3. ad 5.

Atqui modus considerandi, quem observat *intelligentia* circa principia prima *practica* & *theoretica*, idem est. Nam & practica principia considerat *intelligentia*, quatenus cognoscibilia & assensu sunt comprobanda. Unde offert se responsio ad exceptionem.

§. 10. *Si intelligentia pro objecto haberet principia practica, utique habitus esset practicus: Atqui non est habitus practicus: Ergo pro objecto non habet principia practica.*

Resp. Negatur *connexi consequentia*; quia intelligentia considerat principia practica, non quatenus practica, sed quatenus cognoscibilia & assensu comprobanda.

§. 11. Instant: *Atqui intelligentia non est συντήρησις: Quod si vero principia practica consideraret, συντήρησις esset.*

Resp. Unius rei, seu habitus, diversa sunt nomina *intelligentia* & *συντήρησις*. Quod si vero, respectu principiorum theoreticorum, *Intelligentiam* in specie libeat appellare: respectu practicorum *συντήρησιν*, ad rem nihil intererit. Habitus hic utrumque admittit nomen, respectu utrorumque principiorum. *Intelligentia* appellatur, interprete *Alstedio*, quia sine discursu & sine arte, per solum naturale intellectus lumen, producitur: quod tam de practicorum, quam de theoreticorum principiorum cognitione recte dici potest. *συντήρησις* nominatur, eodem interprete, à conservatione principiorum primorum: atqui tam theoretica, quam practica conservantur.

§. 12. Quæritur (5) *An intelligentia attingat prima principia, præsertim theoretica, iisq; assentiatur absq; ullo argumento.*

Resp. *Affirmativam* cum multis aliis amplectitur *Alstedius*. *Proprium*, inquit, *& formale objectum intelligentiæ est veritas immediata theoretica*, hoc est, *principium theoreticum, cujus prædicatum absque ullo medio inhæret subjecto*: Cujusmodi sunt, Deus est. Totum est majus sua parte. Bis duo sunt quatuor. *Hic non pote-*

dar.

dari causa cur ita se res habeat. Unde actus, quo in hac objecta tendit. Intelligentia, est evidens & immediata apprehensio & dijudicatio illorum immediatorum, id est, *simpliciter primorum principiorum: ubi nullum est medium vel apodicticum & necessarium, quale est in scientia; vel dialecticum, seu probabile, quale est in opinione: neque testimonium ullum sive fallibile, sive infallibile.*

§. 13. Quod si hic sit *Alstedii* & aliorum sensus, *objectorum intelligentiæ, hoc est, principiorum illorum communium, præsertim, theoreticorum, probationem dari nullam posse sive necessariam sive probabilem, qua mens de eorum veritate persuadeatur plene omnisque contradictio elidatur; non assentimur.* Ecquod enim quæso, axioma est, pro quo confirmando non aliquod adduci possit argumentum, si non à caussa, saltem ab *effectu* petitum: quo-modo prima intelligentiæ principia probari posse etiam *Piccolomineus* agnoscit & res ipsa loquitur. Si non *ex causa* vel *effectu*, saltem ex alio *inventionis loco* sive *artificiali*, sive *inartificiali*. Exemplo sint principia ab *Alstedio* laudata. *Deum esse*, multi multis argumentis invicte hactenus probarunt Theologi, cum ex *effectis*, tum ex absurdis negativam consequentibus: taceo testimonia cum divina, tum humana, quæ produci passim solent. *Causa*, cur ita se res habeat, non tantum *pro causa proprie & in specie sic dicta* in scholis accipitur, sed in genere quoque pro *ratione*, seu quovis *argumento*, quo fidem assertioni facimus. Sic, *totum esse majus sua parte*, & ipsum probari potest: Quia *totum* includit quantitatem omnium partium, *pars* autem totius quantitatem non includit. Denique, *Bis duo esse quatuor*, & ipsum aliquo modo probari potest.

Nam si quatuor plene resolvi possunt in bis duo, ita ut nihil redundet, nihil desit, sequitur, *Bis duo* esse quatuor. Atqui verum illud: Ergo & hoc. *Practica* quoque *principia* probari posse, extra omne est dubium. Igitur mens, quæ primis illis principiis, sive *theoreticis*, sive *practicis*, assensum præbet, rationem quoque assensus subministrat tam prompte, quam assentitur.

§. 14. Putat *Alstedius*, ad assensum præbendum sufficere notitiam terminorum & species ab intellectu agente impressas patienti: hisce igitur principiorum speciebus informatum intellectum, cognita per eas terminorum significatione, sine ulla arte, sine industria, sine ullo medio vel discursu, assensum præbere, & sic habitum principiorum generari, frequentique repetitione perfici.

Nobis verò ad terminorum notitiam plerunque *ratio connexionis* quoque videtur accedere, quæ ex terminorum depromitur notitiâ, ita tamen promtè & expeditè, ut doctore opus non habeat ad investigandam eam mens, & omnibus nota dicantur hæc principia, omnibusque probata, quia *connexionis* seu *compositionis* omnibus rationem aliquam, sine ullâ laboriosâ meditatione, mens subministrat.

§. 15. Hoc etiam observetur, *non omnia principia practica, quæ vulgò communia dicuntur, æquè esse prima & nota; sed alia per alia posse probari*: Exempli gratia: κοινὴ ἔννοια est: *Parentes esse amandos*: quæ evidenter probatur per κοινὴν ἔννοιαν aliam, *Benefactoribus referenda gratia.* Sunt enim parentes nostri benefactores & fautores maximi.

§. 16. Quæritur (6) *An intelligentia habitus constituat peculiarem quandam disciplinam.*

Resp. *Affirmativam* magno conatu adstruit *Georgius Gutkius*, Scholæ *Berlinensis* Rector, qui novam *Intelligentiæ disciplinam* parturit & hac specie *Cyclopædiam* augendam & exornandam judicat, peculiari tractatu, de *habitu principiorum primorum*, seu *intelligentiâ*, quem edidit, Anno 1625. in quo partem hujus novæ disciplinæ *generalem* absolvit capitib. quatuor, quib. subjectum hujus disciplinæ & affectiones ejus explicat: *Specialem* novem capitibus.

Subjectum hujus disciplinæ constituit: quoad *materiale*, subtilitatem rerum; quoad *formale*, quatenus ex eâ fluunt prima cognoscendi principia. Unde ex hoc *objecto* exstruitur definitio intelligentiæ: *Habitus intellectualis principalis contemplans subtilitatem, quatenus ex eadem principia cognoscendi fluunt.* Est autem, definitore *Gutkio*, *subtilitas dispositio, qua res propter summam affinitatem & conjunctionem mutuam ita ad se invicem referuntur, ut eam contemplando deprehendamus, cur Deus nec planè sibi simile, nec tamen aliquid à se omnino diversum efficere voluerit, & ita percepta ista affinitate, principia eruamus, quibus accurata & solida cognitio tuto inniti possit*: vel brevius & minus accuratè, *subtilitas est optima & accurata rerum dispositio ex affinitate & conjunctione earundem orta.* Addit, *subtilitatem esse accidens respectivum, cujus fundamentum sit proportionalitas unius creaturæ ad aliam & ad Deum*: Item, *esse relationem secundum esse, cujus terminus sit aptitudo dominandi & gubernandi reliquas disciplinas Philosophicas*: *fundamentum, proportionalitas unius creaturæ ad aliam.*

§. 18. Attributa subtilitatis hujus duo constituit, *veritatem* per

per *repræsentationem*, & *aptitudinem* producendi ideam, seu universalem conceptum: quod negat esse *accidentia*: ait esse *respectus* subtilitatem essentialiter consequentes, eamque denominantes. *Repræsentationis* quinque constituit modos: datur enim repræsentatio (1) *Per fundamentum objectivum limitans intellectum.* (2) *Per remotionem contradictionis:* (3) *Per hominis ad rem aliquam vel objectum relationem ejusque virtutis receptionem.* (4) *Per nudam non repugnantiam obedientialem.* (5) *Per eminentem omnium perfectionum continentiam.*

§. 15. Omnia hæc & alia talia variis theorematib. & axiomatibus declarat, nec non demonstrationibus firmat subtilissimis: de subtilitate enim non nisi subtiliter disputandum. Multa ibi videas & legas de *conceptibus*, de *proportionalibus*, de *abstractionibus*, de *formalibus* & *collatione formalitatum*: nec non de *principiis primis subtilissimis*, quæ partis specialis cap. 2. theorem. 15. recenset sequentia.

1. *Rebus ratione formali specifica forma, ut & genere distinctis distincta quoque tribui debent nomina.*

2. *Generalia generaliter, specialia specialiter sunt apprehendenda.*

3. *Quando neglecta ab autoribus ἀκρίβεια, vel eadem, ob subtilitatem apprehendi non quivit, & post eadem à nobis animadvertitur, tùm multiplicatis rebus, etiã termini multiplicari possunt.*

4. *Oscitantia quadam non contradicendum est venerandæ antiquitati, nec termini artium temerè mutandi.*

Hæc principia subtilissima derivat inventor novæ hujus disciplinæ ex primo abstractionis munere &c.

§. 20. Plura huc transferre nostri non est instituti: sufficiunt hæc ad gustum præbendum & tantarum subtilitatum desiderium lectori excitandum: ubi tamen haud immeritò mireris, qui jam olim subtilissima hæc principia innotescere potuerint Logicis omnibus, qui tamen de hac *subtilissima disciplina* & de *subtilissimis conceptibus, proportionalitatibus, abstractionibus, formalitatibus* & *collatione formalitatum* nihil unquam acceperunt. Nos ut gloriam novæ hujus disciplinæ autori non invidemus, sic æquis eâ animis caruisse hucusque scholas Philosophicas & porrò cariturus arbitramur: Sufficiat nos scire & juventutem docere, *intelligentiam esse habitum primorum principiorum theoreticorum & practicorum*, ex quibuscunque tandem illa ortum trahat subtilitatibus, abstractionibus, proportionalitatibus, conceptibus, formalitatibus, &c. veluti & Scholæ nostræ Philosophicæ hodie non implorant opem *formalitatum Scoti.*

§. 21. Ex Logica vero *Aristotelis* ea promanasse non mirabuntur ii, qui *Aristotelis* Logicam esse Dei Logicam ex hoc ipso autore didicerint, in præloq. contemplat. subtil. Unde impietatis & blasphemiæ damnandus fuerit Ramus, quod Logicæ *Aristotelis* se opposuerit & in multis eam castigarit: quæ tamen ipsi dica, hoc nomine, à *Peripateticis* hactenus non est scripta. Damnandi impietatis quoque fuerint ex *Lutheranis* Theologis & Philosophis multi, qui censuras *Rami* probant & defendunt.

§. 22. Disciplinam hanc novam intelligentialem & inde ortam *Sectam Gutkianam* ferre olim non potuerunt Philosophi *Wittenbergenses*, & in iis potissimum *Jacobus Martini*: quibus facile assentior: etsi recentem partum rationibus potius, quàm invectivis oppugnandum arbitror.

§. 23. Quæritur (7) *An dentur κοιναὶ ἔννοιαι, seu principia quædam practica & theoretica nobiscum nata?*

Resp. *Negativam* nonnulli tuentur freti *experientia*, *ratione* & *autoritate*.

(1) *Experientia* testatur, cum rerum omnium ignorantiâ nasci hominem; & primis quidem infantiæ annis bruto non absimilem: postmodum verò, quando ratio se exerit, ante institutionem & cum hominibus politis cultisque conversationem, rerum divinarum humanarumque rudem. Unde prima parentum cura esse debet de tenellis liberorum animis verâ Dei notitiâ imbuendis & ad virtutem informandis; quæ cum populis multis olim non contigerit felicitas, in crassissimâ rerum divinarum humanarumque ignorantiâ vitam consumserunt: ut constat de novi orbis barbaris, *Brasilianis* & aliis, qui ante centum & triginta vel quadraginta annos demum nobis innotuerunt. Accedit, quod ex Philosophis quoque nonnulli Deum, alii providentiam divinam negaverint: quod utique facturi non fuissent, Si Deum esse & humana curare omnibus natura notum esset. Quod enim natura notum est, id omnibus notum est.

Hinc *Ostorodius* hæreticus negat à natura, vel ex creaturarum contemplatione, Deum cognosci: sed tantum fama de Deo extrinsecus addiscere homines, quod aliquis sit Deus: quia nempe ab initio se hominibus patefecit. Quo sensu *Apostolus* quoque videtur dicere, *Ephesios olim fuisse absque Deo in mundo:* cap. 2. v. 12.

§. 24. (2) *Ratio* quoque idem videtur evincere. Nihil est in intellectu, quod antea non fuerit in sensu: siquidem sensus janua est, per quam in intellectum ingreditur notitia. Atqui per naturam

turam nihil est in sensu, nullius rei sensibilis congenitam habet speciem. Quo referendum illud *Pauli*, Rom. 10. v. 14. *Quomodo credent ei, de quo non audierint? Quomodo audient absque prædicante?*

Neque mentis habitus natura nobis insunt, sed acquiruntur institutione & usu, quem in finem præcepta sunt inventa & constituta.

§. 25. (3) *Authoritas Aristotelis* heic allegari quoque solet, qui lib. 3. de an. cap. 4. scribit, animam esse instar *tabulæ* à prima sua origine, cui actu nihil inscriptum; sic & mentem humanam *libro* similem esse docet *Plato*, cui nihil inscriptum, inscribi tamen possunt omnia.

Pro *affirmativa* militant quoque argumenta ab *experientia*, *ratione* & *autoritate* depromta.

§. 26. Ad *experientiam* provocat *Cicero*, lib. 1. de N. D. *Quæ est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum?* Neque ulla unquam tam barbara & ab omni humanitatis sensu aliena gens est reperta, quæ non aliquem Deum agnoverit & coluerit? Quamvis nec verum agnoverit, nec recte coluerit. Neque reperta est ulla, in qua omnia in universum obliterata & deleta fuerint communium notionum vestigia: quæ principiis *practicis* & *theoreticis* communibus assensum non præbuerit & etiamnum præbeat: cujusmodi sunt, *Deus est*, *nihil simul verum & falsum est*, *bis duo sunt quatuor* &c. *turpia sunt fugienda*; *parentes honorandi*, *benefactoribus rependenda gratia*. *Quod tibi fieri non vis, alteri faciendum non est*, &c. Quæ qui negat, insanum esse omnes judicant sani.

§. 27. *Ratio* evincit idem. Quia mentis humanæ divinitas esset nulla, nisi à natura lucem haberet insitam, qua simulatque per corporis impedimenta explicare se potest, ratiocinari posset, & per se, absque institutione, aut externa revelatione principia quædam & axiomata cum *theoretica* tum *practica* intra se formare, earumque veritatem agnoscere: quæ prima essent disciplinarum homini propriarum fundamenta. Requirit insitam hanc lucem & vim *imago Dei*, ad quam condita est hominis anima quæ ante lapsum integra fuit & in infantibus quoque, si absque lapsu fuisset, integra fuisset mansura, & per ætatis incrementa demum se explicatura, etiam absque institutione. Hæc imago Dei etsi per lapsum admodum afflicta, tamen ita penitus non fuit deleta, quin reliqua ejus manserint insignia nonnulla vestigia, quæ se exerunt, simulatque se ratio exerit.

Quod nisi humanæ des menti, infra brutæ animæ sortem eam depresseris: cui à natura quasi solertiam quandam videmus impressam, qua, absq; assuefactione & institutione, opera molitur mirabilia, ut videre est in aviculis cantillantibus, nidificantibus, pullos excludentibus, alentibus & singulares escas deligentibus: quæ omnia fieri *ex naturæ instinctu* dicuntur: qui non est nisi habitus quidam naturalis brutæ impressus animæ, qui, sensuum accedente ministerio, se exerit: neque minus habet admirationis in natura bruta, quam *κοιναὶ ἔννοιαι* in natura rationali: quas qui menti negat inscribi posse, neget quoque *concupiscentiam originalem* posse imprimi, quæ in omnia peccata se tandem diffundat.

§. 28. *Autoritas* denique divina accedit, quæ *Apostoli* est ad Rom. 2. v. 14. 15. ubi ait, *gentes habere opus legis scriptum in cordibus, indeque natura, quæ legis sunt, facere.* Unde *Hieronym.* in epist. ad *Demetriad: Est in animis nostris quædam sanctitas naturalis à Deo impressa, quæ veluti in arce animi residens pravi & recti judicium exercet.*

Hoc sententiarum *dissidium* distinctione componendum est; *κοιναὶ ἔννοιαι* menti humanæ natura sunt impressæ, seu inscriptæ, non actu primo, per modum habitus proprie dicti, sed potentia quadam propinqua; quæ etsi sine institutione, tamen non sine sensuum ministerio objecta offerente, actu secundo se potest exerere, & cognitis simplicibus terminis axiomata sive *theorica*, sive *practica* formare, iisque assentiri: veluti & *potentiæ visivæ* impressa est vis discernendi colores, quæ tamen actu se nequit exerere, nisi accedente ministerio organi visorii, hoc est, oculi, speciem sensilem recipientis & facultati visivæ offerentis. Sic igitur, simulatque per ætatem ratione uti homo potest, & quid sint parentes, quid venerari, noverit, principium hoc format practicum, *parentibus debetur veneratio*, eique, sine ulla alia demonstratione & informatione, assentitur. Etiamsi, ut aliorum principiorum sive *theoreticorum* sive *practicorum*, sic & hujus aliquam dari posse probationem, quæ non sit cuivis obvia, facile damus, ut præcedenti quæstione ostendimus. Hunc sensum adstruunt fundamenta pro *affirmativa* allata; quem non destruunt, quæ pro *negativa* sunt adducta.

§. 30. *Experientiam* quod attinet, paucis ad momenta præcipua respondemus.

(1) Rerum divinarum humanarumque ignorantia, quæ ante institutionem inhæret, non excludit *κοινὰς ἐννοίας* & *principia theoretica* & *practica*, eo, quem diximus, sensu nobis impressa,

seu per

ſeu per naturam inſcripta. Siquidem ad explicatam rerum divinarum humanarumque notitiam plura requiruntur, quam *principia theoretica* & practica, certo modo nobis impreſſa.

(2) Etiam barbaræ novi orbis gentes Deum agnoverunt, etſi verum non agnoverunt, neque plane nulla inter eas ſunt deprehenſa principia, ſive *theoretica*, ſive *practica*.

(3) Qui Deum negarunt, non ex ignorantia, ſed ex malitia negarunt, non ſani, ſed inſani & furioſi fuerunt: qui veritatem in injuſtitia malitioſe detinuerunt, cujuſmodi fuerunt *Protagoras* & *Diagoras*, omnium ſanorum damnati ſuffragiis.

(4) Quod natura notum eſt, id omnibus notum eſt eo modo, quem in approbatione *affirmativa* declaravimus: niſi manifeſtam naturæ vim faciant & eam quaſi expellant & neceſſariis deſtituantur ſubſidiis.

(5) *Oſtorodij* aſſertio falſa & hæretica eſt, contraria ſanæ Philoſophiæ & Theologiæ, diſertæque Pauli ſententiæ, Rom. 1. & 2. *Ratio nobis à Deo data*, inquit *Gregor. Nazianzenus*, Orat. 2. *innata univerſis, primaque in nobis adeo lex omnibus inhærens per eorum, quæ ſub aſpectum cadunt, contemplationem ad Deum deducit*.

(6) *Epheſii* dicuntur olim ſine Deo fuiſſe, non quod Deum eſſe ignoraverint, vel negaverint, ſed quod veram veri Dei notitiam non habuerint. Videatur *Beza* in hunc locum.

§. 31. Ratio quæ adducitur: *Quod nihil ſit in intellectu, quod ante non fuerit in ſenſu:* ſimpliciter & univerſaliter vera non eſt: Sane, ut in prima creatione imago Dei impreſſa fuit animæ intelligenti immediate, abſque miniſterio ſenſuum externorum, quamvis actibus ſecundis non adeo ſe exeruerit, quoad partes omnes, ante miniſterium ſenſuum: ſic & imaginis hujus particulæ poſt lapſum reliquæ eidem immediate inhærent, abſque ſenſuum opera; etſi abſque ſenſibus non adeo ſe poſſunt exerere; veluti & mens hominis proprios ſuos actus in corpore infantili non exerit, propter organorum ei miniſtrantium imperfectionem. Et in adultis quoque rationis uſus quandoque interrumpitur, propter pravam corporeorum organorum diſpoſitionem, ut videre eſt in phreneticis & maniacis.

§. 32. *Autoritas* Ariſtotelis quoque non obſtat. Intellectus *raſa* eſt *tabula*, ratione habituum miniſterio ſenſuum acquirendorum, & ratione ſpecierum ex phantaſmatibus formandarum & intellectui imprimendarum; non ratione *igniculorum* & *legis inſcriptæ*, quæ, cognitis terminis ſimplicibus, axiomata format, ſimulatque objecta offeruntur & alia corporis impedimenta

menta removentur: iisque assentitur absque ulla præeunte demonstratione vel institutione: quamvis assensus tanto sit promptior, quanto crebrior est cogitatio de terminorum compositione & connexionis necessitate: quæ aliis quoque adhibitis argumentis, quandoque probatur. Etsi omnino necessaria non est probatio: quia ab ipso lumine naturali, absque ullo medio, propensi sumus ad assensum principiis præbendum.

§. 33. Eadem, cum hac sexta nostra, est quæstio: *An habitus principiorum sit naturalis, vel per naturam insit?*

Cujus *affirmativam* paucissimi, *negativam* plerique complectuntur. Vide *Suarezium*, Metaph. t. 1. disp. 1. sect. 4. n. 15. & *Conimbricenses*, 1. Post. 1. q. 1. art. 4. Etsi non desunt, qui habitum hunc plane negant, & solam vim intellectivam sufficere putant: quæ omnia à *Conimbricens.* excussa loco allegato vide. Distinguendus est habitus à naturali proclivitate ad habitum: etiamsi habitus nomen quandoque sortitur. Vide quoque *Fonsecam*, Metaph. lib. 9. cap. 5. q. 2.

VI.

Scientia est habitus demonstrativus ex necessariis: Græcè ἕξις ἀποδεικτικὴ ἐξ ἀναγκαίων.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBjectum scientiæ est τὸ ἐπιστητὸν scibile, quod est res necessaria, quæ aliter se habere non potest, ejus cognitio habetur *ex demonstratione*, quæ *syllogismus* esse in schola *Peripatetica* dicitur, *cujus propositiones sunt primæ, immediatæ, priores & notiores, causæ* conclusionis. De *demonstrationis* requisitis & excellentia prolixe & laboriose commentantur *Peripatetici*, ut numeris suis absolutam inde fabricent scientiam, quam sine demonstratione nullam agnoscunt.

§. 2. Sed ad eandem metam longe majori facilitate contendunt alii, qui syllogismo contenti, quoad *materiam*, necessario, cujus tertium argumentum è necessariis depromunt locis inventionis, *causarum* præcipue & *effectorum*, neglectis peculiaribus & prolixis commentariis de *demonstratione* τοῦ ὅτι vel διότι; in scientia constituenda non magis deficiunt, quam qui multa de demonstratione volumina evolverunt vel scripserunt.

§. 3. Definitio *scientiæ*, quam in thesi tradidimus, *Aristotelis* est:

lis est: cum qua conferatur illa *Piccolominei: virtus mentis demonstratione comparata, cujus finis est veritas.* Demonstratione comparari dicit, ut ab intelligentia distinguat, quæ primorum est principiorum, quibus sine demonstratione assentimur. Etsi nonnulla, præsertim *practica* demonstrari quoque videntur posse: imo & *theoretica*, si non à priori, saltem à posteriori, ex effectis. Ex *Ethicorum* præscripto, omnis nostra scientia ad communes conferenda usus, juxta tritum illud:

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Nihil quicquam odiosius est, quam si, ut avari nummis tantum ad numerandum, ita scientiis non nisi ad sciendum utamur. Antisthenes. Jam ad quæstiones pergimus.

§. 4. Quæritur (1) *Quot modis accipiatur scientia.*

Resp. Quatuor potissimum modis: ut observat *Piccolomineus.*

(1) *Pro quavis rei certa cognitione:* undecunque tandem sit illa certitudo, sive ex *sensu*, sive ex *ratione*, sive ex *testimonio*, sive ex *inductione*, sive ex *demonstratione*: ut cum dicimus, nos scire glaciem esse frigidam, nivem albam, lucem non esse substantiam, omne vinum calefacere &c.

(2) *Pro omni mentis habitu semper recto & à cognitione sensuum, habituque semper non recto contradistincto:* quo sensu artem medendi *Galenus* scientiam appellat: ut & civilem disciplinam *Aristoteles*, in procem. Moral. Nicomach.

(3) *Pro omni habitu per demonstrationem acquisito & habitui ad actionem vel effectionem per se dirigenti contradistincto.* Quo sensu *Metaphysica* appellatur scientia, quia è maxime primis procedit. 1. Poster. Ubi *Aristoteles* appellat *scientiam dominam aliarum*, quæ maxime parit scientiam, cum causis utatur ex aliis causis non pendentibus.

(4) *Pro habitu demonstratione comparato, à sapientia distincto.* Quo sensu *Physica* & *Mathematica* appellantur scientiæ, *Metaphysica* vero Sapientia. Quæ hujus loci propria est significatio, secundum Philosophiam *Peripateticam.*

Cum verba, veluti & numi, usu valeant, in hac vocis distinctione facile acquiescimus.

§. 5. Quæritur (2) *Quibus completa scientiæ ratio contineatur & absolvatur.*

Resp. Tribus: *Subjecto; affectionibus propriis & principiis.*

Subjectum appellatur scibile, de quo demonstratur affectio: veluti de corpore naturali motus, quantitas, localitas, qualitas, &c. *Affectiones* sunt proprietates, quas & passiones appellant, quam naturam subjecti necessario sequuntur, & de

& de subjecto demonstrantur, vel inesse ei probantur.

Principia sunt rationes ex loco causarum vel effectorum necessariorum petitæ, quibus affectiones inesse subjecto demonstrantur, uti pluribus docent *Logici* ex libris *posterior. Analyt. Aristot.* Qui igitur novit causam, cur subjecto insit affectio propria, is proprie dicitur scire: Unde tritum illud: *Scire est rem per causam cognoscere.* Vult hoc definitio scientiæ Aristotelica: *Habitus demonstrativus ex necessariis:* hoc est, facultas demonstrandi affectionem propriam de subjecto per rationes necessarias petitas ex loco causarum *efficientium* vel *effectorum*. Unde gemina *demonstratio:* una per *causam efficientem proximam*, quæ vocatur τοῦ διότι: altera per *effectum proprium & necessarium*, quæ vocatur τοῦ ὅτι.

§. 6. Quæritur (3) *An subjectum scientiæ necessario sit incorruptibile, seu immutabile?*

Resp. De *subjecto scientiæ* loquimur, quod ante descripsimus: quod *materiale objectum* alii appellant. Hoc igitur sensu *negativam* defendimus: quamvis *affirmativa* in Scholis vulgo videatur esse receptissima: Ratio nostra est:

Si subjectum scientiæ necessario esset incorruptibile, seu immutabile, de corpore mutabili & corruptibili in *physicis* nulla esset scientia: de rebus *politicis* & *moralibus* nulla: de *geometricis* nulla. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.

Connexi ratio manifesta est. Maximam scientiæ physicæ partem præcipere de *corpore corruptibili*, extra omnem est controversiam: Res *politicas* & *morales* varias & mutabiles esse & ipsum extra controversiam est. *Figuris geometricis* quid mutabilius?

Assumtio manifesta est: dantur enim demonstrationes *physicæ* de elementis (quæ corruptibilia esse in Philosophia peripatetica nemo nescit) & corporibus mistis: dantur *Ethicæ* & *Politicæ:* dantur *Geometricæ:* quæ excellere inter omnes vulgo creduntur. Omnis generis exempla videantur apud *Keckerm.* Syst. log. lib. 3. cap. 14. 15. & alios logicos.

§. 7. Qui vulgo respondent, *singularia esse corruptibilia non universalia, & de universalibus, non de singularibus esse demonstrationes:* receptæ omnium Scholarum sententiæ contradicunt. In *Physicis* enim non corpus naturale singulare, sed universale distribuitur in *incorruptibile* & *corruptibile: corruptibile* in *simplex* & *mistum.* Neque *politica* universalis præcipit de individuis politicis, sed de universalibus: uti nec *Ethica* de virtutum individuis, sed de generibus & speciebus: Competit igitur corruptibilitas singularibus propter universalia, & primo inest universa-

niverſalibus, ſiquidem affectio eſt individuis omnibus communis: &c. adeoque in *Phyſicis*, *Ethicis* & *Politicis* demonſtratur de univerſalibus. Sic & *Ariſtoteles* lib. 1. poſt. cap. 6. docet, *mutata re de quâ eſt ſcientia, vel evaneſcente medio, amitti ſcientiam*: Unde conſtat, etiam, ſecundum *Ariſtotelem*, de re mutabili eſſe ſcientiam.

§. 8. *Atqui*, inquis, *in omnibus Scholis receptiſſima eſt ſententia, ſcientiam eſſe rerum ſummè neceſſariarum & immutabilium, quæ aliter ſe habere non poſſunt.*

Reſp. Si omninò admittenda ſententia illa, ſanè non de *objectis materialibus*, ſeu *ſubjectis concluſionum demonſtrandarum*, ſed de *connexionibus ſubjectorum & prædicatorum* admittenda fuerit. Siquidem neceſſariæ & immutabiles poſſunt eſſe *ſubjectorum & prædicatorum connexiones*: etiamſi *ſubjecta* per ſe non ſunt neceſſaria & immutabilia. Tendit autem ſcientia immediatè, in *connexiones*: quando exiſtenti ſubjecto prædicatum neceſſariò competere demonſtratur. In quo probando & declarando ne diutius moremur, lectorem remittimus ad *Patres Conimbricenſes*, in lib. 1. poſter. anal. cap. 7. q. 1. Art. 1. 2. ubi duæ Patrum obſervandæ concluſiones.

§. 9. (1) *Connexiones rerum etiam corruptibilium inter earum prædicata eſſentialia vel propria ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ſive res exiſtant, ſive non.*

(2) *Objectum ſcientiæ ab Ariſtotele definitæ ſimpliciter eſt neceſſarium. Sunt autem objectum hoc connexiones rerum.*

Utriuſque probationes vide loco allegato. Conſentit *Toletus*, quæſt. 2. proleg. in organ. Ariſtot. reſpon. ad arg. 3.

§. 10. Quæritur (4) *An etiam ſingularium ſit ſcientia?*

Reſp. *Scientiam tantùm eſſe de univerſalibus*, concors eſt Philoſophorum opinio, de ſententiâ *Patrum Conimbr.* Attamen ſingularium quoque nonnullorum dari ſcientiam, & quidem incorruptibilium, qualia *Deus, Sol, Luna*, &c. quæ *μονοδικὰ* ſunt & ſimilia non habent, inſuperque firma ſunt firmitate negativâ; quia ex ſe non intereunt, cum aliis nonnullis affirmat *Alſtedius*, hexilog. cap. 2. Nobis non de incorruptibilibus tantùm, ſed & *corruptibilibus individuis*, ſeu ſingularibus, ſcientia videtur poſſe dari. Sententiæ noſtræ rationes hæ ſunt.

§. 11. (1) Quod affectionem habet de ſubjecto per efficientem proximam vel effectum demonſtrabilem, de eo haberi poteſt ſcientia. Atqui ſingularia non tantum incorruptibilia ſed & corruptibilia affectiones habent de ſubjectis ſuis per cauſas proximas, vel effecta demonſtrabiles, Ergo.

Propoſi-

Propositio est manifesta: quia completa scientiæ ratio tribus continetur, *subjecto, affectione & principio*, ut Quæstione 2. ostendimus.

Assumtio prob. exemplis *Solis* & *Lunæ* aliorumque planetarum, de quibus multa demonstrant *Physici* & *Astronomi*: neque de Deo nihil se posse demonstrare Theologi concedent: De Christo *θεανθρώπῳ* etiam humili & mortali, adversus Judæos & hæreticos multa luculenter iidem demonstrant.

(2) *Si singularia* à scientiis essent excludenda, fieret id, *vel* quia per se primò, quoad existentiam, corrumpuntur, *vel* quia connexiones inter illa & ipsarum prædicata necessariæ non essent, *vel* denique quia singularia non habent prædicata reciproca. His enim rationibus excludi solent singularia à scientiis. Atqui nulla rationum harum obstat. *Non prima*: quia non omnia individua sunt corruptibilia: nec subjectorum corruptibilitas obstat scientiæ; ut ante quæst. 3. ostendimus.

Non secunda: Quia falsum est, nullas esse passiones, vel affectiones individuis inseparabiles, vel cum iis nexu indissolubili conjunctas: Siquidem risibilitas non magis est separabilis à Platone, quam ab homine.

Non tertia, Quia non videtur esse de necessitate subjecti, ut prædicata habeat reciproca: Sufficiunt necessariò & inseparabiliter connexa: neque simpliciter verum est, reciproca nulla habere prædicata: habent enim differentias suas individuantes: in quibus etiam sunt prædicata reciproca, ut constat de Deo, Christo Dei filio, Sole, Lunâ: &c.

§. 12. Excipitur: *Infinita non cadunt sub scientiam: Atqui singularia, seu individua, sunt infinita: Ergo eorum nulla datur scientia.*

Resp. 1. Ad *Proposit*: Infinita, quatenus sunt numero infinita, non cadunt sub scientiam: Interim cadere possunt, respectu unitatum singularum, quæ numero infinitæ infinitum constituunt: quatenus nempe unitates singulæ affectiones habent necessarias de subjectis demonstrabiles: Ubi non attenditur numerus infinitus, sed quod numerum facit infinitum, seu quod in numero infinito, tanquam pars ejus, continetur.

2. *Assumptio* universaliter vera non est: singulari actu infinita nulla sunt: uti nec numerus actu infinitus datur, aut dari potest. Imò nullum singulare est vel potest esse numero infinitum: cum numero non nisi unicum sit, & unum quando esse desinit, singulare esse desinat.

§. 13. Quæritur (5) *An quælibet scientia sit simplex qualitas?*

Resp.

Resp. Quęstio potissimum est de scientiis in specie sic dictis, quæ multarum sunt conclusionum: cujus modi sunt *physica integra*, *metaphysica*, *mathematica*: Per qualitatem simplicem una intelligitur ex multis aliis non aggregata vel composita. Hâc prçmissâ declaratione, quęstionis *negativam* amplectimur cum *Scoto*, ejusque asseclis, quibus cum & *Fonseca* sentit. Quibus integra & totalis scientia multarum qualitatum ordinata est conjunctio. Rationes sunt.

(1) Actus sciendi diversarum conclusionum in eâdem scientia totali semper sunt specie distincti: Ergo & habitus sciendi, qui ex illis actibus oriuntur: *Ratio conseq.* Quia à causis particularibus specie distinctis semper effecta specie distincta generantur: *Antecedens prob.* Quia actus sciendi diversarum conclusionum sive ad diversas sententias totales, sive ad eandem pertinentium, semper à diversis specie antecedentibus gignuntur.

(2) In totali scientiâ multę dantur conclusiones, quę à se invicem planè non pendent: Ubi habitus ex unius conclusionis demonstratione genitus non inclinat ad actum, quo altera demonstratur conclusio. Ergo non possunt esse ejusdem speciei habitus. Alias habitus unus ęquè ad utrumque inclinaret actum.

(3) Si habitus scientię diversarum conclusionum, quarum neutra pendet ab alterâ, in diversis hominibus specie conveniunt, in quemcunque demonstrandi actum unus potest, aut non potest, exire, etiam alter potest aut non potest, si ambo æquè sint perfecti vel imperfecti. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. *Connexi ratio est*: quia eorum, quæ specie conveniunt, quicquid naturaliter unum potest efficere, aut non potest, etiam alterum potest, aut non potest: si utrumque æquè sit perfectum vel imperfectum. *Assumtionem comprobat experientia.* Quia sæpè unus ejusdem scientiæ totalis conclusionem promtè potest demonstrare, quam alter non potest demonstrare: qui vicissim aliam potest demonstrare, quam alter non potest.

(4) Intellectus non determinatur habituali determinatione ad primæ operationis notitias universales diversas, nisi per species intelligibiles speciè diversas. Ergo pari ratione non determinatur etiam habituali determinatione ad notitias diversarum conclusionum demonstrabilium, nisi per habitus scientiarum diversos, quos ex diversis acquirit assensibus demonstrativis.

Antecedens inconfesso est & experientiâ comprobatur, ipsaque ratione. Quod enim indeterminatum est, non potest determinari ad diversa, nisi per diversa.

Pro

Pro affirmativa *Thomas* cum asseclis suis pugnat, hisce rationibus.

§. 14. (1) *Omnis species qualitatis est una qualitas, non plures qualitates: Atqui habitus scientiæ totalis est species qualitatis: Ergo.*

Resp. *Propositio* non conceditur nisi de specie qualitatis proprie dictæ, directo in prædicamento qualitatis positæ. Cujusmodi species qualitatis non est totalis scientia: quæ aggregatum est ex pluribus habitibus, quibus singulæ conclusiones demonstrantur, adeoque non est in prædicamento per se, sed per habitus simplices, ut alia entia aggregata.

§. 15. (2) *Habitus fidei, qui est de multis credibilibus, unus numero est qualitas tota simul infusa: Ergo & scientia totalis, quæ est plurium scibilium, una & simplex est qualitas.*

Resp. Negatur *consequentia*: Quia alia ratio est fidei divinitus infusæ uno momento, alia scientiæ totalis acquisitæ: in qua quot sunt conclusiones demonstratæ, tot etiam sunt media quibus demonstrantur: Unde necessario tot sunt species habituum in totali scientia comprehensæ, quot sunt ejus conclusiones. In fidei habitu etsi multa sunt credibilia: tamen credendi medium est unicum, nempe revelatio divina.

§. 16. (3) *Virtus moralis una & simplex est qualitas, etsi circa objecta versatur diversa circa affectus contrarios ad mediocritatem revocandos. Ergo & scientia totalis una potest esse qualitas, etiamsi variarum est conclusionum.*

Resp. Negatur *consequentia*. Quia alia est virtutis moralis, alia scientiæ totalis ratio; virtus moralis una acquiritur crebris diversisque actibus circa objecta diversa; qui unum tantum simplicemque habitum gignunt: ut constat de *temperantia*, *fortitudine*, *justitia*, &c. Scientia totalis acquiritur diversis actibus, circa diversas conclusiones diversis mediis demonstratas: Unde tot gignuntur simplices scientiæ, quot conclusionum diversarum dantur demonstrationes diversæ: quæ ordinatæ invicem & aggregatæ totalem constituunt scientiam.

§. 17. (4) *Eadem numero potentia versatur circa plura specie objecta, ut potentia visiva circa plures specie colores, & intellectus circa omnes rerum species. Ergo una quoque & simplex esse potest scientia qua circa plura specie objecta versatur, seu quæ multarum est conclusionum.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia alia est ratio habituum, alia potentiarum, quoad objecta. Potentia enim numero una, exempli gratiâ, visiva, intellectiva, ab ipso hominis ortu in se perfecta

perfecta est, & eodem se modo habet ad omnia sua objecta, sub formali ratione unâ quatenus sunt visibilia, vel intelligibilia, per species recipienda: Scientia verò homini naturâ non inest, sed per diversos actus, respectu objectorum diversorum, successivè acquiritur. Unde tot distincti gignuntur habitus, quot distinctæ offeruntur conclusiones distinctis mediis demonstrandæ: qui omnes tandem collecti & ordinati scientiam, seu habitum constituunt totalem ex diversis habitibus partialibus aggregatum. De hac quæstione videantur quoque *Conimbricenses*, in 1. post. Analyt. cap. 23. q. unica, art. 2.

§. 18. Quæritur (6) *An scientia sit reminiscentia?*

Resp. *Negativam* tuentur sequentibus argumentis.

(1) Si scientia esset reminiscentia, utique natura nobis actu inessent omnium scientiarum & artium habitus: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. *Assumtio prob.* Quia cum omnium rerum ignorantia nos nasci testatur experientia: testatur etiam Scriptura: quæ humanæ mentis inscitiam & cæcitatem ubique accusat: quæ culpæ originalis pars magna est.

(2) Magnis laboribus, longoque tempore acquiruntur habitus scientiarum & à multis, per ingenii stuporem, acquiri non possunt. Ergo à prima origine hominibus actu non insunt, nec per solam reminiscentiam excitantur: ad quam tanto labore & tempore non est opus.

(3) Quæ per reminiscentiam intelligimus, ea aliquando nos scivisse recordamur: Qui scientiarum habitus sibi comparant, vel actu scire incipiunt, non recordantur se aliquando scivisse, quæ actu scire incipiunt. Non igitur per reminiscentiam intelligunt & sciunt.

Assumptionem comprobat experientia. Qui discendo parant sibi habitus *Physicæ*, *Metaphysicæ*, *Mathematicæ*, ante institutionem & doctrinam se *Physicos*, *Metaphysicos* & *Mathematicos* fuisse, nullo possunt judicio deprehendere, neque quisquam unquam deprehendit.

(4) Si omnium scientiarum nobis natura inessent habitus, utique ad discenda vera & falsa indifferentes non essemus, sed magis in veritatem congenitam propensi, quam in falsitatem. Atqui consequens est falsum, teste experientia: Ergo & antecedens.

(5) Species intelligibiles scibilium è speciebus formantur sensibilibus: Atqui sensiles species natura nobis non sunt impressæ: Ergo nec intelligibiles, adeoque nec habitus.

(6) Mens humana capax est scientiarum: Ergo per naturam est expers earum: *Ratio conseq.* Quia non dicimur capaces nisi eorum, quorum sumus expertes.

 Affir-

Affirmativam olim in Scholis suis *Plato* propugnavit: qui animas ante corpora à Deo formatas & quidem perfectas, quæ rerum omnium impressas haberent notiones & rationes, sibi persuasit: in corpora verò immissas quasi in campo oblivionis recipi, & prope flumen negligentiæ & ignaviæ, hoc est, fluxum humorum & materiæ, collocatas sui rerumque impressarum oblivisci, adeoque in earum revocandas memoriam per institutionem, credidit.

Sententiæ fundamenta sunt sequentia.

(1) *Animæ ex divina mente prodierunt : Ergo omnium rerum ab ea decoratæ sunt scientia* : Ratio conseq. *Quia nil nisi perfectum à mente divina manat.*

Resp. *Propositione*, si de causâ animæ *efficiente*, non de *materia*, loquatur, concessâ, *consequentia* negatur. *Ratio est inconsequens*: quia varii sunt perfectionis modi & gradus, qui divinis operibus simul semper non insunt: Sed alii aliis succedunt: Perfectæ creantur animæ: quoad essentiam & facultates, non quo ad facultatum habitus, qui studio & labore sunt comparandi. Quicquid vero fuerit de animabus in statu innocentiæ, ante lapsum, creatis: quæ post lapsum creantur, justo Dei judicio originalis justitiæ habitu ipsa creatione privantur propter *Adami* prævaricationem: & hoc respectu non sunt tam perfectæ, quam primorum hominum fuerunt animæ.

§. 20. (2) Animæ corporibus antiquiores ante unionem cum corporibus vitam in tenebris ignorantiæ non duxerunt, omnia igitur prænoverunt, eorumque in corporibus reminiscuntur.

Resp. Hypothesis, de animabus ante corpora creatis & extra corpora aliquandiu viventibus, falsa est.

§. 21. (3) *Omnis homo per naturam ad scientias est proclivis: Ergo necesse est insitas habeat rationes, per quas intus excitetur & facilis ad eas reddatur.* Ratio consequentiæ: *Quia, quæcunque per naturam ad aliquid tendunt, per propriam formam ad id tendunt, veluti gravia deorsum, levia sursum.*

Resp. *Consequens* non evincit scientiam esse reminiscentiam, vel per reminiscentiam acquiri habitus scientiarum: Aliud enim est insitam habere rationem, per quam exciteris, vel per formæ proclivitatem ad aliquid, *exempli* gratia, scientiam tendere: aliud, habitum scientiæ habere impressum formæ seu animæ prius, quàm acquiras. Proclivitas ad scientiam naturalis non arguit scientiæ habitum naturalem.

§. 22. (4) Si homo insertas rationes rerum non haberet, nunquam earum essentiam posset apprehendere : Atqui falsum consequens.

Ergo

Ergo & antecedens. Connexum prob. *Quia tantùm affectiones & accidentia forinsecus se nobis offerunt: Hac verò cum imperfectiora sint essentiâ, nunquam in nobis essentiæ parerent cognitionem, nisi per rationes insertas excitatasque à nobis cognosceretur.*

Respond. *Connexum* negatur. *Probatio* est inconsequens; etiamsi enim affectiones & accidentia, quæ forinsecus immediatè se nobis offerunt, imperfectiora sunt essentiâ, tamen in essentiæ cognitionem, absque insitis rationibus, nos possunt deducere: ex effectis enim in causarum devenitur notitiam; ex propriis in notitiam formarum, unde fluunt.

§. 25. (5) *Quicunque rectè interrogatus rectè respondet, & solâ interrogatione excitatus ex se veram promit sententiam, dicitur reminisci. Atqui omnis homo per naturam rectè affectus est hujusmodi*: Ergo. Assumtionum Plato *probat in famulo: qui rectè interrogatus ex se venit in cognitionem hujus veritatis, ex diametro quadrati quadratum, duplum ejus, cujus erat diameter, constitui.*

Resp. *Assumtio* negatur: Omnes, qui rectè interrogantur, rectè respondere, falsum est: Omnes, qui rectè interrogati rectè respondent, solâ interrogatione excitari ad sententiam veram promendam, & ipsum est falsum. *Probatio* quoque est falsa: Famulus rerum geometricam planè rudis nunquam ex solâ interrogatione veniet in notitiam veritatis istius, nisi interrogatio ipsam responsionem incluserit & subministraverit aliquid, quod investigandæ veritatis occasionem rationi præbeat.

§. 24. (6) *Anima hominis interitui non obnoxia nihil in se novi potest recipere. Ergo habitum quoque de novo non acquirit, sed per reminiscentiam tantum excitat jam olim impressum.*

Resp. *Antecedens* negatur: cui luculenta refragatur experientia.

§. 25. (7) *Scientia docentis non potest parere scientiam in addiscente: Ergo de novo à discente non acquiritur, sed latens tantum excitatur.* Antecedens prob. *Quia scientia non est qualitas efficiens, quæ similem possit producere, ut calor calorem.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* falsa est: Est enim scientiâ qualitas & quidem efficiens, quæ suo modo similem potest in discente producere: etiamsi eadem ipsius non est ratio, quæ caloris: plura enim ad scientiæ, quàm ad caloris propagationem, requiruntur: Scientiam qui docet, principalis ejus in discente est causa: cui tanquam instrumentum accedit docentis scientia; oportet enim eum, qui scientiam docet alteriq; communicat, ipsum quoque esse scientem & habere id, cujus simile communicare al-

 teri vult:

teri vult: Unde tritum illud: *Quodque parum novit, nemo docere potest:* Concurrunt & alia instrumenta, libri, vox, sensus, &c. Neque tamen, ex parte docentis, quicquam hæc omnia proficiunt, nisi discentis quoque accedat attentio, memoria, ratio &c. unde patet longe laboriosorem esse scientiæ, quam caloris, multiplicationem. Plura de hac quæstione vide apud *Fonsecam*, lib. 1. Metaph. cap. 1. q. 4. s. 2. vide quoque dissert. *Maximi Tyrij* 28.

Quæritur (7) *An scientia & cognitio fiat per simile, ita ut simile simili cognoscatur.*

Resp. *Piccolomineus* Grad. 5. cap. 33. Quatuor distinctas de hac quæstione veterum Philosophorum recenset sententias.

Prima eorum fuit, qui nihil præter corpus reperiri existimantes ipsam quoque animam corpus esse è principiis materialibus & corporeis conflatam, absurde sibi imaginati sunt, & ita simile à simili, corporeum à corporeo cognosci affirmarunt: quæ *Empedoclem* autorem habuisse sententia videtur: quam refutare nil attinet, cum sua se absurditate evertat.

§. 27. *Altera* autorem habet *Galenum;* qui similitudinem considerat in facultate cognoscente, vel instrumento; eamque in instrumento, non in facultate, esse statuit. Hinc visus instrumentum ait requiri lucidum, ut lucem cognoscat: auditus aëreum, ut aërem, seu sonum in aëre, percipiat: Olfactus vaporosum, ut odores vaporosos sentiat: gustatus humidum, ut sapores in humido dignoscat: tactus terreum, ut qualitates tactiles, quæ terrestriores sunt, exploret: quod ab *Empedocle* significatum putat versiculis illis duobus.

Conspicimus terram tellure, liquore liquorem,
Aëre naturam aëream, igni cernimus ignem.

Sententiam hanc pluribus refutat *Piccolomineus:* qui consulendus.

§. 28. *Tertia* tribuitur *Platoni* & *Pythagoræ;* qui simile simili cognosci quoque crediderunt: Ita tamen ut similitudinem non in rebus corporeis collocatint, si *Piccolomineo* credimus, sed 1. in *ideis* rerum animæ impressis, quæ similitudines quædam sunt rerum etiam corporearum, quamvis corporeæ eæ non sint: cujusmodi & species intelligibiles acquisitæ & ex phantasmatibus formatæ sunt. 2. in *numerosis concentibus, communibusque proprietatibus geometricis & arithmeticis*, ex quibus animam conflari *Plato* sibi imaginatus est, quas etiam modo corporeo in corporeis inveniri statuit. 3. In *communibus generibus*, quæ statuit esse *essentiam, motum, statum, identitatem, terminum*,

minum, *unitionem*: quæ omnia & in corporibus & in anima reperiri existimavit.

In hisce obscurissimis *ænigmatibus* evolvendis tempus terere non est operæ pretium. Philosophum perspicua decet oratio. Habeat igitur sibi *Plato*, quæ ita involvit, ut intelligi difficulter possint.

Quarta est *Aristotelis*, qui in cognitione quæ fit per receptionem, duo considerat, *habitum* & *animæ facultatem*: Respectu *habitus*, simile cognoscitur per simile, quia *physica* cognoscuntur habitu physico, *mathematica* mathematico, *moralia* morali, &c. Respectu *animæ facultatum*, similitudo cognoscitur in *potentia* vel in *actu*. Quoad *potentiam*, simile cognoscitur simili. Quia facultas cognoscens est potestate talis, quale est objectum. Quoad *actum* similitudo attendi in duobus potest, in *communi genere* atque *conditione*, & in *propria forma*. Ratione *communis generis* & *conditionis*, sic simile cognoscitur simili: quia sensu corporeo & materiato primo cognoscimus materialia: mente intelligibilia & à materia abstracta. Ratione *formæ & naturæ propriæ*, rei cognoscibilis & facultatis cognoscentis dissimilitudo est in principio, similitudo in fine, ut in omni agente & patiente: quæ tamen spiritualis est, per imitationem & repræsentationem.

§. 30. Hæc omnia tandem à *Piccolomineo* colliguntur hunc in modum: *simile cognoscitur simili, potestate non actu: genere communi, non forma propria: in fine, non in principio: animæ habitu, non facultate*: Et hanc esse similitudinem spiritualem per imitationem, non per formam propriam & principalem.

Sententiam nostram ita breviter explicamus. De cognitione intellectus si loquamur, ad quem pertinet scientia de qua principaliter quæritur; Tria potissimum in considerationem & comparationem veniunt: 1. *Objecta cognoscibilia*, quorum unum solet esse medium cognoscendi alterum. 2. *Facultas cognoscens & objectum cognoscibile*. 3. *Objectum cognoscibile & instrumentum facultatis cognoscentis proximum*. Unde triplex assertio.

(1) *Quoad objecta cognoscibilia quorum unum est medium cognoscendi alterum, cognitio non fit tantum per simile, sed etiam per dissimile.*

De *simili* non est dubium: de *dissimili* quoque res est manifesta, ex tritissimo & ubique receptissimo illo: *Contraria juxta se posita magis elucescunt.*

(2) *Quoad facultatem cognoscentem & objectum cognoscibile, simile cognoscitur à simili, & dissimile quoque à dissimili*: Ratio est:

tio est: Quia objecta cognoscibilia alia sunt spiritualia, alia corporalia: facultas utraque cognoscens est tantum spiritualis.

(3) *Quoad objectum cognoscibile & instrumentum facultatis cognoscentis proximum, cognitio fit quoque per simile & dissimile.*

Ratio est: quia proximum facultatis cognoscentis instrumentum est species intelligibilis: quæ imago est spiritualis & spiritualium & corporalium, adeoque per eam similia & dissimilia cognoscuntur, quamvis certo respectu inter objecta corporalia & species intelligibiles spirituales sit quædam similitudo, non quidem naturarum, sed repræsentationis.

§. 32. Quæritur (8) *An omnes homines scientiam naturaliter appetant?*

Resp. Illustris est sententia, qua *Metaphysicam* suam auspicatur *Aristoteles.* πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει: hoc est: *Omnes homines scire appetunt natura.* Quæ quæstioni occasionem præbet.

Ante, quam respondeamus, *appetitum* cum Philosophis distinguimus in *innatum* & *elicitum*. *Innatus* est inclinatio naturæ ab autore Deo indita, qua res unaquæque sine prævia cognitione sua in bonum propensa est: quo appetitu terra ad centrum inclinat, materia ad formam, & potentiæ ad objecta propria: estque appetitus hic *proprie* vel *improprie* dictus: *proprie* dictus est, quo res propensæ sunt in bonum *formaliter* dictum, sub ratione boni, ut appetitus sensitivus & intellectivus, seu voluntas. *Improprie* dictus quo res propensæ sunt in bonum *materialiter* dictum, non sub ratione boni; uti sensus fertur in sensibilia, non quatenus bona sunt sentientibus, sed quatenus sensibilia: Intellectus in intelligibilia, quatenus intelligibilia. *Hactenus appetitus innatus:* sequitur *elicitus*, qui est appetendi actus, quo res cognitionis particeps, prævia cognitione, fertur in bonum sive verum, sive apparens.

§. 33. Hisce præmissis, ad quæstionem respondemus duabus assertionibus.

Una: *Omnes homines scientiam appetunt naturaliter appetitu innato, cum proprie tum improprie dicto.*

Altera: *Omnes homines scientiam appetunt naturaliter, appetitu elicito.*

Prior assertio probatur.

(1) Quia omnes potentiæ natura sua propensionem habent ad proprias operationes suas, maxime vero ad perfectas. Hujusmodi vero intellectus operatio est scientia.

(2) Quia

(2) Quia intellectus hominis naturaliter est imperfectus. Quod vero naturaliter imperfectum est, id perfici naturaliter expetit: nulla autem re magis perficitur intellectus, quam scientia.

(3) Quia elicitus sciendi appetitus omnibus hominibus est naturalis, ut secunda habet assertio deinceps probanda. Ergo multo magis innatus, qui elicitum antecedit & à natura separari non potest.

§. 34. *Posterior assertio* probatur.

(1) Quia appetitu scientiæ elicito magis & proximius perficitur intellectus, quam innato: & frustra datus esset innatus, nisi, sublatis impedimentis, sequeretur elicitus.

(2) Quia locupletem testem habemus experientiam, ad quam *Cicero* quoque provocat, in lib. 2. de finibus. *Natura*, inquit, *cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi: quod facile apparet, cum vacui curis etiam quid in cœlo fiat, scire avemus.* Idem prolixe probantem vide in lib. 5. de finib. Ubi multis argumentis ostendit omnes homines, remotis impedimentis, naturaliter appetere scientiam, etiam ipsius scientiæ causa.

Pro *contraria sententia* objicitur.

§. 35. (1) *Multi scientiam non assequuntur. Ergo à natura non est insitus sciendi appetitus.* Ratio consequentiæ: *Quia alias frustra datus esset hic appetitus.*

Resp. *Consequentia* negatur. *Probatio* est inconsequens. Appetitus, qui ratione speciei inest individuis, non est dicendus frustraneus, si non expleatur in omnibus individuis: Sed tum demum, si in nullo satietur, & propter instrumentorum defectum speciei communem satiari non possit. Impedimenta individuis nonnullis objecta, sive interna, sive externa, heic non attenduntur.

§. 36. (2) *Nonnulli ignorantiam affectant: Ergo appetitus scientiæ non est naturalis.* Ratio conseq. *Quia nemo potest velle oppositum ejus rei, quam naturaliter appetit.*

Resp. Negatur *consequentia:* Non enim quia monstrosa quandoque gignuntur individua, propter impedimenta naturæ individuæ objecta, ideo naturale non est, ut sine monstroso defectu vel excessu, aut conformatione, nascantur individua. *Ratio consequentiæ* universaliter vera non est. Quandoque voluntas per accidens fertur in oppositum ejus, in quod alias per naturam fertur & ferri debet: ubi non plane libera est, sed in oppositum ab externa causa quasi determinata. Ita nihil videtur magis naturale homini, quam desiderium & amor vitæ, cujus tamen oppositum, nempe mortem, quandoque vult homo.

(3) *Si appetitus scientiæ omnibus hominibus esset naturalis, nemo esset,*

esset, qui, sublatis impedimentis, literarum studia non coleret: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. Connexum prob. *Quia, remotis impedimentis, naturalia actu se exerunt: veluti lapis actu fertur deorsum, simul atque impedimenta removentur.*

Resp. *Connexum* nonnulli negant: *probationem* inconsequentiæ arguunt.

Quia appetitus naturaliter insitus aliter in natura libera, aliter in ea, quæ ad unum determinata est, exit in actum: potest enim libertas cohibere actum appetendi: quem ad unum determinata natura nequit cohibere.

Sed & *assumptio* negari potest: Semper enim aliqua habent impedimenta, qui ignorantiam scientiæ præferunt: sive ingrata, sive grata ea sint. Multi labores fugiunt, aliis paupertas obstat, alios voluptates corporeæ avocant.

§. 38. Quæritur (9) *An recte scientia distinguatur in speculativam & practicam?*

Resp. Si recepta in scholis *Peripateticis* habituum intellectualium distributio est retinenda & approbanda, admitti vix poterit distinctio scientiæ in *speculativam* & *practicam*. Est enim *scientia* habitus theoreticus seu contemplativus, habitui practico contra distinctus. Unde scientiam practicam non sine contradictione dici, rigidi nonnulli *Peripatetici* opinantur. *Arnisæus* scientiam practicam in Philosophia *Aristotelis* monstrum esse opinatur. Quamvis ipse quoque *Aristoteles* non adeo hac in parte sit rigidus: ex ipsius enim hypothesibus, absque contradictione, *scientia* dici quoque practica potest: ut ostendit *Pererius*,* de communibus rerum naturalium principiis, lib. 1. cap. 3. vulgo distinguunt intellectum in *theoreticum* & *practicum*, ex *Aristotel.* lib. 6. Eth. 1. cap. 1. & 3. de an. cap. 9. t. 46. & cap. 10. t. 49. Unde scientiam quoque recte in *theoreticam* & *practicam* distingui infert *Pererius*. Eandem distinctionem laudat quoque & probat *Thomas*, 1. Part. q. 1. art. 4. *In scientiis Philosophicis*, inquit, *alia est speculativa, alia practica:* videatur & *Fonseca* in 1. Metaph. cap. 1. & in 2. Metaph. cap. 3. q. 2. s. 1. 3. & exprofesso in 6. Metaph. cap. 1. q. 5. s. 1. 2. 3. 4. 6. 7. & q. 6. *Theophil. Raynaud.* Philosoph. moral. prolog. §. 3. n. 21. 22. 23. 24. quibus & nos facile subscribimus. Ratio satis est evidens.

Si conclusionum practicarum datur demonstratio, utique scientia quoque dabitur practica. Atqui verum prius: Ergo & posterius. *Connexum* prob. Quia demonstratio gignit scientiam, & qualis demonstratio, talis scientia. *Assumptio* patet inductione

ne exemplorum è Philoſophia morali-petitorum à Keckerm. Syſtem. log. lib. 3. cap. 14. 15. Patet etiam ratione.

Ubi datur ſubjectum, affectio propria,& cauſa affectionis proxima, ibi datur demonſtratio : Atqui in Philoſophia morali datur ſubjectum, nempe virtus, & affectio propria, inſuperque cauſa, per quam affectio ſua ineſt virtuti: E. Ita felicitas quoque moralis ſuas habet affectiones, ſuaſque cauſas & effecta : unde demonſtrationis petuntur media : vide ſupra cap. 1. q. 6.

§. 39. Excipitur (1) *Scientia eſt rerum immutabilium : Atqui practica non ſunt immutabilia : Siquidem à libera hominis pendent voluntate. Ergo ſcientia eorum non datur : adeoque nec practica erit ſcientia.*

Reſp. *Objectionis* hujus ſolutio petenda eſt ex quæſtione præcedenti tertia: unde patebit, nec *propoſitionem*, nec *aſſumptionem* ſimpliciter veram eſſe.

Nos in præceptis habitus diſtinximus ſecundum receptam *Peripateticorum* ſententiam: cui tamen nos non adſtrinximus. Liberæ eſſe debent Philoſophorum ſententiæ. Qui vero *ſcientia* vere dici poſſit *practica*, quamvis contemplativis habitibus eam accenſeat *Ariſtoteles*, vide apud *Fonſecam*, lib. 6. Metaph. cap. 1. q. 5. ſ. 7. ad 4. Monſtrum in Philoſophia *Ariſtotelis* non attendimus: monſtra non pauca in Philoſophia pepererunt Ariſtotelis ſcripta, poſtquam pro oraculis haberi cœperunt.

(2) *Scientia eſt ἐν τῷ γνωστικῷ, practica diſciplina ἐν τῷ ὀρεκτικῷ: Scientiæ formalis operatio eſt contemplatio, diſciplinæ practicæ praxis : Scientiæ finis eſt verum : diſciplinæ practicæ bonum : Ergo ſcientia non poteſt eſſe diſciplina practica, adeoque nec diſtingui ſcientia in theoreticam & practicam.*

Reſp. *Antecedens* univerſaliter & excluſive verum non eſt: unde non niſi mera *principii petitio* eſt : non omnis ſcientia eſt in ſolo *γνωστικῷ*, ſed theoretica tantum : non omnis ſcientiæ formalis operatio eſt ſola contemplatio, ſed tantum theoreticæ : non omnis ſcientiæ finis eſt tantum verum: ſed tantum theoreticæ. Practica, ratione notitiæ, etiam *ἐν τῷ γνωστικῷ* eſt. In eadem & contemplatio locum habet, etſi ad praxin dirigitur : eadem & verum conſiderat, quamvis propter bonum. Scientiæ moralis non infrequens apud Peripateticos quoque alios eſt mentio : vide *Jacob. Mart.* Eudæmonolog. diſp. 1. θ. 2. q. 1. &. 2.

§. 41. Quæritur (10) *An ſcientiæ ſpeculativæ ſint priores practicis?*

Reſp. Speculativas ſcientias practicis, ſecundum naturam, priores eſſe, probat *Pererius* ſequentibus argumentis, lib. 1. cap. 4.

 (1) Quia

(1) Quia intellectus speculativus naturâ prior est practico: est enim cognitio prior, quatenus est cognitio, quàm quatenus est practica; uti verum simpliciter prius; quàm verum practicum.

(2) Quia prior est res secundùm naturam suam, quàm ut cadit sub actionem & effectionem nostram: uti & priora sunt quæ à Deo naturaque fiunt, quàm quæ fiunt à nobis, circa illa versatur scientia theoretica; circa hæc practica.

(3) Quia in speculativis scientiis, *Metaphysica* & *Physica*, agitur de Deo, intelligentiis, cœlis, elementis: quæ naturâ sunt priora rebus, quas tractant scientiæ practicæ.

§. 42. Summa rationum *Pereris* huc redit:

Quarum scientiarum objecta secundùm naturam sunt priora, ea quoque secundùm naturam sunt priores. Atqui speculativarum objecta secundùm naturam sunt priora objectis practicarum: Ergo speculativa scientia secundùm naturam priores sunt practicis.

Resp. *Propositio* non videtur esse simpliciter vera: de prioritate habituum non est pronunciandum, vel judicandum simpliciter ex *objectis*, sed ex eorum existentiâ, productione, acquisitione. Est enim *objectum* scibile ante constitutionem scientiæ. Unde etiamnum sciri multa possunt, quæ tamen nondum sciuntur; vel quorum scientia invenitur & comparatur post aliorum objectorum naturâ vel tempore posteriorum scientiam: quam propter objectum posterius dicere posteriorem eâ, quâ prior ipsa extitit, absurdum fuerit. Fieri igitur cùm potuerit, ut scientiæ practicæ prius invenirentur & constituerentur, quàm theoreticæ: quis neget fieri potuisse, ut naturâ & tempore priores essent theoreticis: unde *affirmativa* quæstionis tuto defendi & evidenter demonstrari non poterit, nisi constiterit, speculativas ante practicas esse inventas & constitutas.

§. 43. Pro *prioritate practicarum* Aristot. deponit. 1. Metaph. cap. 1. ubi, inventis & constitutis scientiis, quæ ad necessitatis vel voluptates vitæ humanæ pertinebant, postea institutas ait scientias speculativas, quæ neque ad vivendum voluptariæ sunt, neque ad necessaria conducunt, & in illis locis primò, ubi vacabant, &c. Etiamsi *Pererius* arbitratur, moralem scientiam inventam fuisse post scientias speculativas, nempe à *Socrate*; qui, neglectis disciplinis theoreticis, quas antecessores *Thales*, *Anaxagoras*, *Empedocles*, *Democritus*, *Pythagoras* & alii profitebantur; moralis Philosophiæ studium unicè ursisse dicitur, testibus *Aristotele*, 1. Metaph. cap. 6. t. 5. & *Cicerone*, in Academ. & Tuscul. quæst.

§. 44. Objicitur.

Theoria

Theoria prior est praxi : Ergo & scientia theoretica priores sunt practicis. Antecedens in confesso est.

Resp. *Consequentia* negatur : quia alia theoriæ, alia scientiæ theoreticæ ratio est : Siquidem cum praxi necessariò conjuncta est theoria : cum scientiâ practicâ necessariò conjuncta theoretica non est : Theoriæ praxin antecedentis finis est praxis : Scientiæ theoreticæ finis non est praxis. Ex theoriâ fluit praxis : ex scientiâ theoreticâ non fluit practica.

§. 45. Quæritur (11) *An scientiæ speculativæ sint præstantiores practicis?*

Resp. *Affirmativam* extra omne dubium ponit *Pererius*, de principiis, cap. 4. Idque ob sequentes rationes.

(1) Quia *speculativa est sui gratiâ, practica propter aliud, nempe opus.*

(2) *Speculativa per se sola hominem perficit in suo genere, finemque suum citra alterius auxilium assequitur & præstat homini : practica per se non potest consequi finem suum, sed eget auxilio virtutum moralium, aut aliorum habituum.*

(3) *Speculativa perducit ad felicitatem speculativam, & hominem in ordine ad Deum & intelligentias perficit. Practica ad felicitatem activam & in ordine ad societatem hominum.*

(4) Inter *speculativas est aliqua, nempe Metaphysica, quæ longè superat omnes practicas : Inter practicas autem non reperitur aliqua, quæ omnes superet speculativas.*

§. 46. Hæc & *Aristotelis* est sententia, lib. 6. Metaph. cap. 1. Ubi *Fonseca*, q. 5. s. 7. ad ult. pro eadem affirmativâ pugnat. 7. argumentis.

(1) *Quia omnes contemplativæ honesto otio fruuntur, dum practicæ omnes in negotio versantur : Atqui nobilior est honesti otii quàm negotii conditio.*

(2) *Quia præstantissima contemplantium est præstantior & nobilior præstantissimâ omnium agentium & efficientium : quæ 4. fuit Pererii ratio.*

(3) *Quia felicitas contemplativa præstantior est, quàm activa, cùm illa sit hujus finis.*

(4) *Quia appetitus naturalis nos ad rerum cognitionem magis, quàm ad actionem, inclinat.*

(5) *Quia actionis humanæ quædam quasi vestigia in brutis apparent; at contemplationis nullum.*

(6) *Quia immaterialia, æterna & necessaria non cadunt sub actionem, cadunt autem sub contemplationem.*

(7) *Quia contemplativæ sunt priores naturâ & ferè subalter-*

nantes

Propositio est manifesta: quia completa scientiæ ratio tribus continetur, *subjecto, affectione & principio*, ut Quæstione 2. ostendimus.

Assumtio prob. exemplis *Solis* & *Lunæ* aliorumque planetarum, de quibus multa demonstrant *Physici* & *Astronomi*: neque de Deo nihil se posse demonstrare Theologi concedent: De Christo *θεανθρώπῳ* etiam humili & mortali, adversus Judæos & hæreticos multa luculenter iidem demonstrant.

(2) *Si singularia* à scientiis essent excludenda, fieret id, *vel* quia per se primò, quoad existentiam, corrumpuntur, *vel* quia connexiones inter illa & ipsarum prædicata necessariæ non essent, *vel* denique quia singularia non habent prædicata reciproca. His enim rationibus excludi solent singularia à scientiis. Atqui nulla rationum harum obstat. *Non prima*: quia non omnia individua sunt corruptibilia: nec subjectorum corruptibilitas obstat scientiæ; ut ante quæst. 3. ostendimus.

Non secunda: Quia falsum est, nullas esse passiones, vel affectiones individuis inseparabiles, vel cum iis nexu indissolubili conjunctas: Siquidem risibilitas non magis est separabilis à Platone, quam ab homine.

Non tertia, Quia non videtur esse de necessitate subjecti, ut prædicata habeat reciproca: Sufficiunt necessariò & inseparabiliter connexa: neque simpliciter verum est, reciproca nulla habere prædicata: habent enim differentias suas individuantes: in quibus etiam sunt prædicata reciproca, ut constat de Deo, Christo Dei filio, Sole, Lunâ: &c.

§. 12. Excipitur: *Infinita non cadunt sub scientiam: Atqui singularia, seu individua, sunt infinita: Ergo eorum nulla datur scientia.*

Resp. 1. Ad *Proposit*: Infinita, quatenus sunt numero infinita, non cadunt sub scientiam: Interim cadere possunt, respectu unitatum singularum, quæ numero infinitæ infinitum constituunt: quatenus nempe unitates singulæ affectiones habent necessarias de subjectis demonstrabiles: Ubi non attenditur numerus infinitus, sed quod numerum facit infinitum, seu quod in numero infinito, tanquam pars ejus, continetur.

2. *Assumptio* universaliter vera non est: singulari actu infinita nulla sunt: uti nec numerus actu infinitus datur, aut dari potest. Imò nullum singulare est vel potest esse numero infinitum: cum numero non nisi unicum sit, & unum quando esse desinit, singulare esse desinat.

§. 13. Quæritur (5) *An quælibet scientia sit simplex qualitas?*

Resp.

Resp. Quęstio potissimum est de scientiis in specie sic dictis, quæ multarum sunt conclusionum: cujus modi sunt *physica integra*, *metaphysica*, *mathematica*: Per qualitatem simplicem una intelligitur ex multis aliis non aggregata vel composita. Hâc pręmissâ declaratione, quęstionis *negativam* amplectimur cum *Scoto*, ejusque asseclis, quibus cum & *Fonseca* sentit. Quibus integra & totalis scientia multarum qualitatum ordinata est conjunctio. Rationes sunt.

(1) Actus sciendi diversarum conclusionum in eâdem scientia totali semper sunt specie distincti: Ergo & habitus sciendi, qui ex illis actibus oriuntur: *Ratio conseq.* Quia à causis particularibus specie distinctis semper effecta specie distincta generantur: *Antecedens prob.* Quia actus sciendi diversarum conclusionum sive ad diversas sententias totales, sive ad eandem pertinentium, semper à diversis specie antecedentibus gignuntur.

(2) In totali scientiâ multę dantur conclusiones, quę à se invicem planè non pendent: Ubi habitus ex unius conclusionis demonstratione genitus non inclinat ad actum, quo altera demonstratur conclusio. Ergo non possunt esse ejusdem speciei habitus. Alias habitus unus ęquè ad utrumque inclinaret actum.

(3) Si habitus scientię diversarum conclusionum, quarum neutra pendet ab alterâ, in diversis hominibus specie conveniunt, in quemcunque demonstrandi actum unus potest, aut non potest, exire, etiam alter potest aut non potest, si ambo æquè sint perfecti vel imperfecti. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. *Connexi ratio est*: quia eorum, quæ specie conveniunt, quicquid naturaliter unum potest efficere, aut non potest, etiam alterum potest, aut non potest: si utrumque æquè sit perfectum vel imperfectum. *Assumtionem comprobat experientia.* Quia sæpè unus ejusdem scientiæ totalis conclusionem promtè potest demonstrare, quam alter non potest demonstrare: qui vicissim aliam potest demonstrare, quam alter non potest.

(4) Intellectus non determinatur habituali determinatione ad primæ operationis notitias universales diversas, nisi per species intelligibiles specie diversas. Ergo pari ratione non determinatur etiam habituali determinatione ad notitias diversarum conclusionum demonstrabilium, nisi per habitus scientiarum diversos, quos ex diversis acquirit assensibus demonstrativis.

Antecedens inconfesso est & experientiâ comprobatur, ipsaque ratione. Quod enim indeterminatum est, non potest determinari ad diversa, nisi per diversa.

Pro

Pro affirmativa *Thomas* cum asseclis suis pugnat, hisce rationibus.

§. 14. (1) *Omnis species qualitatis est una qualitas, non plures qualitates: Atqui habitus scientia totalis est species qualitatis: Ergo.*

Resp. *Propositio* non conceditur nisi de specie qualitatis proprie dictæ, directo in prædicamento qualitatis positæ. Cujusmodi species qualitatis non est totalis scientia: quæ aggregatum est ex pluribus habitibus, quibus singulæ conclusiones demonstrantur, adeoque non est in prædicamento per se, sed per habitus simplices, ut alia entia aggregata.

§. 15. (2) *Habitus fidei, qui est de multis credibilibus, una numero est qualitas tota simul infusa: Ergo & scientia totalis, quæ est plurium scibilium, una & simplex est qualitas.*

Resp. Negatur *consequentia*: Quia alia ratio est fidei divinitus infusæ uno momento, alia scientiæ totalis acquisitæ: in qua quot sunt conclusiones demonstratæ, tot etiam sunt media quibus demonstrantur: Unde necessario tot sunt species habituum in totali scientia comprehensæ, quot sunt ejus conclusiones. In fidei habitu etsi multa sunt credibilia: tamen credendi medium est unicum, nempe revelatio divina.

§. 16. (3) *Virtus moralis una & simplex est qualitas, etsi circa objecta versatur diversa circa affectus contrarios ad mediocritatem revocandos. Ergo & scientia totalis una potest esse qualitas, etiamsi variarum est conclusionum.*

Resp. Negatur *consequentia*. Quia alia est virtutis moralis, alia scientiæ totalis ratio; virtus moralis una acquiritur crebris diversisque actibus circa objecta diversa; qui unum tantum simplicemque habitum gignunt: ut constat de *temperantia*, *fortitudine*, *justitia*, &c. Scientia totalis acquiritur diversis actibus, circa diversas conclusiones diversis mediis demonstratas: Unde tot gignuntur simplices scientiæ, quot conclusionum diversarum dantur demonstrationes diversæ: quæ ordinatæ invicem & aggregatæ totalem constituunt scientiam.

§. 17. (4) *Eadem numero potentia versatur circa plura specie objecta, ut potentia visiva circa plures specie colores, & intellectus circa omnes rerum species. Ergo una quoque & simplex esse potest scientia quæ circa plura specie objecta versatur, seu quæ multarum est conclusionum.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia alia est ratio habituum, alia potentiarum, quoad objecta. Potentia enim numero una, exempli gratiâ, visiva, intellectiva, ab ipso hominis ortu in se perfecta

perfecta est, & eodem se modo habet ad omnia sua objecta, sub formali ratione unâ quatenus sunt visibilia, vel intelligibilia, per species recipienda: Scientia verò homini naturâ non inest, sed per diversos actus, respectu objectorum diversorum, successivè acquiritur. Unde tot distincti gignuntur habitus, quot distinctæ offeruntur conclusiones distinctis mediis demonstrandæ: qui omnes tandem collecti & ordinati scientiam, seu habitum constituunt totalem ex diversis habitibus partialibus aggregatum. De hac quæstione videantur quoque *Conimbricenses*, in 1. post. Analyt. cap. 23. q. unica, art. 2.

§. 18. Quæritur (6) *An scientia sit reminiscentia?*

Resp. *Negativam* tuentur sequentibus argumentis.

(1) Si scientia esset reminiscentia, utique natura nobis actu inessent omnium scientiarum & artium habitus: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. *Assumtio prob.* Quia cum omnium rerum ignorantia nos nasci testatur experientia: testatur etiam Scriptura: quæ humanæ mentis inscitiam & cæcitatem ubique accusat: quæ culpæ originalis pars magna est.

(2) Magnis laboribus, longoque tempore acquiruntur habitus scientiarum & à multis, per ingenii stuporem, acquiri non possunt. Ergo à prima origine hominibus actu non insunt, nec per solam reminiscentiam excitantur: ad quam tanto labore & tempore non est opus.

(3) Quæ per reminiscentiam intelligimus, ea aliquando nos scivisse recordamur: Qui scientiarum habitus sibi comparant, vel actu scire incipiunt, non recordantur se aliquando scivisse, quæ actu scire incipiunt. Non igitur per reminiscentiam intelligunt & sciunt.

Assumptionem comprobat experientia. Qui discendo parant sibi habitus *Physicæ*, *Metaphysicæ*, *Mathematicæ*, ante institutionem & doctrinam se *Physicos*, *Metaphysicos* & *Mathematicos* fuisse, nullo possunt judicio deprehendere, neque quisquam unquam deprehendit.

(4) Si omnium scientiarum nobis natura inessent habitus, utique ad discenda vera & falsa indifferentes non essemus, sed magis in veritatem congenitam propensi, quam in falsitatem. Atqui consequens est falsum, teste experientia: Ergo & antecedens.

(5) Species intelligibiles scibilium è speciebus formantur sensibilibus: Atqui sensiles species natura nobis non sunt impressæ: Ergo nec intelligibiles, adeoque nec habitus.

(6) Mens humana capax est scientiarum: Ergo per naturam est expers earum: *Ratio conseq.* Quia non dicimur capaces nisi eorum, quorum sumus expertes.

Affirmativam olim in Scholis suis *Plato* propugnavit: qui animas ante corpora à Deo formatas & quidem perfectas, quæ rerum omnium impressas haberent notiones & rationes, sibi persuasit: in corpora verò immissas quasi in campo oblivionis recipi, & prope flumen negligentiæ & ignaviæ, hoc est, fluxum humorum & materiæ, collocatas sui rerumque impressarum oblivisci, adeoque in earum revocandas memoriam per institutionem, credidit.

Sententiæ fundamenta sunt sequentia.

(1) *Animæ ex divina mente prodierunt: Ergo omnium rerum ab ea decoratæ sunt scientia*: Ratio conseq. *Quia nil nisi perfectum à mente divina manat.*

Resp. *Propositione*, si de causâ animæ *efficiente*, non de *materia*, loquatur, concessâ, *consequentia* negatur. *Ratio est inconsequens*: quia varii sunt perfectionis modi & gradus, qui divinis operibus simul semper non insunt: Sed alii aliis succedunt: Perfectæ creantur animæ: quoad essentiam & facultates, non quo ad facultatum habitus, qui studio & labore sunt comparandi. Quicquid vero fuerit de animabus in statu innocentiæ, ante lapsum, creatis: quæ post lapsum creantur, justo Dei judicio originalis justitiæ habitu ipsa creatione privantur propter *Adami* prævaricationem: & hoc respectu non sunt tam perfectæ, quam primorum hominum fuerunt animæ.

§. 20. (2) *Animæ corporibus antiquiores ante unionem cum corporibus vitam in tenebris ignorantiæ non duxerunt, omnia igitur prænoverunt, eorumque in corporibus reminiscuntur.*

Resp. Hypothesis, de animabus ante corpora creatis & extra corpora aliquandiu viventibus, falsa est.

§. 21. (3) *Omnis homo per naturam ad scientias est proclivis: Ergo necesse est insitas habeat rationes, per quas intus excitetur & facilis ad eas reddatur.* Ratio consequentiæ: *Quia, quæcunque per naturam ad aliquid tendunt, per propriam formam ad id tendunt, veluti gravia deorsum, levia sursum.*

Resp. *Consequens* non evincit scientiam esse reminiscentiam, vel per reminiscentiam acquiri habitus scientiarum: Aliud enim est insitam habere rationem, per quam exciteris, vel per formæ proclivitatem ad aliquid, *exempli* gratia, scientiam tendere: aliud, habitum scientiæ habere impressum formæ seu animæ prius, quàm acquiras. Proclivitas ad scientiam naturalis non arguit scientiæ habitum naturalem.

§. 22. (4) *Si homo insertas rationes rerum non haberet, nunquam earum essentiam posset apprehendere: Atqui falsum consequens: Ergo*

Ergo & antecedens. Connexum prob. *Quia tantùm affectiones & accidentia forinsecus se nobis offerunt: Hæc verò cum imperfectiora sint essentiâ, nunquam in nobis essentiæ parerent cognitionem, nisi per rationes insertas excitatasque à nobis cognosceretur.*

Respond. *Connexum* negatur. *Probatio* est inconsequens; etiamsi enim affectiones & accidentia, quæ forinsecus immediatè se nobis offerunt, imperfectiora sunt essentiâ, tamen in essentiæ cognitionem, absque insitis rationibus, nos possunt deducere: ex effectis enim in causarum devenitur notitiam; ex propriis in notitiam formarum, unde fluunt.

§. 25. (5) *Quicunque rectè interrogatus rectè respondet, & solâ interrogatione excitatus ex se veram promit sententiam, dicitur reminisci. Atqui omnis homo per naturam rectè affectus est hujusmodi*: Ergo. Assumtionum *Plato probat in famulo: qui rectè interrogatus ex se venit in cognitionem hujus veritatis, ex diametro quadrati quadratum, duplum ejus, cujus erat diameter, constitui.*

Resp. *Assumtio* negatur: Omnes, qui rectè interrogantur, rectè respondere, falsum est: Omnes, qui rectè interrogati rectè respondent, solâ interrogatione excitari ad sententiam veram promendam, & ipsum est falsum. *Probatio* quoque est falsa: Famulus rerum geometricam planè rudis nunquam ex solâ interrogatione veniet in notitiam veritatis istius, nisi interrogatio ipsam responsionem incluserit & subministraverit aliquid, quod investigandæ veritatis occasionem rationi præbeat.

§. 24. (6) *Anima hominis interitui non obnoxia nihil in se novi potest recipere. Ergo habitum quoque de novo non acquirit, sed per reminiscentiam tantum excitat jam olim impressum.*

Resp. *Antecedens* negatur: cui luculenta refragatur experientia.

§. 25. (7) *Scientia docentis non potest parere scientiam in addiscente: Ergo de novo à discente non acquiritur, sed latens tantum excitatur.* Antecedens prob. *Quia scientia non est qualitas efficiens, quæ similem possit producere, ut calor calorem.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* falsa est: Est enim scientiâ qualitas & quidem efficiens, quæ suo modo similem potest in discente producere: etiamsi eadem ipsius non est ratio, quæ caloris: plura enim ad scientię, quàm ad caloris propagationem, requiruntur: Scientiam qui docet, principalis ejus in discente est causa: cui tanquam instrumentum accedit docentis scientia; oportet enim eum, qui scientiam docet alteriq; communicat, ipsum quoque esse scientem & habere id, cujus simile communicare al-

 teri vult:

teri vult: Unde tritum illud: *Quodque parum novit, nemo docere potest:* Concurrunt & alia instrumenta, libri, vox, sensus, &c. Neque tamen, ex parte docentis, quicquam hæc omnia proficiunt, nisi discentis quoque accedat attentio, memoria, ratio &c. unde patet longe laboriosorem esse scientiæ, quam caloris, multiplicationem. Plura de hac quæstione vide apud *Fonsecam*, lib. 1. Metaph. cap. 1. q. 4. s. 2. vide quoque dissert. *Maximi Tyrij* 28.

Quæritur (7) *An scientia & cognitio fiat per simile, ita ut simile simili cognoscatur.*

Resp. *Piccolomineus* Grad. 5. cap. 33. Quatuor distinctas de hac quæstione veterum Philosophorum recenset sententias.

Prima eorum fuit, qui nihil præter corpus reperiri existimantes ipsam quoque animam corpus esse è principiis materialibus & corporeis conflatam, absurde sibi imaginati sunt, & ita simile à simili, corporeum à corporeo cognosci affirmarunt: quæ *Empedoclem* autorem habuisse sententia videtur: quam refutare nil attinet, cum sua se absurditate evertat.

§. 27. *Altera* autorem habet *Galenum*; qui similitudinem considerat in facultate cognoscente, vel instrumento; eamque in instrumento, non in facultate, esse statuit. Hinc visus instrumentum ait requiri lucidum, ut lucem cognoscat: auditus aëreum, ut aërem, seu sonum in aëre, percipiat: Olfactus vaporosum, ut odores vaporosos sentiat: gustatus humidum, ut sapores in humido dignoscat: tactus terreum, ut qualitates tactiles, quæ terrestriores sunt, exploret: quod ab *Empedocle* significatum putat versiculis illis duobus.

Conspicimus terram tellure, liquore liquorem,
Aëre naturam aëream, igni cernimus ignem.

Sententiam hanc pluribus refutat *Piccolomineus:* qui consulendus.

§. 28. *Tertia* tribuitur *Platoni* & *Pythagoræ*; qui simile simili cognosci quoque crediderunt: Ita tamen ut similitudinem non in rebus corporeis collocarint, si *Piccolomineo* credimus, sed 1. in *ideis* rerum animæ impressis, quæ similitudines quædam sunt rerum etiam corporearum, quamvis corporeæ eæ non sint: cujusmodi & species intelligibiles acquisitæ & ex phantasmatibus formatæ sunt. 2. in *numerosis concentibus, communibusque proprietatibus geometricis & arithmeticis*, ex quibus animam conflari *Plato* sibi imaginatus est, quas etiam modo corporeo in corporeis inveniri statuit. 3. In *communibus generibus*, quæ statuit esse *essentiam, motum, statum, identitatem, terminum,*

minum, *unitionem*: quæ omnia & in corporibus & in anima reperiri existimavit.

In hisce obscurissimis *ænigmatibus* evolvendis tempus terere non est operæ pretium. Philosophum perspicua decet oratio. Habeat igitur sibi *Plato*, quæ ita involvit, ut intelligi difficulter possint.

Quarta est *Aristotelis*, qui in cognitione quæ fit per receptionem, duo considerat, *habitum* & *animæ facultatem*: Respectu *habitus*, simile cognoscitur per simile, quia *physica* cognoscuntur habitu physico, *mathematica* mathematico, *moralia* morali, &c. Respectu *animæ facultatum*, similitudo cognoscitur in *potentia* vel in *actu*. Quoad *potentiam*, simile cognoscitur simili. Quia facultas cognoscens est potestate talis, quale est objectum. Quoad *actum* similitudo attendi in duobus potest, in *communi genere* atque *conditione*, & in *propria forma*. Ratione *communis generis* & *conditionis*, sic simile cognoscitur simili: quia sensu corporeo & materiato primo cognoscimus materialia: mente intelligibilia & à materia abstracta. Ratione *formæ* & *naturæ propriæ*, rei cognoscibilis & facultatis cognoscentis dissimilitudo est in principio, similitudo in fine, ut in omni agente & patiente: quæ tamen spiritualis est, per imitationem & repræsentationem.

§. 30. Hæc omnia tandem à *Piccolomineo* colliguntur hunc in modum: *simile cognoscitur simili, potestate non actu: genere communi, non forma propria: in fine, non in principio: animæ habitu, non facultate*: Et hanc esse similitudinem spiritualem per imitationem, non per formam propriam & principalem.

Sententiam nostram ita breviter explicamus. De cognitione intellectus si loquamur, ad quem pertinet scientia de qua principaliter quæritur; Tria potissimum in considerationem & comparationem veniunt: 1. *Objecta cognoscibilia*, quorum unum solet esse medium cognoscendi alterum. 2. *Facultas cognoscens & objectum cognoscibile*. 3. *Objectum cognoscibile & instrumentum facultatis cognoscentis proximum*. Unde triplex assertio.

(1) *Quoad objecta cognoscibilia quorum unum est medium cognoscendi alterum, cognitio non fit tantum per simile, sed etiam per dissimile*.

De *simili* non est dubium: de *dissimili* quoque res est manifesta, ex tritissimo & ubique receptissimo illo: *Contraria juxta se posita magis elucescunt*.

(2) *Quoad facultatem cognoscentem & objectum cognoscibile, simile cognoscitur à simili, & dissimile quoque à dissimili*: Ratio est:

tio est: Quia objecta cognoscibilia alia sunt spiritualia, alia corporalia: facultas utraque cognoscens est tantum spiritualis.

(3) *Quoad objectum cognoscibile & instrumentum facultatis cognoscentis proximum, cognitio fit quoque per simile & dissimile.*

Ratio est: quia proximum facultatis cognoscentis instrumentum est species intelligibilis: quæ imago est spiritualis & spiritualium & corporalium, adeoque per eam similia & dissimilia cognoscuntur, quamvis certo respectu inter objecta corporalia & species intelligibiles spirituales sit quædam similitudo, non quidem naturarum, sed repræsentationis.

§. 32. Quæritur (8) *An omnes homines scientiam naturaliter appetant?*

Resp. Illustris est sententia, qua *Metaphysicam* suam auspicatur *Aristoteles*. πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει: hoc est: *Omnes homines scire appetunt natura.* Quæ quæstioni occasionem præbet.

Ante, quam respondeamus, *appetitum* cum Philosophis distinguimus in *innatum* & *elicitum*. *Innatus* est inclinatio naturæ ab autore Deo indita, qua res unaquæque sine prævia cognitione sua in bonum propensa est: quo appetitu terra ad centrum inclinat, materia ad formam, & potentiæ ad objecta propria: estque appetitus hic *proprie* vel *improprie* dictus: *proprie* dictus est, quo res propensæ sunt in bonum *formaliter* dictum, sub ratione boni, ut appetitus sensitivus & intellectivus, seu voluntas. *Improprie* dictus quo res propensæ sunt in bonum *materialiter* dictum, non sub ratione boni; uti sensus fertur in sensibilia, non quatenus bona sunt sentientibus, sed quatenus sensibilia: Intellectus in intelligibilia, quatenus intelligibilia. *Hactenus appetitus innatus:* sequitur *elicitus*, qui est appetendi actus, quo res cognitionis particeps, prævia cognitione, fertur in bonum sive verum, sive apparens.

§. 33. Hisce præmissis, ad quæstionem respondemus duabus assertionibus.

Una: *Omnes homines scientiam appetunt naturaliter appetitu innato, cum proprie tum improprie dicto.*

Altera: *Omnes homines scientiam appetunt naturaliter, appetitu elicito.*

Prior assertio probatur.

(1) Quia omnes potentiæ natura sua propensionem habent ad proprias operationes suas, maxime vero ad perfectas. Hujusmodi vero intellectus operatio est scientia.

(2) Quia

(2) Quia intellectus hominis naturaliter est imperfectus. Quod vero naturaliter imperfectum est, id perfici naturaliter expetit: nulla autem re magis perficitur intellectus, quam scientia.

(3) Quia elicitus sciendi appetitus omnibus hominibus est naturalis, ut secunda habet assertio deinceps probanda. Ergo multo magis innatus, qui elicitum antecedit & à natura separari non potest.

§. 34. *Posterior assertio* probatur.

(1) Quia appetitu scientiæ elicito magis & proximius perficitur intellectus, quam innato: & frustra datus esset innatus, nisi, sublatis impedimentis, sequeretur elicitus.

(2) Quia locupletem testem habemus experientiam, ad quam *Cicero* quoque provocat, in lib. 2. de finibus. ***Natura**, inquit, **cupiditatem ingenuit homini veri inveniendi: quod facile appa-ret, cum vacui curis etiam quid in cœlo fiat, scire avemus.*** Idem prolixe probantem vide in lib. 5. de finib. Ubi multis argumentis ostendit omnes homines, remotis impedimentis, naturaliter appetere scientiam, etiam ipsius scientiæ causa.

Pro *contraria sententia* objicitur.

§. 35. (1) ***Multi scientiam non assequuntur. Ergo à natura non est insitus sciendi appetitus.*** Ratio consequentiæ: ***Quia alias frustra datus esset hic appetitus.***

Resp. *Consequentia* negatur. *Probatio* est inconsequens. Appetitus, qui ratione speciei inest individuis, non est dicendus frustraneus, si non expleatur in omnibus individuis: Sed tum demum, si in nullo satietur, & propter instrumentorum defectum speciei communem satiari non possit. Impedimenta individuis nonnullis objecta, sive interna, sive externa, heîc non attenduntur.

§. 36. (2) ***Nonnulli ignorantiam affectant: Ergo appetitus scientiæ non est naturalis.*** Ratio conseq. ***Quia nemo potest velle oppositum ejus rei, quam naturaliter appetit.***

Resp. Negatur *consequentia*: Non enim quia monstrosa quandoque gignuntur individua, propter impedimenta naturæ individuæ objecta, ideo naturale non est, ut sine monstroso defectu vel excessu, aut conformatione, nascantur individua. *Ratio consequentiæ* universaliter vera non est. Quandoque voluntas per accidens fertur in oppositum ejus, in quod alias per naturam fertur & ferri debet: ubi non plane libera est, sed in oppositum ab externa causa quasi determinata. Ita nihil videtur magis naturale homini, quam desiderium & amor vitæ, cujus tamen oppositum, nempe mortem, quandoque vult homo.

(3) ***Si appetitus scientiæ omnibus hominibus esset naturalis, nemo***

 esset,

esset, qui, sublatis impedimentis, literarum studia non coleret: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. Connexum prob. *Quia, remotis impedimentis, naturalia actu se exerunt: veluti lapis actu fertur deorsum, simul atque impedimenta removentur.*

Resp. *Connexum* nonnulli negant: *probationem* inconsequentiæ arguunt.

Quia appetitus naturaliter insitus aliter in natura libera, aliter in ea, quæ ad unum determinata est, exit in actum: potest enim libertas cohibere actum appetendi: quem ad unum determinata natura nequit cohibere.

Sed & *assumptio* negari potest: Semper enim aliqua habent impedimenta, qui ignorantiam scientiæ præferunt: sive ingrata, sive grata ea sint. Multi labores fugiunt, aliis paupertas obstat, alios voluptates corporeæ avocant.

§. 38. Quæritur (9) *An recte scientia distinguatur in speculativam & practicam?*

Resp. Si recepta in scholis *Peripateticis* habituum intellectualium distributio est retinenda & approbanda, admitti vix poterit distinctio scientiæ in *speculativam* & *practicam.* Est enim *scientia* habitus theoreticus seu contemplativus, habitui practico contra distinctus. Unde scientiam practicam non sine contradictione dici, rigidi nonnulli *Peripatetici* opinantur. *Arnisæus* scientiam practicam in Philosophia *Aristotelis* monstrum esse opinatur. Quamvis ipse quoque *Aristoteles* non adeo hac in parte sit rigidus: ex ipsius enim hypothesibus, absque contradictione, *scientia* dici quoque practica potest: ut ostendit *Pererius*,* de communibus rerum naturalium principiis, lib. 1. cap. 3. vulgo distinguunt intellectum in *theoreticum* & *practicum*, ex *Aristotel.* lib. 6. Eth. 1. cap. 1. & 3. de an. cap. 9. t. 46. & cap. 10. t. 49. Unde scientiam quoque recte in *theoreticam* & *practicam* distingui infert *Pererius.* Eandem distinctionem laudat quoque & probat *Thomas*, 1. Part. q. 1. art. 4. *In scientiis Philosophicis*, inquit, *alia est speculativa, alia practica:* videatur & *Fonseca* in 1. Metaph. cap. 1. & in 2. Metaph. cap. 3. q. 2. s. 1. 3. & exprofesso in 6. Metaph. cap. 1. q. 5. s. 1. 2. 3. 4. 6. 7. & q. 6. *Theophil. Raynaud.* Philosoph. moral. prolog. §. 3. n. 21. 22. 23. 24. quibus & nos facile subscribimus. Ratio satis est evidens.

Si conclusionum practicarum datur demonstratio, utique scientia quoque dabitur practica. Atqui verum prius: Ergo & posterius. *Connexum* prob. Quia demonstratio gignit scientiam, & qualis demonstratio, talis scientia. *Assumptio* patet inductione

ne exemplorum è Philosophia morali-petitorum à Keckerm. System. log. lib. 3. cap. 14. 15. Patet etiam ratione.

Ubi datur subjectum, affectio propria, & causa affectionis proxima, ibi datur demonstratio: Atqui in Philosophia morali datur subjectum, nempe virtus, & affectio propria, insuperque causa, per quam affectio sua inest virtuti: E. Ita felicitas quoque moralis suas habet affectiones, suasque causas & effecta: unde demonstrationis petuntur media: vide supra cap. 1. q. 6.

§. 39. Excipitur (1) *Scientia est rerum immutabilium: Atqui practica non sunt immutabilia: Siquidem à libera hominis pendent voluntate. Ergo scientia eorum non datur: adeoque nec practica erit scientia.*

Resp. *Objectionis* hujus solutio petẽnda est ex quæstione præcedenti tertia: unde patebit, nec *propositionem*, nec *assumptionem* simpliciter veram esse.

Nos in præceptis habitus distinximus secundum receptam *Peripateticorum* sententiam: cui tamen nos non adstrinximus. Liberæ esse debent Philosophorum sententiæ. Qui vero *scientia* vere dici possit *practica*, quamvis contemplativis habitibus eam accenseat *Aristoteles*, vide apud *Fonsecam*, lib. 6. Metaph. cap. 1. q. 5. s. 7. ad 4. Monstrum in Philosophia *Aristotelis* non attendimus: monstra non pauca in Philosophia pepererunt Aristotelis scripta, postquam pro oraculis haberi cœperunt.

(2) *Scientia est ἐν τῷ γνωστικῷ, practica disciplina ἐν τῷ ὀρεκτικῷ: Scientiæ formalis operatio est contemplatio, disciplinæ practicæ praxis: Scientiæ finis est verum: disciplinæ practicæ bonum: Ergo scientia non potest esse disciplina practica, adeoque nec distingui scientia in theoreticam & practicam.*

Resp. *Antecedens* universaliter & exclusive verum non est: unde non nisi mera *principii petitio* est: non omnis scientia est in solo γνωστικῷ, sed theoretica tantum: non omnis scientiæ formalis operatio est sola contemplatio, sed tantum theoreticæ: non omnis scientiæ finis est tantum verum: sed tantum theoreticæ. Practica, ratione notitiæ, etiam ἐν τῷ γνωστικῷ est. In eadem & contemplatio locum habet, etsi ad praxin dirigitur: eadem & verum considerat, quamvis propter bonum. Scientiæ moralis non infrequens apud Peripateticos quoque alios est mentio: vide *Jacob. Mart.* Eudæmonolog. disp. 1. θ. 2. q. 1. &. 2.

§. 41. Quæritur (10) *An scientiæ speculativæ sint priores practicis?*

Resp. Speculativas scientias practicis, secundum naturam, priores esse, probat *Pererius* sequentibus argumentis, lib. 1. cap. 4.

 (1) Quia

(1) Quia intellectus speculativus naturâ prior est practico: est enim cognitio prior, quatenus est cognitio, quàm quatenus est practica; uti verum simpliciter prius; quàm verum practicum.

(2) Quia prior est res secundùm naturam suam, quàm ut cadit sub actionem & effectionem nostram: uti & priora sunt quæ à Deo naturaque fiunt, quàm quæ fiunt à nobis, circa illa versatur scientia theoretica; circa hæc practica.

(3) Quia in speculativis scientiis, *Metaphysica* & *Physica*, agitur de Deo, intelligentiis, cœlis, elementis: quæ naturâ sunt priora rebus, quas tractant scientiæ practicæ.

§. 42. Summa rationum *Pereris* huc redit:

Quarum scientiarum objecta secundùm naturam sunt priora, ea quoque secundùm naturam sunt priores. Atqui speculativarum objecta secundùm naturam sunt priora objectis practicarum: Ergo speculativæ scientiæ secundùm naturam priores sunt practicis.

Resp. *Propositio* non videtur esse simpliciter vera: de prioritate habituum non est pronunciandum, vel judicandum simpliciter ex *objectis*, sed ex eorum existentiâ, productione, acquisitione. Est enim *objectum* scibile ante constitutionem scientiæ. Unde etiamnum sciri multa possunt, quæ tamen nondum sciuntur; vel quorum scientia invenitur & comparatur post aliorum objectorum naturâ vel tempore posteriorum scientiam: quam propter objectum posterius dicere posteriorem eâ, quâ prior ipsa exstitit, absurdum fuerit. Fieri igitur cùm potuerit, ut scientiæ practicæ prius invenirentur & constituerentur, quàm theoreticæ: quis neget fieri potuisse, ut naturâ & tempore priores essent theoreticis: unde *affirmativa* quæstionis tuto defendi & evidenter demonstrari non poterit, nisi constiterit, speculativas ante practicas esse inventas & constitutas.

§. 43. Pro *prioritate practicarum* Aristot. deponit. 1. Metaph. cap. 1. ubi, inventis & constitutis scientiis, quæ ad necessitatis vel voluptates vitæ humanæ pertinebant, postea institutas ait scientias speculativas, quæ neque ad vivendum voluptariæ sunt, neque ad necessaria conducunt, & in illis locis primò, ubi vacabant, &c. Etiamsi *Pererius* arbitratur, moralem scientiam inventam fuisse post scientias speculativas, nempe à *Socrate*; qui, neglectis disciplinis theoreticis, quas antecessores *Thales*, *Anaxagoras*, *Empedocles*, *Democritus*, *Pythagoras* & alii profitebantur; moralis Philosophiæ studium unicè ursisse dicitur, testibus *Aristotele*, 1. Metaph. cap. 6. t. 5. & *Cicerone*, in Academ. & Tuscul. quæst.

§. 44. Objicitur.

Theoria

Theoria prior est praxi : Ergo & scientia theoretica priores sunt practicis. Antecedens in confesso est.

Resp. *Consequentia* negatur : quia alia theoriæ, alia scientiæ theoreticæ ratio est : Siquidem cum praxi necessariò conjuncta est theoria : cum scientiâ practicâ necessariò conjuncta theoretica non est : Theoriæ praxin antecedentis finis est praxis : Scientiæ theoreticæ finis non est praxis. Ex theoriâ fluit praxis : ex scientiâ theoreticâ non fluit practica.

§. 45. Quæritur (11) *An scientiæ speculativæ sint præstantiores practicis ?*

Resp. *Affirmativam* extra omne dubium ponit *Pererius*, de principiis, cap. 4. Idque ob sequentes rationes.

(1) Quia *speculativa est sui gratiâ , practica propter aliud, nempe opus.*

(2) *Speculativa per se sola hominem perficit in suo genere , finemque suum citra alterius auxilium assequitur & præstat homini : practica per se non potest consequi finem suum, sed eget auxilio virtutum moralium, aut aliorum habituum.*

(3) *Speculativa perducit ad felicitatem speculativam , & hominem in ordine ad Deum & intelligentias perficit. Practica ad felicitatem activam & in ordine ad societatem hominum.*

(4) Inter *speculativas est aliqua, nempe Metaphysica, quæ longè superat omnes practicas : Inter practicas autem non reperitur aliqua, quæ omnes superet speculativas.*

§. 46. Hæc & *Aristotelis* est sententia, lib. 6. Metaph. cap. 1. Ubi *Fonseca*, q. 5. s. 7. ad ult. pro eadem affirmativâ pugnat. 7. argumentis.

(1) *Quia omnes contemplativæ honesto otio fruuntur , dum practicæ omnes in negotio versantur : Atqui nobilior est honesti otii quàm negotii conditio.*

(2) *Quia præstantissima contemplantium est præstantior & nobilior præstantissimâ omnium agentium & efficientium : quæ 4. fuit* Pererii *ratio.*

(3) *Quia felicitas contemplativa præstantior est, quàm activa, cùm illa sit hujus finis.*

(4) *Quia appetitus naturalis nos ad rerum cognitionem magis, quàm ad actionem, inclinat.*

(5) *Quia actionis humanæ quædam quasi vestigia in brutis apparent; at contemplationis nullum.*

(6) *Quia immaterialia, æterna & necessaria non cadunt sub actionem, cadunt autem sub contemplationem.*

(7) *Quia contemplativæ sunt priores naturâ & ferè subalter-*

nantes

nantes & certiores: practica autem posteriores subalternata & minus certa. In eandem sententiam inclinat *Alcinous* de doct. Plat. cap. 2.

§. 47. Ad *Socratis* tribunal si causa hæc disceptaretur, omni dubio procul pro *practicis* ille pronunciaturus, easque contemplativis præpositurus esset. Unde missa Philosophia contemplatrice, cui, neglecta practica, antecessores ejus Philosophi unice operam dabant, ad practicam se totum convertit, teste *Cicerone*, 1. Acad. quæst. ubi rationem instituti *Socratici* hanc adducit: quod existimavit, *cœlestia* (hoc est, corpora cœlestia eorumque affectiones & causas) *vel procul à nostra esse cognitione, vel, si maxime cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferre.* In *Bruto* addit: *ex uberrimis sermonibus Socratis viros exstitisse doctissimos. Socratem* omnium mortalium sapientissimum prædicavit oraculum. Atqui sapientia ejus non in *theoria* consistebat sterili, sed in *praxi* fœcunda: non in subtilitatibus *Metaphysicis*, *Physicis* & *Mathematicis* sed in actionibus *moralibus* atque *civilibus*, civiumque ad eas informatione & manuductione. Unde primus dicitur *Philosophiam devocasse è cœlo, & in urbibus collocasse, in domos introduxisse*, apud *Ciceron.* lib. 5. Tuscul. qq. De *Socratis* instituto pulchre disputat *Augustinus*, de civit. D. lib. 8. cap. 3. vide *Xenoph.*. lib. 1. de *Socratis* Memorabil. & *Valer. Maxim.* lib. 3. cap. 4. vide & *Theophilum Raynaudum*, moral. discipl. prol. §. 1. n. 6.

Pulchra videatur dissertio *Maximi Tyrii*, quæ ordine 5. est, qua *activam vitam contemplativæ præferendam* docet: etsi dissert. 6. pro contemplativæ præstantia quoque disserit.

§. 48. Liceat igitur nobis, pace magnorum virorum, *practicas theoreticis præferre*, & inprimis quidem *moralem Physicæ, Metaphysicæ, Mathematicæ.* Rationes sunt.

(1) Quod hominem reddit simpliciter bonum, præstantius est eo, quod simpliciter bonum non reddit, sed malum relinquit, & de exturbanda malitia nihil præcipit: Atqui disciplina practica, & inprimis Ethica, hominem reddit simpliciter bonum: theoretica bonum non reddit, nec de exturbanda malitia quicquam præcepit. Ergo.

Objicit sibi rationem hanc *Fonseca* & respondet, *nec practicam nec theoreticam disciplinam reddere hominem simpliciter bonum, sed solam virtutem: etsi vero moralis utcunque effective reddit hominem simpliciter bonum, id tamen ex eo sibi vendicare, quod prima Philosophia supremum ei ostendat finem, ad quem humanas actiones dirigat.*

Resp. 1.

Resp. 1. Male opponitur virtus scientiæ morali, quæ complexio est omnium virtutum moralium: Unde non potest denegari *scientiæ morali*, quod conceditur virtuti morali.

2. *Metaphysica* duce non opus habet *Ethica*, cui ex intelligentiæ habitu innotescunt *principia prima theoretica* & *practica*: unde finem sibi potest constituere, absque habitu *Metaphysicæ*: Neque prærogativa deberetur *Metaphysicæ*, propter supremi finis indicium: quia magis est arduum finem assequi, quam ostendere. Victoriæ usum monstrare & laudare etiam ignavus potest, victoriam consequi non nisi fortis potest. Pluris faciendi, qui virtutem ipso opere exprimunt, quam qui ad eam colendam alios tantum hortantur, ipsi interim vitiis inquinati.

(2) Quod pessimis commune est cum optimis, id tam non est excellens, quam quod optimorum est proprium & optimos reddit: Atqui scientia contemplativa, *Physica*, *Metaphysica*, *Mathematica*, communis est pessimis cum optimis, practica vero & in specie moralis, propria est optimorum & optimos reddit. Ergo contemplativa tam non est excellens, &c. *Assumptionem* comprobat experientia.

(3) Quod plus favoris & apud Deum & optimos quosque conciliat, id præstantius est, quam quod minus conciliat: Atqui habitus practicus moralis plus favoris & amoris apud Deum & optimos quosque conciliat, quam habitus speculativus *Physicæ*, *Metaphysicæ* & *Mathematicæ*: Ergo: *Assumptionem* comprobat experientia.

(4) Quod proximius accedit ad præstantissimam imaginis divinæ olim homini concretæ partem, id est præstantius: Atqui habitus practicus moralis proximius accedit ad præstantissimam imaginis divinæ olim homini concreatæ partem, quam habitus theoreticus *Physicæ*, *Metaphysicæ*, *&c.* Ergo. *Assumtio* prob. Quia præstantissima imaginis divinæ pars est *justitia originalis*, cui magis affinem esse Philosophiam moralem, quam theoreticam res ipsa loquitur.

(5) Inter habitus practicos est aliquis, nempe, *Theologia*, qui longe superat omnes theoreticos. Inter theoreticos non reperitur, qui omnes superet practicos. Ergo habitus practicus est præstantior theoretico. *Consequentiam* probant *Pererius* & *Fonseca*. Theologiam esse habitum practicum in Theologia Christiana ostendimus.

§. 6. Qui habitus consistit cum summa infelicitate, is minus est præstans: quam qui cum summa infelicitate non consistit: Atqui habitus theoreticus Physica, Mathematica, &c. consistit cum

summa

summa infelicitate, practicus moralis cum eadem non consistit: Ergò: *Assumptio* prob. exemplo Dæmonum, qui infelicissimi cum sint, rerum nihilominus *Physicarum* & *Mathematicarum* scientiam habent magnam.

(7) Quid multis: judicio spiritus Dei maxima piæ probæque praxis præ theoria est prærogativa. *Si habeam prophetiam & noverim omnia mysteria omnemque scientiam & si habeam totam fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* 1. Cor. 13. v. 2. Sic Christus quoque *summam legis & Prophetarum* refert ad *dilectionem Dei* & *proximi.* Matth. 22. v. 37. 38. 39. 40. vide & *Taurellum* cæsarum Alpium lib. 2. q. 9. n. 4.

(8) Neque leve est præjudicium pro practicis contra theoreticos habitus, quod omnes fere laudes philosophiæ, quæ uspiam exstant apud veteres, non ad *theoreticam*, sed ad *practicam* pertineant: cujusmodi sunt illæ: *Philosophia est animi cultura & Medicina*, apud *Ciceron.* in Tuscul. Quæst. lib. 2. & 3. *Est benedictorum & factorum Mater*, de clar. orat. *Est vita Dux, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, inventrix legum, magistra morum*, lib. 5. Tuscul. qq. Contra vero omnia Philosophiæ vituperia, quæ in veterum occurrunt scriptis, non in *practicam*, sed in *theoreticam* jaciuntur: Vide *Heiderum*, Eth. pag. 43. ubi omnibus pensitatis, tandem concludit, *practicam praeponderare.*

§. 49. Ad oppositas *Pererii* rationes breviter ita respondemus.

Ad (1) Nulla est *consequentia*. Opus scientiæ practicæ moralis præstantius est speculatione *Physica*, vel *Mathematica*, quæ per se meliorem facit neminem.

Ad (2) *Practica* moralis quando hominem perficit per habitus virtutum moralium, non tanquam per extraneum quiddam perficit, sed per partes suas, quibus integratur; adeoque per se.

Ad (3) *Activa felicitas*, quæ virtutum moralium sequitur exercitium, præstantior est, quam *theoretica* ex contemplatione *Physica* vel *Mathematica* exsurgens. Neque homo in ordine ad Deum *speculatione* potius, quam *praxi* perficitur: quia præcipua imaginis divinæ pars non in habitu *theoretico*, sed in *practico* consistit; ut ante ostendimus.

Ad (4) Videatur quinta nostra ratio. Habitus *practicus* moralis præstantior est habitu *theoretico Metaphysico:* ut ante ostendimus.

Ad rationes *Fonseca* breviter quoque respondemus.

Ad (1) *Scientiarum practicarum*, nempe *moralis* & *civilis*, negotium præstantius est, quam *theoreticarum* otium, illud

illud bonorum est proprium, hoc malis cum bonis commune.

Ad (2) Videatur ratio nostra quinta.

Ad (3) Petitio est principii: *theoria* nostra in *praxin* potius, quam *praxis* in *theoriam* dirigenda.

Ad (4) Appetitus naturæ integræ & instauratæ potius ad *praxin*, quam ad *theoriam* inclinat, per habitum justitiæ, quæ pars originalis justitiæ est præcipua.

Ad (5) Ratio est inconsequens.

Ad (6) Etiam *actio moralis* versatur circa immaterialia, æterna & necessaria: ut constat de actionibus pietatis.

Ad (7) Videatur quæstio præcedens 10.

§. 51. Quæritur (12) *An infelicitas sit omnia speculari?*

Resp. Omnia qui dicit, nihil excludit, maxima, mediocria, spiritualia, corporalia, necessaria, contingentia, bona, mala, læta, tristia, &c. intelligit: omnia hæc speculabilia sunt. Quærenti igitur, *an infelicitas sit omnia hæc speculari*, respondet *Cæsalpinus*, quæst. Peripat. lib. 8. q. 9. Esse infelicitatem: ubi & hoc observandum, loqui eum de speculatione hominis, cui nullius rei scientia per naturam est insita: qui nullius rei scientiam sibi parat sine labore. Rationes *Cæsalpin.* duæ sunt.

(1) *Quia speculatio omnium est maxime laboriosa: Atqui maximus labor tristitiam parit, quæ cum felicitate conjuncta non est.*

(2) *Quia multa melius est non videre, quam videre.*

Taurellus neutrum argumentum alicujus esse ponderis judicat. Cùm enim homo extra se felicitatis suæ habeat originem, rerumque externarum contemplatione evadat felix, non videtur contemplandi studium ei posse molestum esse. Uti nec universalis est illa *Cæsalpini* assertio, quod labor tristitiam pariat: est enim jucundus quoque labor, cui gratiam conciliat finis amabilitas: *δύσκολα τὰ καλά.*

Alteram rationem contemnit quidem *Taurellus*, sed non refutat, vel attingit.

§. 52. Interim *affirmativam Cæsalpini*, ut à nobis est explicata, non improbamus, idque ob sequentes rationes.

(1) Quia multarum rerum cognitio admodum acerba nobis accidit: ut testatur experientia. Unde verissimum est, quod *Cæsalpinus* ait, melius esse multa non videre, quàm videre. Et humanæ sapientiæ partem *Scaliger*, Exer. 307. sect. 29. prædicat, quædam æquo animo nescire velle.

(2) Quia speculari omnia nemo hominum naturaliter potest sine maximis molestiis, anxietatibus, diurnis nocturnisque laboribus & sumptibus. Et si vel maximè tantos aliquis labores exantlet,

quantos

quantos homo poteſt, tantos impendat ſumptus, quantos impendere homo poteſt, nunquam tamen ſpeculabitur omnia: quia ſcire omnia nemo poteſt; *Varro*, lib. 2. de re Ruſt. cap. 1. Innumera rerum eſt varietas per univerſum diſperſa mundum; quarum plurimæ per externa impedimenta, ne de internis dicam, in hominis venire notitiam non poſſunt: cujuſmodi ſunt inacceſſæ ſolitudines, terræ mariſque profunditas, &c.

(3) Quia ſtudium contemplandi omnia in nullo nos ſinit excellere. *Pluribus* (nedum omnibus) *intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.* Atqui infelicitas eſt, ad excellentem ullius rei notitiam non poſſe pervenire.

Objicitur.

Si ἐν τῷ θεωρεῖν conſiſtit felicitas theoretica; Ergo quo id excellentius, eo quoque excellentior erit ipſa felicitas. Si igitur felicitas eſt per ſe bonum θεωρεῖν, inveſtigare & cognoſcere major erit felicitas, multa & maxima, omnia θεωρεῖν, indagare, cognoſcere.

Reſp. In contemplatione omnium non conſiſtit *felicitas theoretica* poſſibilis: quia contemplari omnia homini eſt impoſſibile. Unde *Lactantius*, lib. 3. Inſtitut. cap. 6. *Nemo ſe omnia ſcire putet, quod Dei eſt; neq; omnia neſcire, quod pecudis. Eſt enim aliquid medium, quod ſit hominis, id eſt, ſcientia cum ignoratione conjuncta & temperantia.*

Aliqua etiam præſtat ignorare, quàm ſcire, neque ἐν τῷ θεωρεῖν, ſimpliciter conſiſtit felicitas theoretica, ſed ἐν τῷ θεωρεῖν, quod excellentiam theoriæ non impedit, quodque animum non affligit.

§. 54. Quæritur (3) *quot modis amitti & interire poſſit ſcientia.*

Reſp. *Ariſtoteles* lib. 1. Poſter. analyt. 6. quatuor ob cauſas ſcientiam amitti docet:

(1) *Cum quis obliviſcitur cauſæ, qua concluſionem ſciebat.*

(2) *Cum quis obliviſcitur concluſionis.*

(3) *Cum res ipſa, quæ ſciebatur, interit, vel mutatur.*

(4) *Cum is, qui ſciebat, interit.*

§. 55. Adverſus quatuor hoſce modos multa diſputantes vide *Patres Conimbr.* in cap. 7. primi poſt: Anal. q. 2. art. 1. 2. 3. 4. Quicquid verò *Patres* diſputent, dari ſcientiarum & artium interitum per oblivionem, certum eſt. Scribit *Thucydides*, peſtilentiâ quâdam atrocius graſſante, infectis eâ tantum obrepſiſſe omnium inſcitiam, ut parentum, amicorum & ſuimet obliviſcerentur. *Hermogenes* anno ætatis 15. tantam adeptus eſt gloriam, ut *Marcus Imperator* & *Muſonius* Philoſophus audiendi ejus amore caperentur: Exſtant ejus ad *Marcum Imperatorem* verba:

Venio

Venio ad te, Imperator, pædagogo indigens rhetor, & rhetor ætatem expectans Anno ætatis 18. artem ſcripſit, quæ etiamnum cum admiratione omnium manibus teritur. Mox verò, anno 24. mente motus eſt omnium oblitus. Unde natum illud *Antiochi Sophiſtæ*, Ἑρμογένης ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς.

Meſſala Corvinus, orator, poſt ægritudinem proprii nominis eſt oblitus; *Solinus* cap. 7. & biennium antè, quàm moreretur, ita memoriam & ſenſum amiſit, ut vix pauca verba conjungeret: *Cæl. Rhodig.* lib. 11. cap. 13. *Georgius Trapezuntius*, doctiſſimus vir, in ſenio omnium literarum Græcarum Latinarumque eſt oblitus: quod & *Franciſco Barbaro* Veneto accidit, teſte *Hermolao*.

§. 56. Quæritur (1) *An ſcientia differat ab opinione?*

Reſp. Attingenda hæc quæſtio propter veteres, quorum variæ de *opinione* fuerunt opiniones.

Nonnulli *opinionem* à *ſcientia* diſtinctam negarunt: qui crediderunt omnia, quæ opinamur, eſſe vera, ut *Protagoras*, *Heraclitus*, *Epicharmus*, *Homerus*, &c. qui hominem rerum menſuram conſtituerunt; hoc uſi diſcurſu. *Ea opinamur, quæ nos movent: ea nos movent, quæ ſunt: quæ ſunt, vera ſunt: tantùm igitur ea opinamur, quæ vera ſunt.* Hi ſenſus à mente ſecretos negabant: unde ex re movente & ſenſu motorem proximum ſenſibilem conſurgere in variis varium affirmabant, qui talis judicaretur, qualis conſurgeret: veluti geniſta capræ dulcis, homini amara.

§. 57. *Alii* ſcientiam ab opinione reverâ diſtinctam affirmarunt: attamen homini ſolam opinionem, non ſcientiam, competere ſibi perſuaſerunt, propter humanæ cognitionis imperfectionem: Unde *Auguſtinus* dixit. *ſcire noſtrum eſſe pulchrum quoddam opinari*: & crebra apud veteres mentio de incertitudine ſcientiarum & doctâ ignorantiâ.

Utraque ſententia eſt falſa, *experientiæ & rationi* contraria. Et *prima* quidem ſenſum cum mente & intellectu peſſimè confundit & in hominis præſtantiam eſt iniquiſſima.

§. 58. *At*, inquis, *opinamur, quæ nos movent, ea verò, quæ nos movent, ſunt, quæ ſunt, vera ſunt. Quæcunque igitur opinamur, vera ſunt: adeoque ab opinione noſtrâ non eſt diſtincta ſcientia.*

Reſp. Atqui falſiſſima ſæpe numero eſſe, quæ nos opinamur vera eſſe, teſtis eſt quotidiana experientia: cui nemo ſanæ mentis poteſt contradicere. Quæ igitur nos movent, ſunt, vel κατ' ἀλήθειαν, vel κατὰ δόξαν, hoc eſt, vel verè ſunt, qualia corripuntur, vel videntur eſſe, quamvis verè non ſint: multa igitur, quæ opinamur, vera non ſunt, ſed falſa, etiamſi videntur vera.

§. 59. Neque *opinio* tantum, sed & *scientia* in hominem cadit: etiamsi magna, respectu objectorum multorum, humanæ cognitionis est imperfectio. Unde minime audiendi veteres, qui omne veritatis *judicatorium* absurde & monstrose sustulerunt: inter quos *Xenophanes Colophonius*, *Xeniades Corinthius*, *Anacharsis Scytha*, *Protagoras*, *Gorgias*, *Metrodorus*, *Anaxarchus* &c. quorum fundamenta excutit & concutit *Johannes Franciscus Picus Mirandulanus*, in examine vanitatis doctrinæ gentium, lib. 2. Pertinet huc secta *Scepticorum* & *Pyrrhoniorum*. lib. 3.

§. 60. Accedit igitur *tertia sententia*, quæ opinionis & scientiæ distinctionem admittit, hominique non tantum *opinionem*, sed & *scientiam* tribuit, quæ verissima est, experientiæ & rectæ rationi consentanea. Datur enim & à nobis cognoscuntur proximæ rerum, quæ aliter se habere non possunt, causæ, quæ scientiam gignunt, ad quam per naturam homo est proclivis: quod desiderium plane frustraneum esse autor naturæ non patitur. De *opinione* dubium non est: dantur enim & à nobis cognoscuntur causæ rerum probabiles, quæ verum modo adstruunt & adsequuntur, modo ab eo aberrant: unde non minus frequens opinionum falsitas, quam veritas.

§. 61. Restat ergo ut *opinionis* & *scientiæ* assignemus differentiam, quæ ex definitione utriusque elucescit. *Scientiam* supra definivimus ejusque naturam declaravimus: *opinio* nonnullis definitur: *Habitus inclinans ad assentiendum alicui rei ob rationem probabilem cum formidine partis oppositæ.* Aliis, *existimatio vel assensio de eo, quod potest secus habere vel ratione rei, vel ratione medii, per quod ei assentimur, pertinens ad eam animi facultatem, quæ ratiocinatrix appellatur.*

Est igitur præcipua differentia *scientiæ* & *opinionis* ex parte *medii*, per quod affirmatur vel negatur conclusio. *Medium*, quam scientiam gignit, est necessarium & infallibile, per quod non potest non esse vera conclusio. *Medium*, quod opinionem gignit, est contingens & fallibile; quod veritatem conclusionis necessario non evincit: Unde, ratione medii, *Aristoteles* syllogismum apodicticum & necessarium à topico distinguit.

Neque tamen unice per *medium* distinguitur *scientia* ab *opinione* vel *opinio à scientia*: Siquidem eodem *medio* gigni in alio potest scientia, in alio opinio: quia idem uni necessarium, alteri probabile videri & judicari potest: Atqui non potest dici scire, sed opinari tantum, qui probabilem tantum assensus sibi videtur habere causam, quamvis illa in se necessaria sit: assentitur enim cum formidine, quam procul habet, qui de necessitate certus est.

§. 62. Ob-

§. 62. *Observanda* igitur certitudo triplex, *objecti*, *cognitionis* & *cognoscentis : prima* est rei, quam scimus, necessitas: *Secunda* est cognitionis infallibilitas, cui subesse nequit falsitas: *tertia* est adhæsionis ad rem, ut veram, firmitas, cum qua consistere potest falsitas. Cum opinione consistit certitudo *rei*, & certitudo quoque *cognoscentis :* non vero certitudo *cognitionis*. Rei enim per se certæ probatio per medium contingens & probabile, tantum opinionem, non scientiam, gignit: & sæpe pertinacissime rei, tanquam veræ, aliquis inhæret, quæ tamen falsa est: unde non potest dici scire: infallibilitas cognitionis elidit opinionem, quæ per naturam suam est fallibilis, quatenus ad opinantem refertur & cum oppositæ partis formidine est conjuncta. Necessitas *medii* per se non elidit opinionem, nisi quatenus intelligitur: ut ante diximus: Unde ad necessitatem medii scientiam gignentis requiritur *evidentia*, quæ in opinante revera non est. Est autem *duplex evidentia*, una *objecti*, altera *cognitionis*. *Illa* est claritas & perspicuitas rei vera, qua res potentiæ ita objicitur, ut, qualis in se est, ab ipsa quasi videatur. *Hæc* est ipsa perceptionis rem penetrantis claritas infallibilis. Neutra in opinione invenitur. Hinc manifesta est *scientiæ* & *opinionis differentia*.

§. 63. Quæritur (2) *An cum opinione omni conjuncta sit formido partis oppositæ: vel an formido ab opinione sit inseparabilis.*

Resp. *Formido* partis oppositæ in opinante est negatio certitudinis & vacillatio in cognoscente: qua etsi assentitur conclusioni, tamen de veritate ita plane persuasus non est, ut aliter rem non posse habere credat. Hanc appellant *formidinem subjecti*, hoc est, cognoscentis: præter quam datur quoque *formido cognitionis*, qua sic affecta est cognitio, ut ei falsum subesse possit: quam cognitionis incertitudinem quoque appellant. Unde duabus *assertionibus* ad propositam quæstionem respondemus.

Prima: *Formido in subjecto, seu cognoscente, ab opinione non est inseparabilis.*

Quia datur opinio absque formidine cognoscentis. Siquidem experimur quibusdam sententiis nos absque ulla intellectus formidine adhærere; quas postea manifestis rationibus damnamus. Unde *Aristoteles*, lib 7. Eth. cap. 3. scribit, *multos tenacius suis adhærere opinionibus, quam alios sententiis*. Et alias quoque constat, hæreticos nonnullos etiam falsis suis opinionibus ita inhærere pertinaciter, ut mori malint, quam eas deserere vel mutare: quod nullo modo facturi essent, si cum formidine partis oppositæ opinarentur. Sic igitur, qui existimant necessarium esse, quod falsum est, opinantur, & medio saltem probabili moventur, neque tamen

 ullo

ullo modo formidant. Idem comprobat *humana fides*, cujus eadem est ratio, quæ opinionis; Hanc sæpe sine ulla esse formidine testatur experientia: Quamvis humana autoritas, qua nititur, sit fallibilis & labilis.

§. 65. Secunda: *Formido cognitionis ab opinione est inseparabilis.*

Ratio est evidens: Quia *opinio* essentialiter est cognitio fallibilis: necessario igitur habet negationem infallibilitatis: quæ formido est cognitionis. Unde separari ab opinione formido non potest, quin essentia opinionis evertatur: veluti conjungi cum scientia, vel separari ab ea infallibilitas non potest, quin essentia scientiæ evertatur.

Objicitur (1) *Qualibet cognitio afficit intellectum secundum natura sua modum. Ergo qua intrinsece fallibilis est & incerta, secundum hasce conditiones informabit intellectum, & per consequens, formidinem ei conciliabit.*

Resp. *Antecedens* non conceditur, nisi de notitia intellectum afficiente secundum naturæ suæ modum, quem ab *objecto* expresse repræsentato habet. Ubi enim conditio *objecti* expresse non est cognita vel repræsentata, cognitio intellectum non afficit secundum naturæ suæ modum.

§. 66. (2) *Ita se habet formido ad opinionem, ut certitudo ad scientiam. Atqui fieri non potest, ut, qui actu scientiam habet, de illius objecto dubitet: Ergo fieri quoque non potest, ut, qui opinatur, non dubitet.*

Resp. *Propositio* negatur: *Scientia* & *opinionis*, quoad certitudinem & formidinem, non est par ratio. *Certitudo* scientiæ est essentialis; *formido*, quæ dicitur subjecti & cognoscentis, opinioni essentialis non est; ut ante ostendimus.

§. 68. Quæritur (3) *An scientia & opinio de objecto eodem simul in eodem esse intellectu possint?*

Resp. In scientia & opinione duo considerari & distingui possunt, *habitus* & *actus*, seu actio ex habitu profluens. Unde collatio & quæstio institui & formari triplex potest: *una*, de habitibus, altera *de actibus*, tertia *de habitibus & actibus:* Nempe (1) *An scientia & opinio, ratione habituum, simul in eodem esse intellectu de eodem objecto possint? (2) An ratione actuum utriusque? (3) An ratione actus unius, & habitus alterius?* Veritatem igitur tribus *assertionibus* explicamus & confirmamus.

(1) *Habitus opinionis & habitus scientiæ de eadem propositione simul esse in eodem intellectu possunt.* Ratio est.

1. *Medium scientificum* & *opinativum* possunt simul esse: Ergo

Ergo etiam habitus scientificus & opinativus simul esse possunt. *Antecedens* patet: quia idem modo *scientifico*, modo *opinativo medio* probamus, & per rationum etiam probabilium multitudinem eidem conclusioni facilius assentimur. *Ratio consequentiæ* est: Quia ita se habent opinionis & scientiæ habitus, ut media scientifica & opinativa.

2. Habitus *scientiæ* & *opinionis* non tribuunt subjecto repugnantes denominationes: Ergo simul in eodem esse subjecto possunt. *Antecedens* prob. Quia denominationes oppositæ fiunt ab *actibus*, non ab *habitibus*: per habitus nec certi nec incerti sumus de objecto: sed per actus: *Ratio consequentiæ*: Quia repugnantia duarum denominationum ab eodem subjecto excludit opposita. Vide *Conimbr.* in cap. 26. I. poster. q. 2. art. I.

§. 70. (2) ***Habitus scientiæ potest esse in eodem subjecto, seu intellectu, cum actu opinionis: & habitus opinionis cum actu scientiæ.***

Ratio est 1. Quia actus non pugnat immediate cum habitu, sed mediante alio habitu. Ergo si habitus opinionis & scientiæ simul esse possunt, nil obstat, quo minus actus unius cum habitu alterius esse possit.

2. Quia potest, qui habitu scientiæ est præditus, non cogitare de medio scientifico, potestque ei occurrere medium opinativum, quo conclusionem probet. Poterit igitur in eo simul esse actus opinativus cum habitu scientifico. Eadem est ratio habitus opinativi & actus scientifici.

§. 71. (3) ***Actus opinionis, qui formidinem extrinsecam non habet adjunctam, simul cum actu scientiæ de eodem objecto. Contra, qui formidinem illam habet adjunctam, simul cum actu scientiæ non potest esse.***

Ratio *prioris* est: quia actus illi repugnantes denominationes subjecto intellectui non tribuunt: Siquidem, exclusa formidine externa, intellectus per actum opinativum incertus non redditur.

Ratio *posterioris* est: quia inducitur denominationum repugnantia.

Prolixior probatio videatur apud *Conimbr.* loco allegato, art. 2. *Exceptiones* adversus assertiones, earumque solutiones videantur eodem loco.

Affines *opinioni* sunt *fides* & *pædia*, de quibus vide *Piccolom.* Grad. 5. cap. 11. 12. 13.

§. 72. Quær. (4) ***An opinio & scientia uno gigni possint actu?***

Resp. Si de constante & *durabili opinione* sit sermo, non potest ea ab uno gigni actu. Quia non est ea syllogismi probabilis

 & argu-

& argumenti topici natura, ut una vice intellectum determinet ad constanter & perpetuò assentiendum, sed plures oportet concurrere probationes, quæ omnem opinanti formidinem eximant. Alia est *scientiæ* ratio. Siquidem scientia comparatur demonstratione in specie sic dicta, cujus ea est vis, ut vel unica convincere intellectum possit & ad firmiter assentiendum inclinare & determinare. Siquidem causa necessaria & proxima evidentiam rei conciliat. Ubi vero evidens est causa, ibi non potest non assentiri intellectus, idque constanter & perpetuò, dum durat evidentia. veluti qui causam proximam eclipsis naturalis semel intellexit, deinceps de eâ nunquam dubitat.

Hæc tamen non accipienda sunt, nisi de *scientiâ* unius conclusionis simplici: Scientiæ integræ & aggregatæ ex multarum conclusionum demonstrationibus, qualis est *Physica*, *Metaphysica* &c. ratio est alia: tot enim illa comparanda est actibus, quot sunt distinctæ conclusiones demonstrabiles.

V I I.

Hactenus virtus speculativa simplex. *sequitur composita, quæ sapientia nominatur & habitus est ex intelligentia & scientia rerum præstantissimarum constans.*

Ἔκθεσις.

§. 1. Quæritur (1) *An Sapientia, ut hoc loco consideratur, sit omnium disciplinarum & scientiarum perfecta notitia?*

Resp. *Affirmativam* adstruit *Jacobus Martini*, quæst. illustr. cent. 4. disp. 10. q. 9. Cui non assentimur: Etsi inter alia sapientiæ significata etiam hoc numerari posse non diffitemur. Perfecta notitia omnium scientiarum & disciplinarum idem est cum Philosophia, quam ita communiter appellamus & in *theoreticam* atque *practicam* distinguimus: illam rursum in *Metaphysicam*, *physicam* & *mathematicam*: Hanc in *ethicam*, *politicam* & *œconomicam*. Quis verò *sapientiam*, quatenus est species virtutis intellectualis contemplativæ, uti hoc loco & ab *Aristotele* in Ethicis consideratur, in hasce distinguendum species concesserit.

§. 2. *Aristoteli* lib. 6. Eth. cap. 7. Sapientia definitur, *cognitio rerum honoratissimarum & præstantissimarum:* ubi per *res honoratissimas & præstantissimas* intelligit, quæ inferiorum scientiarum & disciplinarum, quales *Physica*, *Mathematica*, *Ethica*, &c.

ca, &c. limites transcendunt & captum superant: quales nempe sunt, quæ in *Metaphysicis* considerantur: unde *Metaphysicam* Aristoteles *sapientiam* appellat. Non autem pertinere ad *Metaphysicum* distinctam omnium naturarum cognitionem, pluribus probat rationibus *Fonseca*, lib. 1. Metaph. cap. 2. q. 1. sect. 2. Idem cap. 1. sub finem *scientiam* à *sapientia* distinguit: quod *scientia* sit conclusionum per causas inferiores. *Sapientia* per causas supremas. Disertè enim loco illo *Aristoteles* ait, τὴν ὀνομαζομένην σοφίαν περὶ τὰ πρῶτα αἴτια καὶ τὰς ἀρχὰς omnium judicio versari: quod inculcat quoque lib. 6. Moral. *Nicomach*, cap. 7. Pertinet huc quæstio de *subjecto metaphysica*, quam ad lib. 1, cap. 2. cujus summa: *Circa quas causas & quæ principia scientia sapientia nomine dicta versetur*: Interpretes tractant. Præ aliis consulantur *Fonseca* & *Suaretius*. Disserit de eadem *Piccolom.* Grad. 5. cap. 23. 24.

§. 3. Quæritur (2) *An sapientia sit habitus ex intelligentia & scientia compositus?*

Resp. Recepta est *affirmativa*, quam in thesi expressimus: quam explicat & adstruit *Aristoteles* lib. 1. magnor. Moral. cap. 33. *Sapientia*, inquit, *ex scientia menteque constituitur: est namque sapientia circa principia, ipsa quoque mentis particeps. At quatenus est circa ea, quæ post principia sunt, cum demonstratione, scientiæ est particeps & proinde dubium non est, quin sapientia ex mente scientiaque confletur.*

§. 4. Quod si *sapientia* accipiatur pro habitu intellectuali aliis disparatè opposito: & *scientia* itidem pro certa habitus intellectualis specie: non minus simplex habitus nobis videtur sapientia quam intelligentia vel scientia. Siquidem *scientia* in specie sic dicta est conclusionum per causas inferiores: *Sapientia* in specie sic dicta conclusionum per causas supremas. *Intelligentia* primorum est principiorum, quibus cum scientia, tum sapientia utitur. Nulla hinc apparet sapientiæ ex intelligentia & scientia compositio. Imo si pars sapientiæ esset scientia, ad sapientiam quoque in specie sic dictam pertineret conclusiones demonstrare per causas inferiores, & sic habituum distinctorum confunderentur limites: quod absurdum: vide *Fonsecam*, loco supra allegato, lib. 1. Metaph. cap. 2. q. s. 2. Inter *sapientiam* in specie dictam & *scientiam* in genere dictam distinctio est, qualis inter speciem & genus: quia *sapientia* est species scientiæ. Unde *Scientia* in *sapientiam*, hoc est, *Metaphysicam*, *Physicam & Mathematicam* distingui solet: quo respectu composita est sapientia ex *genere* & *differentia*. *Genus* est scientia in

Hhh 4 genere

genere sic dicta: *differentia*, demonstrativa conclusionum per causas supremas.

§. 5. *Usus* intelligentiæ in sapientiâ non arguit compositionem sapientiæ. Siquidem communis est ille usus sapientiæ cum aliis habitibus, qui tamen propterea ex aliis habitibus compositi non dicuntur. *Sapientiam à scientia & intelligentia* ita nonnulli distinguunt. S*apientia* tale objectum habet, de quo cum demonstrat affectiones ei proprias, ipso illo etiam suppeditat rationem & modum cum confirmandi principia cæteris scientiis propria, tum illustrandi, declarandi, & propugnandi principia communia, si in dubium ab homine pertinaci vocentur.

Intelligentia promtitudinem quidem intelligendi principia suppeditat, non tamen illustrandi & propugnandi ea, ut sapiens, quem *Metaphysicum* appellant.

Interim *Heiderus* in Eth. part. 2. pag. 183. ait, *dubium non esse, etiam prudentiam, quatenus in universalibus occupatur, sub sapientiâ contineri*, idque probat testimon. *Ciceronis*, *Platonis*, *Plinij*: qui sapientiæ adscribunt, quod est prudentiæ.

§. 6. Objicientibus (1) *Hac ratione divisio virtutum dianoëticarum non erit satis accurata.*

Respondet: *concedimus, si nimium diligentes in pensitandis Majorum inventis esse velimus.*

§. 7. (2) *Sapientia & Scientia tantum sunt disciplinarum theoreticarum in Philosophiâ Peripateticâ.*

Respondet. *Hoc quidem opinionis est & facti, non autem juris & veritatis.* Sed nimium ille hoc modo crabrones irritat, & forsan in *crimen læsæ majestatis Aristotelicæ incurrit.* Quamvis offensionem non adeò metuat. Unde illud *Plautinum* usurpat: *In Republ. literariâ cives arguti sine virtute similes sunt præficarum.*

§. 8. Quæritur (3) *Quæ sapientis sint requisita?*

Resp. *Aristoteles*, lib. 1. Metaph. cap. 2. ex receptâ temporum illorum sententiâ, sex enumerat sapientis requisita.

(1) *Scire omnia.*
(2) *Scire non quævis, sed homini difficilia.*
(3) *Posse accuratè demonstrare.*
(4) *Ad docendum maximè aptum esse.*
(5) *Scire solius cognitionis gratiâ.*
(6) *Omnibus præcipere.*

§. 9. Quæ omnia quàm malè olim fuerint accepta, & quàm falsò aliis, præter *Metaphysicam*, scientiis & disciplinis vendicata fuerint, & quàm verè recteque *Metaphysicæ* vendicentur, ibidem ostendit *Aristoteles*, ejusque commentator *Fonseca.*

Scire

Scire autem omnia dicitur ſapiens, non quod omnium ſingulatim profiteatur ſcientiam, ut Sophiſtæ olim: Sed quod primos ſciendi fontes habeat exploratos, hoc eſt, primas cauſas, & principia: quæ qui tenet, judicare de omnibus, tanquam omnium architectus, poteſt. Unde *Ariſtoteles* ait, *ſapientis eſſe ſcire omnia non ſingulatim, ſed quoad fieri poteſt.*

Difficilia, quæ ſcit ſapiens, ſunt primæ ſummæque cauſæ & principia à ſenſibus remotiſſima, propter abſtractionem à materiâ.

Demonſtrationum accuratio, quæ tribuitur ſapienti, ſpectat principiorum independentiam, in quæ omnia alia inferiora reſolvuntur.

Aptitudo ad docendum Sapienti præ aliis tribuitur propter cognitionem primorum principiorum & ſummarum cauſarum. Unde *Ariſtoteles* ait, *eam ſcientiam ad docendum eſſe aptiorem, quæ magis verſatur in cauſarum conſideratione. Soliuſq; cognitionis gratiâ* ſcire ſapienti κατ' ἐξοχὴν tribuitur, quia mentem ejus liberrimam & affectibus minimè turbatam eſſe par eſt: neque ſapientiæ admittit excellentia, ut per ſe non expetatur, ſed ad aliud, tanquam nobilius referatur.

Denique *omnibus præcipere* Sapienti *Peripatetico* competere ideò dicitur, quia ſummum & communem omnibus aliis diſciplinis finem præſcribit, ſubjecta determinat, limiteſque definit: quo nomine *ſapientia Ariſtotelica*, hoc eſt, *Metaphyſica*, omnium aliarum diſciplinarum & ſcientiarum caput appellatur: cui quoque ſubalternari dicuntur, certo reſpectu: de quo *Fonſeca, lib.* 4. *metaph. cap.* 1. *q.* 2.

Ita ſapientem deſcribit *Ariſtoteles*, cui Metaphyſica eſt ſapientia, quam habituum intellectualium ſpeciem conſtituit. Hæc verò an totam ſapientiæ abyſſum ſola exhauriat, non adeò liquet. Certè *Socrates & Plato* vix annuent. *Objectum Metaphyſicæ*, ſecundum receptiſſimam in Scholâ *peripateticâ* ſententiam, eſt *Ens, quatenus ens*, cujus affectiones & generaliſſimas ſpecies, quæ inferiorum ſcientiarum tranſcendunt limites, contemplari eſt *Metaphyſici*: qui nullius in ſpecie Entis, ne Dei quidem & intelligentiarum ſpecialem theoriam ſibi vendicare jure & homogeneè poteſt: Sunt enim hæc naturalis πνευματολογίας, quæ de ſubſtantiis agit incorporeis, ut *Phyſica* de corporeis, *objecta*: de quibus in ſpecie non magis homogeneè, quàm de corpore naturali præcipere poteſt *Metaphyſica*. Reſtant igitur *Metaphyſicæ* homogenea ſola ſumma rerum genera eorumque affectiones generaliſſimæ: ob quæ an ſolus *Metaphyſicus* dici ſapiens debeat, Phi-

losophi judicent. Olim σοφία quæ dicebatur. Unde σοφὺς, hoc est, sapientes se appellarunt cultores ejus, à *Pythagora* postmodum appellata fuit φιλοσοφία, hoc est, *studium sapientiæ:* qui cum nimis arduam esse sapientiæ adeptionem intelligeret, ad comprimendam hominum, qui σοφοὶ appellari volebant, arrogantiam. non σοφὸς, hoc est, *sapiens*, sed φιλόσοφος, hoc est, *sapientiæ studiosus*, appellari voluit: cujus modestiam quoque sequentium seculorum docti viri sunt imitati, hodieque passim *Philosophiæ* & *Philosophorum* usitatum & celebre nomen est: quod nemo sustinet, qui aliarum scientiarum & disciplinarum rudis tantum est *Metaphysicus:* vide *Piccol.* Grad. 5. cap. 26. Quod si tamen specialiore significatu sapientiam accipiat *Aristoteles*, (quod in doctrinâ de virtutibus intellectualibus fecisse videri debet) solique tribuat *Metaphysicæ*, morosè cum eo de voce contendendum non fuerit: quamvis *definitio sapientiæ* ab ipso tradita, *cognitio rerum honoratissimarum & præstantissimarum*, metaphysicæ intra suos se limites (de quibus paulò antè) continenti non videatur competere, nedum soli. Unde patet, quid judicandum sit de sapientię requisitis soli Metaphysico applicatis. Vide *Senecam* epist. 110.

§. 11. Quæritur (4) *Quinam olim, extra Dei populum inter gentiles sapientiæ nomine fuerint celebres & quo jure sapientes sint appellati?*

Resp. *Hermippus* in lib. de sapientibus numerat XVII. Sapientes, quorum nomina, *Solon, Thales, Pittacus, Bias, Cleobulus, Chilon, Periander, Anacharsis, Arcesilaus, Epimenides, Leophantus, Pherecydes, Aristodemus, Pythagoras, Lasus, Hormioneus, Anaxagoras.*

Ex hisce nonnulli VII. eligunt, quos Græciæ appellant, Sapientes, qui vulgò celebres sunt: quorum nomina, *Thales Milesius, Solon Salaminius, Chilon Lacedæmonius, Pittacus Mitylenæus, Bias Pyrenæus, Cleobulus Lydius, Periander Corinthius.*

§. 12. Varia de hisce olim judicia fuerunt. *Anaximenes* dixit Poëticæ potius fuisse studiosos, quàm reverâ sapientes: *Dicæarchus*, neque sapientes, neque Philosophos fuisse scribit, sed probos cordatosque viros & legum latores. Quæ ab invidiâ videntur profecta judicia. Non pugnat cum sapientiæ studio atque professione *Poëtica.* Sive legatâ, sive solutâ ortione ad posteros transmittatur sapientia, perinde est. Utrique sermonis rationi cum sapientiâ probè convenit. Neque justas ferre possunt leges, qui sapientiæ sunt expertes. Unde sapientes & prudentes appellari legum latores solent: quippe qui divinorum humanorumque habent notitiam, & ex eâ leges promunt. Itaque dubium non est, quin, qui sapientiæ famam olim inter Græcos sunt consecuti, verè sapientes fuerint & aliis

aliis antecelluerint sapientiæ studiosis: quod non testimonia tantum confirmant publica, communisque populorum consensus, sed & præclaræ ipsorum sententiæ, quæ circumferuntur, & leges, quas condiderunt. Unde Plato in Epinomide non dubitat, quin *vir bonus sit sapiens:* & *sapientem* judicat, *qui, cum divina speculatus fuerit, rectè de humanis judicat, eaque moderatur.* Quod si verò sapientia tantum æstimanda esset è subtilitatibus *metaphysicis* & summis rerum generibus: dubio procul sapientum nomina sustinere vix illi potuissent: quia de iis laborasse nusquam leguntur: neque vocari in consilium ea solet; quando condendæ leges, formandæ respublicæ, & probis moribus excolendi cives. Interim à *sapientia* ambitu non excludimus *Philosophiam theoreticam*, cujus pars quoque *Metaphysica:* quam tamen qui nunquam professus est, è sapientum excludi sensu non debet.

De propria sapientum prudentia (sine hac enim perfecta non est sapientia, à quâ olim sapientes sunt appellati) vide *Piccol.* Grad. 5. cap. 26. Unde patebit, cur *Aristoteles*, lib. 6. Eth. cap. 8. *Anaxagoram* & *Thaletem* dicat sapientes quidem fuisse, non tamen prudentes.

§. 13. Et hactenus Sapientes *Græcorum*, quos primos fuisse scientiarum parentes *Laërtius* opinatur, sed non sine errore. Etiamsi enim sapientiæ studia admodum excoluerunt Græci tamen antecessores habuerunt *Assyrios, Chaldæos, Hebræos* & *Ægyptios.* Celebre est *Apollonii Thyanei* iter ad *Brachmanas & Gymnosophistas*, sapientiæ professores. Ab his quicquid acceperunt Græci, teste *Platone*, melius reddiderunt, postremamque iis perfectionem addiderunt: unde soli ipsorum celebrati sapientes.

In *Ecclesia* omnium mortalium sapientissimus fuit Salomon: sub cujus nomine etiamnum celebratur *sapientia*, quæ *Salomonis* dicitur. Prolixè de eâ disserentem vide *Pinedam*, libris VIII. de rebus Salomonis regis.

§. 14. Quæritur (5) *Quanta fuerit Regis Salomonis sapientia?*

Resp. Pro modulo & captu hominis mortalis, maxima & perfectissima, etiam secundum definitionem, quæ nonnullis arridet, *omnium disciplinarum & scientiarum perfecta notitia.* Testem habemus locupletissimum, ipsum Dei spiritum, 1. Reg. 3. v. 12. *Ecce do tibi animum sapientem & intelligentem, adeo ut non fuerit tibi par ante te, & post te non surrecturus sit par tibi: &* 1. Reg. 4. v. 30. 31. *Erat sapientia Salomonis major, quàm sapientia omnium Orientalium, & quam omnis sapientia Ægyptiorum:* Sapientior etiam fuit omnibus hominibus, *Ethane Ezrachæo, & Hemane, & Calcole, & Dardabo, filiis Macholis, pervasitq; nomen ejus in omnes gentes circumquaque.*

Orienta-

Orientalium nomine intelliguntur *Babylonij*, *Chaldei*, *Phænices* & *Sidonij*: qui omnium tum temporis sapientissimi habebantur populi, optimarum artium magistri, *Astronomiæ*, *Arithmeticæ*, totiusque Philosophiæ peritissimi.

Apud *Ægyptios* florebant non tantum scientiæ omnes *Mathematicæ*, sed & *Moralis*, *Physica*, *Theologia*, ut testantur, *Philo*, *Clemens Alex. Strabo*, *Nyssenus*.

§. 15. Itaque scientia *Salomoni* concessa *encyclopedia* fuit omnium scientiarum & artium, rerumque divinarum & humanarum: quod prolixe & per singulas partes probat *Pineda*, in vita & rebus gestis *Salomonis*, lib. 3. Ubi ex scripturis probat *Salomonem* fuisse:

(1) Loquendi & scribendi inventorem & artificem: cap. 11.

(2) Eloquentiæ virtute admirabilem: cap. 12.

(3) In *Poësi* & *Musica* clarissimum: cap. 13.

(4) In *Dialecticis* subtilissimum: cap. 14.

(5) Obscurissimorum *ænigmatum* inventorem & expositorem acutissimum: cap. 15.

(6) Pulcherrimarum *parabolarum* compositorem sapientissimum: cap. 16.

(7) *Historiæ* peritissimum: cap. 17.

(8) *Astronomum* summum: cap. 18.

(9) *Geometram* & *Arithmeticum* præstantissimum: cap. 19.

(10) In *Cosmographia*, *Geographia*, *Hydrographia* & *Architectura* absolutissimum: cap. 20.

(11) *Physiologum* summum: cap. 21.

(12) *Historiæ* naturalis scriptorem & scrutatorem diligentissimum: cap. 22.

(13) *Medicinæ* principem: cap. 23.

(14) *Magiæ naturalis* scientissimum: cap. eod.

(15) *Civilis doctrinæ* consultissimum: cap. 24.

(16) *Oeconomicæ* atque *Ethicæ* præceptorem sapientissimum: cap. 25.

(17) *Theologum* naturalem & supernaturalem summum: c. 26.

§. 16. Tandem *Salomonis* sapientiam annulo alligatam nonnulli opinantur: de quo, è plumbeis & *Arabicis* libris *Granatensibus* in monte quodam repertis *Pineda* quidam *Arabicæ* linguæ peritus sequentia narravit. ***Salomonem aliquando ad balneum se præparantem, in Jordanis ripa, pellicum precibus, annulum quendam, quo allegatam videbatur habere sapientiam digito exemisse: exemtum vero malo illarum dolo, & nihil minus, quàm sapientem & sanam mentem Salomoni volentium, conjectum in Jordanem.***

Jordanem. Inde stupidum & velut inertem truncum mansisse Salomonem. Postea vero piscatorum opera, ex ventre extracti piscis extracto annulo & Salomoni restituto, restitutam quoque illi sapientiam fuisse. Totum hoc mere magicum & fabulosum. Similis huic annulo est quoque *clavicula Salomonis*, liber nefarius & magicus.

§. 17. Quæritur (6) *An Salomon sapientior fuerit Adamo?*

Affirmativam amplectitur *Abulensis* q. 11. Cui assentitur *Tostatus* in cap. 3. prim. Regum. q. 7. ob allegata loca ex 1. Reg. 3. & 4. Quibus tamen plerique alii contradicunt.

(1) Quia in maximæ perfectionis & innocentiæ statu fuit Adam ante lapsum. Perfectionis autem illius pars magna fuit sapientia, hoc est, rerum divinarum, humanarumque & naturalium notitia. Non enim creatorem perfecte videtur nosse, qui ex creaturis elucentem ejus potentiam & sapientiam non novit: & tanto illustrior est creatoris notitia, quanto perfectius naturæ etiam in minimis miranda à priori potissimum agnoscuntur.

(2) Quia perfectissima rerum divinarum, humanarum & naturalium cognitio magis necessaria & utilis fuit Adamo, quam Salomoni, siquidem humani generis primus magister futurus erat, primusque omnium disciplinarum Doctor.

§. 18. Ad loca vero, quibus sapientia *Salomonis* major prædicatur omnium, qui ante ipsum fuerunt, & post ipsum futuri erant, Sapientiâ: respondent nonnulli Doctores *Pontificij*, in quibus *Pererius* & *Pineda*, quatuor modis commode ea posse accipi, & cum negativa conciliari: *vel* quod sapientior fuerit omnibus aliis hominibus, uno tamen excepto *Adamo*: sæpe non sententiæ universales admittunt exceptionem sive expressam, sive subintellectam: *vel* quod sapientior fuerit omnibus aliis hominibus, qui proprio studio & industria sapientiam compararunt: in quibus non fuit *Adamus*, *vel* quod sapientior fuerit omnibus non simpliciter hominibus, sed regibus & principibus; *vel* quod sapientior fuerit omnibus, quoad *scientiam speculativam* rerum divinarum & naturalium: non quoad *scientiam politicam*; quæ prudentia est regendi & moderandi civitates atque populos: quam in *Salomone* majorem fuisse nonnulli existimant, tanquam magis ipsi necessariam & utilem, quam *Adamo*: Et hanc etiam principaliter *Salomo* petiit. Plura videantur apud *Pinedam*, lib. 3. cap. 10. n. 12. & cap. 26. n. 3 1 *Perer.* lib. 5. in Genes. q. 3. vide & *Rivet.* in Genes. c. 2. Exercit. 22. Minime heic audiendus absurdus & blasphemus *Socinus*, qui *Adamum* in statu innocentiæ instar infantis vel pueri fuisse scribit, non tantum ratione innocen-

tiæ,

tiæ, sed & cognitionis. Interim non sine causâ miramur, qui omnium à condito mundo hominum sapientissimi *Duumviri Adamus & Salomo*, à Satana & fœminis tam facile seduci & ad præcipitium abduci potuerint! Tanto atrocius id fuit, quantò plura & majora ad declinandum id præsidia summæ sapientiæ fuerunt.

§. 19. Quæritur (7) *An Salomon per peccata sua sapientiæ fecerit jacturam?*

Resp. In *affirmativam* magno consensu Patres eunt.

Ambrosius Apolog. 2. pro Davide cap. 6. 7. *Salomon*, inquit, *sapientiam nec in principio suo habuit, nec in fine possedit. Augustinus* lib. 3. de doctr. Christ. cap. 21. *Salomonis initia desiderio sapientiæ flagrarunt: quam cum amore spirituali adeptus esset, amore carnali amisit.*

Prosper Aquitanicus, p. 2. de prædict. cap. 27. *vitam in senectute & sapientiam simul amisit.*

Isidorus, lib. de vitâ & morte SS. *Post miram*, inquit, *virtutum gloriam amore depravatus fœmineo acceptam sapientiam perdidit.*

Gregorius in Pastorali. *Concessa sapientia funditus cor Salomonis deseruit.*

Basil. in epist. ad Chilon. ait, *factum esse vecordem.*

Hieronym. in Epist. ad Rustic. scribit, *infatuatum esse instar salis insipidi.*

Cyrillus, lib. 7. contra Julian. *mente victum & deceptum dicit, deficiente simul ætatis robore & mentis.*

Bernhard. Epist. 109. ait. ,ut *Samsonem viribus, ita Salomonem sapientiâ privatum & ex toto desipuisse.*

Eucherius, 1. Reg. ult. *Concessa*, inquit, *Sapientia eum funditus deseruit.*

Firmat hæc testimonia illud Sapient. *In malevolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore peccatis subdito.*

§. 20. Sed porrò heîc quæritur: *utrum de habitu sapientiæ & intelligibilibus speciebus, an de solo actu secundo accipi hæc debeant?*

Resp. Tres distinctæ heîc occurrunt sententiæ; Alii de *habitu:* Alii *de actibus tantùm secundis;* Alii *partim de habitu, partim de actibus secundis* accipiunt.

Mediam hanc sententiam veritati consentaneam nonnulli judicant. Neque enim omnigena illa habitualis & infusa sapientia videtur consistere potuisse cum impurissimis voluptatibus & actibus idololatricis stultissimis, sapientiæ è diametro contrariis. Etsi interim negari non potest potuisse cum iis consistere habitus nonnullos theoreticos. Interim nec eorum est contemnenda sen-

tentia,

tentia, qui impeditum duntaxat ſapientiæ habitum, quo minus ſapientiæ actiones & veriſſimas rerum cogitationes atque ratiocinationes eliceret, arbitrantur: quod fieri etiam naturali ratione potuit & neceſſaria quadam conſecutione, ex tanta morum & vitæ corruptione: aggravante nimirum corruptiſſimo corpore animam, & impuriſſimarum voluptatum cœno mentis oculum illinente. Acceſſit bonorum & deliciarum corporis quaſi ebrietas, quæ alto quodam veterno mentis vires occupaverat. Ita ſapientes & prudentes alioquin viros nonnullos ebrios plane ſtultos & ſtupidos videri teſtatur experientia. Unde *Hieronymus* eclipſin illam ſapientiæ cum gravi ſomno comparat, ex quo tamen eandem evigilans lucem adſpexerit: Et *Chryſoſtomus Salomonem* quaſi in umbroſa quadam abyſſo detentum putat, antequam ad veræ ſapientiæ lumen reſpicere valeret: Vide *Thom.* 2. 2. q. 15. art. 3. Accedere tamen nonnullis videtur ſingulare Dei judicium, quo vel ſpecies intelligibiles ſunt corruptæ & deletæ, vel phantaſmata & ſenſibiles ſpecies, ſine quibus officio ſuo mens non fungitur, corruptæ vel abolitæ ſunt. His igitur intelligendi inſtrumentis deſtitutus Salomon deſipere cœpit. Cum [illegible] autem modo conſiſtere haud potuit habituum integritas. Sublatis enim ſpeciebus intelligibilibus evaneſcit habitus ſeu promtitudo cognoſcendi & ſecundum cognitionem agendi. Interim *Eccleſiaſtes*, ut multorum eſt ſententia, in pœnitentiæ ſignum à *Salomone* ſcriptus, magnæ ſapientiæ in *Salomone* poſt peccata reliquæ indicium facit. Ubi vero jam ſapientia?

Reſpondeat pro nobis *Ennius*

Pellitur è medio ſapientia: vi geritur res:
Spernitur orator bonus: horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis,
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes.
Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumq; petunt, vadunt ſolida vi.

VIII.

Fuit Virtus intellectualis ſpeculativa: *ſequitur practica, quæ res contingentes propter uſum aliquem, nempe actionem aut effectionem, inquirit: eſtque ars vel prudentia.*

Ἕκθεσις.

Ἔνστασις.

§. 1. QUæritur (1) *An omnis praxis sit actio libera & contemplatione distincta*?

Resp. *Praxis*, vox græca, Latinis est *actio*: etsi latius patet vox latina, quàm Græca: Actio enim latissimè patet, omnesque complectitur actiones sive naturales, sive liberas, ipsamque contemplationem; cui tamen disparatè opponitur *praxis*. Unde philosophicè contemplatio dici potest *actio*, *praxis* verò non potest: quippe quæ actus est liberè à voluntate elicitus aut imperatus: *Contemplatio* autem non voluntatis, sed intellectus est actus. Est igitur *praxis* actio libera: quia voluntatis est & indiget directione intellectus, cum alio & alio modo exerceri possit, & ad unum necessariò determinata non sit, ut actiones naturales. *Contemplatio* autem in specie dici praxis non potest: quia intellectus est actio, quæ, quà talis, actione dirigente opus non habet: aliàs processus in infinitum daretur: definiturque *cognitio intellectus, qua naturâ suâ ad praxin non dirigitur, sed seipsa est contenta, nec spectatur, quatenus imperium voluntatis sequitur*: *Fonseca* lib. 6. Metaph. cap. 1. q. 5. s. 1. Quæ contemplatio κατ' ἐξοχὴν dicta est & propria scientiarum contemplativarum. Aliàs enim *practica* quoque *contemplatio* datur, quæ propter praxin est: qualis in omnibus est disciplinis practicis. Breviter igitur differunt *praxis* & *contemplatio*. *Illa* est voluntatis, *hæc* intellectus actio: *Illa* dirigitur ab hac, non *hæc* ab illâ: *illa* sine hac esse non potest, *hæc* sine illâ esse potest. *Illa* hujus quandoque est finis; *hæc* illius finis non est: *illa* plerunque est laboriosior, *hæc* minus laboriosa: *praxis* necessariò supponit libertatem: *contemplatio* non item.

§. 2. Objicitur (1) P*raxes*, *seu operationes artium mechanicarum, ut ædificatio, & liberalium, ut mentalis discursus, oratio suasoria, &c. sunt actiones ab intellectu sine ulla habitudine ad voluntatem dirigibiles. Ergo, quatenus ejusmodi sunt, liberarum actionum rationem non subeunt.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & quovis sensu non conceditur: vix enim cogitari potest, quî operatio aliqua *mechanica*, vel *liberalis*, dirigi ab intellectu possit sine habitudine ad voluntatem, multo minus, quî actu dirigatur. Quis enim ad discurrendum, suadendùm, aut ædificandum se accingit absque voluntatis imperio certoque consilio? voluntas est, quæ ædificandi & non ædificandi, suadendi & non suadendi &c. deligit tempora: ædi-

ra: ædificat enim homo quando vult, ſuadet, quando vult ſuadere, & haſce intermittit operationes, quando vult intermittere.

§. 3. (2) *Si operationes ſcientiarum practicarum ea ratione ſunt praxes, quia imperari à voluntate poſſunt: utique praxes quoque erunt contemplationes phyſicæ & mathematicæ. Atqui falſum conſequens. Ergo & antecedens. Connexi ratio eſt. Quia & phyſicæ & mathematicæ contemplationes à voluntate poſſunt imperari.*

Reſp. *Fonſeca* negat *aſſumptionem* & concedit phyſicas quoque & mathematicas contemplationes eſſe praxes, æque ac mechanicas & morales, quatenus nempe à ſcientia morali ad mores, & à dialectica ad diſſerendi rationem actu poſſunt dirigi: negat tamen inde effici, *phyſicam* & *mathematicam* ſcientiam eſſe practicas: negat etiam contemplationes phyſicas & mathematicas in ſe ſpectatas eſſe *praxes*, ſi nullo modo ad voluntatem referantur.

Nos exiſtimamus, *connexum* falſa labore hypotheſi: *quod nempe omnis actio à voluntate imperata ſit praxis.* Atqui & contemplatio praxi oppoſita imperari à voluntate poteſt: Contemplatur enim *Phyſicus* & *Mathematicus*, quando vult, & contemplari deſinit, quando vult. Itaque à voluntate imperari non eſt ſpecifica πράξεως differentia: quia commune eſt praxi & contemplationi: ſed potius *à voluntate proficiſci* & per *cognitionem dirigi*: eſt enim *praxis* actus voluntatis, per intellectus cognitionem dirigibilis. *Contemplatio* autem in ſpecie ſic dicta actus intellectus ad praxin non directus: ut ſupra vidimus. Alias cognitio quoque dici poteſt practica, quæ tamen praxis non eſt: neque cognitionem illico per ſe practicam facit, ſi ad uſum ab alio habitu, & non à proprio, dirigatur: veluti quando cognitio *phyſica* aut *Mathematica* ab Ethico aut Logico ad uſum moralem aut dialecticum refertur & dirigitur. Unde Phyſicam nemo inter ſcientias practicas numerat, etiamſi ex ea ad praxin multa ſibi deligit Medicus & Ethicus.

§. 4. Quæritur (2) *An actio ab effectione ſit diſtincta?*

Reſp. Etſi vulgus *actionem* ab *effectione* non adeo diſtinguit; tamen Ethici diſtinguunt: quibus *praxis* in ſpecie ſic dicta appellatur quidem actio, non tamen effectio: unde illam πρᾶξιν, hanc ποίησιν appellant. Diſtinctionem evidenter arguunt *definitiones* diſtinctæ.

Actio, ſeu πρᾶξις, eſt operatio humanæ libertatis circa mores hominum ex ratione & prælectione prodiens, ejus, quod in operatione includitur, boni cauſa.

Effectio, seu *ποίησις*, est operatio ab intellectu arte directo, per phantasiam & movendi vim in externam prodiens materiam, ejus, quod post operationem remanet, operis causa.

Differentia igitur *actionis* & *effectionis* triplex assignatur à *Piccolom.*

(1) *Effectio* post operationem relinquit opus: *Actio* sola finitur operatione & nullum relinquit opus. Sic ædificatio est effectio, quæ post se relinquit domum: actio moralis post se opus actione elaboratum non relinquit quod sit finis actionis: *Arist. 6.* Nicomach. cap. 5.

(2) Principium *effectionis* est intellectus & vis imaginandi: principium *actionis* est prælectio ad mentis appetitum pertinens: *Aristot.* lib. 6. Metaphys. in principio: & 2. phys. t. 58. 59. Ubi docet actionem hominis esse propriam, quia soli ipsi electio competit.

(3) *Effectio* extrinsecus perficitur & cum animi perturbatione non connectitur: Actio intrinsecus perficitur & cum animi perturbatione est conjuncta. *Arist.* lib. 3. Nicomach. cap. 1.

§. 6. Objicitur (1) *Ex habitu artis canendi, saltandi, lyram pulsandi &c. profluit effectio, quæ tamen opus non relinquit. Non igitur omnis effectio post se relinquit opus, adeoque hoc modo non distinguitur ab actione.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. Sunt enim in arte duo consideranda & distinguenda, *officium & finis*: *Officium* absolvitur externa operatione transeunte: *Finis* est opus post operationem reliquum, quale in medico est sanitas ægri recuperata: quod nec reliquis deest artibus, quas *ποιητικὰς* seu effectivas appellat *Aristoteles*: nec ipsis illis, quarum facta mentio. *Finis* artis canendi & lyram pulsandi est congrua animi dispositio & moderatio, seu lætificatio, quam post se relinquit actus musicus. Saltandi ars ad *Gymnasticam* pertinet, cujus finis est corporis robur, sanitas & conveniens dispositio: in quam tendit saltandi actus, eamque assequitur, si moderatus sit, & alia non interveniant impedimenta.

§. 7. (2) *Etiam virtutum moralium actiones, quæ effectiones non sunt, neque ab arte sunt, sed à prudentia, post se relinquunt opera, ut constat de magnificentia, seu magnanimitate post cujus actiones opera magnifica visuntur reliqua: ut magnifica templorum artiumque ædificia & structuræ, quales apud Romanos erant. Aquæ ductus, apud Ægypticos Pyramides. Ergo opera reliqua non distinguunt effectionem ab actione.*

Resp. Negatur *consequentia*: Quia opera effectionem ab a-

ctione

ctione distinguentia sunt finis effectionis, ad quæ per se dirigit operatio artificiosa. Magnificæ vero structuræ, quæ magnificentiæ, seu magnanimitatis sequuntur actionem, non sunt finis ejus, sed ex eventu tantum reliquæ manent, neque sunt a directione magnificentiæ, sed artificis, seu exstructoris. Ita huic occurrit objectioni *Piccolomineus.*

§. 8. Interim lector *cogitet*, annon virtuosi quoque actionibus suis intendant opera, post actiones morales reliquæ, tanquam fines. Magnificus in faciendis magnis sumtibus etsi honestatem spectat, tamen structuras etiam magnificas intendit, & in eas sumtus facit. Fortis intendit subjugationem hostis & tranquillitatem reipublicæ, quæ post fortitudinis actus manet reliqua, &, ut maneat, ipsa etiam vita in discrimen adducitur & sæpe impenditur: Liberalis intendit conservationem pauperis; quæ post liberalitatis actum est reliqua. *Cogitet*, annon & ποιήσεως principium esse possit prælectio: *cogitet*, annon & πόνοις cum animi perturbatione possit esse conjuncta, & ab ea disjungi praxis. Notabile discrimen est, quod effectionis principium est ars, actionis virtus. *Thomas actionem* vocat operationem manentem in ipso agente: *effectionem* operationem transeuntem in exteriorem materiam ad aliquid formandum ex ea. Atqui virtutum actiones non sunt tantum immanentes, sed & transeuntes, eæque non minus in humana societate necessariæ, quam immanentes. Ita non usque quaque consentiunt, quæ de distinctione *actionis* & *effectionis* tradi vulgo solent.

§. 9. Quæritur (3) *An actio sit præstantior effectione?*
Resp. *Affirmativa* defenditur: Rationes sunt.

(1) Quia actio est virtutis, effectio artis: Atqui virtus præstantior est arte.

(2) Quia actio, si sit legi congrua, est honesta: effectio arti congrua tantum utilis.

(3) Quia actio hominis est propria: effectio homini communis cum bruto.

(4) Quia in actione collocatur summum bonum, non in effectione. Effectio spectat ad esse, actio ad bene esse.

§. 10. Quæritur (4) *An necesse sit, ut practicus habitus sit de re operabili ab eo ipso, in quo est habitus.*

Resp. *Res operabilis* est, in quam judicio practico habitus practicus dirigit, estque vel ipsa *actio*, quam *praxin* appellamus, qualis est actio virtutis moralis, temperantiæ, fortitudinis, justitiæ: Item actio (in latiore significatu vox heic accipitur) habitus mechanici, ædificatio, vestimenti confectio &c. vel *opus* per

 actionem

actionem productum, & post actionem reliquum: ut domus, instrumentum ferreum vel argenteum &c. vestimentum: quamvis res operabilis principalius de actione dici soleat.

Hisce præmissis *negativam* quæstionis amplectimur: *Rationes* sunt.

(1) Quia habitus ex seipso & naturâ suâ, non autem ex habente, dicitur practicus: qui directivus est ἀρχιτεκτονικῶς; quando modum, quo aliquid agendum aut faciendum, præscribit actionemque dirigit, à quocunque tandem executioni mandetur & opus producatur. Agit igitur ex habitu practico artifex, quando autor & director est operis, sive per se, sive per alium producat, qui instrumenti rationem habet, cujus effectus ad artificem principaliter refertur, etiamsi manum operi ipse non admovit.

(2) Artificem manibus captum; soliusque vocis imperio aut aliis indiciis operas suas regentem & actiones earum dirigentem, practico instructum habitu & ex eo agere nemo negat, etiamsi fabriles actiones manibus non exercet. Ergo habitus practicus necessariò non est de re ab ipso illo, in quo est, producibili.

§. 12. Objicitur in *contrarium*.

(1) *Aristoteles* lib. 6. metaph. cap. 1. docet *practicas scientias à contemplativis in eo distingui, quod principia earum rerum, quæ tractantur à practicis scientiis, sunt in ipsis illis, qui instructi sunt practicis scientiis: rerum autem, quæ tractantur à contemplativis, non item*, sic lib. 7. cap. 7. & 9. cap. 1. & 11. cap. 6. docet *artem esse principium effectivum earum rerum, quæ ab ipsis artificibus arte conficiuntur. Ergo statuit de ratione habitus practici esse, ut sit de re operabili ab eo ipso &c.*

Resp. *Consequentia* negatur: Quia artificis habitus dirigens actiones causarum instrumentalium meritò censetur principium earum rerum, quæ arte conficiuntur; etiamsi non nisi imperando & practicè dirigendo ad res concurrit.

§. 13. (2) *Si ad rationem practicæ scientiæ satis esset intelligere, quo pacto aliquid fiat, nec tamen is, qui scientiam habet, id posset efficere: sequeretur in Philosopho, etiam sine miraculo, practicam esse scientiam plurimarum rerum naturalium, quas ipse nullo modo potest efficere. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens*: Connexi ratio est: *quia novit Philosophus, quo pacto plurima res naturales, ut pluvia, nives, tonitrua, terræ motus &c. fiant.*

Resp. *Connexum* falsam assumsit hypothesin: nempe, ad rationem practicæ scientiæ satis esse, scire quo pacto aliquid fiat. Non enim requiritur tantùm scientia modi, quo res fit: sed requiritur

quiritur insuper directio actionis, quâ aliquid producitur: Hæc verò directio non est in Philosopho, respectu actionum naturalium pluvias, nives, tonitrua &c. producentium; quas sine directione intelligit physicus.

IX.

Ars est habitus cum ratione effectivus: Græcis ἕξις μετὰ λόγυ ποιητική.

Ἔκθεσις.

§. 1. Ars aliàs in genere quamcunque peritiam significat, sæpe etiam præceptorum collectionem ex habitu profectam; hoc verò loco habitum significat. Ut a. habitus aliquis sit *ars*, duo requiruntur: 1. ut sit effectivus, hoc est, opus aliquod efficiat; quo modo ars à prudentiâ distinguitur, quæ non efficit, sed agit. Ut enim ars *ποίησιν* & *ποίημα*, hoc est, effectionem & opus, finem habet: sic prudentia, *πρᾶξιν*. 2. ut ratione regatur: quo pacto ab habitu naturali distinguitur: nam & natura efficit, sed rationem facti non tenet. Observandum *rationem*, cujus in definitione artis fit mentio, considerari. 1. in *mente*. 2. in *habitu*. 3. in *opere artificioso*, quod ex habitu prodit. Competit igitur recta ratio *menti*, ut principio: *habitui*, ut formæ ex principio pendenti: *operi artificioso*, ut rei effectæ ex præscripto rationis. Estque ratio, in qua essentia artis consistit, non ratiocinatio, sed originalis forma rei efficiendæ concepta mente.

§. 2. *Officium* artificis in tribus consistit: 1. ut rectè contempletur, hoc est, ut, ante quàm opus aggrediatur, rectè perpendat, quomodo ex subjecta materia produci debeat. 2. ut secundum artis præscriptum operetur, talemque formam materiæ inducat, qualem requirit ars. 3. Ut opus ipsum producat & absolvat, sive per se, sive per operas suas. Inter insignia artium & artificum opera celebrantur *Dædali automata:* Plato in Men. *Homeri mobiles tripodes*. Iliad. 6. *Archimedis Sphæra*, Plutarch. in Marcell. *Archytæ volatilis columba*, Gell. lib. 10. cap. 12. *Procli specula*. Euagrius lib. 3. cap. 43. *Apellis* & *Protogenis picturæ*, Plin. lib. 35, cap. 8. Strabo lib. 14. *Polycleti & Phidiæ statuæ*, Plin. lib. 38. cap. 8. *Arbor ærea, in qua aves artefactæ omnes vocem suam reddunt:* Luitprandus Ticinensis Episcopus. Majolus colloq. 23. in 40. pag. 743. *Alberti Magni statua humana vocalis, triginta*

 annorum

annorum opus à Thoma Aquin. confractum Majol. colloq. 23. p. 762. *Horologium Hungaricum admirandum*: Majol. pag. 763. *Typographia Germanorum* Polidor. Virg. lib. 2. c. 7. *Eorundem tormenta bellica*: Polydor lib. cap. 12.

§. 3. *Nota* Definitio *artis*, ex multorum sententia, non competit tantum *mechanicis* & manuariis, sed etiam *liberalibus* artibus, quarum opus in mente potissimum consistit. Unde monent; *ποίησιν*, quam ars propositam habet, esse vel *materialem*, quæ instrumenta corporea & materiam externam requirit, qualis est in mechanicis, sutoria, sartoria, vel *immaterialem* seu *mentalem*, quæ in materia crassa, externa & visibili nullum fabricat opus, adeoque organis corporeis eget. Hujusmodi *ποίησις* est artium liberalium *Grammatica*, *Logicæ*, *Rhetoricæ*, *Musicæ*. Quamvis contrarium aliis videatur: qui actionem cum effectione hoc modo confundi opinantur.

§. 4. Quæritur (1) *An artes sint priores scientiis?*

Resp. Artes diverso respectu & modo *posteriores* & *priores* sunt scientiis in specie sic dictis.

Quo ad *inventionem*, priores sunt scientiis: quia magis homini necessariæ sunt, quàm scientiæ, quas *contemplativas* appellamus. Atqui prima hominum fuit cogitatio de inveniendis iis, sine quibus agi vita non potuit; cujusmodi sunt artes; quarum ut aliæ aliis magis sunt necessariæ, ita inter ipsas quoque inventionis est ordo: ratione cujus primæ sunt, quæ ad victum & amictum pertinent: quas sequuntur, quæ habitationi paranda omnisque generis instrumentis procurandis serviunt, & ad vitam politicam atque œconomicam sunt necessariæ, quibus proximæ sunt, quæ jucundè honesteque nos docent vivere. Tandem, qui in otio vixerunt honesto, curisque civilibus & œconomicis distenti non fuerunt, ad inveniendas scientias de natura rerum, causisque & affectionibus earum adjecerunt animum: ubi à singularibus ad universalia per abstractionem factus est transitus, & ab his ad universalissima, quæ *Metaphysicæ* subjectum constituerunt. *Et hactenus priores scientiis artes.* Quoad *perfectionem* eædem scientiis sunt posteriores, quas scientiarum filias appellant, quia absolvi suisque numeris perfici non potuerunt, nisi per scientias contemplativas: quod de artibus magis necessariis intelligi debere monet *Piccolomin*. Grad. 5. cap. 5. certe ex *mechanicis* multæ sunt, quæ *physicis* & *mathematicis* nituntur fundamentis. Natæ igitur sunt filiæ ante matres, quæ tamen perfici sine matribus non potuerunt.

§. 5. Quæ-

§. 5. Quæritur (2) *An ars sit primum efficiendi principium?*

Resp. *Ars* absolute primum efficiendi principium dici non potest: certo tamen respectu potest.

Non *absolute* (1) Quia est accidens qualitas & habitus, per quem artifex est efficax: qui ad operis productionem, tanquam instrumentum internum externæ actionis directivum, requirit artem. Ut igitur *efficienti principali* ratio primi principii potius, quam *instrumentali* convenit, ita & artifici potius, quatenus recta ratione est præditus, quam arti.

(2) Quia ars præsupponit naturam tam in recipiente, quam in efficiente. Quam in efficiente præsupponit, est mens artificis, quæ latiori significatu natura appellatur, & absolute primum est efficiendi principium, utiturque arte tanquam norma & regula, quam applicat materiæ ubicunque & quandocunque vult.

Recipiens, quod ars supponit, est natura subjectæ materiæ, quæ plerunque res est naturalis, ut videre est in artibus mechanicis & ingenuis quoque nonnullis, ut in *medicina:* Ubi per artem in subjectam materiam naturalem induci forma artificialis nequit, nisi potentiam illa habeat naturalem, quæ forma & natura est recipientis, unde educi artificialis possit: non enim quodlibet artis opus ex materia quavis producere artifex potest, sed ex certa, quæ formam admittat artificialem: Ita *pistor* ex farina, non ex arena, panem conficit: *Sartor* vestem ex panno, non ex ligno, aut ferro: &c. Neque *agricultura* primum est principium messis & plantarum, sed semen & agri natura. In *medico* quoque primum principium non est ars medendi: neque in *ægrotante* primum est pharmacum, sed natura ægrotantis pharmacum admittens, ejusque ope ægritudinem expellens: Unde frustra videmus applicari medicamenta, ubi, tanquam primarium agens, non succurrit natura; quæ ubi plane prostrata est, nullus medicamentorum usus est. Interim, respectu quodam & limitatione certa, primum dici principium *ars* potest: quando nempe ad opus refertur, quatenus est artificiosum. Artificiosi enim, quatenus est artificiosum, non datur principium arte prius: uti & proxime ab arte artificiosum, qua tale, est & appellatur. Hoc respectu *Aristotelis* lib. 2. phys. t. 38. ait, artem ædificandi esse causam summam ædificii.

§. 6. Quæritur (3) *An artibus quoque honos competat?*

Resp. Si proprie & stricte *honor* accipiatur, artibus per se non convenit, sive ingenuis, sive mechanicis & sordidis.

Ratio petitur ex definitione honoris. Est enim honor *præmium virtutis tributum à congruente ejus judice viro probo, ut ejus virtus refulgeat, ejusque exemplo ad virtutem alij invitentur.* Atqui ars non est virtus, neque cum virtute necessario conjuncta: præmium igitur virtutis, hoc est honor, ei non competit: nisi quatenus cum probitate est conjuncta, opemque fert prudentiæ & sapientiæ.

Deinde *ars utile quærit:* atqui utile non est per se honorabile: sed honestum.

§. 7. Objicitur (1) *Medicus honorari debet propter necessitatem: Ergo arti quoque & artifici honor competit.*

Resp. *Antecedens* loquitur de *honore late sumto*, quatenus etiam laudem includit, item de *honore vulgari & populari:* Unde honoris causa additur *necessitas. Consequens* de honore proprie & stricte accepto: quem supra definivimus. Unde ex *antecedente* deduci non potest. Eodem modo respondendum ad illud *Aristotelis*, lib. 1. Metaph. cap. 1. ubi architecti dicuntur majori honore digni, quam opifices.

§. 8. (2) *Artibus laus competit: Ergo & honor. Antecedens in confesso est.* Ratio conseq. *quia laus est species honoris.*

Resp. *Consequentia* negatur, una cum *probatione:* Laus non est species honoris proprie dicti: Vide *Piccol.* Grad. 8. cap. 26.

§. 9. Quær. (4) *Quæ artium inveniendarũ prima fuit occasio.*

Resp. *Indigentia:* ut *Plato* in lib. de regno affirmat & *Aristoteles* in procem. Metaph. *Arnobius* lib. 2. *pauperrima necessitatis inventa* appellat artes mechanicas. Pertinet huc illud *Persii*:

Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingeniique largitor.
Venter negatas artifex sequi voces.

Quod extra omne est dubium: sunt enim laboriosæ, quæ per se non expetuntur: quarum operibus cum carere vita hæc mortalis plurimorum indiga haud potuerit, ad earum inventiones se accinxerunt homines, & primum quidem *mechanicarum*, quibus carere sine maximis incommodis non possunt: ut constat de *pistoria, sutoria, sartoria, fabrili, structoria*, &c. mox *ingenuarum & liberalium:* quibus & ipsis vita hæc, & politica inprimis, quæ in humana agitur societate, opus habet, sive ad curas diluendas animumque tranquillandum, ut *Musica;* sive ad corporis ægritudinem pellendam, ut *Medica;* sive ad corpus roborandum & laboribus assuefaciendum, ut *Gymnastica;* sive ad justitiam in contractibus colendam, ut *Arithmetica;* sive ad animi cogitata recte

recte dirigenda & informanda, ut *Logica;* sive ad recte proferenda, ut *Rhetorica;* &c. omnibus igitur hisce cum egeret vita humana sive *ad esse*, sive *ad bene esse*, ad artium inventionem se accinxit.

§. 10. Quæritur (5) *An omnes artes experientia gignantur?*

Resp. Artes omnes *experientia* gigni, *Aristotelis* est assertio, lib. 1. Metaph. cap. 1. Ἀποβαίνει, inquit, ἡ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις. Ubi laudatur illud *Poli*, ἡ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἡ δ' ἀπειρία τύχην. *Experientia artem genuit, inexperientia fortunam.* Modum, quo artes gignit *experientia*, ibidem declarat Philosophus: γίνεται τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐννοημάτων καθόλου μία γένηται περὶ τῶν ὁμοίων ὑπόληψις: *Cum è multis experientiæ notionibus una de similibus existimatio in universum existit.*

Ratio *affirmativa* est: quia, ut lib. 1. poster. cap. 14. tex. 33. *Aristoteles* ait, fieri non potest, ut universalia percipiantur, nisi per inductionem. Sunt autem artium omnium præceptiones de universalibus, quæ ut per abstractionem à singularibus fiunt: sic prima ipsorum notitia non potuit acquiri, nisi per notitiam & inductionem multorum singularium. Inductionem vero singularium facit *experientia*. Pertinet huc quoque in scholis receptissimum axioma. *Nihil est intellectu apprehensum, quod non aliquo modo prius fuerit sensu cognitum:* sive *per se*, ut colores, sapores & alia sensuum externorum objecta: Sive *per partes suas;* ut urbs aurea, quæ fingitur: sive *per effecta*, ut Deus, intelligentiæ, virtutes rerum naturalium, &c. Sive *per similia*, ut absentes aut mortui, per suas imagines. sive *per opposita*, ut aspera per levia, tenebræ per lumen, curva per recta, calida per frigida, &c. sive *per sua fundamenta*, ut notiones secundæ per primas.

§. 11. Adhibenda tamen heic distinctio *principiorum* & *conclusionum:* Ut *principiis artium* assentiaris, sine temeritatis vitio, opus est experimento ipsorum in singularibus, in quibus si nulla occurrat instantia, aut exceptio contraria principio universali, assensus demum firmus adhibetur. Docet hoc *Aristoteles*, lib. 1. prior. Anal. cap. 31. *cujusque principia tradere experientiæ est.* Ita communissimum est principium: *omne totum est majus sua parte:* cui fidem tum demum adhibemus, postquam multiplici *totorum* & *partium* singularium consideratione & collatione ita se rem habere deprehendimus.

Ad assensum *conclusionibus* præbendum, non opus est experimento omnium proprio, sed quarundam tantum.

Ratio prioris est; Quia, ad comparandos multarum conclusionum habitus, sufficit *assensus principiorum & consequentiæ*: Unde conclusioni etiam sine inductione & experimento, assentiri tuto possumus, si per legitimam consequentiam ex principiis ante cognitis est educta. Hoc modo *Geometræ* è paucis principiis præcognitis multarum conclusionum, quarum connexiones in rebus nunquam experti sunt, scientiam sibi comparant.

Ratio posterioris est: Quia conclusiones quædam cognoscuntur tantum secundum quid, quod nempe res sit: tum igitur quamdiu ignota est causa proxima, ad experientiam confugiendum est & adhibenda inductio effectorum, &c. veluti conclusio, *quod rhabarbarum bilem flavam educat*, per experientiam & inductionem singularium firmanda fuit.

Objicitur in contrarium:

§. 12. (1) *Ut assentiamur principiis, satis est sola terminorum, seu extremorum cognitio. Ergo non opus est experimento. Antecedens Aristotelis est*, lib. 1. poster. cap. 3. t. 6.

Resp. Negatur *consequentia*. Exclusiva *antecedentis* non excludit experientiam: sed medium duntaxat terminum à priori petitum: Principia demonstratione à priori, seu causa, opus non habent: Sufficit terminos intelligere, eorumque connexionem experimentis comprobatam habere.

§. 13. (2) *Si Aristoteles crederet omnia principia inductione cognosci, & consequenter experimento, non diceret*, 1. *Eth. cap.* 7. *Principiorum alia inductione, alia sensu, alia consuetudine, alia alio modo cognosci. Sunt enim hæc distincta cognitionis media, quorum unum absque altero esse potest.*

Resp. Negatur *consequentia*: quia in allegato loco *Aristoteles* inductionis appellatione non intelligit in genere quamvis inductionem: fiunt enim inductiones quoque sensuum ministerio & assuetudinis observatione: sed eas tantum, quæ fiunt in rebus mathematicis externo sensui non subjacentibus.

§. 14. (3) *Experientia est incerta & fallax: Ergo non potest in nobis gignere certitudinem principiorum, quæ maxima est: Sunt enim principia certissima & verissima.* Antecedens *Hippocratis est aphorism.* 1. πεῖρα σφαλερή.

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. Experientia è plurimorum singularium observatione, sine exceptione & instantia contraria, deducta fidem facit plenissimam; ita ut ei refragari hominis existimetur insani. Huic nisi fides habeantur, omnium sensuum

sensuum testimonia erunt repudianda, omnisque è sensibus primum derivata cognitio incerta. Atqui ne ratio quidem contra constantem experientiam audienda.

Hippocratem quod attinet, πεῖρα ei σφαλερὴ dicitur, quæ sufficienti inductione non est comprobata & stabilita: qualis sub initia fuerat *medicina*, quæ ex singularium observatione ortum duxit; & σφαλερὴ, hoc est, lubrica & periculosa, est dicta, *Galeno* interprete, propter humani corporis dignitatem & imbecillitatem. Facillime enim lædi corpus hominis & valetudo potest per medicamenta, quorum vis non satis est explorata.

§. 15. Quæritur (6) *An ars utatur consultatione?*

Resp. *Artem consultatione uti* expresse negat *Aristoteles*, lib. 2. Phys. cont. 86. Contra idem lib. 3. Nicomach. cap. 3. *artem quoque consilio uti* expresse affirmat, & probat exemplo artis medendi, navigandi & similium. Quæstio est *de proprio artis officio*. *Aristotelem* sibi conciliat *Piccolomineus* adhibita artium distinctione: quarum aliæ sunt *indefinitæ* & *incertæ*, propter varietatem & incertitudinem objectorum, quæ, pro circumstantiarum varietate, varios requirunt operandi modos, ut ars medendi, navigandi, &c. Aliæ *definitæ* & *certæ*, quæ eodem modo semper operantur, quamvis in materia se exerceant non eadem, ut ars scibendi, cantandi, pulsandi lyram, &c. illas consultatione uti has non uti, judicat *Piccolomineus*, quem consule Grad. 2. cap. 24. & Grad. 5. cap. 54. Etiamsi vero, experientia teste, artes sæpe nulla consultatione utuntur, cum quæ *certæ*, tum quæ *incertæ*, *Piccolomineo* dicuntur: tamen vix ulla nobis videtur esse ars, quæ omnem simpliciter consultationem excludat, seu quæ consultatione nunquam utatur. Quæ enim ars est, quæ sua non habeat incrementa & de sui perfectione nunquam cogitet, novisque operandi modis, sive in veteri, sive in nova materia, inveniendis operam non det? Manifestum hoc est in arte scribendi, cantandi, pulsandi lyram, &c. quæ olim rudes perfectionis suæ culmen fere attigerunt, certe non sine meditatione, deliberatione & consultatione. Idem omnibus aliis artibus proprie sic dictis accidit. Interim certum est, crebriores magisque necessarias esse deliberationes in artibus, quæ, pro objectorum & circumstantiarum varietate, varios & extemporaneos operandi modos requirunt; quales sunt medendi & navigandi artes, quarum usus est in præsentissimis humani corporis & vitæ periculis.

§. 16. Quæritur (7) *An cum arte sit complicata fortuna?*

Resp. Dubitandi occasionem præbet *Aristoteles*, qui quæstionem modo affirmare, modo negare videtur. lib. 2. Phys. tex. 57. 58. ait,

ait, *fortunam iis competere, quibus actio competit.* In 6. Nicomach. cap. 4. ait, *artem esse effectionis, non actionis, & in iisdem versari artem & fortunam.* Atqui effectio est artium, actio prudentiæ. Artis cum fortuna consortium agnoscit quoque *Galenus*, quando Medicum fortunatum debere esse scribit, lib. de præcognit. c. 12. Prædicat *Agatho*: τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην. Unde *Aristoteles*, lib. 6. Eth. cap. 4. τρόπον τινὰ περὶ τὰ αὐτά ἐστιν ἡ τύχη καὶ ἡ τέχνη. Contra *Sallust.* in Jugurth. *Fortuna probitatem, industriam, aliasque artes bonas neque dare, neque eripere cuiquam potest.* Et *Plutarch.* de fortuna: τὴν Ἐργάνην καὶ τὴν Ἀθηνᾶν αἱ τέχναι πάρεδρον, οὐ τὴν τύχην ἔχουσιν: *Erganen & Minervam, non fortunam, patronam agnoscunt artes. Cicero*, lib. 3. de orat. *Ars à natura est profecta.*

§. 17. Distinguendum heic inter *artis officium* & *effectum.* *Officium artis* cum *fortuna* nihil habet commune: Sunt enim certa & fixa præcepta artis, ad quæ unicè respiciendum artifici, neglecta fortuna, quæ incerta & varia est, nullumque certum & constantem habet effectum. Effectus artis cum fortuna sæpè complicatus est, ita ut modò juvetur, modò impediatur à fortuna, quod videre est in *arte medica*, quæ præter intentionem sæpè suo frustratur fine, quamvis nihil intentatum reliquerit: nonnunquam etiam præter spem successu utitur prospero. Sunt enim artis hujus subjecta, hoc est corpora humana, admodum varia & inconstantia, quæ vim medicamentorum & actiones Medicorum, ut sæpè promovent, ita crebrò quoque impediunt. Unde fortunatum dicimus Medicum, cui ex voto plerunque succedit ægri cura. Sic & aliarum artium mechanicarum operibus sæpè dominatur fortuna, propter materiæ varietatem, instrumentorum diversitatem, cogitationum distractionem, &c.

§. 18. Quæritur (8) *An artifex errare possit, quatenus est artifex.*

Resp. Non potest. *Ratio* est: Quia ars est recta efficiendi ratio & habitus semper rectus. Artifex igitur, quatenus est artifex, cùm ex habitu semper recto efficiat, errare per se non potest, aut si, quà artifex, errat, erroris ducem habet artem: quod contradictorium est. Errorem autem heic intelligimus circa operationem artificiosam, non circa opus, seu effectum artis: sæpe enim artificiosa actio finem suum non assequitur propter impedimenta, quæ arti & operationi artificiosæ objiciuntur: sic ante distinximus inter *officium* & *effectum* artis.

§. 19. Ob-

§. 19. Objicitur (1) *Sciens sua sponte peccat, quando scientia, contra quam debet, utitur: Aristot.* lib. 8. phys. t. 8. *Ergo ab errore immunis non est artifex.*

Resp. In *consequente* retinenda limitatio, *quatenus artifex.* Sic igitur *consequentia* neganda. Sciens enim & artifex sponte peccat, non quatenus sciens & artifex; sed quatenus arte sua & scientia aliter, quam debet, utitur; contra finem artis & artificis.

§. 20. (2) *Quandoque etiam invitus & præter intentionem errat artifex, quando operis artificiosi excellentiam non attingit, etsi omnes intendit nervos: quam alius minori labore attingit: Ut constat de pictoribus, Musicis, Statuariis,* &c. *Ergo* &c.

Resp. Negatur *consequentia:* Quia errores illi non sunt artificum absolutè sic dictorum, sed minus peritorum.

§. 21. (3) *Quandoque artifex quoque errat circa operationem artificiosam: exempli gratia, quando pictor aut scriba etiam peritissimus tremula manu lineam minus rectè ducit,* Ergo, &c.

Resp. Negatur *consequentia:* Quia error hic non est error artificis quatenus est artifex, sed quatenus instrumento caret idoneo.

§. 22 Quæritur (9) *An ars præstet naturæ?*

R. *Negamus*: Naturæ prærogativam vindicant hæ rationes,

(1) Natura est principium internum rem constituens intrinsecè: Ars principium est externum & accidentale, à subjecto suo citra destructionem ejus separabile.

(2) Natura est ministra Dei, ars hominis.

(3) Natura est creatura Dei, ars hominis est opus & creaturæ tantum accidens.

(4) Natura formam confert substantialem; Ars tantùm accidentalem.

(5) Natura est causa principalis: Ars tantùm instrumentalis, quæ æmula est naturæ, non natura artis: natura artis est magistra: ars naturæ est ministra.

(6) Naturæ opera plurima vivunt: ars per se vitam dare suis operibus nequit.

(7) Natura est expressa Dei & perfectionum divinarum imago: ars non est.

(8) Natura potest esse sine arte: ars sine natura esse non potest.

(9) Natura regitur à sapientia divina; ars ab humana.

(10) In Naturæ operibus nihil est ficti, nihil falsi: in artis operibus plurima sunt ficta & falsa.

In contrarium *pro artis præstantia* objicitur.

§. 23. (1) *Ars operatur cum cognitione: natura sine cognitione: Ergo ars præstantior est naturâ.*

Resp.

. Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: Est enim natura in iis quoque, quæ cum cognitione agunt, ut in hominibus: Siquidem animæ hominis definitio naturæ quoque competit: ut alias ostendimus: Deinde natura, quatenus est ministra Dei non agit sine cognitione causæ principalis dirigentis: Unde ἀγαθὸν δημιουργὸν naturam appellat *Galenus*. Imo, *quid aliud est natura, quam Deus & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta?* exclamat *Seneca*, lib. 4. de Benef. cap. 7. *Quis opifex, præter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus?* inquit *Cicero*, lib. 2. de Nat. D.

§. 24. (2) *De ratione artis, ut est principium operis, est rectum: dicitur enim recta ratio: quod non est de ratione naturæ: quæ tantum dicitur principium motus absolute. E. præstantior est natura.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. *Natura* non tantum absolute movet, sed & rectissime, sapientissime & constantissime: Unde *Aristoteles*, lib. 2. de cœlo, tex. 34. & passim alibi, φύσις ἀεὶ ποιεῖ τῶν ἐνδεχομένων τὸ βέλτιστον: *Natura semper eorum, quæ fieri possunt, facit præstantissimum.* Et passim *Galenus* naturæ justitiam prædicat: δικαιοτάτη, inquit, ἐστὶν ἡ φύσις. Item, ἅπαντα θαυμαστὰ τῆς φύσεως ἔργα. Et ἐν πᾶσι τοῖς φυσικοῖς ἔνεστί τι θαυμαστόν. *In hoc sumus sapientes*, inquit Cicero, in Catone Majore, *quod naturam optimarum ducem, tanquam Deum, sequimur, eique paremus.*

§. 25. (3) *Ars est dux, regula & mensura naturæ: ut patet de eo, qui arte saltat, canit, &c.* Et *Cicero* lib. 4. de finib. ait, *artem esse ducem certiorem, quam naturam. Aristoteles* lib. 1. Rhetor. *Dum aliquid fit arte & natura, longe rectius fit arte, quàm natura tantum. Ergo ars præstantior est natura.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est: In paucissimis, & quidem minus necessariis, ars est dux, regula & mensura naturæ, in plerisque & maximis natura est dux, regula & mensura artis, & longe certior est arte. Unde *Tertullian. Immutabilis & irreformabilis natura est natura; Clemens Alexand. Nunquam natura vis adferri potest, ut mutetur.* Et Seneca: Epist. 119. *Non illud præcipio, ut aliquid natura neget: contumax est: non potest vinci, suum poscit.* Naturam igitur dum æmulari & imitari ars dicitur, ducem & regulam eam sequi intelligitur. Inservit naturæ ars tanquam instrumentum ejus, quo instructa natura quandoque præstantius molitur opus, quam si sola sit: quod allegata *Aristotelis* verba volunt. Inde vero natura artem esse præstantiorem non magis inferri poterit; quam instrumentum idoneum artifice

artifice præstantius esse: quia instrumento usus idoneo opus efficit excellentius, quam absque eo.

§. 26. (4) *Ars propria est hominis, natura in rebus homine vilioribus maxime fulget: Ergo natura præstantior ars est.*

Resp. Negatur *consequentia:* fulget natura non tantum in rebus homine vilioribus, sed & in ipso homine: Unde humanam naturam ἰσχυρόν τι καὶ ἀνίκητον esse Epictetus scribit. Et extra hominem natura molitur opera præstantiora, quam ars.

§. 27. (5) *Ars origine posterior est natura: E. perfectione prior est: quæ enim origine sunt posteriora, nobilitate & præstantia sunt priora: quia præcedentibus perfectionem adferunt:* ut constat ex 8. Phys.

Resp. Negatur *consequentia: Probatio* universaliter vera non est, sed in plerisque falsa. Accidentia substantiis origine sunt posteriora: neque tamen propterea nobilitate priora. Omnes causæ secundæ origine posteriores sunt prima; eædem & dignitate inferiores. Origine posteriora tum demum prioribus sunt præstantiora: quando à prioribus ad posteriora per gradus & certa incrementa est deventum: quomodo infans est præstantior embryone & adolescens infante, &c.

§. 28. (6) *Opera artis sunt præstantiora operibus naturæ: Ergo ars præstantior est natura: Antecedens* prob. *Quia ars perficit opera naturæ, lib. 2. Phys. t. 79. Quod vero perficit, præstantius est eo, quod perficitur. Sic hominem natura rudem & ad mala proclivem ars suo exceptum gremio erudit & ad omnem virtutem instruit atque efformat.*

R. *Antecedens* negatur, si *solius artis* opera conferantur cum operibus *solius naturæ. Probatio* est inconsequens: quia ars perficit opera naturę tantum accidentaliter, non essentialiter & substantialiter: Sic enim à natura perficiuntur. Omnis vero opera, quam naturæ operibus perficiendis ars adhibet, non nisi instrumentalis est, quæ majorem artis, quam naturæ, præstantiam non arguit. Sic instrumenta fabrilia ferrea nemo dixerit præstantiora auro esse, etiamsi accidentaliter id perficiunt & figuram artificialem inducunt. Catholicum igitur axioma non est: *Quod perficit, præstantius est eo, quod perficitur.* Hominis natura præstantior est eruditione, quam confert ars, vel institutio. Neque tamen ad hujus perfectionis accidentalis causa principalis est ars, sed instrumentalis tantum. Nisi enim artem admittat natura, frustra est ars. Unde non ex quolibet ligno *Mercurius* fit.

§. 29. Quæritur (10) *An ars præstet experientiæ?*

Resp. In *experientia* duo sunt distincta, 1. *Materiale*, memoria multorum præteritorum. 2. *Formale*, collatio eorum,

quæ

quæ memoria tenentur. Prius homo cum brutis habet commune: posterius hominis est proprium. Ars proprie & perfecte dicta è multis experientiæ notionibus oritur: Unde una & universalis de similibus existimatio: ex qua habitus quidam relinquitur, quo idem de omnibus similibus universe judicamus.

§. 30. Igitur ad quæstionem cum *Aristotele* respondet *Velstenius*, Nobil. Quæst. cent. 1. dec. 4. q. 1. *Experientiam præstare arti.*

(1) Ratione *formæ*. Quia experientia singularium & individuorum adfert cognitionem: Ars autem speciei & universalis. Sic, *exempli* gratia, compertum habere, *Calliæ* hoc morbo, nempe bile, laboranti rhabarbarum profuisse, itemque *Socrati*, & aliis individuis, experientiæ est. Profuisse autem omnibus biliosis, id artis est.

(2) Ratione *finis*. Quia omnes actiones generationesque in singularibus versantur: *Experientia* autem est rerum singularium cognitio, *Ars* universalium.

§. 31. *Contra vero artem præstare Experientiæ.*

(1) Quia artifex cognoscit causas rerum. Empiricus rem quidem esse scit, causam vero nescit. Atqui præstantior est cognitio τοῦ διότι, quam τοῦ ὅτι.

(2) Quia per experientiam quæ cognoscuntur, singularia sunt & sensu percipiuntur: Quæ vero per artem universalia, quorum notitia est intellectiva & sapientiæ gaudet titulo.

(3) Quia Artifex res, quas novit, docere potest; dum causas rerum novit: Empiricus ad docendum est ineptus.

§. 32. Cum vero *Ars* proprie & perfecte dicta sit, per quam non tantum facienda novimus, sed & nota facere possumus; adeoque artificis indignus sit nomine, qui nullum unquam artis dedit specimen, ipsoque expressit opere, quod in umbra ex solis præceptis didicisse gloriatur: non video, qui ullo modo *Arti* præferenda sit *experientia* vel nudus *Empiricus Artifici*. Ars enim activa vel factiva propriè non est, quæ principium operis non est, & ab experimentis planè sejuncta est & fuit. Ut *Ethici* indignus est nomine, qui virtuosi operis nullum unquam specimen dedit: & pro *Medico* non magis habemus, qui artis præcepta novit omnia, interimque curare secundum ea ægros non potest; quàm pro *Rhetore* puer, qui omnia artis præcepta tenet memoria, & interim prodire in publicum non audet, multò minus secundum artis præcepta orationem scribere & habere potest. *Ars* igitur propriè & verè sic dicta per experimenta paratur, per eadem se exerit, eademque dirigit: adeòque experimentis singulis certior, firmior & præ-

& præstantior est. *Experientia* vero propria arte destituta incerta & lubrica est. Unde πεῖραν σφαλερὴν *Hippocrates*, Aphor. 1. appellat.

§. 33. *Rationes* pro experientiæ præstantia adductæ, magni momenti non sunt. *Ars* non tantum universalium, sed & singularium adfert cognitionem. Qui enim ex arte novit *Rhabarbari* in genere affectiones & virtutes; de individuorum ad artis normam expensorum non dubitat affectionibus & virtutibus. Qui naturam *quartanæ* in genere novit per artem curare, is per eandem curare quoque novit *quartanam Calliæ* vel *Socratis*: Non igitur circa universalia tantum, sed & circa singularia inprimis ars versatur; universales iis applicando regulas. Neque suum ars finem assequitur principalem, nisi in singularibus. Sic *Medicina* discitur, non ut genera & species, sed ut individua, quæ ægritudinis subjecta sunt, curentur. Eodem se modo res habet in omnibus artibus mechanicis.

§. 34. Quæritur (11) *An ars quoque oblivioni tradatur?*

Resp. *Negativa* videtur probari posse, hoc argumento:

Eorum, quæ more, assuetudine & usu producuntur, non est oblivio: Atqui ars more, assuetudine, & usu producitur: Ergo artis non est oblivio.

Propositio est *Piccolomin.* Grad. 5. cap. 39. Assumptio *manifesta est ex trito illo: Usus facit artem: Unde illud Palingenii, in Leon.*

Omnis ab assiduo nimirum ars nascitur usu.

Sic & *Columella*, lib. 4. rei rust. cap. 11. *Magister artium usus.*

Et *Ovid.* lib. 2. de art. amandi.

Solus & artifices qui facit, usus erit.

§. 35. *Piccolomineus* distinguit. Ars, inquit, *quatenus ex ratione pendet & recta ratio est, potest oblivioni tradi: quatenus vero est effectibilium, & habitum exposcit in instrumentis motus contractum & exercitatione comparatum, non oblivione, sed longo otio aboletur.*

Dari vero oblivionem cum *liberalium*, tum *mechanicarum* artium locuples testis est experientia. Habitus in instrumentis motus proprie dici non potest, ne in instrumentis quidem connatis, quæ corporis animati sunt partes: cujusmodi sunt manus, pedes, &c. Est enim ars habitus mentis, unde intellectualis dicitur, adeoque pro subjecto non habet instrumentum corporeum: etsi singularis quædam dispositio & agilitas instrumentis inprimitur: quæ tamen in actionibus artificiosis se non exerit, nisi per

præſcriptum & directionem artis. Ad omnem igitur artem ejuſque uſum memoria requiritur: quæ aboleri per contrariam oblivionem poteſt. Neque pugnant *oblivione* & *longo otio* aboleri: artes enim, quæ longo otio abolentur, oblivione quoque delentur. Obliviſcimur enim eorum, quæ non exercemus. Unde Auguſt. de civit. D. *cum laborē diſcimus, ſine labore neſcimus.*

X.

Prudentia eſt habitus agendi ea, quæ homini ſunt bona.

Ἔκθεσις.

§. 36. OBjectum prudentiæ ſunt τὰ πρακτὰ, hoc eſt, quæ homini ad bene agendum ſunt neceſſaria.

Officium prudentiæ eſt, ita hominis actiones dirigere, ut vel nuſpiam, vel minimum impingat. Oritur autem hæc prudentia ex obſervatione longa & experientia ſingularium. Τὴν φρόνησιν ὁ μακρὸς βίος καὶ τὰ πολλὰ μαθήματα φέρει: Dionyſ. Carnaſſ.

§. 37. Comites prudentiæ, quas alii adminiſtras ejus cauſas appellant, quatuor ab *Ariſtotele* numerantur.

(1) *Bona conſultatio*, ἰυβουλία, qua finem bonum nobis propoſitum, per media honeſta conſequi ſtudemus tempore & loco opportuno. *Melius eſt providere, quam pœnitere.* Ἐυβουλίαν negat *Ariſtoteles* eſſe vel ἐπιστήμην, vel ἰυστοχίαν, vel ἀγχίνοιαν, vel δόξαν, vel νοῦν, videantur rationes. l. 6. Eth. c. 9.

(2) *Perſpicacitas*, σύνεσις, qua recte judicamus de iis rebus, circa quas prudentia verſatur.

(3) *Sententia*, γνώμη, quæ eſt viri æqui & boni, de dictis & factis aliorum, rectum judicium.

(4) *Solertia*, δεινότης, quæ eſt naturalis quædam ratio excogitandi & inveniendi ea media, quæ ad honeſtæ actionis finem conſequendum faciunt. His alibi adduntur μνήμη καὶ ἐμπειρία.

Prudentia definitur Platoni, Ἐπιστήμη ἀγαθῶν καὶ κακῶν. Διάθεσις καθ᾽ ἣν κρίνομεν, τί πρακτέον, καὶ τί οὐ πρακτέον. *Scientia bonorum & malorum. Habitus quo judicamus, quid agendum & quid non agendum.* Ciceroni, *Ars vivendi.*

X I.

Prudentia eſt communis vel privata.

X I I. *Pru-*

XII.

Prudentia communis est, qua consulimus & prospicimus, quæ sunt utilia aliis: estq; Politica vel Oeconomica.

XIII.

Prudentia Politica est, qua recte consultamus de iis, quæ Reipublicæ sunt utilia.

Ἔκθεσις.

§. 1. Distinguitur rursus prudentia *Politica* in *legislatoriam* & *practicam*: *Legislatoria* seu νομοθετικὴ est de recte ferendis & explicandis legibus. *Practica* est, de recte administrandis Reipub. negotiis: quæ rursus est *senatoria* vel *judicatoria*.

Senatoria prudentia est, qua recte deliberamus de futuris Reipublicæ negotiis. Alias quoque *deliberativa* appellatur, ad quam requiruntur tria: Oportet enim prudentem senatorem. (1) omnium quæ ad virtutem & honestatem pertinent, esse scientem & studiosum: & non tantum utilitatis, sed & inprimis honestatis rationem in omnibus suis actionibus & consiliis habere. (2) Non tantum certi status notitiam, sed & omnis generis optima præcepta de Republica feliciter administranda in promptu habere. (3) Historiæ cum veteris, tum recentis, & universalis & particularis notitia pollere.

Ab hujusmodi Senatore consilia exspectari possunt bona in quibus requiritur.

(1) Ut divinæ legi sint congrua & honestum utili præferant.

(2) Ut sint moderata. Siquidem *consilia callida & audacia prima specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia*: Plinius.

(3) Ut sint lenta & circumspecta: *Duo* enim *rectis consiliis infestissima, celeritas* & *ira*: Tacitus.

(4) Ut ab affectibus sint immunia: *Non* enim *facile animus verum perficit, ubi affectus officiunt*. Sallust.

(5) Ut ne nimis sint arguta & exquisita: Non enim quid animis nos conspiciamus, sed quid fiat in communi vita attendendum. Unde Thucydides: *Hebetiores ut plurimum Rempubl. melius administrant, quam acutiores.*

(6) Ut silentio premantur: Siquidem *taciturnitas optimum*

atque tutissimum est rerum administrandarum vinculum. Valer. Max. *Neq; res magna sustineri possunt ab eo, cui tacere grave est.* Curtius.

(7) Ut festinetur eorum executio. *Tarde consultandum*, inquit Socrates, *celeriter peragenda, quæ deliberata.* Quo tendit priscorum illud: *Sis in consiliis cochlea, in factis aquila.* Ad *Indos* releganda *astutia Machiavellica*, quæ solum sectatur utile, excluso honesto.

§. 2. *Judiciaria* est, qua recte judicamus de factis præteritis.

Observandum tria quoque incumbere prudenti judici. (1) Ut amore justitiæ judicium exerceat. (2) Ut authoritate publica id faciat. (3) Ut secundum rectam rationem & legem judicet. Ita qui judicat, *sapienter* judicat. Sapientis judicii specimen edidit *Salomo* in causa duarum meretricum, quarum una alterius sibi vendicavit infantem filium vivum, postquam suum illa incumbendo dormiens oppresserat; 1. Reg. 3. v. 25. Unde populus judicavit esse in *Salomone* sapientiam Dei ad exercendum judicium, v. 28. Non adeo dissimile fuit judicium *Ariopharnis*, *Thraciæ* Regis, quem arbitrum sibi delegerunt *Parysadæ*, qui *Bosphoro Cimmerico* imperaverat, filii tres, *Satyrus*, *Prytanis* & *Eumelus* de paterno regno contendentes. Jussit eos *Ariopharnes* patris cadaver è sepulchro erutum arbori alligare & sagittis petere, ut, cor qui attigisset, regni hæres judicaretur: Nec mora: eruitur id & arbori alligatur. Major natu guttur; medius vero pectus, illæso tamen corde, transfigit: minimus impietatem hanc detestatus ait se regno malle cedere, quam ita in patris corpus sævire: quem hoc nomine Regem *Ariopharnes* pronunciavit, debellatis & regno ejectis fratribus impiis. *Diodor. Sicul.*

De quæstione: *An liceat judici judicare secundum propriam conscientiam, contra acta & probata?* Supra actum. cap. 30. q. 8.

§. 3. *Peccata* judici præcipue cavenda sunt quatuor.

(1) *Iniquitas in ferenda lege & sententia.* Hinc *Jehova*, Jesai. 10. v. 1. *Væ decernentibus decreta iniqua & scribentibus molestiam, quam illi præscripserunt, ad evertendum de causa tenues & ad rapiendum jus pauperum populi mei.* Meminerit igitur judex, ex officio suo se esse *ministrum Dei* & legis ejus custodem. Deut. 1. v. 7. & 2. Chron. 19. v. 6. 7. adeoque contra justitiam & legem Dei nihil sibi licere.

(2) Προσωποληψία, *qua respicitur in hac vel illa persona conditio, quæ ad causam dijudicandum nihil facit.* Deut. 16. v. 19. Exod. 23. v. 3. Levit. 19. v. 15. Ab *acceptione personæ* alienum esse

esse judicem par est; quia est *justitia animata*; non igitur magis in hanc vel illam partem inclinare debet, quam ipsa causæ justitia inclinat. Idem personam Dei sustinet, qui omnis est expers passionis.

(3) Δωροφαγία, Deut. 16. v. 19. *corrumpant enim munera judicis animum & à causa ad personam avertunt.* Spectat huc illa justi judicis descriptio apud Jesai. 33. v. 15. *Qui spernit lucrum ex fraudibus, qui excutit manus suas, ne teneat munus*, &c.

(4) *Litium protractio & morarum non necessariarum concessio.* Hoc enim modo judicia redduntur sumptuosa & partibus damnosa, imo & exosa atque pauperibus justam quoque litigandi causam habentibus formidabilia: quæ pestis hodie in multis grassatur tribunalibus.

XIV.

Prudentia Oeconomica est, qua recte consulimus & prospicimus de iis, quæ familiæ sunt necessaria.

Ἔκθεσις.

P*Ittacus* interrogatus: *quam nam domum optime constitutam judicaret?* respondit: *cui superfluum nihil abundet, & necessarium nihil desit.*

Prudentia œconomica *Cato Major* ad miraculum excelluit circa educationem liberorum & rei familiaris curam: Vide *Heiderum*, Philosoph. moral. part. 2. pag. 209. De re rustica *Catonis* fuerunt dicta: *Prædium ne cupide emas: Agricola non debet esse emax sed vendax. Quod male emtum, semper pœnitet. Malus ager, quo cum luctatur Dominus. Frons Domini plus, quam occipitium prodest.*

Marcus Crassus omnibus suis servis, quot plurimos habuit, erudiendis ipse præfuit. Existimavit enim *Domino maxime convenire curam servorum, qui rei domesticæ animata essent instrumenta: servos igitur à Domino, à servis reliqua debere gubernari. Plutarch.* in ejus vita.

XV.

Hactenus prudentia communis: *Privata est, qua nobis nostrisque commodis recte prospicimus.*

Ἔκθεσις.

§. 1. VT hanc consequare prudentiam, *Senecæ* præceptum tibi est observandum: *Si prudens est animus*, inquit, *vitæ actiones tribus temporibus dispensa: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit, qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.* Consentit *Demosthenes*: *Vir prudens debet præteritorum meminisse, præsentia agere, futura cavere.*

De prudentia variæ quæstiones & controversiæ sunt expeditæ supra ad caput 5. Quibus hoc loco aliquas quoque visum adjicere:

§. 2. Quæritur (1) *An prudentia sit virtus intellectualis?*

Resp. *Affirmativa* in Scholis receptissima est: Est enim virtus intellectualis habitus animi, quo mens nostra affirmando vel negando verum enunciat & vel in sola cognitione veritatis acquiescit, vel cognitionem ad πρᾶξιν dirigit: Unde in *theoreticam* & *practicam* distinguitur, & practicæ species prudentia constituitur: quæ mentis est habitus, & principium agendi quæ bona & commoda sunt homini. *Stoicis* definitur, *scientia bonorum, malorum & mediorum. Speusippo* in lib. de definitionibus *Platonis* plenius, *scientia bonorum & malorum, dispositionem homini felicem præbens, qua, quid agendum sit & quid non, judicamus* Aristoteli lib. 6. Nicomach. cap. 5. *habitus cum ratione recta, ad ea, quæ homini bona sunt, agendum dirigens.* Aliis brevissime, *recta ratio agibilium.* Omnes eo tendunt descriptiones, ut mentis habitum & intellectualem virtutem esse prudentiam doceant, & rectricem atque directricem virtutum atque actionum moralium.

In contrarium tamen objici nonnulla possunt.

§. 3. (1) *Prudentia non est in intellectu: Ergo non est virtus intellectualis*: Antecedens prob. *Quicquid est in intellectu, id deleri per oblivionem potest: Atqui prudentia oblivione deleri non potest: teste Aristotele*, libr. 6. moral. cap. 5. Ergo.

Resp. *Antecedens* negatur. *Prosyllogismi propositio* non videtur universaliter vera: Sunt enim communes notiones in intellectu, quæ tamen per oblivionem non posse deleri videntur. Neque *assumptio* simpliciter vera est, ut suo loco ostendimus

§. 4 (2) *Prudentia non est distincta à virtute morali: Ergo non est virtus intellectualis.* Ratio conseq. *Quia virtus moralis non est intellectualis.* Antecedens prob. *Quia objectum prudentiæ est objectum omnium virtutum moralium.*

Resp.

Resp. *Antecedens* negatur: *probatio* est inconsequens: quia circa idem *objectum* aliter prudentia, aliter virtus moralis versatur: veluti disciplinæ diversæ *objectum materiale* idem possunt habere, sed sub diverso considerandi modo, qui *formale* constituit.

§. 5. Est autem res agenda *objectum* virtutum moralium & prudentiæ: quæ duplici modo consideratur, quatenus nempe refertur vel ad *bonum voluntatis* vel ad *verum opus intellectus*: *Priori* modo est objectum virtutum moralium, *posteriori* prudentiæ: quæ circa omnia virtutum moralium occupatur objecta, circumstantias ponderando & media ad exercitium necessaria circumspiciendo, unde directrix earum appellatur.

§. 6. (3) *Prudentia perficit appetitum in ordine ad bonum: Ergo non est mentis virtus.* Antecedens Aristotelis est, lib. 6. Eth. cap. 5. Ratio conseq. *Quia mentis virtus perficit intellectum in ordine ad verum.*

Resp. Negatur *consequentia*: *Ratio* est inconsequens: Perficit mentis virtus practica intellectum practicum ad verum practicum, ut supra in probatione *affirmativa* ostendimus. Practica igitur veri cognitio tendit in bonum, ut loquuntur agibile: in quod voluntas tendit, quando verum id esse intellectus judicat.

§. 7. Quæritur (2) *Unde in nobis producatur prudentia habitus?*

Resp. *Efficiens* prudentiæ causa est *remota*, *propinqua* & *proxima*: *Remota* est hominis natura rationalis, Unde mentis habitus seu virtus intellectualis est prudentia, quam mens & intellectus hominis sibi parat: Hinc per naturam nobis prudentiam competere, & naturæ munus esse dixerunt nonnulli. *Naturam*, vero cum nominamus, autorem naturæ Deum includimus, cujus ministra est natura. Tendunt huc veterum effata: inter quæ illud *Anacreontis: Tauro ferire cornu, equo ferire calce, lepori valere cursu; Natura dat leoni dentes hianti rictu: prudentiam viris dat.* *Euripides* apud Stobæum serm. 84. τὸ συνετὸν, inquit, ὁ θεὸς δίδωσιν, οὐχ ὁ πλοῦτος.

§. 8. Pertinet huc quoque corporis dispositio & temperamentum: non enim quodvis cuivis virtuti est idoneum. Unde per vitiosam corporis dispositionem multiplane stupidi, incauti & mente sunt alienati. Anima enim humana quamvis à corpore separabilis sit, tamen quantisper immersa & alligata est corpori, utique phantasmatibus & spiritibus opus habet; per dispositiones & facultates materiales varie potest affici & in operationibus suis impediri; ut videre est in febribus, cephalalgiis & aliis passionibus fervidis, quę animæ regiam, caput, infestant & rationem sæpissime turbant.

Requiritur autem ad prudentiam temperamentum, quod sit medium inter calidum & frigidum, inter humidum & siccum, atramque bilem bene castigatam habeat: quod ad perturbationum, seu effectuum, excessus non sit proclive: Raro enim prudentes sunt, qui levissimo quovis momento in iram præcipites feruntur, qui nimis sunt timidi &c.

§. 9. *Propinqua causa* prudentiæ est *institutio & disciplina:* quæ ut ad aliarum virtutum, sic & prudentiæ, acquirendos habitus plurimum confert. Prudentia enim absque cognitione nulla est: cognitionem & scientiam subministrat *institutio*, quæ ad praxin est dirigenda: Unde praxin singularum virtutum diligentia præcepta in institutione hac morali plurima hactenus tradidimus.

§. 10. Exempla modosque prudentiæ exercitæ & exercendæ ex historiis producit *institutio*: quibus quasi insignibus documentis ad omnes usus informatur animus & aliorum periculis discit sapere: Unde prædicatur *felix*, *quem faciunt aliena pericula cautum.*

Historiæ hanc in rem usum passim veteres prædicant.

Insignis est *Polybij* sententia: *μηδεμία ἑτοιμοτέρα τοῖς ἀνθρώποις διόρθωσις τῆς προγεγεννημένων πράξεων ἐπιστήμης:* hoc est: *Nulla est mortalibus ad proficiendum via expeditior rerum ante actarum scientia.* Sallust. Jugurth. *Ex iis negotiis, quæ ingenio exercentur inprimis magno usui est memoria rerum gestarum.* Καλλίστη παιδεία πρὸς ἀληθινὸν βίον ἡ ἐκ τῆς πραγματικῆς ἱστορίας περιγιγνομένη ἐμπειρία: hoc est, *pulcherrimum disciplinæ genus est ad veras vitæ rationes cognoscendas peritia ex historia collecta.* Polyb. lib. 1. *Comparata historiæ beneficio prudentia*, inquit, Diodor: Sicul. lib. 1. *aliorum perperam recteque facta intelligens vacuam à malorum experimentis doctrinam habet.* Idem ibid. *Historia adolescentibus senum prudentiam adjungit: senibus experientiam jam acquisitam multiplicat: privatos principatu dignos efficit: principes gloria immortalitate ad res pulcherrimas suscipiendum excitat.* Ita *Livius* in præfat hist. *Hoc illud est præcipue in cognitione rerum salubre & frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæque reipublicæ, quod imitere, capias: Inde, fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.*

§. 11. *Proxima causa* est usus & experientia propria: proxime enim habitus acquiritur crebris actionibus. Ut igitur actionibus artificiosis crebris ars, sic & factis prudentibus prudentia compara-

comparatur & perficitur. Theoria sola & scientia minime sufficit. *Aliorum erratis*, inquit, *Diodor. Sicul. ad rectam vitæ institutionem pro exemplis uti & ad varios in vita eventus non, quid gerendum sit, quærere; sed, quod recte factum est, imitari, scitum atque pulchrum est. Scientiæ quis usus esse potest*, inquit Max. *Tyr. nisi ea agamus, in quibus prodest scientia. Quid enim medico cum scientia, nisi ex præscripto ejus recte valeat? Quid Phidiæ cum arte sua, nisi ebori eam admoveat & auro? Egregius magister est usus*, inquit Plinius. lib. 1. Epist. 20. & lib. 6 Epist. 29.

§. 12. Quæritur (3) *An prudentia dignitate præstet virtuti morali?*

Resp. *Affirmativa* defenditur sequentibus argumentis.

(1) Quia prudentia est regula dux & princeps virtutum moralium: quæ & *Aristotelis* est sententia, lib. 6. Ethic. cap. 8. *Medium*, in quo tenendo virtus moralis occupatur, judicio viri prudentis definitur. *Circumstantias* in exercitio virtutis moralis observandas ponderat prudentia: adeoque intime complicata est cum omnibus virtutibus moralibus, veluti communis omnium anima. Ad finem communem, hoc est, reipublicæ salutem, eadem dirigit virtutes morales, quæ alias non nisi singulos perficiunt.

(2) Quia non tantum per actus morales privatos, sed & per civiles atque œconomicos diffusa est prudentia, quæ legibus condendis, consiliis ineundis, sententiis ferendis, rebusque publicis & privatis gerendis præest: Unde distinguitur in *communem* & *privatam*, in *politicam* & *œconomicam*, in *legislatoriam* & *practicam*: in *Senatoriam* & *judiciariam*: ut in præceptis videre est partibusque perficitur quatuor, nempe ἐυβουλίᾳ, συνέσει, γνώμῃ, δεινότητι: de quibus supra.

(3) Quia augustissimis exornatur titulis, quando appellatur *saluberrima, tutissima, virtutum optima, fidelissima, potentissima, securissima, tranquilla, providentia regia, mensura rerum, maxime necessaria, vigilans, sobria, perspicax* &c. *auriga humanæ vitæ, dux humanarum actionum, splendor rerum.* Rationes singulorum horum axiomatum reddentem vide *Piccolom.* Grad. 5. cap. 40.

Objicitur in contrarium.

§. 13. (1) *Virtus moralis nos recte disponit erga finem: prudentia versatur tantum circa media & ordinata ad finem: Ergo præstantior est virtus moralis, veluti finis præstantior est mediis.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est. Prudentia non versatur tantum circa *media*, sed & circa *finem*, quamvis non eo-

dem modo. Qui enim de fine non cogitare & laborare dici debeat quæ de fine per idonea media obtinendo vel maxime laborat.

§. 14. (2) *Per prudentiam homo non dicitur absolute probus, sed prudens: per virtutes morales absolute probus dicitur. Ergo hæ præstantiores sunt illa.*

Resp. Negatur *consequentia*. Prudentia non est sine probitate, nec probitas sine prudentia. Ut igitur per probitatem homo est prudenter probus, sic per prudentiam probe prudens. Habet enim intime conjunctam prudentiam probitas, & probitatem prudentia, quæ exerit se in singulis probitatis actibus. Hinc Aristotel. lib. 6. Eth. cap. 13. dicit, *sine prudentia neminem posse proprie dici virum probum.*

§. 15. Quær. (4) *An, qui prudens est, omnes virtutes habeat.*

Resp. *Affirmativam* de sententia *Keckermanni*, amplectitur *Aristoteles*, lib. 6. Eth. c. ult. Rationem manifestam esse judicat *Keckerm.* Quia, qui prudens est, reliquis virtutibus finem præscribere eumq; determinare potest. Hoc qui potest, secundum omnes virtutes agere potest. Prudens igitur omnibus virtutibus est præditus, & qui prudens non est, nec una virtute præditus est.

§. 16. Quæstionem alii ita formant: *An omnes virtutes morales sint connexæ in prudentia?* Quam supra ad caput 5. q. 13. ex professo tractavimus: quo lectorem remittimus.

Casus ait, *prudentiam tria potissimum respicere, rectam rationem, multiplicem actionis circumstantiam & mediorum optimorum electionem.* Quibus tribus quasi vinculis omnes virtutes prudentiæ restringuntur. Connecti igitur omnes virtutes cum prudentia, aliud nihil esse docet, quam omnes, secundum rectæ rationis præscriptum, electionem & multiplicem circumstantiarum ordinem & decorum, agere. Et hanc vim atque proprietatem cum præter prudentiam nulla alia virtus habeat, ut alterius actum virtutis eliciat, ut ordinem præscribat, ut medium eligat, ut motum & veluti progressum actionis dirigat; recta prudentiam, veluti centrum in circulo hujus vitæ, arbitratur poni, in quo omnes virtutum lineæ à circumferentia flexæ in se desinant & quasi revolvantur.

Aristoteles in *Socrate* improbat, quod virtutes omnes prudentiam esse putaverit: probat; quod non sine prudentia eas esse censuerit.

§. 17. Breviter *Casus* recenset & complectitur modos, quibus in prudentia connexæ sunt virtutes, nempe quoad (1) *Primam apprehensionem objecti.* (2) *Præscriptionem circumstantiarum.* (3) *Directionem actionum.* (4) *Usum rectæ rationis & electionis.*

nis. (5) *Consensum & unionem* veri bonique, intellectus & voluntatis, in ultimo fine acquirendo.

§. 18. *Keckermanni* assertionem quod attinet: *Qui omnibus aliis virtutibus finem potest praescribere, eumque determinare, is secundum omnes virtutes potest agere:* non videtur ea carere scrupulo. Videtur praescribere aliis virtutibus finem posse prudentia, quamvis secundum eas non possit agere: veluti finem artifici potest praescribere & determinare, etiam qui opus artificiosum non potest producere: Et, si prudentia secundum omnes virtutes morales potest agere; vel virtutibus moralibus non esse opus videbitur: vel omnes virtutes morales non nisi distinctae species prudentiae videbuntur esse: quorum utrumque à vero alienum. Quatenus vero finem virtutibus moralibus praescribat prudentia, videatur apud *Piccolom.* Grad. 5. cap. 42.

§. 19. Interim non negamus prudentiam cum virtutum singularum actibus concurrere, circumstantias ponderando, actiones dirigendo, media eligendo & finem praescribendo: ita tamen ut actionum singulis virtutibus propriarum ipsa principium proximum & formale non sit; adeoque, praeter prudentiam, omnino necessariae sint morales virtutes: quae à prudentia ut inseparabiles sunt, sic & ipsa perfectionem suam sine iis nunquam consequitur. Unde nemo vere prudentem dixerit, qui in vitia moralis est profusus. Si objeceris, *prudentiam versari circa omnia πρακτὰ, adeoque virtutes morales omnes ambitu suo complecti:* Respondent nonnulli: Prudentiae subjici *τὰ πρακτὰ* sub ratione *veri:* Virtutibus aliis moralibus sub ratione *boni.* Prudentiae ut directrici, virtutibus moralibus ut directis. Prudentiae ut Soli omnia collustranti, virtutibus moralibus ut reliquis corporibus elementaribus.

§. 20. Objicitur in contrarium.

(1) *Puer obedire potest virtutis praecepto, sine prudentia: Ergo virtutis actus potest esse sine prudentia.* Ratio consequentiae: *quia praecepto virtutis obedire est actus virtutis.*

Resp. *Consequens* non adeo nobis contradicit. Non enim quaeritur heic de actione aliqua singulari virtuosa, quae proficisci quandoque potest à non virtuoso: siquidem una actio habitum non facit, sed de virtutis habitu, qui explicare & exerere se per omnes actus prompte potest, ubi datur occasio. Habitus hic in puerum non cadit: etsi aliqua ejus esse inchoatio potest, ut & prudentiae ad primos illos actus sufficientis.

§. 21. (2) *Infima conditionis homines quandoque liberalitatis actum absq; praescripto prudentiae edunt. E. virtutis actus potest esse sine prudentia.* Resp.

Resp. Idem de illis judicandum, quod de pueris. Liberalitatis habitus exerceri sine prudentia non potest. Requirit enim virtus hæc accuratam circumstantiarum considerationem, quæ prudentiæ est.

§. 22. (3) *Prudentia non est de essentia virtutis moralis: Ergo virtus moralis absque ea esse potest.* Antecedens *prob: Quia specie distincta est à virtute morali.*

Resp. Negatur *consequentia:* non illico ab essentia separabile est, quod de essentia non est. Propria à suis subjectis separabilia non sunt, etiamsi de eorum essentia non sunt: sed essentiam consequuntur. Accidentia sine substantiis esse non possunt, etiamsi de accidentium essentia substantiæ non sunt.

§. 23. (4) *Etiam qui prudentes sunt, vitiis moralibus obnoxii haud raro deprehenduntur, ut avaritiæ, injustitiæ, ebrietati, iracundiæ, simulationi, &c. Ergo, qui prudens est, omnes virtutes non habet.* Antecedens *comprobat experientia in aulis & curiis frequens.*

Resp. *Antecedens* de perfecte prudentibus negatur: experientia, quæ allegatur, nulla est. Tanto longius à prudentia vera quisque recedit, quanto propius ad moralia vitia accedit; Igitur avari, injusti, ebriosi, iracundi, simulatores, &c. callidi potius & versuti sunt dicendi, quam prudentes, qui à vitiis se subjugari non patiuntur: quia turpitudinem eorum noverunt & oderunt: cujus ignorantia vel amor cum vera prudentia non consistit.

§. 24. Quæritur (5) *An, qui, publicis curis neglectis, se totos contemplationi dedunt, ut olim Philosophi multi, prudentes censeri debeant?*

Resp. *Aristoteles* lib 6. Niomach. c. 7. negat. *Anaxagoram,* inquit, *Thaletem, ceterosque tales viros, sapientes quidem esse dicunt, prudentes vero nequaquam: cum videantur ea, quæ ipsis utilia sunt, ignorare.* Sic & *Plato* ait, *Philosophum in rebus agendis se deridendum præbere, & propterea carere recta ratione agibilium.* Pertinet huc illud Boëth. *Doctos quidem multos vidi, prudentes autem perpaucos novi.* Unde vulgo ajunt: *Hominem quidem esse probe doctum, sed parum prudentem: multis artibus ornatum, sed simplicem: bonum virum, sed malum magistratum.*

§. 25. Quid igitur? Itane felices judicabimus Philosophos, ut imprudentiæ eos damnemus, & virtutis exules extorresque judicemus? Absit. Distinguendum igitur inter *prudentiam civilem,* quæ longo rerum usu paratur, & in hoc turbido humanæ vitæ pelago se fatigat quæstu faciendo, populis regendis, bellis gerendis, cau-

dis, causis disceptandis &c. & *prudentiam moralem*, quam in compescendis affectibus se exercet, animum adversus vitiorum contagia munit, viamque ad felicitatem deligit magis expeditam & compendiosam. Illius laude ut æquis animis carent Philosophi: Sic hujus sibi prærogativam negari vel adimi non patiuntur. Causam ipsorum egregiè agit Tullius, S. Tusc. *ô vita Philosophia dux, ô virtutis indagatrix expultrixque vitiorum: Quod non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset ? &c. Unus dies benè & ex præceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus, &c.*

§. 26. Quæritur (6) *An prudens interdum malis mediis ad bonum finem utatur ?*

Resp. Ad bonos fines quandoque adhiberi mala media, extra omne est dubium. Sed à verè prudentibus hoc fieri negamus. Verè prudens veram rectamque *consultationem* adhibet, ad hanc verò requiruntur duo, optimi finis constitutio & mediorum honestorum inventio. Catholica est regula: *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Quisquis igitur mala & ab honestate aliena eligit media, in eligendo errat: In electione mediorum qui errat, verè prudens dici non potest. Itaque prudentiæ nomine indignę sunt machinationes *Machiavellicæ* & quæ vulgò decantatur *Ratio status*: per quam pessima & iniquissima sæpe media ad fines bonos obtinendos eliguntur, illudque Taciti laudatur: *omne magnum exemplum aliquid habet iniqui, quod tamen utilitate publica compensatur.*

§. 27. In decisione quæstionis hujus *Keckermanus* ait, per se ad finem bonum non ordinari mala media, nec manere amplius finem bonnm, si ad eum mala ordinentur media: malum n. non nisi malum intendere, & bonum non nisi à bono intendi. Hoc an simpliciter sit admittendum, valde dubito. Per se n. ad finem bonũ ordinari dicitur, non tantum quod per naturam suam ad finem bonum obtinendum est idoneum: sed & quod primaria agentis intentione ad finem bonum ordinatur, sive ipsum in se sit bonum, sive malum. Neque finis illico bonus esse desinit, ad quem ex vitio & culpa agentis malum ordinatur medium: Potest enim finis & intrinsecè & moraliter esse bonus, exempli gratia, *Dei gloria*, qui fieri moraliter malus per mala media non potest. Neque universaliter verum videtur; *malum non nisi malum intendere & bonum non nisi à bono intendi.* Contradicit experientia & illud Christi: *Si vos, qui mali estis, nostis bona dona dare liberis vestris,* &c. Matth. 7. v. 11.

Objicitur: *Atqui Deus sæpe malis utitur mediis ad bonos fines?*

§. 28. *Ex-*

§. 28. Exempli gratia, innocentis Christi condemnatione & crucifixione ad salutem humani generis: Venditione Josephi ad ejus exaltationem & familiæ Abrahami conservationem, &c. Ergo & prudenti hoc licitum facere.

Resp. Negatur *consequentia*: Quia plus Deo licet, quam homini: Nemini suorum factorum rationem reddere Deus tenetur: Omnes vero homines Deo, cujus subjecti sunt legibus.

Deinde hominum peccatis etsi utitur Deus ad bonos fines: tamen eorum non est autor, sed director tantum: qui impedire ea non tenetur, & in sua quoque potestate ita habet, ut dirigere ea & flectere sine culpa possit, quocunque vult: neque fieri illa unquam permitteret, nisi iis uti bene sciret.

Longe alia est hominum ratio. Tenentur illi impedire, quæcunque possunt, mala neque in potestate sua eventus ita habent, ut uti iis bene absque culpa possint. Quod si vero malorum mediorum ipsi quoque autores sint, multo minus se excusare & ad Dei exemplum provocare possunt.

§. 29. Quæritur (7) *An prudens in ambiguis rebus semper plus metuere, quam sperare debeat.*

Resp. *Plus metuere*: (1) Quia metus acuit diligentiam & solicitudinem in eligendis & procurandis mediis. Securitas vero & spes anxiam de mediis curam abjicit. Unde *Clemens Alexand.* σωτήειϛ, εἰ καὶ πικρὸς, ὁ φόβος. Item, φόβος ὠφελεῖ, καὶ πρὸς ἀγαθὸν τοῖς ἀνθρώποις ἐξήνυσηι.

(2) Quia scit etiam minimum mali per securitatem obvenientis existimationi plus posse obesse, quam magnum aliquod bonum prodesse: & plerunque in reprehensionem proniores esse homines, quam in laudem & prædicationem.

§. 30. Objicitur.

Spes potius animat prudentem ad executionem consultationis; quam metus. Ergo sperare plus, quam metuere debet.

Resp. Negatur *consequentia*. Hoc tantum inferri potest: *prudentem absque spe ad executionem se non accingere, adeoque necessariam esse spem.* Interim plus metuendum, quam sperandum: quia de impedimentis sperati eventus removendis maximopere laborandum prudenti, quod sine metu majori non potest fieri: enim per se solicita & anxia non est, nisi quatenus moræ impatiens est. Attamen res ubi minus sunt ambiguæ & dubiæ, plus sperare, quam metuere debet prudens, posita tamen securitate & impedimentorum contemtu. Nam & parvus hostis non est contemnendus, verumque est illud *Arminii*, apud Vell. Paterc. *Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet, & frequentissimum initium*

initium est calamitatis securitas. Stultum est illud: *Parvus hostis, nullus hostis*.

§. 31. Quæritur (8) *Utrum celeritas, an tarditas, prudenti potius conveniat?*

Resp. Habet suam celeritas, habet & tarditas laudem, sed non ubique neque semper. Prudentis est deliberare & exequi deliberata. In deliberatione consilia quandoque capienda, quandoque rapienda. Capienda in arduis, quando deliberandi spatium datur; Unde *Lucanus*; *Tardum consilium longe præstantius est, præceps semper habet comitem pœnitentiam*. Quo & *Augusti* spectavit symbolum, *festina lente*.

§. 32. Est tamen in hac tarditate modus quoque servandus. Unde maturanda sunt consilia, non festinanda: quia matura quæ sunt, nec præcocia sunt, nec decrepita: nec tarda nimis, nec festinata nimis: etsi tutior est tarditatis, quam festinationis excessus: *Scelera impetu, bona consilia mora valescunt*, inquit *Tacitus*. Rapienda, quando in mora periculum est. *Non opus est cunctatione*, inquit Tacitus, *ubi perniciosior est quies, quam temeritas*.

§. 33. Eorum, quæ deliberata & conclusa sunt, executio diu non est differenda, nisi impedimenta intercedant manifesta. Nimia enim illa cunctatione & dilatione frigescit impetus & consilia haud raro produntur. Plura vide apud *Richter*. in axiomat. pol. 104. 105. *Lips*. lib. 3. polit. cap. 7. & in notis ad hoc caput: Videatur & *Keckerm*. in disc. de consilio.

§. 34. Quæritur (9) *An ad prudentiam aliquid conferat sapientia?*

Resp. Affirmatur (1) Quia perfecta prudentia non est sine cognitione divinæ providentiæ, potentiæ, justitiæ, &c. quæ sub objecto sapientiæ continentur.

Quia prudentiæ principia & fundamenta descendunt ex principiis & fundamentis sapientiæ: in quam tandem resolvuntur: uti quicquid rectum in humanis, ad divinam exigitur rectitudinem. Unde *Cicero* sapientiam definit *scientiam rerum divinarum & humanarum, causarumque quibus hæ res comprehenduntur*. Hæc si vera est definitio, ad prudentiam plurimum conferre sapientiam palam est.

(3) Quia ad rectam mediorum, quæ plurima & maxime varia sunt, electionem prudentiæ propriam requiritur cognitio multiplex & varia, quæ haberi sine sapientia non potest.

§. 35. Objicitur. *Multi prudentes sunt, qui sapientiæ studia nunquam attigerunt: ut constat de politicis & militaribus viris plurimis. Ergo sapientia ad prudentiam nihil vel parum confert*.

Resp.

Resp. *Antecedens* non conceditur, nisi de prudentibus plebeiis & vulgaribus, quos usus in nonnullis rebus prudentes fecit: qui tamen perfecte prudentes dici non possunt: uti nec inter doctos numerantur medicos, qui vulgo empirici nominantur: quibus tantum τὸ ὅτι exploratum.

§. 36. Quæritur (10) *Cur prudentia custos & conservatrix potissimum temperantia dicatur?*

Resp. Græci temperantiam appellant σωφροσύνην hoc est, conservatricem prudentiæ seu mentis, παρὰ τὸ σώζειν τὴν φρένα: quia præ omnibus aliis virtutibus prudentiam custodit & conservat: neque tam ullum vitium adversatur prudentiæ, quam intemperantia, & inprimis *ebrietas*. Requirit enim prudentia mentem liberam & tranquillam circa judicium honesti & delectum mediorum ad id ducentium, ubi nisi libere, & sine impedimento suis se explicare partibus, εὐβουλίᾳ, συνέσει, γνώμῃ & δεινότητι possit, salutare nihil cogitari aut perfici potest. Atqui ex imo quasi fundamento arcem sanæ rationis convellit intemperantia & inprimis *ebrietas*, inimica sano consilio rectoque judicio: quippe quæ omnem rationis usum intercipit, omnesque sensuum functiones impedit, & in brutum, imo truncum commutat hominem. Neque ullum est morale vitium quod plures & violentiores comitentur perturbationes, quam ebrietatem. Atqui prudentia mentē requirit serenam & perturbationum tempestatibus minime obnoxiam, &c. Videantur, quæ in ebrietatem & intemperantiam supra sunt dicta ad caput 13. & 16. Hinc *Philo* de tem. *Qui temulenti sunt, ne degustant quidem prudentiam*: Et Cicero Philipp. 2. *Ab homine nunquam sobrio ne postulanda quidem prudentia*. Et *Basil.* Imperat. in exhort. ad *Leon.* fil. cap. 25. *Ebrietas est inimica prudentia: ubi enim mens à vino obruitur, idem ei contingit, quod imperitis aurigatoribus, qui cum regere currum nesciant, & se suosque equos huc atque illuc circum agunt, & spectatoribus magnos risus excitant.* Et *Plato* de LL. lib. 2. *Multo magis, quam Cretensium Lacedæmoniorumque usum, Carthaginensium legem probarem, ut nunquam in castris quisquam gustare vinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur, & in civitate nunquam vini usum servo vel serva concederem: sed nec magistratibus toto eo anno, quo magistratu funguntur.* Gubernatores etiam *atque Judices munus suum obituros à vino penitus prohiberem: deliberaturos quoque de rebus non negligendis.*

§. 37. Breviter, temperantia prudentiæ conservatrix est.

(1) *Propter moderationem sensuum*, qui sæpe turbant mentem.

(2) *Pro-*

(2) *Propter refrenationem affectuum*, qui nocent ingenio.

(3) *Propter suppressionem voluptatis & doloris*, quæ adversantur judicio.

(5) *Propter conservationem sanitatis:* quam omnium maxime tuetur temperantia.

Attamen inquias, *& crebri nonnulli potatores sunt prudentes: quales aulici nonnulli, qui & strenue bibunt & bene consulunt.* Inter quos olim non nemo de se:

Dextra tenet calamum, magnum tenet altera vitrum:
Scribitur & bibitur: sic bene cedit opus:

Resp. Si prudentes dicendi sunt, qui facienda tantum norunt & non faciunt, prudentes dici poterunt nonnulli potatores: quamvis alii vel solertes, vel callidos appellare malint, indignos augusto prudentum nomine & axiomate. Siquidem vere & practice prudentes non tantum facienda cognoscunt, sed & cognita faciunt. Interim, si cætera sint paria, quoad prudentiam, cum sobriis & temperantibus non comparandi sunt potatores, calicum remiges.

§. 38. Quæritur (11) *Cur senes juvenibus & viri fœminis plerunq; sint prudentiores?*

Resp. Passim apud Scriptores *senum* prædicatur prudentia, *& juvenum* traducitur imprudentia: passimque viri fœminis hac quoq; in parte præferuntur. *Peritiores vetustas facit*, inquit, *Cicero*, Orat. pro domo sua. *Sola mens senescens juvenescit, & tempus, cum adimat alia, senectuti apponit scientiam. Plut.* de educ. lib. Et pulchre *Plato.* ἤτοι τῆς διανοίας ὄψις ἄρχεται ὀξὺ βλέπειν, ὅταν ἡ τῶν ὀμμάτων τῆς ἀκμῆς λήγειν ἐπιχειρῇ. Sic & *Sophocles*, γῆρας διδάσκει πάντα, καὶ χρόνου τριβή. Et Menander:

Εἰ τ' ἄλλα ἀφαιρεῖν ὁ πολὺς εἴωθε χρόνος.
Ἡμῶν. τόγε φρονεῖν ἀσφαλέστερον ποιεῖ.

Apud *Stobæum Democritus*, γῆρας σωφροσύνης ἄνθος. Contra juvenis *utilium tardus provisor* Horatio dicitur: *Sapientia*, inquit *Cicero*, Orat. pro *Cæl. non cadit in hanc ætatem. Juvenes*, inquit, *Aristot.* 6. Eth. cap. 9. *etsi Geometrici & Mathematici atque in ejusmodi rebus sapientes evadunt: prudentes tamen evadere non videntur.* Solon lege sanxit, nequis admodum juvenis ad consultationes aut magistratum admitteretur διὰ τὴν ἀμελετησίαν τῶν ξυμφερόντων: quod utilia recte ponderare non possint. Unde *Socrati* interroganti: *Ad quot usque annos existimandum sit homines esse juvenes:* respondit *Charides:*

Quo uſque ſenatoribus eſſe non licet, nempe ad annum uſq; XXX.

Fœminas inprimis imprudentiæ damnavit *Anacreon*, quando cecinit, naturam dare τοῖς ἀνδράσι φρόνημα, γυναιξὶν οὐκ ἔτ' ἔχειν: *prudentiam viris, fœminis autem non poſſe. In omnibus imbecillior viris fœmina*, inquit, *Plato*.

§. 39. Manifeſtum igitur τὸ ὅτι quæſtionis: τὸ διότι jam inquirendum. *Senibus* majorem prudentiam vendicant tres illæ cauſæ, quas ſuperiori quæſtione attigimus, nempe *natura*, *inſtitutio & uſus*, ſeu *experientia*. *Natura*, quia ſedatior & tranquillior ea eſt in ſenibus; qui perturbationibus recte rationi obſtrepentibus minus ſunt obnoxii minuſque fervidi & præcipites. *Inſtitutio*, quia in ipſis adulta & confirmata eſt. *Experientia*, quia diuturna varia & multiplex in iis eſt. *In juvenib.* omnia ſunt contraria. Loquimur tamen heic de ſenibus quos crudos, ὠμογέροντας appellant, non de decrepitis & repueraſcentibus.

§. 40. Ob eaſdem cauſas viri quoque fœminis ſunt prudentiores: quia perturbationibus rectæ rationi inimicis fortius poſſunt & ſolent reſiſtere, quam fœminæ. *Mirum negotium*, inquit Cyprianus, *mulieres ad omnia delicatæ ad vitiorum ſarcinas viris ſunt fortiores* Sic Livius lib. 34. *Impotens naturâ & indomitum animal fœmina*. In viris quoque longe eſt exquiſitior inſtitutio, quam in fœminis, uti & capaciores ejus ſunt, quam fœminæ. De *uſu* & *experientiâ* res quoque manifeſta eſt: Siquidem reb. gerendis adhibentur viri, quibus non adhibentur fœminæ: Unde rerum in iis uſus eſſe non poteſt.

§. 41. Quæritur (12) *An voluntas ſit ſolius finis, & conſultatio, ſeu deliberatio, tantum de mediis?*

R. *Ut conſultatio*, inquit Libenthal. Colleg. Eth. Exer. 5. q. 2. *eſt mediorum, & prælectio præmeditata & conſulta rei decretio: Su voluntas eſt ſolius finis appetitio: quia non de fine, ſed de mediis ad finem ducentibus deliberamus, & illud, quod in poteſtate noſtra ſitum, habita deliberatione, prælegimus.* Sic ad ſola quoque media vulgò reſtringitur deliberatio. Ubi tamen obſervat idem autor cum aliis, ſub appellatione mediorum etiam *actiones* comprehendi, quibus ad finem tendimus: Simulq; diſtinguit, inter fines ſubordinatos & ultimos: ſoloſq; hos, non illos, à deliberatione excludit.

§. 42. Sententiam noſtram duabus aſſertionibus explicamus.

(1) *Voluntas non eſt tantum finis, ſed & mediorum.*

Ratio eſt: quia non minus media, quam finem ubique gentium volunt homines: etiamſi media propter finem volunt. Unde tritum illud: *Qui vult finem, etiam vult media ad finem ordinata.* Quod & hoc modo evincitur: Media ad finem obtinendum neceſſaria

ceſſaria aut volumus, aut non volumus. *Poſterius* ſi eligas, ſequetur aut nulla nos media adhibere, aut omnia invitos & coactos adhibere, quorum utrumque manifeſte falſum: *Prius* igitur eligendum: & ſic probata erit *aſſertio*.

§. 43. Excipit *Libenthal. Quamvis communi uſu loquendi dicatur, nos non tantum velle media ad ſanitatem ducentia, velle deambulare, purgari &c. non tamen ſtatim ſequi finem & media eſſe confundenda, aliam enim eſſe rationem voluntatis, ſi propriè & ſtrictè, pro appetitu mentis ab appetitu ſenſuum diſtincto, aliam, quatenus latè, pro omni appetitione, capiatur. Illam (quatenus propriè & ſtrictè accipitur) eſſe ſolius hominis & ſolius finis, non mediorum: hanc communem eſſe nobis cum brutis, & non tantum finis, ſed & mediorum eſſe.*

Reſp. 1. Qui dicit, voluntatem non tantum finis, ſed & mediorum eſſe, is illico non confundit finem & media: poteſt enim verſari voluntas circa diſtincta objecta, citra eorum confuſionem. 2. Voluntatem ſtrictè & propriè acceptam, quatenus hominis ſolius eſt, ſolius eſſe finis, non mediorum, dicit quidem *Libenthal.* ſed non probat: nos contrarium probavimus, Voluntas, qua media volumus, eſt appetitus rationalis à ſenſuum appetitu diſtinctus, quamvis & ſenſuum appetitus ferri poſſit in media.

§. 44. (2) De omnibus finibus, excepto ultimo, inſtitui poteſt conſultatio ſeu deliberatio.

Ultimis finis, ſi propriè & accuratè loquamur, non eſt niſi unus, quem abſolute ultimum vocamus: etſi de eo inter omnes non conſtat: niſi quod bene ſibi eſſe omnes velint: omnes alii fines ſunt ultimi, ſed tandem ad ultimum tendunt, etiamſi ad ultimum ſemper actu non referuntur: unde de iis actu ſemper non deliberatur, etiamſi deliberari poteſt.

Aſſertionis noſtræ ratio eſt: Quia omnes, præter abſolute ultimum, poſſunt habere rationem mediorum, ducentium ad ultimū. Atqui media, citra controverſiam, cadunt ſub deliberationem.

§. 45. Quæritur (13) *An inter pocula ſit deliberandum?*

Reſp. Prudentiæ actus eſt deliberatio: Ab hoc igitur loco aliena non eſt quæſtio. Inter vinum & pocula deliberare olim non minus *Græcum*, quam *Perſicum* fuiſſe, docet *Plutarchus*, Sympoſ. l. 7. q. 9. Ne videatur proprium fuiſſe veterum *Germanorum*, de quibus Tacitus: *De pace ac bello plerunq; in conviviis conſultant: tanquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat.* Quin & veteres *Heroes* de feriis & graviſſimis rebus inter pocula conſultarunt, teſte *Euſtath.* in Iliad. 1. Quod & *Bactriani* fecerunt. *Alex. ab Alex.* lib. 5. cap. 21.

 nec

nec non *Brachmani*. Lege cavebant *Rhodij*, ut de eo, quod mane facere expediret, proceres convivati deliberarent.

§. 46. Quæstio in utramque partem ventilatur apud *Plutarchum* libro allegato, q. 10. Pro *negativa* adferuntur sequentia argumenta.

(1) Quia ratio, tanquam oculus, in humido fluctans, agitare se commode non potest & inefficax est.

(2) Quia, quicquid nobis est molestum, id quasi reptilia à sole, exagitatum undique & sese proferens judicium reddit lubricum & inconstans.

(3) Quia in omni consultatione id maxime requiritur, ut imprudens rerumq; imperitus prudentes rerumque experientia præditos sequatur & iis assentiatur: quod ebrius minime facit, vino hanc illi potestatem adimente: Siquidem varia quadam & inani persuasione implet; ut ebrii sibi ipsis omnium videantur esse sapientissimi. Unde Plato οἶνον dici voluit ἀπὸ τοῦ οἴεσθαι νοῦν ἔχειν. *Quod ebrij sapientes sibi videantur.*

§. 47. *Pro affirmativa* pugnant hæc argumenta.

(1) Quia vino occupatum animum nihil rerum philosophicarum subterfugit: idemque ad considerationes rerum agendarum avocatus se colligit & prudentia augetur: ut constat exemplo *Philippi*, qui cum *Cheroneæ* per ebrietatem multa nugaretur, simulatque de pace & fœdere ei oblata est mentio, vultum composuit, supercilia contraxit, ejectisque animo lascivis motibus bene deliberavit & sobrium *Atheniensibus* responsum dedit.

(2) Quia cordati nihilo deterius in conviviis, quam in theatris se gerunt, histrionibus aut citharistis supervenientibus: quando peritia insita corpus quoque suis actionibus integrum motusque animi præstat.

(3) Quia vinum una cum animo corpus calefacit & agile reddit, meatusque perrumpit. Unde nonnulli ingenio ad inveniendum apto, sed, dum sobrii sunt, minus audaci & quasi concreto, quando ad pocula ventum est, thuris in morem à calore correpti exhalant.

(4) Quia vinum profligat metum, quo nihil magis impedimento est consultantibus.

(5) Quia idem multas effectiones illiberales & degeneres extinguit, malignitatem & simultates, tanquam duplices animi plicas, explicat, & verbis omnes utriusque generis in animo affectus detegit.

(6) Quia idem dicendi libertatem conciliat: quæ maxime necessaria est in consultationibus.

§. 48. His

§. 48. His vero rationibus non obstantibus, *negativam* prudentes eligunt, sobriamque animam prudentiorem & ad consultationes aptiorem judicant. Ubi tamen observandum, aliud esse *inter pocula deliberare*, *aliud ebrios deliberare*, & aliud esse *bibere*, aliud *inebriari:* Qui ita bibunt, ut jam delirent, de sententia *Nocostrati*, non ad consilia ire, sed dormitum se conferre debent. Quod si vero talia essent convivia, qualia debebant esse, nempe, temperantia, moderata & frugalia, & qualia veterum *Heroum* & imprimis *Brachmanum* fuerunt; de rebus ad Ecclesiam vel Rempublicam pertinentibus deliberare in iis nullo periculo posset: quod & fieri quandoque experimur.

Varro in *Satyra Mennippea* sermones in conviviis habendos censet, non super rebus anxiis, aut tortuosis, sed jucundos atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles, ex quibus ingenium venustius fiat & amoenius. *Quod eveniet*, inquit, *si de id genus rebus ad communem vitæ usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atq; in negotiis agendis loqui non est otium.*

§. 49. Quæritur (14) *An prudentia detur oblivio?*

Resp. Prudentiam oblivioni non tradi, affirmat *Aristoteles*, lib. 6. Nicomach. cap. 5. *Piccolomineus* non sine cautione & distinctione hoc accipiendum monet. Consideratur igitur prudentia vel quatenus pendet ex sapientia, & posita est in ratione recta: vel quatenus est conjuncta cum habitibus virtutum moralium; &, quoad proprium habitum, non tantum ratione, sed & more assuetudine atque usu comparatur.

Priori respectu oblivionem ejus dari ait, uti & scientiarum datur, quod probatur.

(1) Quia experientia testatur, multos evasisse imprudentiores; quia diu in actionibus non sunt versati: ut constat de iis, qui à civilibus & bellicis negotiis diu abstinuerunt & in umbra privati latuerunt, ad quæ ex longo intervallo reversi se minus expeditos & felices deprehendunt.

(2) Quia prudentia aliquo modo etiam ex doctrina & disciplina pendet: & hoc respectu non minus oblivioni est obnoxia, quam alii habitus ex eodem principio pendentes.

(3) Quia prudentiæ habitus non paratur sine auxilio memoriæ: unde inepti ad res gerendas sunt, quorum plane nulla est memoria: quibus nulla prodest institutio, nulla historiarum lectio; &c. Quæ vero per memoriam acquiruntur & conservantur, ea per oblivionem quoque amittuntur.

§. 50. *Posteriori* respectu oblivionem prudentiæ non dari affirmat & probat.

(1) Quia usus ejus est maxime continuatus, ut etiam usus virtutum moralium.

(2) Quia dirigit ad actionem & maxime conjuncta est cum prælectione & appetitu: quæ facultates non oblivione, sed perturbatione pervertuntur.

(3) Quia usu comparatur: unde quæ prodeunt, oblivione non delentur. Grad. 5 cap. 39.

Sed evertunt se invicem sententiæ & assertiones. Nam si non potest per oblivionem amitti prudentia, propter continuum ejus usum, propter directionem ad actiones, propter conjunctionem cum prælectione & appetitu, & denique propter acquisitionem per usum. Falsum est eam quandoque amitti per longam actionum intermissionem, per oblivionem doctrinæ & disciplinæ defectumque memoriæ: vel actu simul amittetur & non amittetur: quod absurdum.

§. 51. Rationes pro *posteriori assertione* non adeo ponderosæ videntur.

Prima, de usu continuato, principii est petitio, cui contradicit prima pro assertione priori.

Secunda vitio consequentiæ videtur laborare: directio ad actionem & prælectio non est sine memoria, cui contraria oblivio directionem & prælectionem prudentem impedit.

Tertia & ipsa est inconsequens: quia nec usus sine memoria est, adeoque oblivioni quoque obnoxius est: *Experimenta* propria, nisi asserventur memoria, ad recte agendum non possunt instruere. De *oblivione* observetur illud *Plutarchi*: de animi tranquill. *Quemadmodum apud Manes pingitur quidam funem torquens, & id, quod contexuit, asino vorandum permittens: ita multorum stupida quædam & ingrata oblivio omnem actionem, omnes res præclare gestas, omne jucundum otium, omnium conviviorum & voluptatū fruitionem abolens non sinit vitam esse continuam, præsentibus ad præterita adjunctis: sed hesternam ab hodierna, hanc à crastina dividens, quicquid evenit obterens tanquam, non factum redigit.* Ab oblivione prudentiam vix exceperit Plutarchus.

§. 52. Quæritur (15) *An prudentia ab arte distincta sit?*

Resp. Inter prudentiam & artem triplex discrimen constituit *Aristoteles*.

(1) Prudentiæ opera plerunque sunt propter seipsa, Artis propter aliud: virtus colitur propter se ipsam, quia per se pulchra & honesta ejus est actio: domus construitur propter usum.

(2) Prudentia virtutum moralium est regina: Ars virtutum & prudentiæ est ministra.

(3) In

(3) In arte qui peccat sponte, melior & præstantior est artifex, quam qui peccat invitus, quod est imperiti. Prudens vero qui sponte peccat, pejor est eo, qui invitus peccat. Discrimen hoc declarat *Seneca* epist. 95. ubi prudentiam definit vivendi artem eamque ab aliis artibus ita distinguit: *Vis scire, quam dissimilis sit aliarum artium conditio & hujus? (prudentiæ) In illis excusatius est voluntate peccare quam casu: In hac maxima culpa est sponte delinquere. Quod dico tale est. Grammaticus non erubescit* Solœcismum*, si sciens facit, erubescit, si nesciens. Medicus si deficere ægrum non intelligit, quantum ad artem, magis peccat, quam si se intelligere dissimulat: At in hac arte vivendi turpior volentium culpa.*

XVI.

Prudentiæ in excessu opponitur calliditas & astutia: in defectu stultitia in specie sic dicta.

Ἔκθεσις.

§. 1. VT audacia fortitudinis, ita calliditas prudentiæ præ se fert speciem: utraque mendax simia. Describitur nonnullis *dexteritas in consulendo, sed cum malitia, quæ nocet aliis, conjuncta, quoad fines & media ad fines ducentia.* Quæ vulgo in improbis prudentia commendatur, non nisi calliditas & astutia est. Improbi enim vere prudentes non sunt: *Astuta sunt consilia improborum*, Prov. 12. v. 4. Hujusmodi est tota *Machiavellica prudentia*, in multorum principum aulis frequens, quam *& vulpinam* appellare possis prudentiam, de qua Persius Sat. 5.

Pelliculam veterem retinens & fronte politus,
Astutam vapido gestans sub pectore vulpem.

Quo sensu *Lysander* quoque, *eo ajebat assuendam, esse pellem vulpinam, quo leonina non pertingeret.* Sed *irritas Deus facit cogitationes astutorum, ut non perficiant eorum manus quicquam:* Job. 5. v. 12. 13. Famosa olim fuit astutia *Cretensium, Cilicum, & Cappadocum.* Unde proverbium: *Tria K pessima.* In proverbio quoque est *astutia serpentina.* Siquidem prædicatur *serpens astutior quavis agri bestia*, Gen. 3. v. 1. 2. Cor. 11. v. 3.

§. 2. *Stultitia* nonnullis definitur *habitus, qui corrupta & depravata ratione versatur in iis, quæ homini bona vel mala sunt.* Stulti igitur vel non possunt internoscere bona & mala, vel si maxime possunt, ad mala tamen à vitiosis cupiditatibus abripiuntur,

ripiuntur. Exerit se stultitia circa *præterita*, quæ non recordatur, vel cum præsentibus aut futuris non confert: circa *præsentia*; quorum circumstantias non attendit: uti sæpe quoque certum actionibus finem non præstituit, vel in mediorum electione turpiter errat. Circa *futura*, quæ non prospicit. Unde *eventus* dicitur esse *stultorum magister*: quia post accepta damna demum sapiunt: veluti *Troiani* olim tot tantisque affecti cladibus decimo demum anno de *Helena* reddenda cogitarunt. Et stultorum futura non prospicentium vel cogitantium hinc orta excusatio: *Non putaram. Turpe est*, inquit Demosthenes Orat. 3. Philipp. *Si quid post acciderit, dicere: Quis vero putasset hæc futura: Fabius* ajebat *turpissimam Imperatori excusationem, Non putavi:* Ergo, inquit Seneca, lib. 2. de ira cap. 21. *turpissimam homini puto. Omnia puta, exspecta.* Idem Epist. 76. *Audimus aliquando*, inquit, *voces imperitorum dicentium: Nesciebam hoc mihi restare. Sapiens scit sibi omnia restare: quicquid factum est, dicit, sciebam.* Vide & Ciceron. lib. 1. off. cap. 23. Idem orat. 2. Verr. *desperatissimum ait esse perfugium, dicere se imprudentem fecisse: existimasse id licere*, &c.

Stultitiam acriter perstringit *Salomon* in Proverbiis, per singula fere capita, 1. 3. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 17. 18. 19. 20. 2[illegible]. 23. 24. 26. 27. 29. 30. Et in *Ecclesiast.* 2. 5. 7. 9. 10. Et auctor *Ecclesiastici*, cap. 20. 21. 22. 27. 33.

§. 3. Exempla stultorum apud Autores occurrunt multa.

Atlantes, Africæ populi, Solem execrati sunt, quod torridus & ipsos & [illegible] perderet. *Herodot.* lib. 4.

Psylli, [illegible], cum Austro pugnaturi voluerunt, quod molestus ipsis esset: qui tandem arenis obruti omnes perierunt, Gell. lib. 16. cap. 11.

Acaus fictile vas, pulvinaris loco, capiti suo posuit, & duritie ejus offensus id paleis implevit, ut mollius cubaret. *Eustat.* odyss. 10. *Metis* capta jam *Troia*, *Priamo* suppetias laturus venit: qui ultra quinque numerare non poterat: & uxore ducta, novam nuptam attingere ausus non fuit, ne apud matrem accusaretur: Eustat. ibid.

Corœbus, qui numerando progredi ultra quinque non potuit, maris aquas numerare conatus est: *Lucianus* in Amor.

Avarus quidam moriturus, ne per mortem suam pecunia ad alios transiret, se ipsum hæredem testamento scripsit.

Morio quidam à pulicibus admorsus, ut ne amplius cerni ab iis posset, lucernam extinxit *Gilbert. Cognat.* lib. 1. narration.

Heliogabalus magnitudinem *Romæ* probaturus collegit 10000. pondo

pondo aranearum, decies mille mures, mille mustelas, mille sorices. Interim encomium *μωρίας Erasmus* scripsit prolixum.

§. 4. Quæritur: *An verum sit tritum illud: Stultorum plena omnia?*

Resp. Non quidem de stultis in specie, sed in genere sic dictis, verum est vulgatum illud verbum. Ut enim cum omni virtute conjuncta est prudentia: Sic cum omni vitio morali imprudentia, quam in genere *stultitiam* appellamus. Cum igitur vitiosorum plena sint omnia, utique & stultorum plena erunt. Etiamsi interim stultorum quoque in specie dictorum copiosa sit seges, opima messis. Ad stultorum censum pertinent omnes superbi. Unde omnis stultus dicitur superbus, & omnis superbus stultus. Hoc sensu Stultorum infinitum esse numerum *Ecclesiasticus* affirmat.

CAPUT XXXVI.

APPENDIX SECUNDA,

De

AFFECTIBUS.

THESIS I.

Affectus est commotio facultatis appetentis ex boni aut mali existimatione orta, ad persequendum vel fugiendum aliquid.

Ἔκθεσις.

§. 1. ARCTE cum virtutibus connexi sunt *affectus*, adeo ut à nonnullis virtus aliud nihil esse credatur, nisi *mediocritas affectuum* quorumcunque: vel certe primarium hoc virtutis *officium* statuatur esse, intra mediocritatem affectus coërcere, quæ *Peripateticorum* est sententia, quibus contrarii *Stoici*, sapientem ab omni prorsus affectu alienum esse volunt, adeoque contra naturam quasi ferreos aut lapideos requirerere homines multis videntur.

II.

Affectus est principalis vel minus principalis.

III.

Principalis refertur ad facultatem concupiscibilem vel irascibilem.

Ἔκθεσις.

§. 2. Quæritur (1) *Utrum affectus sit actio, an passio?*

Resp. Satis difficilis & intricata hæc est quæstio, quam nonnulli affirmant, alii negant. Alii extremas sententias conjungunt, & affectum partim actionem, partim passionem esse contendunt.

Ante omnia observanda series causarum in appetitu excitando, concurrentium. In excitando appetitu primo se offert *objectum* quod movet sentiendi facultatem: hæc ab *objecto* excitata cognoscit objectum externo internoque sensu, nempe phantasia: quæ primo absolute objectum judicat, deinde sub ratione boni vel mali, convenientis vel non convenientis, habentis in se materiam voluptatis aut doloris. Ab *objecto* cognito & judicato excitatur *appetitus* pro adeptione vel fuga. Excitata appetitione, *alterationem* & *commotionem* subeunt spiritus: unde, conjunctis phantasiæ & appetitus viribus atque actionibus, instrumenta motus diriguntur ad adeptionem vel fugam.

§. 3. Triplex igitur heic occurrit & concurrit motus, unus *facultatis cognoscentis* ab objecto motæ: alter *facultatis appetentis* à judicio motæ: tertius *totius animalis* à facultate appetente per instrumenta motæ. Primus motus est causa secundi, secundus tertii: primus est magis spiritualis, secundus magis corporeus, tertius plane corporeus.

§. 4. Hi vero motus etsi in omnibus concurrunt affectibus, tamen de essentia affectus singuli non sunt. *Primus* antecedit affectum: *tertius* sequitur: *medius* de essentia affectus est, habetque diverso respectu rationem *actionis* & *passionis*: respectu objecti cogniti est *actio*: respectu facultatis appetentis primo *passio*, mox *actio* est: respectu corporis tantum est *actio*. Objectum enim appetitum tantum movet: facultas appetens primo movetur ab objecto, deinde movet: Corpus tantum movetur. Hinc affectus, seu perturbationes, ab *Aristotele* modo actiones, modo πάθη, seu passiones, appellantur, & *Lælius Peregrinus*, de effect. cap. 1. ait, *affectiones nec esse facultates nec habitus: sed actiones mistas perpessionibus.*

§. 5. Si quæras, *in quo potissimum consistat formalis ratio affectus,*

fectus, in actione, an in passione? Respondent plerique in passione potius, quam in actione. Nam si proprie & accurate loquamur & rem ponderemus, actualis propensio ad fugiendum triste & ad prosequendum delectabile non est affectus, neque activa corporis ad fugam vel persecutionem incitatio; sed mutatio, quæ ex hac inclinatione oritur in facultate appetente, & subjecto ejus, corde. In omni enim affectu animal aliquo modo dejicitur à naturali sua dispositione & statu: ut videre est in motu cordis qui in omni affectu incitatur vel remittitur: quod in ira, amore, lætitia & tristitia manifestum est. Unde *Piccolomineus* ait, perturbationem seu affectum, rectius perpessionem quam actionem dici, cum ex perpessione oriatur & sit perpessio quædam facultatis appetentis, & animalis, vel partis ejus.

§. 6. Igitur distinguendum inter motus, qui affectum antecedunt & sequuntur, ipsumque affectum medium. Nullus affectus est sine actione, uti & nulla passio sine actione: Unde tamen non sequitur vel affectum esse actionem, vel passionem esse actionem. Pro sententia hac militat receptissima affectuum appellatio, quæ Græcis πάθη, Latinis *passiones* nominantur.

§. 7. Quæritur (2) *An effectus pertineant ad facultatem cognoscentem vel appetentem.*

Resp. Ad facultatem cognoscentem pertinere affectus *Chrysippi* & *Stoicorum* fuit opinio. Unde perturbationes judicia & opiniones esse docuerunt: de quibus Cicero in 4. Tuscul. *Omnes perturbationes judicio censent fieri & opinione.* Contra vero ad appetendi facultatem pertinere, *Aristotelis* est sententia, lib. 4. Top. loco 61. & 2. de an. cont. 27. quam & nos amplectimur. Rationes sunt.

(1) Quia perturbationes objectum quærunt aut fugiunt non sub ratione veri, aut falsi, quod facultatis cognoscentis est proprium, sed boni vel mali, jucundi vel molesti; quod appetentis est.

(2) Maxima est affectuum in corpus animalis vis; unde vehementer alteratur: hujusmodi autem alteratio proxime non potest esse à facultate cognoscente; sed ab appetente: illius actio non est motio: hujus ab *Aristotele* motio appellatur, lib. 3. de an. cont. 54.

(3) Affectus totus est practicus, cognitio sine appetitu non est practica, sed theoretica. Non potest igitur affectus esse cognitio, vel facultatis cognoscentis, sed appetentis.

(4) Affectus sequitur actum facultatis cognoscentis. Ergo aliquid posterius est actu facultatis cognoscentis:& proinde non est actus facultatis cognoscentis;adeoq; nec judicium vel opinio. *Antecedens*

tecedens patet: quia ignoti nulla est cupido; unde necessario cupiditatem antecedit cognitio.

§. 8. Objicitur in contrarium.

Homo dum perturbatus est, longe aliter judicat, quam liber à perturbatione. E. perturbatio est judicij & judicium vel opinio.

Resp. Negatur *consequentia*: afficitur quidem judicium à perturbatione & perturbatur, sed non est ipsa perturbatio: veluti ratio turbatur ab ira, & tamen ira non est.

§. 9. Quæritur (3) *Utrum affectus pertineant ad appetitum sensus, an rationis?*

Resp. Geminus est appetitus, unus *rationis*, quam *voluntatem* appellamus; alter *sensus*; ille hominis est proprius, hic communis homini cum bruto. Ad *rationis* appetitum affectus referunt *Augustinus, Galenus, Scotus* & alii: Ad *sensus* appetitum *Aristoteles, Cicero, Thomas, Scaliger* & alii plures: dissidentes partes conciliare nititur *Piccolomineus*, Grad. 1. cap. 9. Ubi distinguit inter affectus proprie & κατ' ἀναλογίαν dictos. Inter affectus hominis proprios & homini cum bruto communes. Inter affectus ad causam dirigentem atque excitantem, & ad subjectum relatos.

§. 10. Quæstio vero hoc loco est de affectibus proprie sic dictis; non de improprie & ἀναλόγως dictis: neque de eorum principio, seu causa excitante, dirigente, &c. sed de *subjecto* recipiente. Ubi omnibus ponderatis, tandem concludit *Piccolomineus*, rectius non loqui & sentire, dum perturbationes soli appetitui sensuum tribuimus: aut, si malis, homini secundum appetitum sensuum, tanquam facultatem materialem: unde nec principalis sedes corporea hujus facultatis est excludenda: quam ita explicatam sententiam & nos amplectimur: Rationes sunt.

(1) Affectus homini communes sunt cum brutis: Ergo secundum facultatem ipsi competunt, quam cum brutis communem habent, quæ alia nulla esse potest, præter appetitum sensitivum: ut patet ex quæst. 2.

(2) Affectus passiones sunt plane materiales: unde maxima illorum in alterandis corporibus vis est: sanguinis & spirituum magna & varia commotio: quæ proxime referri ad facultatem rationis immaterialem & inorganicam non potest: cum qua non est tanta corporis συμπάθεια.

(3) Affectus voluntati sæpissime repugnant ejusque imperium detractant: Ergo alterius sunt & à mentis appetitu distinctæ facultatis. *Ratio consequentiæ*: quia in eadem facultate simul contrariæ actiones vel passiones non sunt: *Antecedens* prob. ex epist. ad Rom.

Rom. cap. 7. v. 15. 16. *Non quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio*: & v. 19. *Non facio bonum, quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago. Quod si id facio, quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat.* Eodem & illa tendunt, Gal. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non, quæcunque volueritis, eadem faciatis.* Ubi per *peccatum inhabitans* & *carnem* rebellio facultatum inferiorum nondum reformatarum contra superiores intelligitur, & inprimis *sensitivæ appetentiæ* contra rationalem: de qua Medea quoque apud Ovidium, lib. 7. Metamorph.

Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet: video meliora proboque,
Deteriora sequor:

In contrarium objicitur:

(1) *Sunt perturbationes quædam hominis propriæ, quæ ad gloriam, ad honorem, ad summum bonum, & innumera alia, quæ optamus vel fugimus non sensu, sed ratione nota, pertinent, & rationem humanam turbant. Ergo saltem hæ perturbationes pertinent ad facultatem hominis propriam, hoc est, rationalem.*

Resp. Si perturbationes intelligantur proprie dictæ, consequens nobis simpliciter non contradicit: potest enim perturbatio ad appetitum mentis, tanquam principium excitans & dirigens pertinere, quæ tamen in appetitu sensitivo, tanquam subjecto, insit. *Observandum* & hoc: circa gloriam, honorem & alia, non sensu, sed ratione nota, etiam vitia moralia versari, iisque rationem turbari: quamvis affectus proprie dicti non sint istæ perturbationes: latius enim patet perturbatio, quam affectus. Interim à perturbationibus illis affectus quoque proprie dictos excitari posse in appetitu sensitivo, negari non debet.

(2) *Peccata & vitia moralia ad mentem pertinent: ut supra ostendimus. Ergo & affectus ad eandem pertinent. Ratio* consequentiæ: *quia peccata & perturbationes, quæ peccandi occasionem sæpe præbent, vel ipsa sunt peccata, ad eandem facultatem pertinent.*

Resp. 1. Si, ad mentem pertinere, sit in mente, tanquam *in subjecto* inesse, *consequentiam* negamus. *Ratio* inconsequens est: potest peccandi occasionem præbere, etiam quod per se peccatum non est.

2. *Antecedens* exclusive acceptum simpliciter verum non est. Peccata & vitia ad mentem pertinent, sed non solam. Habent & affectus in sensitivo appetitu suos excessus vel defectus quos *ἀνο-*

μίας

μίας Scriptura accusat & damnat: quando rectæ rationi obluctantur & contra Dei legem tumultuantur. Requirit enim lex Dei in homine perfectam facultatum superiorum & inferiorum harmoniam: quando jubet nos Deum diligere ex toto corde, ex totâ animâ & ex omnibus viribus.

§. 13. (3) *Affectus etiam Deo tribuuntur, ut amor, ira, odium &c. Ergo affectus facultatis sunt rationalis.* Ratio *consequentiæ: Quia Deo similis est homo, & homini Deus per intellectum & voluntatem seu mentem.*

Resp. Negatur *consequentia* de affectibus propriè dictis.

Qui Deo tribuuntur affectus, impropriè & *ἀναλόγως* sic dicuntur, per quandam eminentiam. In Deo actus sunt divinæ voluntatis, quibus aliquo modo similes sunt iræ amoris & odii humani actus, quatenus perfectionem includunt.

Ratio consequentiæ est inconsequens. Tribuit sibi Deus non tantũ quicquid est perfectionis in intellectu & voluntate hominis, sed & in aliis facultatibus sensuum, appetitus & locomotivæ. Unde audire & videre dicitur, quando aures & oculi ipsi tribuuntur; de loco in locum progredi & manu uti, irasci, amare, misereri, odisse, &c.

§. 14. (4) *Lætitia, amor, ira, odium non tantum ad sensum, verum etiam ad mentem pertinent: Unde Angelis quoque tribuuntur. E. affectus non tantum sunt appetitus sensitivi, sed & rationalis.*

Resp. Negatur *consequentia*: Quia lætitia, amor, odium &c. quatenus mentis & voluntatis solius sunt, non sunt affectus propriè dicti: quia possunt esse absque motione corporis & perturbatione spirituum atque sanguinis: etsi quandoque ipsum quoque corpus & spiritus commovent. Lætitia ex conscientia rectè factorum & cognitione rerum sublimium, exempli gratia, intuitu Dei, orta: Amor, quo Deo adhæremus, &, ex præcepto Dei, proximum complectimur: odium, quo peccata prosequimur: metus offendendi Deum &c vulgo *passiones* appellantur *spirituales*, hominis propriæ: Quæ si in numerum recipiendæ essent passionum propriè sic dictarum, quos in specie affectus appellamus, utique sine ullâ tergiversatione affirmandum esset, affectuum alios in appetitu sensitivo, alios in rationali subjective esse. Quia amorem Dei, lætitiam spiritualem, odium peccati, metum offendendi Dei &c. principaliter & subjective esse in voluntate, nemo facile negaverit. Ex qua hypothesi *Piccolominei* sententiam improbat, & passionum alias in appetitu sensitivo, alias in voluntate suam habere sedem contendit *Raynaud.* dist. 3. q. 1. art. 2. n. 14. 15. Sed aliter ille, aliter hic affectum proprie dictum accipit & definivit. vide *Piccolom.* Grad. 1. cap. 9.

§. 15. Quæri-

§. 15. Quæritur (4) *An perturbationes sint in tota sua latitudine pravæ?*

Resp. Controversia hæc inter *Peripateticos* & *Stoicos* agitatur. Quorum illi cum plerisque omnibus aliis scholis philosophicis *negativam*, hi *affirmativam* amplectuntur: etsi dissidium hoc *mediatores* nonnulli non tam in rebus, quam in verbis esse arbitrantur: ut postmodum videbimus. Rationes pro negativa sunt.

(1) Natura implantavit homini facultatem irascendi & concupiscendi; unde proxime & per se manant affectus, quos vulgò perturbationes appellant. Non possunt igitur in tota sua latitudine pravi, seu vitiosi, esse affectus. *Ratio consequentiæ*. Quia si hoc esset naturæ vitium, in ipsum Naturæ autorem redundaret culpa: est enim Natura Dei ministra, quæ nil molitur, nisi quod divinæ ordini atque providentiæ est consentaneum.

(2) Maximæ sunt affectuum utilitates, ad quas per se & natura sua ducunt affectus, modo intra mediocritatis limites se contineant. Sunt enim per naturam nobis tributæ hæ facultates, ut potentius in fines optatos, feramur, bonum prosequamur, malum fugiamus, & jucundius bono fruamur. Hæc igitur cum naturæ sint instrumenta: & vero ex usu æstimentur instrumenta; necessario propter bonos usus in bonis sunt numeranda.

Manifesti sunt usus *moderatæ iræ* in actionibus fortitudinis, quibus molesta repellimus & jucunda prosequimur. Unde *cos fortitudinis* appellatur. Est quoque suus timori usus in declinandis periculis & ab audaciæ præcipitio nobis revocandis. Absque amore & odiosi esset; nemo se bonis adjungeret eorumque amicitiam ambiret, nemo à malis se disjungeret, eorumque consuetudinem fugeret: &c. Stultum esse de affectibus plane abolendis consilium, ostendit *Plutarchus*, de virtute morali, circa finem. De affectuum utilitate vide *Piccol.* Grad. 1. cap. 24. & *Heiderum*, Eth. part. 2. 387.

(3) Quod per se malum & vitiosum est, ad laudabilem mediocritatem nunquam redigitur. Atqui affectus in excessu vel defectu peccantes ad laudabilem mediocritatem rediguntur per virtutem. Ergo.

(4) Affectus nonnulli, qui facultatis sunt irascibilis, contra cupiditatem pugnant pro ratione, ut constat de ira: Ergo damnari non possunt per se, quin ipsa damnetur ratio.

(5) Natura perfectionem molitur non per contrariorum eversionem, seu exterminationem: sed per eorum moderationem, contemperationem, salutaremque harmoniam: ut videre est in qualitatum

qualitatum primarum contrariarum ad certam & cuivis naturæ congruentem temperiem redactione: ut videre est in temperamentis mistorum innumeris, è quibus animalis quoque resultat sanitas, omnium pretiosissima affectio: Ergo eandem in homine quoque per contrariorum affectuum mediocritatem, non evulsionem, molitur.

(6) Indignus est qui in humana & civili societate toleretur, qui nullis omnino affectibus movetur, hoc est, qui juste nemini irascitur, qui neminem amat, nihil timet, nullius miseretur, nihil sperat, nihil desperat, nulla re lætatur, de nulla tristatur &c. Sed infra bestiarum quoque conditionem dejectus instar statuæ, stipitis aut trunci inter homines visitur, ad res omnes gerendas ineptus. Absit igitur ut hanc *ἀναισθησίαν* philosophia præcipiat.

(7) Si omnes evellendi essent, & evelli possent, affectus, nullus quoque dolori & voluptati inter homines relinquendus esset locus: siquidem cum omni affectu conjuncta est voluptas vel dolor. Atqui exterminari non possunt ex homine voluptas & dolor: neque ullus unquam sanæ vel insanæ mentis homo fuit, qui è nulla re voluptatem aut dolorem senserit: quia nullus unquam plane *ἀναίσθητος* fuit aut esse potuit: neque ipsi *Stoici*, inter quos viri fuerunt sapientissimi, quales *Epictetus* & *Seneca*.

(8) Si nihil esset perfectionis & rectitudinis in affectibus, scriptura Deo nec iram, nec misericordiam, nec odium &c. tribueret: neque in Christum ii cadere potuissent. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens. *Connexi ratio est.* Quia ex humanis nihil sibi Deus tribuit, quod bonitatis & perfectionis est expers. Nec in Christo quicquam fuit, quod bono, forti & sapiente viro indignum esset. *Assumtio* extra controversiam est. Pulchra heic observetur *Augustini* sententia, tract. 60. in Johan. *Pereant,* inquit, *argumenta Philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Stultam Deus fecit sapientiam hujus mundi: & Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Turbetur plane animus Christianus, non miseria, sed misericordia: timeat ne pereant homines Christo: Contristetur cum perit aliquis Christo: Concupiscat acquirere homines Christo: lætetur cum acquiruntur homines Christo: timeat ne sibi pereat & Christo: Contristetur peregrinari se à Christo: Concupiscat regnare cum Christo: lætetur dum sperat se regnaturum esse cum Christo. Illæ sunt certe quatuor, quas perturbationes vocant, timor & tristitia, amor & lætitia. Habeant eas justis de caussis animi Christiani: nec philosophorum Stoicorum vel quorumque*

similium

similium consentiatur errori, qui profecto quemadmodum vanitatem existimant veritatem : Sic stuporem deputant sanitatem, ignorantes sic hominis animum, quemadmodum corporis membrum, desperatius ægrotare, quando & doloris amiserit sensum.

§. 16. *Affirmativa*, ut supra diximus, tribuitur *Stoicis*. Inter hos vero cum fuerint sapientissimi viri, certe mirum cordato videri possit, qui ad paradoxum hoc delabi potuerint, ut sapientem nullo moveri affectu voluerint, omnesque affectus damnare, hominisque præstantia indignos judicare ausi fuerint. Quæ causa quod mitius & benignius de hoc *Stoicorum* dogmate & paradoxo judicandum censuerint docti viri, & *Stoicos* à *Peripateticis* non tam re ipsa, quam verbis tantum, dissidere crediderint : quæ & *Augustini* fuit sententia, lib. 9. de Civit. D. cap. 4. eadem & ante *Augustinum Ciceroni* arrisit, in 4. de finib. His suffragatione sua è recentioribus accedit quoque *Piccolomineus*, Grad. 1. cap. 25. ubi prolixe hanc conciliationem sententiarum persequitur. Summa huc redit : Inter *Peripateticos* & *Stoicos* non convenit de significatione vocum, *affectus*, *perturbatio*, *passio*, seu πάθος. Quod enim affectum, seu perturbationem esse voluerunt *Peripatetici*, id negarunt *esse Stoici* : ut videre est ex *Gellio Epicteti, Stoici*, sententiam referente & explicante, lib. 19. cap. 1. 12. *Affectus* igitur & perturbatio *Stoicis* nomen est rei natura sua & per se vitiosæ, *Peripateticis* rei per se & natura sua non vitiosæ : quæ tamen per excessum aut defectum vitiari potest. Unde quod *Peripatetici* affirmant affectum, seu perturbationem esse, id esse negant *Stoici* : quibus assentiri *Galenus* videtur, in lib. de dignoscend. & curand. animi morbis, cap. 1. & 7. Quo sensu ad mediocritatem laudabilem redigi posse affectum negat *Seneca* : *Utrum satius*, inquit, *sit modicos habere affectus, an nullos, sæpe quæsitum est : nostri illos expellunt : Peripatetici temperant. Ergo non video, quomodo salubris esse aut utilis possit ulla mediocritas morbi.* Motionem, seu perturbationem *Stoici* non appellant, nisi cum quo *error judicii* conjunctus est, qui *formalę affectus* Stoicus constituit. Atqui *Peripatetici* etiam ab errore judicii immunes agnoscunt affectus. Unde negant *Stoici* in sapientem affectus cadere : quod affirmant, *Peripatetici*. Vide *Piccolom.* loco allegato, vide & Raynaud. phil. mor. dist. 3. q. 1. art. 2. n. 40. 41. 42. ubi multa quoque ex *Seneca* hanc in sententiam allegantur : Consule quoque *Heiderum* Phil. Moral. parti. 2. pag. 391. Non requiri à *Stoicis* ἀναισθησίαν, è *Seneca* patet, qui in libro de providentia. *Non dico hoc*, inquit, *non sentit incommoda ; sed vincit*. Et Epist. 71. *Non educo sapientem ex hominum numero*,

nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum ad te, submoveo. Memini ex duabus partibus illum esse comp Altera est irrationalis: hæc mordetur, uritur, dolet: alter nalis; hæc inconcussas habet opiniones, intrepida est & indo

§. 17. Breviter argumenta videamus, quibus omnes d affectus *Stoici* videntur.

(1) *Perturbatio ex vi vocis, humanæ tranquillitati c traria: Ergo per se vitiosa est.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: *Perturb Peripateticis* non dicitur, quod rationem & tranquillitate mi turbet, sed quod cum quadam spirituum & sanguinis tione sit conjuncta, quæ rationi semper non adversatur: se propugnaculum & instrumentum ejus est, ad magna bona nenda, vel mala declinanda, idoneum atque efficax. Alio sensu *perturbationem Stoici*, alio *Peripatetici* accipiunt.

§. 18. (2) *Perturbationes ortum ducunt ex falso judic depravata ratione. Ergo per se vitiosæ sunt.*

Resp. *Antecedens* negatur de perturbationibus, quas ita *patetici* appellant.

§. 19. *Testatur experientia rationem ab ira, amore, odio stitia, &c. sæpe perverti, & à mente alienari quandoque h nem per iram, amorem, tristitiam &c. Ergo affectus hi per tiosi sunt.*

Resp. Antecedens non conceditur nisi de excessibus illo affectuum.

§. 20. (4) *Perturbationes sunt conjunctæ cum voluptat dolore. Ergo per se vitiosæ sunt:* Ratio conseq. *Quia volupta dolor consiliarij sunt amentes.*

Resp. *Consequentia* negatur. *Ratio* universaliter & simpl ter vera non est: quia etiam in *voluptate* & *dolore* est quæ moderatio naturalis & laudabilis, rectæ rationi consentanea: U de scriptura nos jubet *lugere cum lugentibus & lætari cum læt tibus.*

§. 21. (5) *Affectus debent abesse à viro bono & sapiente: go per se boni non sunt.* Antecedens prob. *Quia sapientes deb conformari cum divinis & separatis mentibus. Atqui div mentes non sunt obnoxiæ affectibus, seu perturbationibus.*

Resp. De affectibus moderatis & rationis imperio subjectis gatur *antecedens*. *Probatio* simpliciter vera non est. Sapientes bent conformari *divinis mentibus*, non in omnibus præcise, in quibus possunt. Habent enim peculiaria quædam *divinæ me tes*, in quibus conformari ipsis non possunt homines, quantur

ris s

vis sapientes. Unde propria sua habent homines, habent & *divinæ* atque *separatæ mentes*, quibus à se invicem differunt. Deinde *divinis* quoque *mentibus* & in specie Deo Scriptura per similitudinem tribuit affectus *iræ*, *amoris*, *odii*, *misericordiæ*, &c. etiamsi alterius ii rationis sunt & perturbationes dici non possunt. Neque adeo concinne omnes promiscue humani affectus appellantur *perturbationes*, etiamsi conjunctam habent aliquam corporis motionem.

§. 22. (6) *Ira mansuetudini in excessu opponitur à Peripateticis: Ergo vitium morale est, adeoque per se prava & vitiosa est in tota sua latitudine.*

Resp. *Antecedens* negatur: *Mansuetudini*, quatenus est moralis virtus, in excessu opponitur, non *ira* simpliciter: (neque enim omnem excludit iram mansuetudo: quia & mansuetum aliquando irasci par est: unde alterum mansuetudinis extremum est ἀοργησία, hoc est, iræ vacuitas, seu lenitudo) sed iracundia, quæ ὀργιλία *Græcis* dicitur, nimia ad iram proclivitas. Hac sic expedita quæstione, de duabus aliis: *An affectus radicitus sint evellendi?* Et: *An in sapientem quoque cadant affectus?* judicium ferre facillimum erit. Nam si per se mali non sunt, causa utique non est, cur radicitus evelli, & abesse à sapiente debeant. Neque de evellendis iis & à sapiente excludendis laborabunt *Stoici*.

§. 23. Quæritur (5) *An affectus sequantur temperamentum corporis?*

Resp. Distincta hæc est quæstio ab illa: *An mores animi sequantur temperamentum?* Quamvis alias conjunctim tractari soleant: *Mores animi* revera aliud nihil sunt nisi virtutes & vitia moralia: quæ ex temperamento principaliter non nisi absurde & perniciose derivari possunt: ut supra ostendimus, & prolixe probat *Piccolomineus* Grad. 1. cap. 29. Etsi in hanc sententiam admodum propendet *Galenus*, qui peculiarem scripsit librum, quo probat *animi mores sequi temperamentum corporis*: quam sententiam absolute falsam, perniciosam & humanæ conditioni adversam judicat *Piccolomineus* & quinque probat rationibus.

§. 24. *Affectus* vero quia magis sunt naturales, quam mores, & corpori magis sunt immersi, quam virtutes, citra absurditatem ex temperamento derivari aliquo modo possunt: quia excessum & temperiem qualitatum primarum humorumque qualitatibus affectorum sequi manifeste deprehenduntur: quos vicissim ab affectibus turbari & agitari testatur experientia: Hinc ad lætitiam & amorem proclives esse *sanguineos*; ad iram *biliosos*, ad tristitiam *melancholicos*, ad metum *phlegmaticos*, &c. videmus.

Hinc diversos in diversis & climarum intervallo disjunctis
lis, pro qualitatum primarum humorumque contrariorum
gradibus, deprehendimus affectus, exempli gratia, in *Eu*
ob caloris interni excessum, *audaciam:* in *Africanis*, o
ctum, *timiditatem:* in *Asiaticis* propter temperiem, *aff*
horum *moderationem* &c. vide *Aristotel.* in proœmio de
contex. 14. lib. 2. de part. animal. cap. 4. & Plat. in T
lib. 5. de leg. prolixe de hoc argumento differentem vide
naud. dist. 3. q. 1. art. 3. n. 47. 48. 49. 50. &c. Passion
centiva sunt intrinseca vel extrinseca: illa sunt temperamen
ria, eorumque in eodem homine mutatio varia: vasorum
scerum conformatio varia: assuefactio. Ista sunt multa, in q
esculenta & potulenta, medicamenta, aëris & terræ quali
influxus cœlestes, Musica &c.

§. 25. Interim ex temperamentis infallibile de affectib
dicium non est: quia *inclinant* quidem temperamenta: att
non *necessitant*, ut vulgo loquuntur. *Ratio* enim affectibu
perior, quæ institutione & assuetudine adjuta dominatur nat
ejusque propensiones in actum vel internum vel externum
rumpere semper non patitur. Unde & *biliosos* quandoque ir
demus temperare, & *phlegmaticos* iræ habenas laxare. *Sang*
ad lætitiam & amores proni in contrarium sæpe nituntur per
rem & assuetudinem: &c. Igitur *distinctione* heic opus.
temperamentum sequuntur, conditionis sunt duplicis: vel e
necessario & immutabiliter sequuntur, ut sapores, odores, c
res & aliæ qualitates sive occultæ, sive manifestæ: vel *contin*
ter & mutabiliter, ut perturbationes; quæ studio & assuetu
emendari varie possunt. Unde patet plane fallibiles esse *Phy*
gnomorum de moribus & affectibus, ex corporum lineament
coloribus, prædictiones.

§. 26. Quæritur (6) *An bestiis quoq; affectus competant?*
R. *Affirmativam* amplectimur cum *Peripateticis* & *Academi*
Rationes sunt.

(1) Si perturbationes in bestias non caderent, dubio procul
inde foret, quia sejungi à rationis usu non possent. Atqui fals
consequens. Ergo & antecedens. *Assumtio prob.* Quia etiam
infantibus, ante rationis usum, deprehenduntur, ut manifestu
est de *ira*, *lætitia*, *tristitia*.

(2) Perturbationes sequuntur phantasiam & locum habent
appetitu sensuum: ut supra ostendimus: Ergo communes su
hominibus cum bestiis. *Ratio conseq.* quia imaginatio & appet
tus sensuum bestiis quoque competunt.

(3)

(3) In bruta cadunt voluptas & dolor. Ergo & affectus. *Antecedens* comprobat experientia. *Ratio consequentiæ*: quia voluptas & dolor perturbationibus maxime implicantur & sunt principia vel comites perpetui perturbationum.

(4) Irasci, amare, odisse, lætari, tristari, sperare, desperare bestias, exempli gratia, canes, equos, leones, ursos &c. testatur experientia. Canis ex intervallo nimis longo videns leporem non persequitur, quia de eo capiendo desperat, propinquum vero persequitur, quia se capturum sperat: quod in aliis etiam videre est animantibus, ut felibus, milvis, vulpibus &c.

§. 27. *Negativam* defendunt *Stoici*, ut videre est apud *Senecam* lib. 1. de ira, cap. 3. 4. qui hominum proprias esse perturbationes volunt, sequentibus argumentis.

(1) *Perturbationes sunt rationis depravationes. Ergo in bestias rationis expertes non cadunt.*

Resp. *Antecedens* est *hypothesis Stoica*, quam non admittimus. Per rationem reduci possunt ad mediocritatem affectus, ita ut amice consentiant rationi, eique tanquam instrumenta serviant ad præclaras & homini salutares actiones; cujusmodi sunt bonorum prosecutio & malorum fuga: Interim sæpius quoque obstrepere rationi affectus extra controversiam est: quæ inter appetitum sensitivum & rationem pugna quoque omnibus est nota.

§. 28. (2) *Si animalia irascerentur, etiam ignoscerent: Atqui non ignoscunt: Ergo nec irascuntur.* Connexi ratio est: *Quia opposita nata sunt esse in eodem subjecto.*

Assumtio prob. *Quia ignoscere hominis est proprium; consistit enim in cognitione culpæ & remissione pœnæ.*

Resp. 1. *Connexum* negatur, si *ignoscere* accipiatur, quatenus est hominis proprium: *Ratio* universaliter vera non est. Sunt enim subjecta, quæ contrariorum non sunt capacia: exempli gratia: Ignis est calidus, qui tamen frigidus esse non potest: glacies est frigida, quæ tamen calida esse nequit: 2. Neque *assumtio* simpliciter vera est: uti nec *probatio* ejus, diversa est in bruto & in homine ignoscendi ratio. Ignoscunt homines cum ratione, bruta sine ratione: quamvis non sine imaginatione. Canis ab hero percussus, non mordet, ab ignoto, mordet. Illi igitur ignoscit; huic non ignoscit; quia se ulciscitur.

§. 29. (3) *Perturbationes sunt materia virtutum & vitiorum moralium. Ergo brutis non competunt:* Antecedens est *Aristotel.* 2. Moral. Nicomach. *versantur enim virtutes circa perturbationes in ordinem & ad mediocritatem redigendas.* Ratio consequentiæ: *Si brutis competeret materia virtutum, etiam forma com-*

ma competeret: Atqui falsum consequens: Ergo & antec
Assumtio in confesso est. Connexi ratio est. *Quia materi*
est sine forma.

Resp. Ad *Antecedens*. Perturbationes sunt materia virt
hoc est, objectum, seu materia, circa quam versatur *fo*
vel potius *formale virtutis*: quomodo fabri materia ferru
citur: Hoc sensu negatur *consequentia*. *Prosyllogismi cons*
quoque negatur. *Ratio* ejus non conceditur, nisi *de mate*
forma propriè dictis, quæ non sunt nisi substantiarum corp
rum; Potest igitur objectum virtutum, hoc est affe
competere brutis: etiamsi virtutes ipsis non competunt. V
cum affectu non connectitur, nisi in homine virtutis capace.

§. 30. Denique observetur, *Peripateticorum* & *Stoicorum*
ea quæstionem hanc dissidium in verbis, quam in re videri
vide *Piccolom*. Grad. 1. cap. 32.

Quæritur (7) *An in plantas quoque cadant affectus?*

§. 31. Resp. Affectus & passiones infra animalia non di
dimus: Sunt enim partus quidam appetentis facultatis, quæ
sentiente & cognoscente est conjunctissima. Atqui facultas a
titiva & sensitiva non diffunduntur infra animalia; secundun
ceptissimam scholarum sententiam. Interim non desunt, qui
tradicant, cum è veteribus, tum è recentibus. Et olim qui
Manichæi, teste *Augustino*, lib. de mor. Manich. cap, 17.
prolixè ibidem refutat. Idem *Erasmum* quoque sensisse r
Scaliger, in 1. de plant. quia, experientia teste, *truncus* pri
securis ictum profundius intra se admittit, & minus resistit: a
rum verò validius elidit & magis resistit, intra se non tam pro
dè admittẽdo, cujus rei hanc esse rationẽ *Erasmus* putat: quod
mus ictus incauto & damnũ præcaventi ligno obveniat: Secu
cautiori & malo suo jam edocto: unde se contrahendo & sec
metuendo elidere conetur ictum, & minus intra se adigi patia

§. 32. Sed cum ridiculum hoc sit & indignum Philosoph
gumentum, plausibilius alii plantarum sensum adstruere co
tur. Et quidem primum arboris meminit *Diodorus* apud *Phot*
quam *aglaophytim*, *noctilucam* appellant, quæ contactum v
ta prehendere conantem refugit, vel eadem, vel similis est
bor, quam *Scaliger* Exer. 181. sect. 28. memorat in provi
Pudisetam videri rerum accessum sensu percipere: quod ad
pinquante homine aut animali ramos constringat, recedenti
pandat: quã *puditam* appellant incolæ. *Theophrastus* lib. 4.
plant. cap. 3. & *Plinius* lib. 13. cap. 10. scribunt circa *Memph*
esse arborem, cujus ab homine tacti rami quasi languescentes &
rescen

scentes protinus cadant, postmodo vero, retracta manu, renascantur & revirescant.

Nec minus mirabilis est herba *Æschynomene*, quæ admotam manum foliorum contractione refugit, teste *Plinio*, lib. 24. cap. 17. cui & recentiores annuunt. Alia est *impatiens* dicta, quæ; appropinquantibus digitis, siliquas contrahit: quam eandem cum *Æschynomene* esse & modo *vivam* appellari putant. Hanc, cum maximè viret, si quis apprehendere tentet, illico folia contrahere & sub tenues ramusculos condere, si vero apprehendat, subito quasi marcidam apparere, semota autem manu, reviviscere perhibent.

Plurima quoque exempla sunt plantarum se invicem amantium atque appetentium, aliarum vero se fugientium & odio prosequentium: Inter illas sunt *palmæ fœminæ*, quæ mares deperire & pronæ in eos nutare dicuntur: Contra vero mutuas exercent inimicitias & odia *quercus* & *olea*, *cucumis* & *olea*, *vitis* & *brassica*, &c.

§. 33. His ducti exemplis nonnulli etiam plantis affectus competere opinantur: qui si sensum iis tribuerent, & vel probabili ratione evincerent, porro audiendi essent. Sensum enim comitantur affectus. Sed cum à Scholis Philosophorum jam pridem damnatus sit error de plantarum sensu (quamvis reducere eum maximopere nitatur *Thomas Kampanella* & vindicare sensum non plantis tantum, sed & omnibus corporibus inanimatis, tam simplicibus, quam compositis, in lib. de sensu rerum) de plantarum affectibus philosophantes non admittimus: neque evincunt eos exempla modo adducta.

Arbores & plantæ sive eædem, sive diversæ, *aglaophytis*, *pudica viva*, *æschynomene* &c. quas sentientes *Nomesius*, de hom. cap. 1. appellat, non simplices esse plantas, sed *plantanimalia*, seu ζωόφυτα, inter animalia & plantas media, nonnulli opinantur: inter quos *Raynaudus*: quamvis alii fabulosa putent esse, quæ de plantis illis exoticis circumferuntur: quibus tamen recentium quoque Philosophorum assensus & experientia refragatur. Sunto igitur arbores istæ sentientes Zoophytorum species; & sic in eas affectus cadent per sentiendi facultatem, quam cum animantibus aliquo modo communem habent; quamvis obscuriorē. Aliarum plantarum *sympathiæ* & *antipathiæ* impropriè appellantur amores & odia, propter similitudinem quandam veri amoris & odii: quorum origo non est à sensu, sed à peculiari natura atque temperamento, ut in *Physicis* ostendimus. Cur autem pro veris affectibus haberi non debeant, illæ *Sympathiæ*

& *antipathia*, inde probat *Scaliger*, Exer. 138. Quia verus
ctus prævio sensu elicitus assuefactione mitescere & prorsus d
ni potest; quod in *Sympathiis* & *Antipathiis* plantarum non

§. 34. Quæritur (8) *An affectuum, seu perturbation moderatio, seu mediocritas, in bruta quoque cadat?*

Resp. *Affirmativam* comprobat experientia. Videmus e etiam ferocissima domari & mitigari animantia, leones & u testes de utrisque habemus historias fide dignas.

Romæ olim spectaculum cum exhiberetur pugnantium & liantium inter se hominum & immanissimarum bestiarum, ductus in theatrum fuit *Leo*, cujus, præter omnes alias besti leones, admirationi fuit immanitas. Unus ille corporis petu, vastitudine, terrificoque fremitu & sonoro, toris co que cervicum fluctuantibus animos oculosque omnium i converterat. Ad pugnam inter alios adductus *Dacus* servus, gnomento *Androdus*; quem cum leo ille procul vidisset, rep quasi admirans stetit, & deinde sensim atque placide tanquam scitabundus ad hominem accessit: tum caudam, more atque adulantium canum, clementer & blande movit; hominisque corpori adjunxit, & manus metu propè jam exanimati lingu niter demulsit. *Androdus* inter illa tam atrocis feræ blandime amissum animum recuperavit, paulatimque oculos ad contu dum leonem retulit. Tum quasi mutuâ recognitione factâ, l & gratulabundos vidisses hominem & leonem. Hoc spectac attonitus *Cæsar* causam quæsivit, cur ille atrocissimus leonum peperciſset *Androdo*. Narravit tum servus, in *Africæ* solitud aliquando se ad specum venisse, in quem paulò post quoque venerit, ibidemque delitescentem invenerit: Tum verò leon mansuetum & mitem accessisse, pedemque saucium cum gem & murmure obtulisse, opis petendæ gratiâ ostendisse: Ibi stirp ingentem vestigio pedis hærentem se revulsisse, conceptam saniem vulnere intimo expressisse, siccasse & cruorem deters ita operâ suâ & medelâ levatum Leonem, pede in manibus positio, recubuisse. Ab eo die triennium totum se & leonem in e dem specu eodemque victu ex Leonis venatu vixisse; donec ex dio ferinæ vitæ, leone in venatum profecto, aufugerit & à mili bus captus ad herum reductus fuerit. Sic igitur à Cæsare dimiss *Androdus* populi suffragiis donatum leonem totâ urbe per tab nas circumduxit; ubi donatus ære *Androdus* & floribus consp sus leo ab obviis exclamantibus, hanc audiverunt vocem. *Hic leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.* Historiam desc bit *Gellius* lib. 5. cap. 14. Et *Ælianus*, lib. 7. cap. 43. Exemp

simil

ſimilia leonum cicuratorum & ad ſerviles operas adhibitorum vide apud *Majolum*, in diebus. Canic. colloq. 7.

§. 35. Rabioſum animal *urſus* eſt: unde in rabiem ſæpè agitur per bilis abundantiam. Autor tamen eſt *Sebaſtianus Gabottus, Venetus*, in plagâ Aquilonari gentem eſſe, *Baccalaos*, apud quos innoxii hominibus ſint urſi, qui per ſummam induſtriam ex piſcibus victum ſibi parent. In *Lituania* & *Ruſſia* tibiarum modulatione deliniti erectique corpore choreas ducere perdiſcunt: inde à ſpectatoribus, oblato vaſe aut pileo, munuſcula petunt: quæ ſi nimis exigua offerri animadvertunt, abnuunt & augmentum expectant. *Elephantus*, ferociſſimum quoque animal, ita cicuratur & miteſcit, ut à puello *Æthiope*, quocunque vult, ſe duci patiatur. Mira de elephantis videantur apud *Majol.* in diebus. Canic. colloq. 7. Sic & indomitos frænari equos, domari tauros, teſtatur experientia. Hactenus *affirmativa* noſtræ probatio.

§. 36. In contrarium objicitur.

Si perturbationum moderatio in bruta quoque caderet, virtutum moralium ea eſſent capacia: Atqui falſum conſequens: Ergò & antecedens. Connexi ratio eſt: *Quia ex affectuum contrariorum moderatione & contemperatione exſurgit virtus moralis: unde in medio dicitur conſiſtere.*

Reſp. *Connexum* negatur. Probatio ſimpliciter vera non eſt, niſi moderatio affectuum contrariorum fiat per rationem illius ipſius, cujus ſunt affectus. In brutis igitur affectuum, ſeu perturbationum moderatio virtus non eſt.

(1) Quia moderatio illa non eſt à ratione propriâ & internâ, ſed alienâ & externâ, nempe hominis beſtiam domantis.

(2) Quia finis ejus non eſt honeſtum, ſed hominis commodum.

(3) Quia non proficiſcitur ex proæreſi; ſed ex phantaſiâ tantùm & memoriâ ſenſitivâ.

§. 37. Interim ut in brutis eſt quaſi umbra quædam rationis, ſic & virtutum moralium, temperantiæ, juſtitiæ, fortitudinis, amicitiæ, gratitudinis, &c. Quo tendit dialogus Plutarchi, περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι: quod irrationalia utantur ratione. Neque verò *formalis ratio* virtutis moralis conſiſtit in moderatione affectuum: quæ potiùs *conſequens*, vel *effectus* eſt virtutis, quàm *ratio formalis*.

§. 38. Quæritur (9) *Cur hominis perturbationes plures & vehementiores, quàm ferarum, ſint?*

Reſp. *Plures* ſunt (1) Quia plura cognoſcit & cognoſcendo appetit homo quam beſtia. Atqui à cognitione & appetitu excitantur perturbationes.

(2) Quia multiplex vitæ genus vivit homo : pro cujus v tate affectus quoque & perturbationes existunt variæ, quas concitant objecta.

(3) Quia rationis particeps est homo, per quam affectu competunt hominis proprii : quibus accedunt, quos cum b communes habet.

§. 39. *Vehementiores* sunt (1) Quia externi sensus, gust tactus in homine sunt exquisitissimi, quales objectorum di nendorum requirit varietas : hos vero sensus sequuntur per bationes vehementissimæ, quæ intemperantiæ solent esse mites.

(2) Quia cognitio in homine per rationem & appetitio eandem, longe est exquisitior & vehementior, quam in bru per phantasiam, cognitionem vero & appetitionem sequun perturbationes.

(3) Quia objecta, quæ hominem movent, sunt præstantior adeoque sensum & appetitum vehementius movent.

(4) Quia sanguis & spiritus hominis subtiliores facilius & v hementius commoventur, quam crassior brutorum spiritus & sa guis. Quo vero major & vehementior est commotio, eo veh mentior quoque est perturbatio.

§. 40. Quæritur (10) *An, quæ ex animi perturbatione fiun sponte fiant ?*

Resp. Dissidere in hac quæstione, ut alias quoque, vident *Plato* & *Aristoteles* : *Plato* mixta esse censet, quæ fiunt ira vel lia animi perturbatione, hoc est, partim invita, partim spont nea. dialog. 9. de Leg.

Ratio ejus est : Primæ animi perturbationes & commotion non sunt in nostra potestate. Ergo nec actiones inde prodeuntes Talis enim actio, quale est principium ejus. Unde hujusmodi i lico sequitur dolor & pœnitentia : qua è vestigio non ducuntur qui sponte & volentes egerunt.

§. 41. *Aristoteles*, lib. 3. Eth. cap. 1. negat hujusmodi actio nes esse invitas & coactas, idque ob sequentes *rationes*.

(1) Quia alias pueri & bruta invite omnia agerent : quia sol ducuntur appetitu & affectu : cum ex ratione non agant, vel pos sint agere.

(2) Quia sponte fieri censentur honesta, quæ ex perturbation fiunt : Igitur & turpia : Siquidem oppositorum eadem est ratio.

(3) Quia actiones ex perturbatione profectæ non sun molestæ, sed jucundæ : unde *vindicta bonum* dicitur *vita jucundius ipsa*.

(4) Quia

(4) Quia sæpe rationi rectæ sunt consentanea, quæ ex ira aut cupiditate fiunt.

§. 42. *Piccolomineus* judicat dissidium hoc non reale, sed verbale tantum esse, Grad. 2. cap. 21. Summa huc redit: *Sponte fieri* aliter *Plato*, aliter *Aristoteles* accipit. *Aristoteli sponte fieri* dicitur, quod *coacte* vel *per inscitiam* non fit: *Platoni*, quod à principio *turbato* & *obumbrato* non fit. Utrumque igitur admitti potest: nempe, *sponte fieri*, quæ ex animi perturbatione fiunt: quatenus principium eorum est internum, quod nec coacte, nec per inscitiam agit, etiamsi aliquo modo turbatum & obscuratum agit; *non sponte fieri*, quæ ex animi perturbatione fiunt: quatenus è fonte fluunt turbido vel obscurato. *Uter vero rectius interpretur sponte fieri, vel non fieri*, porro quæritur? Pro *Aristotele* plerique deponunt: Quod enim à principio est interno excludente coactionem & inscitiam, *sponte fieri* rectius affirmatur, quam negatur: etiamsi quædam accedit turbatio & obumbratio principii: per quam magis minusve spontaneam dici actionem posse sine absurditate concedi potest.

Sunt & affectus moderati & à ratione frænati, qui *spontaneam actionem* neutiquam impediunt, cum organis ipsis utatur ratio. Ex iis, quæ dicta sunt, patet, quid *ad Platonis & Aristotelis* rationes responderi debeat, & quo sensu etiam admitti omnes possint.

§. 43. Quæritur (11) *Utrum animi, an corporis affectiones immodicæ sint pejores?*

Resp. Tractat quæstionem hanc in Moralibus *Plutarchus*, & animi affectiones pejores esse corporis affectionibus, recte concludit: *Rationes sunt*.

(1) Quia corporis morbi pulsibus, rubore cutis, calore & solitis doloribus indicantur: animi autem morbi plerunque fallunt non animadvertentes se in malo esse: adeoque tanto sunt deteriores, quia sui sensum auferunt: inter quos primus & maximus est dementia, quæ facit ut multis pravitas insanabilis per omnem vitam inhæreat, & commoriatur. Siquidem principium profligandi morbi est sensus ejus, quo male affectum ducit ad usum ejus quod opitulatur. Qui vero ægrotare se non credit & nescit, qua re indigeat, is remedium, etiamsi adsit, repudiat. Hinc etiam corporis morbi æstimantur pejores, qui sensuum stuporem habent adjunctum, ut *veternus, morbus comitialis, apoplexia*, &c. Ignoratio autem omnibus fere animi morbis accidit, qui etiam virtutum sortiri solent nomina. Unde animi excandescentia fortitudinis, amor amicitiæ, invidia certaminis,

metus

metus cautionis tutæ donari solet titulo: Cum nemo tam sit d mens, qui febrem sanitatis, tabem firmæ corporis affection podagram velocitatis pedum, aut pallorem, ruboris nomine a pellandum judicet.

(2) Quia, qui morbo corporis infestantur, statim concedun & se in lectum demittunt, medicorum opem implorant, & qui te curationes sustinent. Animi vero morbis qui affliguntur, mi nime quiescunt, sed vehementius incitantur: & quando maxim opus est patientia, silentio & quiete, sub dium protrahunt & de tegunt iræ, studium contendendi, amores, offensæ, &c. Ut er go periculosior est tempestas, quæ navim ad portum adpeller non sinit, quam quæ navigare prohibet: ita difficiliores sunt a nimi tempestates, quæ perturbatam rationem se cohibere ac se dare non sinunt.

(3) Quia per morbum & affectionem corporis tantum corpu male afficitur: animus vero per pravam affectionem afficitur male & afficit.

(4) Quia animi affectiones sunt fons & origo omnium in hu mana societate malorum & vitiorum: quod dici de corporis affe ctionibus nequit: hæ enim potius retrahunt à vitiis.

(5) Quia animi affectiones corporis affectionibus mitigantur: corporis vero affectiones ab animi affectionibus exasperantur.

§. 44. Objicitur: *Corporis affectiones sunt magis dolorificæ & sumptuosioribus curantur remediis, quam animi affectiones & morbi: Ergo pejores sunt animi morbis & passionibus.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est: sunt enim & animi affectiones vehementiores, admodum dolorificæ; quæ non minus animum affligunt, quam corpus affectiones corporis: Imo tam sunt vehementes animi affectiones nonnullæ, ut etiam sensum dolorum corporeorum hebetent & obruant: ut videre est in iratis & attonitis. De *invidia* notum quoque illud Poëtæ:

Invidia Siculi non invenere tyranni
Tormentum majus.

Quin & ab immodicis animi passionibus corporis passiones gravissimæ ortum trahunt, ut constat de ira & amore. Pellendis animi morbis si idonea & efficacia essent remedia, nemo sanæ mentis parceret sumptibus: nisi forsan avarus, qui pluris aurum, quam animam, facit: quamvis sanæ mentis vix quisquam sit avarus.

2. *Consequentia* quoq; negatur: possunt enim graviores morbi nonnulli minus sumptuosis curari remediis. Sic unica *venæ sectione* è præsentissimo vitæ discrimine quandoque eripimur, qui

febrem

febrem quartanam pr tiosissimis medicamentis ægre possumus pellere. Animi passiones pleræque curantur verbis sine sumptu: corporis passiones, non verbis, sed medicamentis: quæ etsi sumptuosiora sunt verbis: tamen plurima minus sunt efficacia in pellendis corporis passionibus, quam verba in sanandis animi affectionibus: Verba autem intelligimus rationum ponderibus gravia. *Quemadmodum in Plutarch.* de tranquillitate animi, *feri canes cum ad omnem vocem exasperentur, sola ea, cui adsueverunt, demulcentur: Sic & animi motus sævientes nemo facile deliniverit, nisi rationes familiares & consueta animo perturbato præsto sint eumque inhibeant.*

§. 45. Quæritur (12) *Unde sit alteratio corporea, quæ per humores & species obvenit in affectibus.*

Resp. Varii sunt humorum & spirituum motus, quando ab interioribus ad exteriora, vel ab exterioribus ad interiora fugiunt, cutemque modo rubedine, modo pallore tingunt, & jam frigus, jam calorem corpori conciliant, ut videre est in amore, ira, metu, &c.

Medicorum nonnulli opinantur *sanguinem* moveri modo motuque animali, eadem ratione, qua pes aut brachium movetur ad imperium voluntatis. Supponunt hi, *sanguinem vivere & conjunctum esse suppositi instrumentum*, ut pes, manus, brachium, &c. sed hypothesin hanc plerique omnes repudiant.

§. 46. Alii motum hunc phantasiæ, seu imaginationi, tribuunt: cujus varii & admirandi effectus viresque in alterandis corporibus maximæ prædicantur, præsertim à *Paracelsistis exaltatam imaginationem* prædicantibus. Neque excludi hoc loco è motuum, de quibus loquimur, causis potest imaginatio, quippe quæ objecta appetitui offert, qui oblata prosequitur vel fugit. Attamen pro principali & proxima motuum horum causa non potest fieri, quia phantasia per se tantum repræsentat & exprimit objectum, & sic appetitum excitat, qui objectum deinde, sub ratione boni vel mali, prosequitur aut fugit. Non potest igitur phantasia per se tanquam immediata & proxima causa, movere sanguinem aut spiritum & his instrumentis alterare corpus: uti & aliorum effectuum admirandorum eadem non est proxima, sed propinqua tantum, inter quam & effectum intercedit appetitus.

Aliis causa proxima & immediata est *cordis notitia*, Putant enim *cor* cognoscere non tantum eadem, quæ phantasia cognoscit, sed & ipsius phantasiæ actionem. Imo intellectui quodammodo *cor* exæquat *Fracastorius*, dum malorum bonorumq; cognitionem & cordi & intellectui tribuit, & veluti regem cor constituit,

quem ut omnes aliæ facultates, sic & intellectus dirigatur. Ha tanquam absurdam sententiam paucissimi dubio procul ampl ctuntur: quia cor animæ exæquat, quod tantum animæ est instr mentum, ut & alia viscera, quamvis nonnullis sit nobilius: i tamen ut & idem cerebro sit ignobilius, de recepta scholaru sententia.

§. 48. Alii igitur *appetitui* heic primas & proximas part vendicant, qui & affectuum est sedes atque subjectum. Hic du prosequitur vel fugit objectum, tanquam ministros, assumit san guinem & spiritus: quos vel in objecti emittit occursum, vel a interiora revocat: Cum igitur caloris subjecta sint sanguis & spi ritus; una cum iis ad exteriora emittitur calor, & sic foris ard rubetque homo: vel ad interiora idem revocatur, & sic foris frig palletque homo. Hæ plerosque affectus comitantur alterationes.

§. 49. Qua vero ratione appetitus concitare humores & spiri tus possit, arduum explicatu nonnullis videtur. Unde *Salas*, 1 2. tract. 9. d. 2. n. 6. ait, *fortassis humores & spiritus moveri im mediate à Deo vel à se ipsis, vel ab anima.* Sed cum sit potent plane materialis & quidem cordi implantata, quæ & cor afficit à corde afficitur: insuperque animæ sit quasi plenipotens & prox mus minister, omnino veritati consentaneum in potestate ejus e humores & spiritus, quibus tanquam famulis utatur circa object sua prosequenda vel fugienda: ut ante diximus. Magna est in co pore *συμπάθεια* inter partes ejus corporeas invicem; quidni ig tur inter easdem quoque & facultates animæ, quæ & ipsæ sunt spi rituales, hoc est, immensæ materiæ, & esse extra eam & oper ri sine ea nequeant? Hanc vero *συμπάθειαν* inde oriri & in e consistere nonnulli putant: quod arcana quædam vis spirituum sanguinis tractrix toto corpore per animam in corde appetente diffusa naturaliter excitetur ad trahendum ea in parte, quæ aff ctioni in corde vigenti est consentanea: quodque spiritus, ut su facile mobiles & sequaces, præeunte facultatis istius per corp diffusæ ad partem certam tractione, non renitentes naturaliter c commeant, quo tractio appetitus tulerit.

§. 50. Quæritur (13) *An cor præcipua sit affectuum sedes?*

Resp. *Affirmativam* defendimus sequentibus argumentis.

(1) Quia magno scripturæ omniumque hominum consen affectus ad cor referri solent: Scripturæ loca videantur, *Exod.* 1 v. 3. 1. *Sam.* 29. v. 3. 6. 2. *Sam.* 15. v. 6. Ps. 105. v. 25. 14 v. 4. *Prov.* 4. v. 23. & 19. v. 21. *Jes.* 13. v. 7. & 19. v. 1. *Jeren* v. 9. *Matth.* 12. v. 35. & 15. v. 18. *Marc.* 7. v. 20. 21. 2. Thes. 3. v.

(2) Quia ab affectibus nulla pars corporis gravius & veheme

cit

tius affligitur, quam cor; unde cum corde conjunctissimos esse, palam est. Ita pro quantitate & qualitate cordis magna est affectuum varietas: quo calidius & siccius est, eo vehementiores sunt affectus: quo frigidius & humidius, eo languidiores: quo majus & solidius, eo majores & constantiores: propter spirituum copiam & constantiam, &c.

(5) Quia spiritus vitales, qui affectibus serviunt, è cordis thalamo egrediuntur, & ad eundem regrediuntur perpetuo: quibus veluti organis utitur appetitus ad objecta affectuum vel apprehendenda vel declinanda vide *Conimbr.* disp. Eth. 6. q. 2.

§. 51. Receptæ huic sententiæ contradicit *Timplerus.*

(1) *Affectus sensitivi sunt motus & affectiones animalis. cujus est appetere bonum sensile & aversari malum, lætari, tristari, amare, odisse, sperare, timere, &c. Ergo non sunt cordis motiones.*

Resp. *Consequentia* negatur. Affectus sunt totius animalis, tanquam *subjecti denominationis* & principalis: & cordis, tanquam *subjecti inhærentiæ.* Illud alias appellant *subjectum determinans dependentiam actionis vel accidentis ultimè*: hoc *subjectum determinans dependentiam accidentis non ultimatè.* Illud *subjectum quod*: hoc *subjectum quo.*

§. 52. (2) *Si affectus essent motus cordis, sequeretur cor sentire, appetere, aversari, amare, odisse: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.* Assumtio prob. *Quia motus hi sunt animalis, non cordis.*

Resp. *Assumptio* negatur. Probatio simpliciter vera non est: motiones istæ diverso respectu & modo sunt animalis & cordis: Animalis sunt, secundum *cor* tanquam organon appetitus præcipuum, & sedem primariam affectuum: quos cordi à scriptura tribui supra ostendimus: Hoc lætari, tristari, appetere, cógitare, &c. dicitur. Quia hisce sive passionibus, sive actionibus maxime afficitur. De hac quæst. plura v. apud *Rayn.* dist. 3. q. 1. art. 2. n. 17. &c.

§. 53. Quæritur (14) *Quænam facultatis utriusque concupiscibilis & irascibilis, sint objecta?*

Resp. De facultatum harum *objectis & actibus* recepta in scholis philosophicis hæc est sententia.

Concupiscibilis appetitus is dicitur, qui appetit bonum delectabile & conveniens à sensu externo & interno, nempe phantasia apprehensum, cognitum & judicatum. Ubi observandum in *triplici differentia esse bonum.* Vel etiam consideratur *in genere*, quatenus est bonum: vel *in specie*, quatenus est tale bonum: Cujus iterum *triplex* est *differentia.* Habet enim rationem boni vel *honesti*, cujus ratio petitur ex conformitate cum ratione rei: vel *utilis*, quæ consistit in ordi-

in ordine medii ad finem: vel *delectabilis*, quod consistit in ordi[ne] rei ad sensum & appetitum sensitivum: *Priora* duo bona ad *v[o]luntatem* pertinent, quæ fertur ad bonum in genere, & in sp[e]cie ad bonum honestum, quod non nisi ratio dijudicat: & ad b[o]num utile, quod est medium ad finem, dirigiturque à facult[a]t[e] sensu superiore, hoc est, ratione, vel rationis participe. Sol[u]m *posterius* bonum est *appetitus sensitivi* objectum: quod iterum e[st] in *duplici differentia*: vel enim verum, vel *apparens* est. Und[e] sæpe *appetitus sensitivus* fertur in bonum delectabile, quod no[n] revera tale, sed apparenter tantum est: quia sub specie convenien[tiæ] tiæ inconveniens & inimicum naturæ est. Hisce *boni* differenti[is] totidem opponuntur *mali* differentiæ: appetitus enim concupi[s]scibilis non versatur tantum circa bonum concupiscibile, sed [&] circa malum non concupiscibile: de illo obtinendo, de hoc fu[]giendo laborat: Interim appellationem sortitur *ab objecto prima[]rio*, hoc est, bono, quod proprie concupiscimus.

§. 54. *Irascibilis appetitus* directe & primo non fertur in bo[]num delectabile, sed in *media*, quibus concupiscibilis *appetitu[s]* vel bonum suum facilius assequatur, vel malum promptius fugia[t] & vitet. Oblique vero & indirecte hic appetitus versari dicitu[r] circa *bonum* & *malum arduum*, ac difficile: quia impedimenta & obstacula removet, ut bono arduo & difficili potiamur, malum[]que arduum evitemus.

Alii *concupiscibilem* ajunt versari circa *delectabilia: irascibi[]lem* vero circa *non delectabilia*. Quod cum recepta sententia no[n] adeo consentit. Nam concupiscibilis non tantum circa delecta[]bile, sed & non delectabile versatur. Unde illud appetere, ho[c] fugere dicitur.

§. 55. Utrumque igitur agnoscit, & circa utrumque actu[m] suum exercet, etsi non eundem, sed contrarium, pro ratione ob[]jectorum contrariorum. Unde *Thomas* ait, *concupiscibilem* d[e] objectis sensuum contrariis lætari & tristari: *Irascibilem* ve[ro] propellere mala concupiscibilis, hoc est, quæ concupiscibili vi[]dentur obstare, quo minus vel bonum delectabile consequatu[r] vel malum non delectabile declinet. Vocatur autem *irascibilis* a[b] affectu vehementiore, ira; qua, inter affectus, qui stimulant a[d] impedimenta tollenda, nullus est vehementior. De *objectis* ap[]petitus irascibilis & concupiscibilis ita simpliciter pronuncia[t] *Thomas* 1. 2. q. 23. art. 1. *Quæ passiones respiciunt absolute bo[]num vel malum, pertinent ad concupiscibilem*; ut gaudium, tri[]stitia, amor, odium, &c. *Quæ vero respiciunt bonum vel ma[]lum sub ratione ardui, prout est aliquid adipiscibile vel fugibi[le]*

cu[m]

cum aliqua difficultate, *pertinent ad irascibilem*, ut audacia, timor, ſpes, &c.

§. 56. Quæritur (15) *An appetitus iraſcibilis & concupiſcibilis ſint facultates realiter diſtinctæ?*

Reſp. *Negativam* amplectimur, contra receptam *Platonicorum* & *Peripateticorum* affirmativam propugnantium ſententiam: ubi tamen aſſentientes habemus, præter alios, *Piccolom.* Grad. 1. cap. 12. & in lib. de ſenſib. inter. cap. 20. *Petr. Hurtad. de Mendoza*, diſp. 17. de an. ſect. 10.

Quibus & *Templerus* accedit. *Ratio* ſententiæ noſtræ eſt: Quia realis differentia cauſas idoneas & ſufficientes non videmus. Cum igitur ſine neceſſitate non ſint multiplicanda entia, & ab una eademque facultate proficiſci poſſint, quæ vulgo *appetitui iraſcibili & concupiſcibili* tribuuntur, vel hoc ſolo nomine non ſunt conſtituendæ ſpecies diſtinctæ facultatum.

Eſt igitur ejuſdem facultatis bonum delectabile proſequi, malumque fugere, & media appetere, quibus illud proſequaris, hoc fugias: quod ſimilium actuum ad eandem facultatem pertinentium exemplis conſtat. Eadem facultate videndi metam video, ad quam curſu contendendum, & impedimenta, quæ currenti objiciuntur. Quidni igitur eadem quoque facultas circa metam appetendam obtinendamque & circa impedimenta & remoras amovendas & declinandas verſari poſſit. Quo appetitu lupus vel leo ad prædam fertur, quidni eodem quoque ad impedimenta conſecutioni prædæ obſtantia è medio tollenda & ſuperanda moveatur? Quis dicat, diverſarum eſſe appetitus rationalis, ſeu voluntatis humanæ, ſpecierum, velle finem & velle media ad finem: velle finem, & velle ſublata omnia, quæ conſecutionem finis impediunt. Atqui omnino diverſæ hæ eſſent voluntatis ſpecies, ſi illæ appetitus diſtinctæ eſſent ſpecies? Ita nemo quoque ſanæ mentis dixerit, loco motivæ, quæ in manu eſt, diverſis ſpeciebus è nuce nucleum eximi, & impedimentum, hoc eſt, putamen removeri. Neque perſuaderi ſibi quiſquam patietur, diverſos in ſtatuario eſſe habitus & facultates, quibus formam artificialem in lapidem inducit, & quibus partes lapidis formæ inducendæ obſtantes eodem inſtrumento removet & ſeparat. *Hactenus negativa declaratio & probatio.*

§. 58. Pro *affirmativa*, hoc eſt, reali differentia, pugnant, ut ſupra diximus, è *Scholaſticis Peripateticis* multi, quibus è recentioribus aſſentiuntur *Conimbricenſes*, diſp. Eth 6. q. 1. art. 2. & *Ludovicus Mercatus*, lib. 1. part. 5. Claſſ. 5. q. 154. n. 2.

Argumenta omnia excutere noſtri non eſt inſtituti: Quia diſ-

putatio est potius *Physica*, quam *Ethica*. Uuum tantum rum ponderabimus. Objicitur ergo:

(1) *Appetitus concupiscibilis & irascibilis objecto form differunt. Ergo facultates circa ea occupatæ sunt realiter se:* Antecedens *prob. Quia objectum appetitus concupisci bonum delectabile secundum sensum: Objectum irascibilis num arduum conveniens animali secundum alias commodi quamvis non sit delectabile secundum sensum.*

Ratio consequentiæ: *Quia facultatum & potentiarum ctio petitur ex objectis.*

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est. Appetitu cupiscibilis & irascibilis certo respectu, idem est *objectum.* dit enim appetitus in bonum delectabile, sive difficile, fi cile sit acquisitu. Si difficile est acquisitu, actum exerit, à q cultas appellatur *irascibilis*, quo appetuntur media etiam minus delectabilia, modo serviant bono delectabili arduo, quam fini, obtinendo. Veluti idem appetitus rationalis b expetit spirituale delectabile, & propter id media carni grata: tenditque ad vitam æternam per viam angustam & n magnisque difficultatibus obsessam & impeditam.

Neque *probatio antecedentis* simpliciter vera est. *Objectum* petitus quatenus est *concupiscibilis*, est bonum delectabile se dum sensum, sive arduum, sive non arduum, quod sub ratio nis appetitur. *Objectum* ejusdem facultatis, quatenus ab act verso *irascibilis* appellatur, non est bonum arduum, tanqua nis, sed tanquam medium ad finem, quamvis in se & abs consideratum non sit delectabile: cui tamen amabilitatem c liat finis per se amabilis & delectabilis.

2. *Consequentia* quoque non est satis evidens & necessari ti nec *ratio* ejus. Formalis objectorum distinctio non arguit cessario distinctionem potentiarum; præsertim si ita sint disti objecta, ut unum rationem *finis*, alterum *medii* habeat, & modo sibi subordinentur. Interim conveniunt quoque object stincta, nempe finis & medium, in ratione formali delectabi tis. Quia & medium est delectabile propter finem, quamvis absolute consideratum non sit delectabile.

§. 59. (2) *Appetitus irascibilis appetit contra inclinatio concupiscibilis: Ergo realiter ab eo differt.* Antecedens prob. *Q irascibilis amat tristia & non delectabilia, ut consequatur o ctum concupitum.* Ratio consequentiæ: *Quia contrarii actu contraria objecta arguunt potentias contrarias.*

Resp. 1, *Antecedens* simpliciter verum non est. Appetitus e quate

quatenus appellatur *irascibilis*, non tendit simpliciter contra inclinationem *concupiscibilis*; quia inclinationi illi succurrit, eamque conservat per inclinationem in media certa, sine quibus non potest obtineri bonum per se delectabile arduum. Sic eadem voluntas in bonum inclinat delectabile & propter id medium eligit per se non delectabile, sine dissidio intestino & sui multiplicatione. Igitur facultas coucupiscibilis fertur quidem in bonum delectabile, sed ita ut parata sit quoque exercere se circa media tristia, sine quibus obtineri non potest finis delectabilis: etsi ratione posterioris hujus actus, non concupiscibilis sed irascibilis appellatur,

2. *Consequentia* quoque solida & universaliter vera non est. Quidni enim unius potentiæ contrarii possunt esse actus circa objecta contraria? Eadem ratio amat Deum & odit Satanam: quamvis tanta heic inclinationum & actuum non sit contrarietas.

IV.

Ad concupiscibilem pertinent (1) *amor & odium:* (2) *desiderium & fuga:* (3) *gaudium & tristitia.*

Ἔκθεσις.

§. 1. Quæritur (16) *An voluptas & dolor sint perturbationes, seu affectus.*

Resp. Antiqua hæc est quæstio, inter *Aspasium* & *Aristotelem* olim agitata: ut videre est ex 2. Moral. cap. 3. *Aspasio* voluptas definita, *operatio secundum naturam non impedita & in specie effusio animi & spirituum, ob præsentiam rerum jucundarum.* Dolor, *affectio ex impedimento operationis naturalis, vel animi contractio, ob præsentiam rerum molestarum.* Hinc voluptatem & dolorem constituit genera communia omnium perturbationum, ita ut reliquæ omnes perturbationes duorum horum generum sint species. *Aspasio* contradixerunt *Plato* & *Aristoteles*: ut ostendit *Piccolom.* Grad. 1. cap. 15. *Plato* omnes perturbationes ex voluptate & dolore misceri docuit: *Aristoteles*, perturbationibus posteriores esse, & eas consequi: *Piccolomineus*, priores & posteriores: Unde distinguit voluptatem in eam, quæ antecedit perturbationes, veluti fons & origo perturbationum, & quæ sequitur, dum cupito potimur Eadem *doloris* est ratio: ex quo itidem derivantur affectus nonnulli, quos idem quoque consequitur: nulla ut sit perturbatio, quæ voluptatem aut dolorem aliquẽ junctum non habeat cum autecedentem, tum consequentẽ, imo & comitan-

tem: quæ causa, quod voluptas & dolor à perturbationibus nc deò distingui olim potuerint. *Aristoteles* negat voluptatē esse turbationem: quia perturbatio est motio, voluptas non est mc Plura videantur apud *Piccolō*,c.15.16.17. Grad.1.Gell.lib.9.

§. 2. Quæritur (17) *Quot numero sint affectus, & qu rum origo atque connexio?*

Resp. De affectuum numero variæ sunt sententiæ. *Card.* & *Ludovicus Vives* viginti numerant. *Aristoteles* decem: *Tho* undecim. *Galenus* sex. *Nemesius* quinque. *Boethius* quatuor. I innumeros. *Lælius Peregrinus*, quem in præceptis secuti sur principales duodecim, minus principales octo: unde in nun convenit cum *Cardano* & *Vive*.

§. 3. Quomodo autem ex varietate objectorum & acti appetitus oriantur affectus principales, ex *Lælio Peregrino* & *dovico Mercato* (quorum tamen uterque *Thomam* sequitur) noscere operæ pretium fuerit.

Amor fons est affectuum, qui respiciunt bonum. *Odium* fundit, qui circa malum occupantur. *Amor* similis est propens corporis ad locum, *desiderium* imitatur motum ad locum. *D ctatio* quietem in loco. *Odium* simile est aversioni corporis à sibi minus conveniente: *fuga* similis conatui corporis à loco cedentis. *Tristitia* refert detentionem à vi in eodem loco. U affectus *facultatis concupiscentis* imitantur partim quietem, tim *motum*. Qui vero sunt *irascentis*, ad *motum* omnes refe tur. Spectant enim bonum vel malum arduum longè posit in quo non potest appetitus conquiescere. *Amat* quis, & si q amat, abest, *desiderat*: Sin adest, *gaudet* fruiturque. Si diffici intercedit, *sperat*, *audetque*. Rursum *odit* quis malum, id, si sens est, *fugit*: Sin præsens, *dolet*: Si superatu arduum intelli *timet* & quandoque *diffidit*; desperatio enim sequitur timo vehementem. Si quæ verò boni prosecutionem, vel contrari gam molestius impediunt, consurgit *ira*. Hæc ex *Thoma Læ Peregrinus*.

§. 4. Paulò aliter & plenius ex eodem *Thoma Ludov Mercatus*. Facultas *irascibilis* quinque elicit actus, *spem*, *de rationem*, *audaciam*, *timorem* & *iram*. Quorum hæc est ra *Irascibilis* versatur circa defensionem concupiti: quia in ejusm bono, præter bonitatem, versatur etiam difficultas, quæ ex a stentia contrarii oritur. Unde quamvis bonum ipsum desidere necessarius est tamen specialis actus, quo appetitus quasi excite ne à difficultate objecti superetur: qui actus est *spes*.

Si contingat appetitum superari difficultate boni, ita ut

set, vel à pugna vel à persecutione boni, actus ille *desperatio* dicitur. Quod si malum aliquod futurum imminet rejiciendum & vincendum, appetitus aut accenditur & insurgit adversus ipsum & *audacia* dicitur, aut succumbit & desistit, & *timor* appellatur. Denique alius restat actus, qui ex apprehensione mali præsentis & illati oritur, qui vindictæ est appetitus, & *ira* appellatur.

§. 5. Facultas *concupiscibilis* sex elicit actus, *amorem, desiderium, lætitiam, odium, fugam, tristitiam.* Quorum hæc est ratio, objecta facultatis concupiscibilis sunt bona & mala: illa persequimur, hæc aversamur & fugimus. Considerantur autem hæc *objecta* vel absolute & sine respectu temporis, vel cum respectu temporis, ut *præsentia* aut *futura:* Circa bonum absolute & in se consideratum versatur *amor:* circa futurum bonum, *desiderium*: circa præsens bonum, *lætitia.* Eodem se modo habet res in malo: circa quod absolute consideratum versatur *odium*, circa futurum, *fuga*: circa præsens, *tristitia*, vide *Raynaud.* Philosoph. mor. dist. 3. q. 1. art. 4. n. 73. & seqq. De ordine affectuum ratione generationis & præstantiæ eundem vide, sequent. Art. 5. n. 88. & seqq. De variis affectuum divisionibus vide *Heiderum* part. 2. pag. 224. &c.

§. 6. Quæritur (18) *An dentur universalia quædam remedia, quibus ad mediocritatem omnes revocari & ab excessibus avocari affectus possunt?*

Resp. Magnus morum magister *Epictetus* ad frænandas & moderandas passiones remedia generalia tradit cum *interna*, tum *externa*.

Interna ex consideratione sui ipsius depromit homo, quæ sequentia sunt.

(1) *Cogitatio summæ pulchritudinis & dignitatis, quam affectuum repressione sibi homo conciliat.* Egregie pulchritudinem describit *Plotinus*, ennead. lib. 6. cap. 5. *Si priorem recipere cupiat anima pulchritudinem, operæ pretium erit infecta diluere, ipsaque purgatione rursum esse, quod erat. Quamobrem si animam mistione, confusione, commercio cum corpore atque materia turpem dicemus evadere, recte, ut opinor, asseremus. Est enim hæc animæ turpitudo, scilicet non esse puram atque sinceram. Quemadmodum & auro accidit turpido, si glebis terreis offundatur: quas si quis excusserit, purum subito restat aurum, idque jam pulchrum cum ab alienis fuerit segregatum, sua videlicet ad pulchritudinem puritate contentum. Eadem ratione animus ab his cupiditatibus segregatus, quas nimio corporis commercio in se concipit, à cæterisque perturbationibus liberatus,*

deletis jam maculis, quas corporea familiaritas prius insu[…] atque ita solus sibi relictus procul dubio turpitudinem omn[…] aliena natura prorsus imbibitam expurgabit.

Dignitatem prolixe explicat *Philo* in lib. de agricultura […] *nesius* in orat. de regno. *Quicunque*, inquit, *rationis e[…] tes animæ partes cicuratas & tractabiles reddens rationi […] quentes efficit & ad unius principatus sapiens moderamen […] titudinem componit, hic vere divinus sive Rex, sive privatu[…] mo est.*

(2) *Consideratio perfectæ & regiæ libertatis, quæ adfect[…] sequitur subjugationem.* Quia ut miserrimum est mancip[…] cui adfectus & perturbationes dominantur: ita vere perfe[…] regie liber is demum est, qui servile hoc excussit jugum. […] *Epictetus* apud *Arrianum*, lib. 2. cap. 1. *Nullus aut timu[…] aut mœrore affectus aut alio perturbatus modo, pro libero es[…] bendus. Qui ergo liberatus est à mæstitia, metu, perturbat[…] eum eadem via ex servitute in libertatem vindicari etiam cer[…] est.* Semel hoc loco monemus, ab hisce & similibus aliis a[…] ribus per affectus non intelligi simpliciter affectus, sed imm[…] cos, tumultuantes atque imperantes. Præclara est *Dionis C[…] sostomi* sententia, orat. 1. *Hæc dicit & Homerus pariter, & sapientes, veracesque homines, quod nemo unquam pravus libidinosus, aut avarus, neque sui ipsius possit fieri princep[…] Dominus, neque alterius cujuspiam, neque talis unquam rex, etiamsi omnes Græci atque Barbari & viri atque mulieres firmarent.* Pertinet huc illud quoque *Senecæ* epist. 113. sub *ô quam magnis homines erroribus tenentur, qui jus domina[…] trans maria cupiunt mittere, felicissimosque se judicant, si m[…] tas per milites provincias obtinent & novas veteribus adjungu[…] ignari quod sit illud ingens paratumque regnum. Imperare […] maximum imperium est.*

(3) *Cogitatio maximæ & purissimæ voluptatis, quæ cum a[…] ctuum moderatione conjuncta est:* de qua eleganter disseren[…] vide *Senecam*, lib. 7. de Benef. cap. 2. *Ista*, inquit, *est volup[…] & homine & viro digna, non implere corpus, nec saginare, cupiditates irritare, quarum tristissima est quies*, &c. *Isido[…] Pelusiota*, lib. 3. ep. 352. etiam vivere negat, qui passioni[…] succumbit, nedum ut jucunde possit vivere. Quamvis ad h[…] purissimæ voluptatis fruitionem admodum arduam esse viam […] scribat, loco supra allegato. *Imperare sibi*, inquit, *est longe […] ficilius, quam omnium Græcorum universorumque Barbaror[…] regnum obtinere.*

(4) Co

(4) *Consideratio maximæ utilitatis, quæ ex subjugatione affectuum ad nos redundat.*

Hoc enim modo fons omnium malorum & vitiorum obstruitur. vide *Maxim. Tyr.* serm. 17. *Improbitatis fontes*, inquit, *primaque mali hujus causa ex illuvie quasi & exundatione existit, quotiescunque ille affectuum fervor animum accendit, quoties pullulantem quasi & efflorentem rationis vim confundit, non aliter quàm hyberni torrentes solent*, &c.

(5) *Cautio accurata circa principia: quibus fortiter obsistendum & sic via ad habitus intercludenda.*

Ex crebris enim & frequentatis actionibus nascuntur habitus: illas igitur si vitaveris, ab hisce tutus eris. Vide *Epictet.* lib. 2. cap. 18. apud *Arrian.* De hoc remedio eleganter differit *Seneca*, Epist. 116. & lib. 3. de irâ, cap. 10. *Principiis obsta, sero medicina paratur.*

(6) *Aversatio imprudentiæ admittentium passiones cum protestatione de iis postmodum excludendis.*

Quia longè aliter evenit: quod ipsa quoque dictat ratio. Nam si firmus adhuc & intactus à perturbatione animus, eam semel admisit, longè minor eam postmodum excludendi affulget spes, postquam succumbere cœpit. *Quando dixeris*, inquit *Epictetus*, apud *Arrianum*, lib. 4. cap. 12. *in crastinum adhibebo diligentiam: id abs te dici scito, quod nimirum velis hodie imprudens, importunus, abjectus esse. Item, in potestate erit alterius, ut me afficiat ægritudine animi: hodie excandescam, invidebo. Considera quæ in te mala admittas.* Sed cras, ais, melius habebo. *Quando melius si hodie, quàm si cras cœperis. Plus conducet si hodie incipias, ut id nimirum in crastinum præstare possis, ac non in tertium quoque rejicias diem.*

(7) *Examinatio sui ipsius quotidiana circa repressas vel impeditas passiones.*

Tradit hoc remedium *Epictetus* apud *Arrianum*: *si iracundus* inquit, *esse noles, habitum illum ne foveris: nihil ei adjice, quo succrescat. Initio conquiesce & in numerato habe dies illos, quibus iratus non fueris. Olim quotidie commovebar ira, postea altero duntaxat die, deinde tertio quoque die. Quod si nunc intra triginta dies iratum te non senseris, Deo sacra facito. Habitus enim à primis diebus languescit: posterius vero omnis dissolvitur & evanescit. Nec hodie, nec heri passus sum me aliquo mœrore affici, nec postea per tres aut quatuor menses. Sed animum adverte, si visa oblata tibi fuerint, quibus provocari possis, utrum decenter te geras.* Vide & *Senec.* epist. 68. & lib. 3. de ira, cap. 10.

 (8) *Aver-*

(8) *Aversio aurium, oculorum & cogitationum ab objecti fectus irritantibus & illecebris passionum.*

Vinces, inquit *Epictetus*, *phantasiam, nec ab ea in transj sum abripière. Initio ne rapiare vehementi ejus motu im tus : sed dic, præstolare parumper phantasia. Sine perspici que sis, & quibus de rebus. Sine ut te excutiam. Ac de cæt ne permittas ei, ut longius te producat, depingendo ac adumbi do, quæ deinceps ordine sequantur. Quod si non facias, in p culum præceps fertur te simul abreptum præcipitatura. Quin po aliam quampiam honestam & laudabilem phantasiam oppoi hancque præsentem sordidam repudias.*

Cogitationes vero præverti non possunt, nisi sensus externi ërceantur & ab incentivis & illecebris avertantur. Hæ enim jai sunt, per quas in animum penetrant perturbationes. Quan rem pulchrè *Porphyrius* lib. 1. de abstinent. & ex eo *Hieronyn* lib. 2. in Jovin. *Per quinque sensus*, inquit, *quasi per quasd fenestras vitiorum ad animum introitus est. Non potest ante n tropolis & arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis ercitus. Horum perturbationibus anima prægravatur & capi aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu, &c.* Postquam om sensuum illecebras recitavit, tandem, *His igitur*, inquit, *rat nibus invitati multi philosophorum reliquerunt frequentias url & hortulos suburbanos, ubi ager irriguus & arborum coma & p surrus avium, fontis speculum rivus immurmurans & multa culorum auriumque illecebræ, ne per luxum & abundantiam c piarum animæ fortitudo mollesceret & ejus pudicitia constuprai tur* &c. Exempli loco adducit *Pythagoricos*, *Platonicos*, *Stoici* Quosdam ait oculos sibi effodisse, ne per eorum visum à conten platione Philosophiæ avocarentur. *Crates Thebanus*, projec in mare non parvo auri pondere, *abite*, inquit, *pessum malæ cu piditates ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Pulcherrimai addo *Ambrosii* sententiam, lib. de fuga seculi, cap. 1. *Quis in ter tot passiones hujus corporis, inter tantas illecebras hujus seculi tutum atque intemeratum servare potest vestigium? Respexit culus & sensum mentis evertit: audivit auris, & intentiones inflexit, inhalavit odor, & cogitationem impedivit: os libavit & crimen reddidit: tactus contigit, & ignem adolevit. Intravi mors per fenestram, dixit propheta. Fenestra tua est oculus tuu Si videris mulierem ad concupiscendum, intravit mors: audias sermones meretricios, intravit mors. Si luxuria sen sus tuos capiat, penetravit mors.*

§. 7. Hactenus *remedia generalia interna.* Subjungimus ex *terna*

terna, quæ extrinsecum aliquid respiciunt & à Gentilibus quoque præscribuntur sequentia.

(1) *Numinis imploratio ad occursum passionis & phantasmatis, quo recta ratio periclitari possit.*

Memineris, inquit Epictetus, *Dei, illum invoca auxiliatorem, ut solent nautæ, cum in tempestatibus invocant Castorem & Pollucem. Nam quæ periculosior potest existere tempestas, quàm quæ existit è vehementer impellentibus nos visis ac sanam rationem profligantibus? Ipsa enim tempestas, quid aliud est, quàm phantasia?*

(2) *Dei ubique præsentis & omnia intuentis cogitatio & recordatio.* Efficacissimum hoc est remedium ad reprimendam passionum licentiam. Hinc præclarè *Basilius*, reg. 127. *Si hominis præsentia eò usque valet, ut qui in æquali naturæ conditione constitutus sit, propter dignitatis tamen excellentiam turbatum alicujus animi motum possit comprimere, qui non tandem facilius hoc futurum existimandum est, si alicui persuasum est, Deum cogitationes omnes suas inspicere? Siquidem longe melius qui scrutatur corda & renes Deus motiones animi pervadet, quàm homo, quæ oculis subjecta sunt..* Tendit huc ipsius Dei præceptum. *Ambula coram me.* Remedii hujus prolixam & planè patheticam amplificationem vide apud *Drexelium*, Nicetæ lib. 2. cap. 10.

(3) *Illustrium exemplorum attenta inspectio.*

Hinc pulchre *Epictetus: Ad illud quoque conduxerit, si ad præstantiam virtute eximia virorum consuetudinem deflexeris & te ad illorum exempla conformaris sive superstitum adhuc, sive olim vitâ functorum quempiam habueris. Accede Socratem & considera ipsum.*

(4) *Convictus eorum, qui subactis sunt passionibus.*

Magna convictus & consuetudinis in utramque partem vis est. Pulchre *Seneca*, lib. 3. de ira cap.7. *Non tam valetudini profuit utilis regio & salubrius cœlum, quàm animis parum firmis in turba meliorum versari. Quæres quantum possit, intelliges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere, nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est: retunditur omnis asperitas, paulatimque inter placida, dediscitur.* Pulchre quoque & pie *Ambrosius* lib. 1. off. cap. 43. *Sequatur conversationis electio ut adjungamur probatissimis quibusque senioribus. Namque ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est: qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium & velut murice probitatis inficit.* Videatur & *Philo* in lib. de præm.

 (5) *Usus*

(5) *Usus pharmacorum ad humores educendos & tempe* *dos efficacium*: Sequuntur affectus temperamentum & hum quorum vitia ipsos quoque affectus vitiant. Vide *Nemes.* de h cap. 17.

(6) *Concentus Musicus.*

Unde *Dio Chrysost.* Orat. 32. *Musica propter curationem manarum inventa videtur affectionum, & maxime ut in rec convertere possit statum animos sævitia & feritate affectos*, Scribunt *Seneca* & *Plutarchus Pythagoram* ad sedandas passio lyram adhibuisse: De hoc remedio differentem vide *Aristot.* 8. Polit. cap. 5. & 7.

Ita *David* melancholicum *Saulis* spiritum musico conc mitigavit: vide *Valles.* sacræ Philosoph. cap. 28.

V.

Amor est affectus, quo quis acquiescit & intime f cupit iis, quæ bona, pulchraq; judicat.

Ἔκθεσις.

§. 1. Omnem amoris ambitum exæquat bonum: Non en nascitur amor, nisi ex cognitione boni, quod vel ve ra tale est, vel tale videtur esse. In specie vero amorem conci ant sequentia; *morum*, *ingeniorum*, *& naturarum similitud* quæ facit, ut bruta etiam ad similes sibi ferantur species, canis canem, bos ad bovem, &c. *paria vitæ instituta*, *consuetudo convictus*, *beneficentia*, *placabilitas*, *munditiès in vestitu corporis cultu*. Amabilia oportet sint. 1. *Bona*: malum enim q malum, nemo amat. 2. *Cognita*. Ignoti enim nulla cupido c 3. *Convenientia* & nobis *similia*: oritur enim amor aliorum φιλαυτία. 4. *Difficilia* & *rara*: Unde illud: chara sunt, quæ r ra sunt. 5. *Communicabilia*. Quorum enim fieri participes n possumus, seu quod desperamus, ea non amamus. 6. *Pulchr* aversamur enim, quæ deformia sunt.

In *amoris* affectu cor quasi dilatatur, indeque spiritus uberti ad exteriora prorumpunt & sanguinem secum ferunt, ad appr hendendum bonum amatum; quæ causa quod rubedine amor f ciem tingat, etsi cum pallore quoque sæpe conjunctus est, qua do tristitiam habet comitem, quæ tum amori se jungit, cum mata re potiri nequit amans: unde à tristitia potius est pallor quam ab amore.

§. 2. Qu

§. 2. Quæritur (1) *Quotuplex sit amor*?

Resp. Triplex secundum *Platonicos* est amor, qui ex triplici deducitur pulchritudine. *Amor* enim in scholis *Platonicis* aliud nihil est, nisi *desiderium pulchritudinis*, quam ajunt esse è pluriũ concinnitate coorientem gratiam: Est illa vel in *animo* vel in *corpore* vel in *sonis*: In *animo* est venustas è virtutum splendore: In *corpore* est colorum linearumque mire coalescentium congruitas: In *sonis* est modulata sonorum jucunditas. *Triplex hæc pulcritudo*, inquit Cælius Rhodig. *sensus tres habet subservientes, triplicem vero imperitantem amorem. Radios ex animæ claritate vibrantes interior mentis percipit oculus: corporea gratia corporeus perfruitur visus. Musica consonantia aures permulcet. Tactui nullum relinquit locum. Hunc qui ad pulchritudinis exigit perfruitionem, brutum resipere, hominem exuere, rationem allidere videtur.*. Quia nullus in tactu usus veræ pulchritudinis: quod demonstrantem vide, lib. 16. cap. 24.

§. 3. Alias ut ex bono triplici, *honesto*, *utili*, *jucundo*, triplex exsurgit amicitia, honesta, utilis & jucunda, sic & amor triplex, honestus, utilis, jucundus: vide supra cap. 26.

§. 4. Quæritur (2) *Uter amor sit præstantior, concupiscentiæ, an amicitiæ?*

Resp. Distinguitur amor in *concupiscentiæ* & *amicitiæ* amorem: *Ille* fertur in rem amatam, ut ejus bono fruatur: *hic* ut bonum suum ei communicet. Unde patet præstantiorem esse amorem amicitiæ: quia arguit abundantiam & liberalitatem: contra vero amor concupiscentiæ indigentiam. Ille dare, hic accipere gestit. Atqui *beatius est dare, quàm accipere*: Actor. 20. v. 35. Interim de hac distinctione non omnes idem sentiunt: Vide *Raynaud.* Phil. moral. dist. 3. q. 2. art. 1. n. 136. & seqq.

§. 5. Objicitur.

Amor divinus, quo Deum complectimur, est omnium præstantissimus: Atqui amor concupiscentiæ est amor divinus: Ergo amor concupiscentiæ est omnium præstantissimus.

Propositio extra controversiam est: *Siquidem amoris divini objectum est excellentissimum, & fructus omnium præstantissimus, nempe unio cum Deo.*

Assumtio prob. 1. *Amor quo Deum complectimur est amicitia vel concupiscentiæ: Atqui non est amicitiæ: Ergo concupiscentiæ*: Assumtio prob. *Quia per amorem amicitiæ aliquod rei amatæ bonum communicatur: Atqui Deo bonum à creatura communicari non potest.*

2. *Amor concupiscentiæ est, qui fertur in rem amatam, ut ejus*

jus bono fruatur. Amor, quo Deum complectimur, fertur in Deum, ut ejus bono fruamur.

Resp. *Assumtio syllogismi* principalis exclusive vera non est. Amor, quo Deum complectimur non est tantum concupiscentiæ, sed & amicitiæ. *Prosyllogismi primi assumtio* simpliciter vera non est, uti nec *Probatio* ejus. Creatura rationalis Deo per amorem communicare bonum dici potest, quando se totam creatori suo offert & consecrat, ut melior non *ipse*, sed *ipsa* reddatur. Unde patet, amorem hunc esse *concupiscentiæ* & *amicitiæ*: quamvis amor amicitiæ erga Deum in amante creatura non æque arguat abundantiam & liberalitatem, atque amor idem erga creaturam. Interim de bonis suis Deo quoque dicuntur & æstimantur dare, qui ex amore erga Deum & proximum pauperibus, præsertim Deo dilectis, dant: Matth. 25. v. 42. 43. &c.

Secundi prosyllogismi assumtio exclusive vera non est: Non enim amor, quo Deum complectimur, fertur in Deum, ut tantum ejus bono fruamur, sed ut & bona nostra aliquo modo ei demus & consecremus: ut modo diximus.

§. 6. Quæritur (3) *An amor sit inter bruta?*

Resp. Existimat *Lælius Peregrinus* amorem proprie erga ea tantum esse, quæ ratione pollent. *Rationem* reddit: quia amor est appetitus conjunctionis & convictus. Quis vero vel mansuetissimæ belluæ jungi velit aut convivere.

Sed, pace *Lælij Peregrini*, amorem propriè dictum etiam inter homines & bruta esse arbitramur, non minus, quam iram & alios affectus: quod insignia & memorabilia testantur exempla. Convictus de essentia amoris non est: appetitus conjunctionis inter bruta & homines evidentibus documentis comprobatur: quin & convictum brutorum ab amatoribus ipsorum expeti palam est. Quot enim sunt, qui mensis suis canes adhibent sive adstantes, sive in sinu cubantes, ut de catellis constat *meliteis*, qui fere non aliis, quam herorum, & quidem delicatissimis vescuntur dapibus. De canum erga heros suos amore, exempla admodum memorabilia extant. Ita impatienter nonnulli heros suos amarunt, ut juxta cadavera ipsorum quasi contabuerint. De amore *Leonis* erga fugitivum servum ex Æliano & Gellio historiam supra recitavimus. Celebrant quoque historiæ amorem *Glauciæ Cytharistriæ* erga anatem, *Xenophontis* erga canem, pueri *Spartani* erga monedulam, *Alexandri M.* erga equum.

Quin & hominum quorundam erga res inanimatas & plantas amor celebratur. *Bonæ Fortunæ* statuam in *Prytanæo* erectam ita olim deperiit adolescens quidam, ut cum magno ea potiri pretio non

non potuisset, sibi manus intulerit. *Xerxes*, cum adversus Græcos proficisceretur, in itinere *Platani*, in quam inciderat, amore ita captus fuit, ut consistere ad eam immensum suum exercitum jusserit, choreasque duci, neque inde discesserit prius, quam armillis & torquibus aureis eam exornasset, eique curatorem constituisset, qui ab omni eam injuria vindicaret.

§. 8. Quæritur (4) *Utrum sit præstantius, amare, an amari?*

Resp. Si amor ex honestate ortum ducat, amare præstantius videtur.

(1) Quia agit, qui amat, patitur, qui amatur.

(2) Quia amare conjunctam habet virtutis functionem: amari, quà tale, est sine virtutis functione.

§. 9. Objicitur.

Amari ex honesta causa arguit possessionem virtutis in amato. Ergo videtur præstantius, quam amare.

Resp. Negatur consequentia: non enim amari tantum arguit possessionem virtutis in amato, sed & amare in amante: Non enim amat honestatem, nisi qui possidet quoque honestatem, qua ad amandam eam in alio incitatur. Siquidem simile gaudet simili. Occurrunt tamen heîc & aliæ difficultates, de quibus consule *Piccolom.* Grad. 7. cap 14.

§. 10. Quæritur (5) *An redamare sit de essentia & necessitate amoris?*

Resp. Distingui heîc solet inter amorem *jucundum*, *utilem & honestum*: De *jucundo & utili*, negant quæstionem. Testis enim experientia amari multos & non redamare: quia eædem amoris causæ in multis non sunt. Ita sæpe pauper divitem amat, quem dives non redamat, sed odit. Senex deformis juvenculam formosam sæpe amat, quem juvencula formosa non redamat. Avarus liberalem amat propter spem accipiendi, liberalis avarum odit propter dissimilitudinem morum.

§. 11. De *honesto* affirmant, quo quis solius virtutis & honestaris ratione aliquem amat, quem ajunt non tantum esse dignum ut redametur, verum etiam justum, ut par pari referat, nisi alia interveniant *adjuncta*, per quæ amari sit indignus. Ita quæstionem hanc decidit *Libenthal.* Exercitat. 6. q. 6. Sed distinctione opus non videtur, & sine ea recte negari quæstio.

§. 12. *De utili* & *jucundo* amore dubium non est: ob evidentia exempla, quæ dedimus. *De honesto* assentiri quoque cogitur *Libenthal.* hac, quam ipse suppeditat, ratione. Quod est de essentia amoris, id est inseparabile ab amore. Atqui τὸ redamare non est inseparabile ab amore. Ergo. *Assumtio* prob. Quia in eo, qui

propter

propter honestatem amat aliquem, interdum intervenire possunt adjuncta, per quæ indignus est amari, adeoque potest non amari. Neque verò si dignitas efflagitat τὸ redamare & æquitas, illico omnis amatus redamat: quia contra dignitatem & æquitatem multa fiunt: dignitas & æquitas amorem etiam jucundum & utilem sæpe requirunt mutuum: qui tamen propterea mutuus non est: si par sit in amante & amato honestatis studium, esse solet amor mutuus, quem quoque gignit par placendi & commodandi studium.

§. 13. Quæritur (6) *An ad amorem plus conferant oculi, quam lingua?*

Resp. Distinguendum inter amoris vulgo sic dicti *initium* & *incrementum*. Unde duabus *assertionibus* quæstionem expedimus.

(1) *Ad Amoris initium plus conferunt oculi, quam lingua & aures?*

Ratio est: Quia amabilia sensibus primum objecta acrius & citius appetitum feriunt & in animum profundius descendunt per *oculos*, quam per *aures* linguæ sono verberatas: siquidem species visibilis oculo excepta & ad interiores sensus delata sincerissime defert & expressissime externam pulchritudinem, in quam amor ferri primum solet; cui sine omni alio teste fidem habemus. Unde vulgo uni *oculato* testi plus solet fidei haberi, quam decem *auritis*. Fallitur *auris* falsiloquio sæpissimè: *oculus* rectè affectus, objecto in medio idoneo rectè collocato, nunquam: adeoque longè securior est hic, quam illa, magisque fidus veritatis interpres *oculus*, quàm *lingua* & *auris*. Subscribit assertioni nostræ omnis vetustas, ex cujus ore prolatum illud, ἐκ τοῦ εἰσορᾶν γίνεται ἀνθρώποις ἐρᾶν. *Amoris principium*, *inquit Aristoteles*. l. 9. Eth. cap. 5. *est ea voluptas, quæ ex adspectu percipitur: nemo enim amore capitur, nisi prius specie fuerit oblectatus.* Et *Heliodorus*, lib. 3. *Amoribus objecta visa initium & ansam dant:* καὶ οἷον ὑπήνεμα διὰ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ πάθη ταῖς ψυχαῖς εἰστοξεύονται, & *veluti subitaneos affectus per oculos in animas jaculantur:* idem lib. 4. Ἀναφλέγει τὴν διάνοιαν ἡ θέα καθάπερ ὕλη πυρὶ γιγνομένη. *Inflammat mentem conspectus. perinde atque ignis materia admotus.* Et *Tyrius Maxim.* dissert. 9. *Amoris fons & origo est flos corporis, qui oculos intrat, ex oculis in animum dilabitur. Prima enim via, qua pulchritudo se insinuat, sunt oculi.* Similia apud alios occurrunt multa. *Si nescis, oculi sunt in amore duces*, canit *Propertius*.

§. 14. (2) *Ad amoris incrementum plus conferunt aures & lingua, quam oculi.* Ratio:

Ratio: quia magna capere incrementa amor non potest, nisi quando mutuus & utrinque notus est. Utrinque vero amantibus magis per linguam & aures, quam per oculos innotescit: illi enim *vocales*, hi *mut.* sunt interpretes. Quo sensu *Theophrastus* dixit, *auditum omnium sensuum maxime ad motus animi ciendos facere.*

Quæritur, *Cur amorem inter similes conciliet morum, naturarum & ingeniorum similitudo?*

Resp. Quia amor sui omnibus à natura est implantatus & plerumque major, quam par est. Unde in plurima homo peccata labitur, quia nimium sibi indulget, & ex amore sui negligit, quæ magnifacere tenetur. Qui fons est in homine impietatis, quando se magis homo quam Deum diligit, neglectisque Dei præceptis indulget suis cupiditatibus. Amor igitur sui ad eum præcipue propendet, quem sibi simillimum agnoscit, & quasi se alterum judicat: quia sui similem complectendo se ipsum complecti sibi videtur. Vix enim odio habere potest sui similem, quin se ipsum oderit.

§. 15. Objicitur: *Si morum & ingeniorum similitudo amorem conciliaret, faber fabro & figulus figulo non invideret: Atqui falsum consequens, secundum tritum proverbium. Ergo.*

Resp. *Connexum* negatur: quia similitûdo amoris conciliatrix impediri potest, quo minus effectum producat, quem non impedita solet producere. Est autem impedimentum in allegatis exemplis, quæstus interceptio; ob quam figulum figulus, & faber fabrum odit, quem propter ejusdem artis professionem & vitæ institutum simile alias amaret: Unde, hoc sublato impedimento, magis se invicem amant ὁμότεχνοι, quam alios.

§. 16. Quæritur (8) *An recte Plato affirmet, amorem nasci ex indigentia?*

Resp. *Cicero negativam* amplectitur, putatque minus generosum esse amoris ortum ex indigentia: quia alias lucri causa amaremus & beneficia fœneraremur.

§. 17. Lælius Peregrinus hoc modo *Platonem* & *Ciceronem* conciliat: *Platonis*, inquit, *dictum de amore cupiditatis intelligitur; Ciceronis de amore amicitiæ, quæ utitur honesto.* Nos sine distinctione *Platoni* assentimur. Omnem inter homines amorem oriri ex quadam indigentia arbitramur: non tamen ex quavis, sed, pro amoris diversitate, diversa: ita tamen ut amorem in genere suadeat indigentia: quod hoc modo probamus.

Amicitia inter homines nascitur ex indigentia: Ergo & amor: *Ratio consequentiæ:* Quia amicitia non potest esse sine amore: quæ,

quæ, si amor non est, ut nonnullis videtur; certe principatum in ea ducit amor, qui quasi anima ejus est.

Antecedens probatur: quia expetitur amicitia propter insufficientiam nostram. Nam si ipsi nobis per omnia sufficeremus, utique propter nos nihil extra nos appeteremus, sive ad utilitatem, sive ad jucunditatem, sive ad honestatem pertineret. Stultum enim esset extra nos quærere, quod in nobis jam possideremus. Eum vero, qui amicitiam expetit & ambit, quique desiderio unionis cum alio tenetur extra se aliquid quærere, extra omnem est controversiam. Quod autem expetitur propter insufficientiam, id propter indigentiam expetitur: est enim insufficientia vel ipsa indigentia, vel ab indigentia nunquam sejuncta.

Scaligero amor definitur *affectus unionis*: unde evidens sententiæ nostræ probatio hæc est.

Amorem antecedit separatio vel disjunctio rei amabilis, quæ per amorem demum amanti unitur. Nascitur igitur amor ex defectu unionis. Nam si nihil de novo nobis uniri expeteremus, amor in nobis novus nullus orireturʼ Si ex defectu unionis, utique ex indigentia.

§. 18. Ex *Ciceronis* sententia plane necessaria est amicitia, & consequenter amor quoque: adeo ut amicitia & amore non magis, quam ipso sole, videamur carere posse. Fertur igitur amor in objectum, cujus absentiam moleste ferimus, & sine quo ipsa nobis vita est acerba. Fingi vero absentia illa sine indigentia non potest. Quod enim à nobis abest, & tamen nobis necessarium est, eo indigere merito dicimur.

At enim, inquit Cicero, *Si omnis amicitia vel amor ex indigentia nasceretur, utique omnes lucri causa amarent & amicitiam colerent, & sic beneficia fœnerarentur. Atqui absurdum consequens, Ergo.*

Resp. *Connexum* negatur, si per *lucrum* intelligatur *quæstus utilis*, qui ex fortunæ bonis habetur. Latius enim patet *indigentia*, quam bonorum fortunæ defectus, seu absentia. Nam & animi bonis egemus quæ ab amore & amicitia exspectamus sine spe ullius lucri sordidi.

§. 20. Quæritur (9) *Utrum in amore, quoad intentionem amantis, sit prius, appetitus unionis, an volitio boni?*

Resp. Pro appetitu unionis multi deponunt. Unde *Scaligero* amor formaliter definitur, Exer. 301. sect. 1. *Affectus unionis.* Et videtur ipsum favere græcum etymon: ἔρως enim dictus ἀπὸ τὸ εἴρειν, hoc est, *copulare, nectere*: quia quasi nexus & copula est amantium. Hinc *Augustinus* lib. 8. de Trinit. cap. 10. *Quid est amor*

amor nisi quadam vita duo aliqua copulans vel copulare appetens, amantem scilicet & quod amatur : & *Dionysius*, de divin. nom. cap. 4. ex *Hierotheo*, amorem ait esse *vim quandam conjungentem & miscentem.* Tendit huc quoque *Aristophanis* apologus, de duobus dimidiis jungi denuo affectantibus. Et illud *Horatii* de *Virgilio*, *dimidium animæ meæ. Tullio* ultimum in amicitia est, ut *unus fiat ex pluribus.* Unde *Aristoteles* interrogatus, *quid amicus esset*, respondisse fertur, *esse unam animam duobus corporibus inclusam*, *Sidonius* lib. 9. epist. 5. *duos amicos ait esse duas animas, unum animum. Thomas* 1. 2. q. 28. art. 1. docet amorem fundari in quodam genere unitatis per cognitionem apprehensæ inter amantem & amatum : quia quod amatur amore amicitiæ apprehenditur ut aliquid idem cum amante. Unde colligit *Thomas*, amorem formalissimue consistere in unione affectiva.

§. 21. Contra vero pro *volitione boni* stat *Aristoteles*, cui amare est *velle bonum alicui* : quam definitionem ab omnibus pro formali & quidditativa habitam ait *Raynaudus* : quamvis interim à volitione boni non separetur unio ; imo unionem & volitionem boni realiter & formaliter idem & unum esse contendit *Raynaudus* ; contradicente tamen *Scoto*, in 2. dist. 6. q. 2. Cui volitio boni & unio, duo distincti sunt amoris actus.

§. 22. Sententiam nostram tribus *assertionibus* complectimur.

(1) *Amor propriè dictus, qui est naturæ cognoscentis, non est sine unione & volitione boni.*

Ratio est : quia in amore duplex est respectus : unus ad personam amatam, alter ad bonum, quod amatæ personæ volumus. Quisquis enim vult bonum aliquod, vult etiam alicui personæ, cui bonum conveniens agnoscitur: Unde affectiva unio cum persona amata & volitio boni. Affectamus enim unionem cum persona, cui bonum volumus.

(2) *Unio & volitio boni sunt duo actus distincti.*

Ratio est : Quia unus est prior altero ut assertione tertia probabimus, idem autem se ipso non est prius.

(3) *Volitio boni, quoad intentionem amantis, prior est unione.*

Ratio est : Quia uniri alicui cupimus, ut bonum, quod ei volumus, impertiri possimus : adeoque unio est medium ad boni voliti communicationem. Testatur hoc experientia : Mutuum convictum & præsentiam expetunt amici, ut frui invicem plenius & liberius possint. Hinc *Scotus* ait, volitionem boni & unionem se habere ut intentionem & electionem : quarum illa finis, hæc mediorum est.

§. 23. Putat tamen *Raynaudus*, dist. 3. q. 2. art. 1. n. 135. hoc manifeste falsum esse: idque probat: *Quia intentio & electio sunt revera distincti actus. Atqui volitio boni & unio non sunt duo distincti actus, sed habent se ut amor finis* cui *& finis* cujus gratia: *qui non sunt duo actus ad diversa integra objecta terminati, sed unicus terminatus indivisibiliter ad utrumque amoris objectum, nempe personale & reale, ex ea duplici ratione integratum.*

Resp. Principium petit *Raynaudus* & falsa atque in consequentia miscet: volitio boni & unio non sunt unus, sed duo distincti actus, quorum unus *finem cui*, alter *finem cujus gratia*, hoc est unus personam, alter bonum personæ volitum respicit. Uterque terminatur, non ad objectum unum integrum, sed ad duo partialia unum integrantia: nemo unio ad personam, volitio ad bonum personæ, adeoque hi duo amoris actus distincte, quamvis inseparabiliter, terminantur in persona & bono personæ.

§. 24. Quæritur (10) *An amantes sibi mutuo inhæreant?*

Resp. *Amor*, inquit *Thomas*, *facit amatum in amante esse, & vicissim amantem in amato.* Fit hoc per facultatem *apprehendentem* & *appetentem*. Per facultatem *apprehendentem* amatus est in amante, quia est in apprehensione amantis; unde *Paulus* ait, *se animo tenere Philippenses*, cap. 1. v. 7. Et testem appellat Deum propensi sui in *Philippenses* amoris v. 8. Estque *apprehensio* hæc non superficialis, ut loquuntur, sed intima: qua ad intima amati penetrat amans & in iis cognoscendis se occupat. Per *appetentem* in amante est, quia in apprehenso amato acquiescit amans per amorem sive *concupiscentiæ*, *sive amicitiæ*; dum amati bona sibi vult communicata, vel sua amato. Unde sequitur & amantem esse in amato per utrumque amorem: quod pluribus explicantem vide *Thomam*, prima secundæ, q. 28. art. 2. Breviter: Amatum est in amante, quatenus per complacentiam impressum est in affectu ejus: & amans in amato, quatenus aliquo modo sequitur illud quod est intimum amato. Pertinet huc illud *Augustini*, lib. 4. confess. cap. 6. *Bene quidam dixit de amico suo.* Dimidium animæ meæ. *Nam ego sensi animam meam & amici mei unam fuisse animam duobus in corporibus, propter vim scil. amoris: ideo illo mortuo horrori mihi erat vita: quia nolebam vivere dimidius: sed ideo forte mori metuebam, ne ille totus moreretur.*

§. 25. Objicitur.

Si amans esset in amato, & amatum in amante, idem esset continens

continens & contentum: Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.

Resp. *Assumtio* negatur. Diverso respectu idem potest esse continens & contentum: veluti species continetur in genere, & genus in specie.

§. 28. Ex hac inhæsione & quasi inhabitatione amantis in amato & amati in amante quasi *mors* sequitur amantium, animorumque à corporibus separatio spiritualis & migratio, secundum philosophiam *Platonicam*. Quia, qui amat, animo & cogitatione sua quasi corpus suum deserit, & non tam in se, quam in amato habitat: Unde sibi veluti mortuus amato vivit, suique immemor in amato unice operatur. Unde *Plato* in quendam perdite amantem. *Hic*, inquit, *in proprio corpore mortuus est, vivit in alieno*. Et Cato senior; *animum esse potius, ubi amat, quam ubi animat*. Et *Plautus*: *Nullam mentem animi habeo. Ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus*. Quod si vero mutuus & reciprocus sit amor, ita ut amans redametur, tum in re amata amans quasi reviviscit: Siquidem & hujus animus affectus & cogitatio migrat in amantem & in eo vitæ munia exercet?

§. 27. Quæritur (11) *Cur amor dicatur Musicam docere?*

Resp. Occurrit hoc problema in Sympos. *Plutarchi*, lib. 1. probl. 5. ad quod responsum in convivio apud *Sossium*: Amorem habere vim ad omnia audendum & impellendi ad tentandum res novas. Unde *Plato* dixit, *amorem nihil intentatum relinquere*: facit enim de taciturno loquacem, de verecundo officiosum, de negligente industrium, de socorde impigrum, de sordido & tenaci liberalem. Quidni igitur de ἀμούσῳ quoque Musicum? Sed ad rem propius accedamus. Amor ebrietati similis est, quæ calidos reddit hilares & dissolutos, quales ad cantilenas vocesque mensura contentas maxime efferuntur. Unde *Æschylum* ajunt, cum vino incaluisset, tragœdias scripsisse. Accedit quod amasii libentissime amatores videant, & non minus libenter laudent, quam videant: est enim loquax amor & in laudando verbosissimus. Igitur laudes quando scribit, cantilenis & versibus eas exornat, tanquam auro statuas, ut majori cum delectatione audiantur, & à pluribus memorentur, altiusque in animum penetrent: ut solent numeris exquisite ligata & cantillata verba, quibus uti amatores solent non plane agrestes. Addidit *Sossius* ex *Theophrasto*, tria esse *Musicæ* principia, *dolorem, volu-*

 ptatem

ptatem & *instinctum divinum*: quæ singula vocem ad quandam inflectunt modulationem. *Dolentium* gemitus & ejulationes quasi cantilenæ quædam sunt tristes. *Exultans animi gaudium*, præsertim in levioribus ingeniis, totum corpus exagitat & ad corporis motum saltationemque numeris aptam concitat, vel saltem ad plausum & vocis modulos. *Instinctus divinus* vocem & corpus de consueto statu & modo exturbat, ut videre olim fuit in fatidicis *Sibyllis* & aliis, quibus usitata fuerunt poëmata, seu carmina. Omnia hæc in amore insunt: quem si in aperto explicatum intueri velis, invenies nullam aliam animi perturbationem, vel dolores adferre acriores, vel gaudia vehementiora, vel furores mentisque alienationes majores.

§. 28. Quæritur (12) *An impurus fuerit Socratis amor.*

Resp. De *Socratis amore* multi sunt veteres & recentes Philosophi: Inprimis vero fœdus ipsius amor erga pueros, quam *παιδεραςίαν* Græci appellant, fœde sugillatur & traducitur. Formosorum puerorum in Gymnasiis intuitu impensè gavisus legitur, eosdemque passim studiose consectatus. Unde sermonibus amatoris disputationes *Socratis* apud *Platonem* scatent, imprimis autem *Symposium, Phædrus, Philebus* & *Charmides*: ubi multa de amatoria *Socratis* arte: quæ suspectum reddere *Socratem* haud videri immerito possunt: quo nomine à veteribus quoque synchronis, *Aristophane Anyto* & *Melito* accusatus fuit, quod juventutem corrumperet. His ducti indiciis & argumentis *Græci Latinique* Patres impuri & nefandi amoris *Socratem* accusarunt & damnarunt: inter quos præcipuus est *Theodoretus* in sermonibus contra *Græcos*, maxime vero *serm.* 12. cui accedunt *Nazianzenus* in *Iam. Tertullianus* in Apolog. cap. 46. & in lib. de anim. cap. 1. *Cyrillus Alex.* lib. 1. ad textum. 1. Sic & *Philo* Platonis & Socratis alioquin studiosissimus, in lib. de vita suppl. *Græcorum* perstringit convivia, unum à *Platone*, alterum à *Xenophonte* descriptum: quæ tota impendi ait disputationi de amore, non illo, quo viri in mulieres insaniunt, aut hæ in viros, sed quo viri in masculos, ætate tantum minores.

§. 29. Non tamen desunt, qui pro *Socratis* pugnent innocentia, cum veteres tum recentes Theologi & Philosophi, & olim quoque *σύγχρονοι* ejus discipuli. Inter Ecclesiasticos doctores antiquissimus est *Origines*, qui in prologo Comment. in Cantic. *Socratem* excusat, loco satis opportuno. Si enim è cortice verborum externo judicandum esset, de cantici autore sinistra quoque oboriri suspicio posset, qua etiam gravari à profanis solet. *Origini* assentiuntur è Philosophis priscis *Maximus Tyrius* & *Apuleius*, qui

qui *Socratis* amorem non impurum & nefandum, sed purissimum & innocentissimum esse contendunt, eumque non circa corporis, sed circa animi pulchritudinem & divinitatem occupatum affirmant: de qua tamen è corporum pulchritudine judicaverit. Pulchra sunt *Tyrij* verba, dissert. 11. extrema. *Qui sapit*, inquit, *Statuam videt, laudat in ea artem, non tamen amat statuam. Et plantam, qui videt, laudat in ea fructum, non tamen amat plantam: & in fluvio aquæ tranquillitatem laudat, non tamen amat fluvium. In homine vero cum videt pulchritudinem vivam, mente præditam, virtutis futuræ prænunciam, continuo memoriam suscitat, amatque non illud quod videt, sed quod res est, pulchritudinem longe altiorem. Hæc causa est, cur tam diligenter inspiceret pulchra corpora Socrates, tam cito pulchritudinem animadverteret: Cur nullas, sive in palæstra versaretur sive in Academia oberraret, sive in conviviis comessaretur, eum præterierit. Non secus enim quam venator accuratus per humana corpora in memoriam veræ illius pulchritudinis redibat.* De eodem *Socratis* amore agunt quoque præcedentes *Tyrij* dissertationes, octava, nona, decima. In nona hæc occurrunt verba: *Ut solis exortum fulgor quidam in summitate montium præcedit, quo vehementer delectantur oculi, quia aliud exspectant. Ita animæ splendorem splendor aliquis in extremis corporis partibus præcedit, quo plurimum delectantur Philosophi, quia aliud mox venturum vident.*

§. 30. Inter recentiores *Socratis* causam agunt præter alios *Bessarion, Budæus, Petrus Godofredus, Lælius Peregrinus* & præ aliis *Marsilius Ficinus*, argumento in *Protagoram*; *Socrates*, inquit, *à Diotima fatidica artem amatoriam didicit, per quam sciebat per corporum pulchritudinem, quasi per vestigia quædam, sagaciter venari tum animi, tum mentis angelicæ, Deique pulchritudinem, eandemque artem ubique docebat. De hac ejus arte Plato & sæpe alibi & in Symposio, ac Phædro præcipuè pertractavit*, &c. *Post hæc Socrates dum Hippocratem adolescentem disciplinarum avidissimum artificiosissimè monet, ne temerè cujuslibet se disciplinæ committat, non solum illum, sed & nos commonefacit, ut curam animi longè magis, quàm corporis, habeamus, caveamusque diligenter, ne disciplinis ipsum noxiis imbuamus.* Eundem de amore prolixè disserentem vide comment. in convivium *Platonis* de amore: ubi primum in genere disserit de amore, & postmodum in specie de amore Socratis, Orat. 7. cap. 2. ubi pro puritate amoris *Socratici* asserenda argumenta adducit satis ponderosa. *Maximè*, inquit, *omnium legitimè amasse Socra-*

tes ab omnibus perhibetur. Is cum per omnem vitam palam, sine ulla prorsus dissimulatione, in castris cupidinis militasset, à nullis unquam notatus est, quasi minus honestè quenquam dilexerit. Huic vitæ severitas & alienorum scelerum correptio frequens multos & magnos viros, ut solet veritas, infensos reddiderat, Anytum, Melitum, Lyconem præsertim, cives in republ. potentissimos, Thrasimachum, Polium & Calliam, oratores: Aristophanem præterea Comicum, acerrimum habuit insectatorem. Sed neque cives illi in accusatione, qua Socratem in judicium traxere, inhonestos amores inscripserunt: neque oratores ejus hostes tale quicquam Socrati objecere: neque Aristophanes Comicus, licet alia multa & absurda in Dionysiis colligat in Socratem maledicta. An censetis eum, si tam fœda se labe inquinasset, imo nisi fuisset ab hujus criminis suspicione remotissimus, venenosas talium detractorum linguas evasurum fuisse. Excerpta hæc sunt à *Ficino* ex *Tyrii* dissert. 8. qui sequenti diss. 9. pro eodem *Socrate* egregia multa profert. *Amare se*, inquit, *profitebatur Socrates & amare quidem omnes: currebat etiam cum aliis, sequebatur formosos, rivales suos prævertebat, omnesque carnificum præcidebat conatus. Nam & laboris erat patientior, & amoris peritior, & ad capiendum dexterior. Nec sine causâ. Aliis enim amor libidinis nomen erat, quod in mediis, sine certa sede, errat voluptatibus, cujus fons & origo est flos corporis, qui oculos intrat, ex oculis in animum dilabitur. Prima enim via, qua pulchritudo se insinuat, sunt oculi. At vero amor Socratis diligentia studioque consequendi similis erat reliquis, libidine differebat. Si voluptatem spectes, temperantior, si virtutem, solertior: cujus fons & origo erat pulchritudo animi, quæ è corpore elucebat:* Et paulo post: *Pulchrum corpus aliter sequitur Socrates, aliter Clisthenes. Socrates enim ut virtutis, ut voluptatis amator Clisthenes. Cum ergo audies amare Philosophum, audies amare hominem improbum, cave utrumque eodem dicas nomine; quia alter in libidinem fertur, alter pulchritudinem amat. Alter invitus æger est, alter amat libenter: Alter bona illius spectat, quem amat, alter cum pernicie amat utriusque: illius amoris virtus, hujus opus est voluptas. Illius amoris finis est amicitia, hujus simultas, & inimicitia. Ille amor gratuitus, hic mercenarius est: Ille encomio, hic vituperio dignus est: Ille Græcus, hic Barbarus est: Ille virilis, hic effœminatus est. Ille stat, hic volat, nec unquam diuturnus est. Qui illo amore captus est. Deo charus, charus legi, plenus pudoris, plenus libertatis est*, &c. Similia vide apud *Apuleium* in Apologia.

§. 31. Laudat *Theodoretus* serm. 4. *Xenophontis* de *Socrate* testi-

testimonium, quod nullus unquam impii scelestique quicquam vel facientem viderit *Socratem*, vel loquentem audiverit. Ubi *Xenophontem* & *Socratem* Græcorum optimos appellat: Magno consensu apud veteres *Socratis* prædicatur pietas, justitia, constantia, temperantia & circa morum disciplinam severitas: quæ omnia ficta & falsa sint necesse est, si impurissimi & nefandi amoris reus fuit *Socrates*. Cùm hoc enim amore minime consistit pietas, justitia, temperantia, constantia, severitas, &c. Unde *Xenophon* memorab. lib. 1. *Hoc quoque mirum mihi videtur persuaderi quosdam potuisse quod Socrates adolescentulos corrumperet, qui præter ea, quæ dicta sunt, primo rerum venerearum & gulæ supra omnes homines continentissimus erat: deinde hyemis, æstatis, laborumque omnium tolerantissimus, atque etiam sic ad frugalitatem institutus, ut cum valde modicum possideret, facilime contentus esset iis, quæ habebat. Quo igitur pacto cum talis esset ipse, reddidit alios vel impios, vel legum violatores, vel luxuriosos, vel in rebus venereis incontinentes, vel molles ad perferendos labores,* &c. Vide & *Tyrium* dissert. 8. *Clemens* Alexand. Strom. 2. *Socratis* præceptum laudat: *Quicquid persuadet aut ut edamus, quum non esurimus, aut bibamus, cum nondum sitimus, aut adspectus & osculationem formosorum; ita cave, tanquam acrius venenum immittant, atque scorpij & araneæ.*

§. 32. Putat *Raynaudus* Platonicorum pro *Socrate* apologias esse vanas & augere suspicionem: quod cordato *Jesuita* vix persuaserit. *Xenophontis* hac in parte testimonium pluris faciendum, quam *Theodoreti* aut *Philonis*. qui longe recentiores sunt *Xenophonte*, quem auditorem olim & discipulum *Socrates* habuit, virum nobilissimum & integerrimum. Magnum quoque hoc argumentum, quod crimen hoc acerrimi *Socratis* hostes nunquam & nuspiam ipsi exprobrarint.

Putat *Raynaudus* exprobrasse, quando juventutis corruptorem criminati sunt: non enim hoc ipsi crimen impingi potuisse. si laudabili zelo, ut *Tyrius* docet, formosos adolescentes affectatus fuisset: sed frivola hæc est conjectura; quia non minus facile fuit calumniatoribus criminationis ansam aliunde arripere, quam ex amore & affectatione formosorum juvenum.

Itaque facile assentior *Zwingero*, theat. volum. 7. lib. 3. ubi ait, *improbos homines, ut suis libidinibus patrocinarentur, gravissimis viris, Socrati & Platoni notam hanc inurere non dubitasse; & plus debere apud cordatos sanctissimi Philosophi autoritatē, quam impudentes Grammatici, Athenæi, calumnias valere*: lib. 8. leg. ita *Plato* scribit: *Abstinendum à maribus censeo. Nam*

 qui

qui istis utuntur genus hominum interficiunt, in lapidem seminantes, ubi radices agere, quod seritur, nunquam potest.

§. 33. Quæritur (13) *An ex inordinato sui amore omnia voluntatis fluant vitia.*

Resp. Ut amor sui ordinatus & amori Dei subordinatus fons est omnium virtutum: Qui enim se ipsum ordinate amat, optima quæque sibi vult. At virtute nihil melius velle sibi potest. Ita amor sui inordinatus & amori Dei antepositus, recte appellatur fons & origo omnis vitii. Blandiuntur enim appetitui vitia: unde tanto avidius appetuntur, quanto ex inordinato sui amore plus sibi indulget homo, minusque ægre sibi facere in frænando appetitu sustinet. Unde *Augustinus*, de C. D. lib. 14. cap. 23. ait, *amorem sui usque ad contemtum Dei facere civitatem Babylonis.* Atqui per quodlibet peccatum homo pertinet ad civitatem Babylonis. Omnia igitur peccata ex amore sui Deum contemnente fluunt.

§. 34. Pro negativa objicitur:

(1) *Concupiscentia est fons omnium aliorum peccatorum, seu vitiorum moralium. Ergo inordinatus amor sui non est.* Ratio conseq. *quia distincta est ab amore concupiscentia: ut probat Thomas*, 1. 2. q. 30. art. 2. *concupiscentia fertur in bonum delectabile sub ratione absentis: amor in idem sub ratione præsentis, maximè verò amor sui.*

Resp. *Antecedens* de fonte omnium peccatorum, ipso etiam inordinato sui amore incluso, negatur. *Concupiscentia*, quatenus absentium est, prior est amor sui, per quam alia concupiscimus & tanquam bona nobis volumus. Ipsius igitur *concupiscentiæ* quoque causa est amor sui. *Thom.* 1. 2. q. 77. art. 4.

§. 35. (2) *Omne peccatum oritur vel ex amore male inflammante, vel ex timore male humilitante*, *teste* August. in psal. 79. *Ergo amor sui non est simpliciter omnis vitij causa: Siquidem ad duos fontes peccata reducit Augustinus, amorem & timorem.*

Resp. Negatur *consequentia*. *Probatio* est inconsequens: quia & ea peccata, quæ fluunt ex timore male humiliante reducuntur quoque amorem sui, ex quo fluit timor malè humilians. Siquidē propter amorem sui homo & bona appetit & mala fugit.

§. 36. (3) *Homo peccat sæpe propter inordinatum amorem proximi: Ergo non semper propter amorem sui.* Antecedens in confesso est. *Sæpe enim à nobis læditur, qui proximum nobis amatum læsit.*

Resp. Negatur *consequentia*: Quia amor proximi fluit quoque

que ex amore nostri: quando proximum tanquam bonum nobis expetimus: adeoque, quia nos amamus, odimus eum, qui proximum, tanquam bonum nostrum, læsit.

§. 37. Quæritur (14) *Quænam amoris, inprimis libidinosi sint effecta?*

Resp. Elegantibus versiculis *Plautus* ea persequitur: Mercat. Act. 1. Scen. 1.

Amorem hæc cuncta vitia sectari solent:
Cura, ægritudo, nimia elegantia.
Hæc non illum modò, qui amat, sed quicunque attigit,
Magno atque solido multat infortunio.
Nec, pol, profecto quisquam sine grandi malo,
Præ quam res patitur, studuit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Insomnia, ærumna, error terror & fuga,
Ineptia, stultitiaque adeo & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas & malevolentia,
Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria,
Inopia, contumelia & dispendium,
Multiloquium, pauciloquium.

In eandem sententiam *Terentius*, Eunuch. Act. 1. s. 1.

Here, quæ res in se neque consilium, neque modum,
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia in sunt vitia: injuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum. Incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.

Hæc penè ad verbum transtulit *Horatius*, lib. 2. Sat. 3.

----- *O here, quæ res*
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque,
Tractari non vult. In amore hæc sunt mala, bellum,
Pax rursum. Hæc si quis tempestatis propè ritu
Mobilia & cæca fluitantia sorte labores
Reddere certa: sibi nihilo plus explicat, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.

Laudat eundem locum *Cicero*, lib. 4. Tusc. quæst.

Inter effecta amoris in specie à Philosophis numerantur *corporis macies, tabes, insomnia, suspiria, melancholia* & *ecstasis*, quorum rationes non sunt obscuræ. Cum enim ob perpetuam cordis dilatationem & evacuationem magna spirituum copia ex corde

 diffunda-

diffundatur & partibus aliis exhaustam cor pro necessitate haud succurrat, influxu ejus vitali destitutæ macie atque tabe necessario attenuantur. Cumque propter validam & assiduam rei amatæ cogitationem multi consumantur spiritus, ipsa quoque congrua alimentorum coctio impeditur: unde major cibi pars tanquam cruda & superflua ejicitur: reliqua & ipsa male elaborata ad nutritionem minus est apta: unde necessario tabes & macies. Accedunt multæ vigiliæ, irrequieti somni, continua insomnia, quæ fortis & perpetua rei immodice amatæ cogitatio & imaginatio excitat & fovet: quibus coctio quoque & nutritio impeditur, totumque corpus enervatur. De amantium suspiriis vide *Alexand. Aphrodis.* lib.1 probl.q.21. Melancholiam excipit nimia spirituum profusio & sanguinis, propter cruditatem, corruptio. Unde, purissimis absumtis spiritibus, sanguis reliquus ater crassusque similibus vaporibus cerebrum opplet, tetrasque imaginationes, deliria & mœrores provocat. Unde *Rhasis* medicus amorem morbo melancholico proximum statuit. Melancholiam quandoque *ecstasis* suique oblivio excipit: quamvis aliæ quoque ejus sint causæ. Videatur Suares, 2. de orat. cap. 14. & seqq. Libidinosi amoris effecta duobus versiculis complectitur *Drexelius:*

Corpus, opes, Animam, Ingenium, Famam, virtutes,
Debilitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert.

Quæ prolixè persequitur, *Niceta* lib. 1. cap. 10. 11. 12.

§. 38. Quæritur (15) *Quæ amoris hujus sint remedia?*

Resp. *Omnes humanos sanat Medicina dolores:*
Solus amor morbi non amat artificem.

Exclamat *Propertius*, lib. 2. Eleg. 1. Interim tamen non desunt remedia: inter quæ.

(1) *Crebra ad Deum precatio pro obtinendo castitatis dono.*

(2) *Fuga otii:* Namque *Otia si tollas periere Cupidinis arcus.*
Cedit amor rebus, res age tutus eris.

Otiosus, inquit Seneca, *non sibi vivit, sed, quod turpissimum est, ventri, somno, libidini.*

(3) *Temperantia in cibo & potu:* Ut enim omnium vitiorum nutricula est intemperantia, sic vel maximè amoris impuri. *Ex uno gulæ vitio*, inquit *Gregorius*, *innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. Unum quidem gulæ vitium est, sed aculei libidinis innumeri, qui præcedentem illum quasi regem sequuntur: qui læta quidem suggerunt, sed ad æterni fletus lamenta perducunt.*

(4) *Crebra de vitio vel deformitate, quæ in re amata occurrit,*

currit, cogitatio; quæ facit ut tandem vilescat res amata: Item cogitatio incommodorum, quæ secum trahit impurus amor: de quibus paulo ante.

(5) *Assidua bonorum librorum lectio & liberalium studiorum tractatio;*

(6) *Remedij, ad primum mali hujus sensum, maturatio.*

Notum illud *Ovidij*.

Principiis obsta &c. Et:

Dum novus est cœpto potius pugnemus amori.
Flamma recens parva sparsa recedit aqua.

Spectat huc illud *Senecæ* lib. 3. de ira, cap. 10. *virgulta revellere, fontes obstruere, scintillas extinguere, facillimum: sed arbores eruere, flumina sistere, incendia opprimere, per quam laboriosum.*

(7) *Occasionum fuga.* Sunt autem inter occasiones: oculi vagi ad objecta illicita se convertentes, impudici sermones, conversatio cum libidinosis, picturarum vel imaginum impudicarum contemplatio, librorum amatoriorum lectio. Siquidem *obscœnus scriptor omnium horarum leno est.* Unde tantopere dissuadet *Lipsius* Principibus & aulicis lectionem *Amadei*, quem appellat *ingeniosi nugatoris prolem, pestilentem librum, natum blande inficere aut interficere juventutem.* Nusquam obscœni libri tutiore sunt loco, quam cum in igne sunt. Hanc occasionum fugam olim præceptis & exemplis suaserunt casti, in Ecclesia & extra eam, viri, Job. 31. v. 1. *Fœdus pepigeram cum oculis meis: & quid advertissem animum ad virginem?* Ecclesiastici 9. v. 3. *Ne occurras mulieri meretoriæ, ne quando incidas in laqueos ejus:* & vers. 4. *Cum psaltria ne sis assiduus, ne quando capiaris institutis illius:* & vers. 7. *Ne circumspicias meretricem per vicos civitatis, etiam in solitariis viis ejus ne erres:* & vers. 8. *Averte oculum à muliere formosa, neque studeas habere notam pulchritudinem alienam:* & vers. 9. *Nam pulchritudine mulieris multi seducti sunt, & ab ea tanquam ignis amor accenditur,* &c.

Dignum est observatu dysthichon.

Quid facies, facies veneris cum veneris ante?
Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

Romæ in sacis *Bonæ Deæ* ne pictum quidem marem adspicere fas, erat, & quicquid erat masculum, domo ejiciebatur *Plutarch. Spartæ* & in *Delo* canis in templum non admittebatur, propter libidinem animalis, neque fas erat, sacerdoti canem nominare. De omnibus hisce occasionibus earumque fuga copiose & eleganter disserentem vide *Drexelium* in *Niceta*, duobus libris: quorum

quorum unus *invitamenta incontinentiæ*; alter ejusdem ***antidota*** persequitur.

8. *Cogitatio Dei ubique præsentis & omnia videntis*. Efficacissimum hoc est adversus impuri amoris actus remedium: quod inter universalia contra affectus immodicos remedia supra quoque numeravimus: heic vero dignum, quod denuo inculcetur. Unicus & acerrimus ad omne flagitium stimulus est, *credere non se videri*. Unde via ad inferos rectissima est ita vivere, tanquam si nullius oculo notetur, à nemine videatur. Stultissimi hominum oculos verentur mortalium, quibus varia objici possunt impedimenta cum interna, tum externa: & præsentissimi Dei non verentur oculos! quibus *omnia sunt nuda & patentia*, Heb. 4. v. 13. *qui aperti spectant in omnes vias hominum, ut det cuique secundum vias ipsius, & secundum fructum actionum ipsius*, Ierem. 32. v. 19. Hic sol est ille, de quo *Homerus*, ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει: Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, inquit idem: *cernit Deus omnia vindex*. Perditæ libidinis meretricem *Thaidem*, non *Alexandrinam* illam à poëtis, amorum doctoribus, nobilitatam, sed recentiorem aliam, hoc argumento olim sanavit & ex orci faucibus quasi extraxit *Paphnutius*, Episcopus. Hic militem indutus *Thaidem* adit & adventorum unum se simulat, locique secretum stipulatus, quod nollet à quoquam videri, inducitur in cubiculum: negat satis arcanum esse locum. Inde in aliud interius ab illa ducitur: eandem objicit moram. Tandem in intimum penetrale domus perducitur: ubi personatus miles huc illuc circumspiciens. Quæso te, inquit, *num hic securi sumus & sine omni arbitrio atque inspectore? Quid dubitas*, inquit illa; *hic nemo nos audiet, videbit nemo, nisi Deus aut diabolus*. Vocem hanc excepit *Paphnutius* opportunam, &, tanquam ad eam exhorruisset, quærit. *Credisne Deum? Credo*, inquit illa. Quærit amplius: Etiamne credis eum ubique præsentem, omnia cernentem? *Et hoc credo*, ait illa: subdit Paphnutius. *Annon improbis decrevit ignes æternos? Ita*, inquit illa. Mox ille iterum. *Ergo* ait, *hæc credimus & tamen in oculis justissimi judicis omnia spectantis tam turpiter peccemus? Et quid tu temeraria, impia, salutis æternæ prodiga, hoc unum laboras, ut una tecum tot alii æternum pereant? Tantine est corporis spurcissima voluptas? An duos illos, Deum & diabolum, non vereris? Judicem illum, hunc accusatorem non times? Annon Deus videt & vindicat omnia?* Hoc ista mulier verbo altum ingemiscere, excusationis nihil reperire, sordes suas erubescere: jamque & oculi lacrymas parturire: ipsa denique in genua procumbens pœnitentiam & emendationem

tionem promittere. Dixit & fecit. Non enim multo post omnem muliebrem mundum, libidinis suæ instrumentum, combussit & in virginum cœnobium transiit & arctissimo clausa habitaculo non nisi fonte & pane vixit. Dei nomen pronunciare non ausa, unum hoc assidue repetiit: *Tu, qui creasti me, miserere mei.* Triennio sic acto, simul & isto & corporis carcere absoluta in meliorem orbem migravit. Ad hoc igitur remedium recte adscripseris, *probatum est. Volaterran.* lib. 20.

(9) *Consideratio novenorum æternitatis suppliciorum.* Sunt ea 1. Tenebræ adspectum Dei auferentes. 2. Fletus stridorque dentium. 3. Fames & sitis incredibilis. 4. Fætor intolerabilis. 5. Ignis inextinguibilis. 6. Laniena conscientiæ miserabilis. 7. Locus & societas detestabilis. 8. Desperatio extrema bonorum omnium. 9. Æternitas nullius intelligentia comprehensibilis. De singulis hisce copiose differentem vide *Drexelium*, Nicet. lib. 2. cap. 11. Probe observanda Æternitatis repræsentatio. *Cogita mille cubos mille millionum annornm, hoc est, millies, millies, millies, millies, millies, millies, millies, millies millena millia annorum. Cogita ergo tot annos in igne transigendos: simul tamen etiam cogita, hoc omne temporis spatium, etsi duplicatum, triplicatum, etsi centuplicatum, &c. ne principium quidem esse Æternitatis.* O Æternitas inter intolerabilia omnia intolerabilissimum! Inter formidabilia omnia formidabilissimum! Et sunt qui tam brevi & momentanea voluptate in hanc suppliciorum æternitatem præcipites se dare non vereantur!

§. 39. Distinguunt nonnulli amoris remedia in *moralia*, *naturalia*, & *violenta*.

Moralia hactenus attigimus.

In *naturalibus* numerantur à scriptoribus *Ruta*, quæ per insitam siccitatem reprimere libidinem creditur; *Plutarch.* lib. 3. Sympos. q. 1. & Ovid. lib. 2. de remed.

Utilius sumas acuentes lumina rutas,
Et quicquid Veneri corpora nostra negat.

Lactuca: propter insitum frigus: quod poëtæ videntur indigitare, quando mortuum *Adonim* inter lactucas à *Venere* depositum narrant: vide *Comit. Natal.*

Cicuta: cujus sorbitione apud *Athenienses* olim *Cereris* sacerdotes mederi huic malo conabantur.

Violenta sunt varia: *Origenes* & sacerdotes *Matris Deorum* Eunuchos se fecerunt. *Fulgos.* lib. 4. cap. 3. *Alex.* ab *Alex.* lib. 4. cap. 17. Fuerunt quoque, qui se flagris distringerent, nuda corpora sentibus injicerent, oculos eruerent, linguas præmorderent,

derent, aquis se mergerent, cilicium & vestimenta asperiora induerent.

VI.

Amori adversatur odium, quod affectus est, quo quis aversatur & à se abjungi cupit quod malum sibi esse judicat.

Ἔκθεσις.

§. 1. ORitur ergo odium ex judicio mali: Ea enim mali est natura, ut ab omnibus fugiatur. Malum autem hîc intelligitur, quod vel vere malum est, vel tale tantum videtur. In odii affectu cor contrahitur, spiritibus ad centrum quasi convocatis, & ab eo, quod exosum est, fugientibus.

§. 2. Quæritur (1) *An omne odium ex amore oriatur?*

Resp. *Affirmativam* defendimus hac ratione.

Nihil habetur odio, nisi quod adversatur bono convenienti, quod ante amabatur. Ergo omne odium oritur ex antegresso amore.

Antecedens probatur: Quia ut amor consistit in quadam convenientia amantis & amati: ita odium in repugnantia subjecti sui & objecti. Atqui prius est, quod subjecto convenit, quam qnod repugnat: Siquidem repugnat, quia ejus, quod convenit, est destructivum; unde necessario amor convenientis est prior odio repugnantis, & hoc ex illo oritur. Quia causam odii non habet, qui bono, quod amat, nihil contrarium habet. Hinc ut omnes affectus, ita & odium ex amore nasci docet *Augustinus*, de Civit. D. lib. 14. cap. 7. & 9. vide *Thomam* 1. 2. q. 43. art. 1.

§. 3. Objicitur in contrarium.

(1) *Amor & odium natura simul sunt*: *Ergo amor non est* causa *odii*: Antecedens prob. *quia sunt contraria, & ex opposito dividuntur. At, quæ ex opposito dividuntur, natura simul sunt: ut docetur in post prædicam.* cap. de simult.

Resp. *Antecedens* negatur: *Probatio* inconsequens est: canon ex *postprædicamentis* allegatus universaliter verus non est. Potest esse amor sine odio; odium sine amore non potest esse: quia ex amore nascitur. Substantia & accidens ex opposito dividuntur, quæ tamen natura simul non sunt. Imo etiam contrariorum uno actu posito, non necesse est simul alterum actu poni.

§. 4. (2) *Amor & odium sunt contraria: Ergo unum non est causa alterius.* Resp.

Resp. Amor & odium sunt contraria, quando versantur circa idem: quando autem sunt circa contraria, non sunt contraria, sed consentanea se invicem consequentia: Eo ipso enim, quo amatur aliquid, contrarium ejus odio habetur. Unde amor rei unius est causa, quod contrarium ejus odio habeatur.

§. 5. (3) *Odium est prius amore: Ergo non est effectus amoris.* Antecedens prabatur. *Quia odium infert recessum à malo, amor vero accessum ad bonum.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* est inconsequens: non enim recessus à malo quocunque respectu prior est accessu ad bonum. In executione quidem prius receditur ab uno termino, quàm ad alterum acceditur: Sed in intentione prior est accessus ad unum, quam recessus ab altero: quia receditur ab uno, ut accedatur ad alterum terminum. Et sic à malo receditur, ut ad bonum accedatur: adeoque accessus ad bonum est causa recedendi à malo.

Quæritur (2) *An odium sit fortius amore?*

Resp. *Negativa* defenditur: *Ratio* est: quia odium nascitur ex amore: Atqui impossibile est, inquit *Thomas*, effectum sua causa fortiorem esse,

Accedit & hæc *ratio*: Per amorem movemur in finem, per odium in ea, quæ sunt ad finem: recedimus enim à malo, ut accedamus ad bonum: Ergo amor est fortior otio: *Ratio consequentiæ:* Quia fortius aliquid movetur in finem, quam in ea, quæ sunt ad finem.

Invictum amoris robur prædicat *Oppianus*, lib. 2. de Venat.

Ὄμβριμ' ἔρως πόσος ἐσσὶ; πόση σέθεν ἄπλετος ἀλκή;
Πόσσα νοεῖς, πόσα κοιρανέεις, πόσα, δαῖμον, ἀθύρεις;
Γαῖα πέλει σταθερὴ, βελέεσι δὲ σοῖσι δονεῖται.
Ἄστατος ἔπλετο πόντος, ἀτὰρ σύγε καὶ τὸν ἔπηξας.
Ἤλυθες εἰς αἰθῆρ, οἶδεν δὲ σε μακρὸς ὄλυμπος.
Δειμαίνει δέ σε πάντα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε
γαίης ὅσσα τ' ἔνερθε, &c.

§ 7. Objicitur in contrarium.

(1) *Amor vincitur ab odio: Ergo odium fortius est amore:* Anteced. prob. *Quia amor quandoque convertitur in odium.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & absolutè verum non est: Non amor tantum vincitur ab odio, sed & odium sæpe vincitur ab amore, quando convertitur in amorem. Deinde amor non vincitur ab odio, nisi auxilio majoris alicujus amoris. Ejus enim, quod magis amamus, læsio facta ab eo, quod minus amamus, in odium mutat minorem amorem.

§. 8. (2)

§. 8. (2) *Majori nisu homo repellit odiosa, quam prosequitur amata: Ergo fortius est odium, quàm amor.* Anteced. prob. *Quia etiam bestiæ propter verbera à delectabilibus abstinent.* August. in lib. 83. quæst.

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est: testatur enim experientia hominem etiam per præsentissima discrimina sæpe prosequi amata vehementius, quam repellere odiosa: *Probatio* inconsequens est: quia affectus amoris in homine vehementior est, quam in bestia. Conferenda sunt maxime amata cum maxime exosis, idque respectu hominum potius quam bestiarum.

§. 9. Quæritur (3) *An cum omni odio conjuncta sit offensio?*

Resp. Odium à *Vive* definitur, *offensio radicata.*

Definitio displicet *Scaligero*, Exerc. 316. Rationem reddit.

Quia purus animus illico mendacem odit: Quod vero radicatum est, ex tempore non nascitur.

Nobis non videtur ab odio abesse omnis offensio: Est enim contrarium amori odium. Ut igitur cum amore conjunctum offensionis contrarium, ita ab odio non videtur, aliena esse offensio. Et quæ causa tandem odio rem habendi, qua nihil occurrat, quod merito averseris, quod nulla offensione animum & affectum alienet. Quod contra raticationem disputat *Scaliger*, non adeo *Vivem* urget. Odium, quo purus animus mendacem illico prosequitur, non natum est ex tempore: Odit enim purus animus mendacium etiam ante, quam hanc vel illum mentiri novit: ad quem postmodum applicat odium, quod adversus mendacium ex lege Dei vel naturæ gessit ante.

§. 10. Sed contra offensionem instat *Scaliger*: *Quot contemnuntur nobiles, docti, fortes, pii viri, quibus maxima semper cura fuit etiam minimam cujusque mortalium vitare offensionem?*

Resp. Nulla est *sequela:* Possunt enim inscii offendere, qui ne offenderent, maximopere semper laborarunt. Offendunt improbos, etiam quæ minime debebant offendere: Unde odium in innocentes concipiunt.

§. 11. Porro instat: *Non offendit me iniquus judex, quem tamen odi, ut meritus est.*

Resp. Neque hoc odium est absque offensione. Etiamsi enim me forte non offendit iniquus judex sententiam contra me iniquam ferendo: tamen in alium ferendo me offendit: veluti injuria offendit, etsi non nobis, sed proximo tantum est illata.

Videtur tamen sibi ipsi contrarius *Scaliger:* Qui enim paulo ante contra *Vivem* negavit ex offensione nasci odium, mox ex offensione odium esse affirmat, etsi non semper. Nos ut *Scaligero* contra

contra *Vivem*, concedimus: odium non esse offensionem, sed ex offensione.

Ita *Vivi* contra *Scaligerum* concedimus: odium nunquam ab omni offensione adjunctum esse: etsi ad odium forte necessario nec requiritur offensio radicata, seu inveterata.

§. 12. Quæritur (4) *An odium sit ira inveterata?*

Resp. *Melanchthon* definit odium *iram inveteratam*, objicit *Scaliger*, *nec iram recte appellari*, *nec inveteratam. Non iram*: Quia sine ira ulla in odio sunt bonis ac divinis viris *Tartarei Cleones. Non inveteratam*: Quia perspecta eorum immanitate, è vestigio odimus, non autem semper ex vetustis offensionibus.

Nos etsi genus odii iram non esse, *Scaligero* facile damus: tamen non sine ira odium nobis videtur esse: quia nunquam sine offensione est: vix autem est ut offensio absque ira sit. Ab offensione videtur esse ira, vel gradus quidam ejus, ab ira odium: quod ubi consedit non nihil ira, tamen adhuc durat & stimulat animum, ut subinde recrudescat ira: quæ, durante odio, vix unquam penitus est exstirpata.

Inveteratam vero iram non esse odium hactenus *Scaligero* largimur, ob rationem allegatam: quia iram etiam non inveteratam excipit odium. Interim ab ira odium esse vero consonum nobis videtur.

Utitur & hoc argumento contra *Melanchthonem Scaliger. Ira Aristotelis est in appetitu irascibili, odium in concupiscibili: odium igitur ira non est.*

Agnoscimus à *Melanchthone* affectus confundi distinctos. Interim nihil obstat, quo minus, stante etiam distinctione illa appetitus, ab ira odium esse possit: quia necessarium non est, ut causa & effectus in eodem sint appetitu: Contingit enim hoc in aliis quoque affectuum speciebus, quarum una alteram excitat, etiamsi appetitu sunt disclusi. Sic amor sæpe iram suscitat, quando lædi rem amatam videmus.

§. 14. Quæritur (5) *An iræ & odii differentiæ sex rectè constituantur à Lælio Peregrino?*

Resp. Iræ & odii differentiæ à *Peregrino* assignatæ sunt. (1) *Ira* existit ab injuria nobis vel nostris illata: *odium* à detrimento accepto. (2) *Ira* concitatur, si quid in nos aut nostros pravè admittitur, *odium* ob illa etiam, quæ à nobis longe sunt remota; qua ratione omnem improbitatem odimus quocunque loco existentem. (3) *Ira* nascitur ex factis singularibus, & tendit in hunc vel illum; *odium* ad universa quoque tendit, ad hoc vel illud genus hominum. (4) *Ira* non facile admittit rationem, ob doloris

vehementiam; *odium* magis utitur ratione, quia potest esse a
que magno dolore. (5) *Ira* tempore sanatur facilius: *odium*
letur difficilius, imo quandoque à natura insitum est insanab
(6) *Ira* studet afferre dolorem potius, quam damnum: *odium*
mnum potius, quam dolorem.

§. 15. Differentias hasce non adeò accuratas & evidentes
arbitramur.

Prima differentia non est perpetua: Tam à detrimento, qu
ab injuria est ira: uti & odium tam ab injuria, quam à detrim
to, præsertim sæpius allato.

Altera quoque est lubrica: nam & absentibus longeque ren
tis irascimur, quos tamen illico semper non odimus: Etiamsi en
omne odium procedit ex quadam offensione & indignatione,
men non omnis offensio & indignatio post se relinquit odium.

Tertia & ipsa non est accuratior: Nunquam universa odim
nisi prius ab universis aliquo modo offensi simus, iisque indig
mur. Unde & *ira* aliquo modo tendit in universa. Dicitur tam
in universa *odium* tendere, quia in singula fertur individua, qua
docunque occurrunt: quod & ira facit.

Reliquæ *tres differentiæ* videntur rectius constitutæ: quib
quartam addimus: quod *odium* fere sit occultius, ira vero *ap*
tior. Et *quintam*; quod ira magis lædat violentia sua subjectu
quam odium: Et *sextam*, quod odium tam repente non obor
tur, quam ira: Et *septimam*, quod omne odium ex antegre
oriatur ira vel offensione, sive leviore, sive graviore.

§. 16. Quæritur (6) *An odij objectum & causa sit malum?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur, ob sequentes rationes.

(1) Odium contrarium est amori: Ergo objectum & cau
odii est malum: Ratio conseq. quia amoris causa & objectum e
bonum: Atqui contrariorum causæ sunt contrariæ.

(2) Odii objectum repugnat appetitui: Ergo malum e
Antecedens prob: quia apprehenditur sub ratione inconvenie
tis & repugnantis; unde appetitus id aversatur. *Ratio Cons*
quentiæ: Quia quicquid appetitui repugnat, quatenus repugna
mali rationem habet.

Objicitur in contrarium.

§. 17. (1) *Si objectum odij malum esset, nulla res odio hab*
retur. Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens. Conne
ratio est: Quia malum non est res, sed tantum defectus rei. A
sumtio prob: Quia homo hominem odit &c.

Resp. *Connexum* negatur. *Probatio* est inconsequens. Etian
si enim malum in *abstracto* sumtum per se non est res, sed tantu
defect

defectus rei, tamen idem in concreto sumtum, quod *materiale* & *formale* mali complectitur, est quoque res defectu laborans: unde homines quoque & Angeli dicuntur mali, propter inhærentem malitiam, seu bonitatis privationem. Malum non destruit totam boni naturam: quia non est nisi in bono.

§. 18. (2) *Si odii objectum esset tantum malum, sequeretur omne odium esse laudabile: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.* Connexi ratio est: *Quia odisse malum est laudabile.* Assumtio *manifesta & extra controversiam est: Est enim odium Dei & proximi omnibus modis damnabile.*

Resp. Odii objectum tantum est malum: quia nihil habetur odio, nisi sub ratione mali: Est autem malum vel *vere malum*, vel *per errorem judicii, apparenter duntaxat malum.* Qua præmissa distinctione *connexi consequentiam* negamus.

Ratio simpliciter vera non est: Laudabile est odisse malum, quod vere est malum & odio dignum: Contra vero culpabile est odisse, quod per errorem judicii est malum, per se autem vere bonum & amore dignum. Eodem modo bonum quoque vere aut apparenter tantum est bonum: adeoque ut non omne odium mali est bonum, sic nec omnis amor boni est bonus.

§. 19. Quæritur (7) *An etiam aliquid odio haberi possit in universali?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur cum *Aristotele.* 2. Rhet. ubi iram ab odio distinguens, affirmat, *iram versari circa singularia, odium vero etiam ad genera dirigi;* veritatem ejus comprobat experientia: Qui enim virtutes sincere colunt, in genere oderunt omnia vitiorum mancipia, qua talia. Sic & naturale odium & ἀντιπάθεια in multis est brutis, in ove adversus totum genus luporum: in pullis gallinarum & gallinis adversus naturam milvorum: in aliis aviculis adversus omnes noctuas, &c.

§. 20. Excipitur (1) *Odium est passio appetitus sensitivi orta ex apprehensione sensibili: Ergo non tendit in universale:* Ratio consequentiæ: *Quia sensus non possunt apprehendere universalia: Unde sensus dicitur tantum singularium esse: Quæ sentiuntur, existunt: quæ existunt, eo ipso, quo existunt, sunt singularia.*

Resp. 1. *Antecedens* non datur, nisi de *odio acquisito*: de naturali negatur: hoc enim primo non oritur ex apprehensione sensibili, sed ex ἀντιπαθείᾳ per naturam implantata tendente in universale: quamvis non nisi occasione & apprehensione alicujus singularis in actum erumpat. Hinc brutis à natura plerique credunt impressam esse speciem objecti ἀντιπαθείας in genere, exempli gratia, lupi, milvi, non in individuo hujus vel illius lupi, mil-

pi, milvi, &c. etiamsi per occursum hujus vel illius individ[u] *ἀντιπάθεια* actu sese exerit.

2. *Consequentia* quoque simpliciter non datur, ex parte hom[i]nis universalia abstrahentis à singularibus sensu pereeptis, ipso[...] etiam affectus per rationem gubernantis, adeoque & odium in u[ni]versale dirigentis. Hinc est quod sobrius ebrietatem oderit in u[ni]niversum, etiamsi species per abstractionem formata in sensum n[on] incurrit. Concitat enim & quasi armat affectum odii ratio in vi[-]tium occasione singularium occurrentium: Unde odimus tande[m] ebrietatem non quatenus est hæc vel illa, sed quatenus est ebri[e]tas. Quod non de odio tantum, sed & aliis affectibus dicendu[m] videtur. Est & odium quoddam nationum contra nationes, qu[od] ad universalia quoque tendit. Unde ignotum non odimus, quem postquam hujus vel illius esse nationis intelleximus, odisse illic[o] incipimus. Hujusmodi odium universale est omnium piorum a[d]versus malos spiritus: quos odimus non quod hi vel illi sint, s[ed] quod mali spiritus sint.

§. 21. Excipitur (2) *Quod pendet ex dissonantia id non vers[a]tur circa commune & universale: Atqui odium pendet ex di[sso]nantia: Ergo.*

Resp. *Propositio* negatur: Quia dissonantia potest esse in n[a]tura omnibus singularibus communi: Velut *ἀντιπάθεια* inter n[a]turam milvi & pullos, est in toto genere milvorum & pullorum.

§. 22. Excip. (3) *Objectum odii, malum, est in rebus, non i[n] mente: Ergo odium non fertur in universale:* Ratio conse[q.] *Quia universale non est in rebus, sed in mente per speciem ab[]stractam.*

Resp. *Antecedens* negatur: objectum odii, malum, est in re[]bus & in mente: in rebus per se, in mente per speciem. Sic & u[]niversalia materialiter sunt in singularibus, formaliter, quaten[us] abstracta, in mente.

§. 23. Quæritur (8) *An aliquis se ipsum odisse possit?*

Resp. *Impossibile* est: inquit *Thomas*, *aliquem se ipsum si[m]pliciter odisse.*

Ratio est: Quia unumquodque naturaliter bonum appeti[t] nec potest sibi aliquid expetere, nisi sub ratione boni: quia malu[m] est præter voluntatem & subjecti corruptivum, adeoque per se n[on] appetibile, sed aversabile. Et huc tendit quoque illud *Apostoli* [E]*phes. 5. v. 29. Nullus unquam suam ipsius carnem odio habui[t]* Rationem reddit *Augustinus*, in lib. de cura pro mort. *Q[uia]* *στοργὴ omnibus est insita*: quod de *φιλαυτίᾳ* passim quoque scri[]bunt Philosophi, & ipsa quoque lex Dei inculcat. *Diliges prox[i]*

ma

mum tuum sicut teipsum : Ubi mensura amoris proximi constituitur amor nostri.

Interim non deest, quod objici possit?

§. 24. (1) *Multi diligunt iniquitatem*: *Ergo multi se ipsos oderunt*: Antecedens *extra controversiam* est. Ratio consequentiæ: *Quia animam suam odit, qui iniquitatem diligit*: Psal. 10.

Resp. De odio per se & ab intentione ejus, qui odit, posecto, negatur *consequentia*. *Probatio* inconsequens est. Qui iniquitatem diligit, odisse animam suam dicitur, non malum ei per se intendendo & expetendo, sub ratione mali, sed a bono ejus aberrando sub ratione boni apparentis, quod revera malum est. *Hebræa* phrasi odisse significat quoque negligere, & eam, quam decebat, curam non adhibere.

§. 25. (2) *Homines quandoque sibi ipsis violentas manus afferunt*: *Ergo seipsos oderunt*: Ratio conseq. *Quia malum sibi ipsis volunt & faciunt*.

Resp. Negatur *consequentia*: *Probatio* consequens est: Quia malum sibi volunt sub ratione boni: Qui enim se ipsos interficiunt, miseriæ & cruciatus declinandi causa id faciunt, adeoque non ex odio, sed potius ex amore sui faciunt, quia majus à se malum depellere cupiunt.

§. 26. Quæritur (9) *An aliquis odisse veritatem possit.?*

Resp. Distinguit *Thomas* inter veritatem in universali & in particulari consideratam. Veritatem in universali odisse nemo potest: Quia objectum est intellectus proprium: At nulla facultas objectum suum proprium in universali potest aversari. Ita appetitus non potest aversari bonum appetibile in genere. Visus non potest aversari objectum visibile in genere, &c. Perficit facultatem objecti sui proprii perceptio: Unde aversari eam in universali non potest.

§. 27. Interim verum particulare aliquando odit homo, quatenus repugnat bono amato: quod tribus posse modis fieri notat *Thomas*.

(1) Quatenus veritas originaliter est in ipsis rebus: quomodo quandoque vellet homo non verum esse, quod est verum.

(2) Quatenus est in cognitione hominis, ipsumque ab amati prosecutione avocat & impedit. Quomodo vellent aliqui veritatem non cognoscere, ut tanto liberius peccarent.

(3) Quatenus est in intellectu alterius: quomodo sæpe homo odit hominem peccatorum suorum, quæ occulta esse cuperet, conscium. Unde *Augustinus* lib. 10. confess. cap. 23. *Homines amant veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem*. De odio

 veri

veri particularis accipiendum est tritum illud: *Veritas odium p[…] rit*. De amore veri in universali loquitur illud *Aristotelis* in pri[…]cipio Metaph. *Omnes homines scire naturaliter appetunt*: sci[…] enim est verum cognoscere.

§. 28. Quæritur (10) *Quæ odii sint species?*

Resp. Ut amor est *amicitiæ* vel *concupiscentiæ*: ita duplex qu[…]que est odium, unum *inimicitiæ*, alterum *abominationis*, ut *C[…]jetanus* appellat, vel *offensionis*, ut *Medina* nominat. *Odiu[…] abominationis* nonnullis est displicentia mali, quod nos aut a[…] patimur: *Odium inimicitiæ* displicentia personæ, cui malum v[…]lumus: Utrumque respicit *personam*, cui malum volumus, [...] *malum*, quod volumus: ita tamen ut *odium inimicitiæ* se habe[…] ad personam per modum *negationis* & dissonantiæ: ad malu[…] vero per modum *affirmationis* & consonantiæ: *odium* autem *a[…]minationis* ad personam per modum *affirmationis* & consonanti[…] ad malum vero per modum *negationis* & dissonantiæ. *Ratio* d[…]similitudinis est: quia in *odio abominationis* rationem objecti [...] causæ habet, non persona, seb res mala: in *odio inimicitiæ*, n[…] tam res, quam persona.

§. 29. Distinguitur quoque odium in *naturale*, *humanum*[…] *ferinum* & *melancholicum*.

Naturale appellatur, quo aliquis occulta quadam ἀντιπαθ[…] abhorret ab alio, quamvis abhorrendi causam ignoret: quod [...]dium cum inter homines, tum inter bruta & homines frequ[…] est. Inter homines quod est, à Poëta notatur:

Non amo te, Sabadi, nec possum dicere quare:
Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Eadem in multis hominibus etiamnum observatur ἀντιπάθ[…] Inter homines & bruta nonnulla manifesta est eadem, inprim[…] vero inter homines nonnullos & feles, quos ferre, etiam ab o[…]lis remotos, multi nequeunt.

Humanum odium nominatur, quod humano more excitatu[…] ad efferationem non assurgit, sed intra modum se continet: [...] exempla docent quotidiana.

§. 30. *Ferinum* dicitur, quod ad immanitatem & efferata[…] rabiem pertingit, & ferarum potius, quam hominum est, & [...] specie appellatur *immanitas*, quæ *Joviano* cap. 1. de immani[…] definitur, *habitus hominis ab omni prorsus humanitate & me[…]diocritate sejunctus circa dolores & voluptates è feritate proven[…]entes*: quale crudelium quorundam est hominũ, qui hostium suo[…] non contenti dira nece etiam exanimata cadavera & viscera disce[…]punt vel dissecant: quod *Plato* abominatur, lib. 5. de Repub[…]

im[…]

imo carnem & viscera obtruncatorum dentibus premunt & dilaniant: quod sub *Trajano* à nonnullis *Judæis* factum testatur *Dion. Nero*, quos morti destinavit, objici voluit devorandos *Polyphago* cuidam *Ægyptio*, qui omnis generis carnibus crudis vescebatur.

Immanitatis hujus exempla ediderunt quoque superiori seculo anno 72. *furiæ Gallicæ*, quibus objectus *Amiralius* cum aliquot myriadibus orthodoxorum, inter quos etiam fuit *Petrus Ramus* regius eloquentiæ & Philosophiæ professor celeberrimus, cujus ilia & cadaver scuticis diverberantes furiosi adolescentes scholastici per plateas raptarunt. Sanguinem & viscera orthodoxorum nondum concoxit *Gallia*: vide Commentar. de statu religionis & Reipublicæ in regno *Galliæ* sub *Carolo Nono* lib. 10. an. 72.

Melancholicum excitatur à redundantia bilis atræ: cujus species nonnullis videtur esse *lycanthropia*, seu insania lupina, in quam abrepti homines luporum instar in bruta & homines sæviunt, vide *Delri.* disp. Mag. lib. 2. q. 18.

§. 31. Quæritur (11) *Quinã ad odium maxime sint proclives?*

(1) *Ignavi & timidi*, qui undecunque damnum metuunt. Hi enim adversus quamcunque vim adversariam facile concitantur odio, & medio tolli optant malum, cujus continuo metu percelluntur.

(2) *Suspiciosi:* Quia iidem plerumque sunt meticulosi.

(3) *Amantes*, vel ad amorem proclives. Hi enim cum redamari velint, facillime offenduntur & odiũ concipiunt erga eos, à quibus se æque non amari, sed contemni, suspicantur. Quæ causa quoque est, cur odia conjunctissimorum sint gravissima: de quibus *Quintilianus* declam. 17. *Non habent proximorum odia regressum. Quæcunque nexus accepere naturæ & quæ sanguine visceribusque constricta sunt, non laxantur diducta, sed pereunt*, &c. Et *Seneca*: lib. 2. de ira cap. 30.

Iniqua quædam judicant homines, quia pati non debuerint: quædam quia nõ speraverint. Indigna putamus, quæ inopina sunt. Itaque maxime commovent, quæ contra spem expectationemque evenerunt. Nec aliud est, quare in domesticis minima offendant, in amicis injuriam vocemus negligentiam: vide & *Aristot.* lib. 7. polit. cap. 7.

(4) *Superbi* & φίλαυτοι. Quia cum nimium se ament, totique sint in suis curandis commodis & bonis, facile offenduntur, quando impediri ea vel suspicantur.

(5) *Quorum cœnosus & turbidus est sanguis, isque feculenta melancholiæ redundans sordibus.*

Hoc μιςανθρώπων esse temperamentum creditur; quibus omnes

mnes alii graves & exosi solent esse homines: veluti prava machi & linguæ constitutio quorumvis eduliorum ingenerat f. dium; de quibus *Fracastorius* in lib. de Sympath. cap. 18. & chre *Plinius* lib. 18. cap. 1. *Nonne*, inquit, *& homines qua ut venena nascuntur? Atra ceu serpentium lingua vibrat, tab. animi contracta adurit, culpantium omnia, ac, dirarum alit modo, tenebris quoque suis & ipsarum noctium quieti invide um, (quæ sola vox eorum est) ut in auspicatarum animanti vice obvii quoque vetent agere, aut prodesse vitæ: nec ullum ud abominati spiritus premium novêre, quam odisse omnia.*

§. 32. Quæritur (12) *Quæ sint odii remedia?*

Resp. Inter multa, sunt sequentia præcipua.

(1) *Fortis injuriarum tolerantia.*

Oritur enim odium plerunque ex injuria accepta, quam q minus fert fortiter, facile offenditer & vindictam meditando dium concipit.

(2) *Cogitatio malorum, quæ secum trahit odium.*

Qui enim odit, alteri nocet & sibi ipsi. Unde graviter mon *Augustinus* Concion. 3. in Psalm. 30. *Quantumcunque in pe sona aliqua seges odii plurima objiciatur, cavendum tamen ess ne odium illud, si rationis prætergrediatur lineam, fiat dolos arcus, qui in nos ipsos sagittam excutiat. Alterum qui odit, ma lum esse finit, & ipse evadit malus: Inimici homines*, inquit Au gustinus, *qualescunque fuerint, non sunt odio habendi: ne cum odit malus, quem patitur malum, sint duo mali. Diligat bonu & quem patitur malum, ut vel unus sit malus.* Quantopere v ro sibi noceat qui alterum odit, idem docet ferm. 16. de ver Dom. *Odium tenebræ sunt. Non potest autem fieri, ut, qui odi alterum, non sibi prius noceat: illum lædere conatur extrinsecus se vastat intrinsecus. Quantum autem animus noster corpori major est, tantum ei prospicere debemus, ne ipse lædatur. Lædi autem animum suum; qui lædit alterum. Et quid facturus est ei quem odit? Quid facturus? Tollit pecuniam: numquid fidem Lædit formam; numquid scientiam? Quicquid nocet: forinsecus nocet. Sibi, attende, quid noceat. Intus enim sibi ipse inimicus est, qui odit alterum. Sed quia non sentit, quid sibi mali faciat, in altrum sævit eo periculosius vivens, quo non sentit, quid secum mali agat: quia & sæviendo sensum perdit. Sæviisti in inimicum tuum: te sæviente, ille nudatus est: tu iniquus es factus. Multu interest inter nudum & iniquum: Ille perdidit pecuniam, tu innocentiam. Quare, quis gravius damnum perpessus est? Ille perdit rem perituram, tu factus es periturus.*

(3) Ob-

(3) *Obstructa cupiditas ejus, quod alii volunt & quod commune esse pluribus non potest.* Hinc Seneca lib. 3. de ira cap. 34. *Quod vinculum amoris esse debeat seditionis atque odii causa est, idem velle. Iter angustum rixas transeuntium concitat: diffusa & late patens via, ne populos quidem collidit. Ista quæ appetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad alterum, nisi alteri erepta, transferri, eadem affectantibus pugnam & jurgia excitant.*

(4) *Cogitatio nostræ mortalitatis.* Mortales enim cum simus, iras gerere immortales non debemus.

VII.

Desiderium est affectus, quo ad bonum absens & conveniens animus se quasi extendit: Scaligero: *Inclinatio voluntatis ad habenda bona, quibus caremus, aut excutienda mala, quibus premimur.*

Ἔκθεσις.

§. 1. Causa *desiderii* est bonum absens, quod æstimatione nostra conveniens nobis judicatur. Dilatatur in desiderio cor, indeque spiritus erumpunt, ut quasi præ foribus rem desideratam expectent & excipiant. Desideria sunt admodum varia pro varietate ætatum, temperamentorum, ingeniorum, conditionum & constitutionum corporis. Unde fit, ut, quod desiderat unus, fugiat alter. Inprimis autem cupiditatibus & desideriis vehementibus & variis flagrant juvenes ob calorem ætatis, ob imbecillitatem judicii & defectum experientiæ.

§. 2. Ad immensitatem desideriorum excludendam duo potissimum consideranda sunt crebro.

(1) Naturam paucis contentam esse, & copia nimia onerari potius ac lædi quam juvari.

(2) Incertos esse rerum eventus, dubiosque casus, adeo ut sæpe noceant, quæ profutura speramus.

VIII.

Fuga est affectus, quo à malo absenti tanquam inconvenienti animus se retrahit.

Ἔκθεσις.

Causa *fugæ* est malum absens, quod inconveniens judicamus.

 Unde

Unde in hoc affectu cor contrahitur, spiritibus intro vocati[s] evitandum malum.

IX.

Gaudium, sive lætitia, est affectus, quo ex boni am[a]ti præsentis sensu fructuque animus suavi volupt[ate] perfunditur.

Ἔκθεσις.

§. 1. Causa *lætitiæ* est boni præsentis & amati sensus & fruct[io]. Hinc ad lætitiam tria dicuntur requiri: (1) Bonum delecta[ns] (2) Conjunctio cum bono: (3) Cognitio istius conjunctio[nis]. *Animi bona* sincerum pariunt gaudium: quod ex virtutum n[a]scitur conscientia. *Non potest gaudere*, inquit Seneca, *nisi for[tis] nisi justus, nisi temperans. Stulti & mali vere non gaudent.* & *Philo.* Ἐν τοῖς τῆς ψυχῆς μόνης ἀγαθοῖς ἡ ἀνόθευτος χαρὰ καὶ ἀκιβδήλευτος εὑρίσκεται, ἐν ἑαυτῷ δὴ πᾶς σοφ[ὸς] χαίρει, οὐκ ἐν τοῖς περὶ αὐτὸν

§. 2. Lætitiæ cognata sunt (1) *Hilaritas*, quæ lætitiæ in vul[tu] est significatio.

(2) *Gaudium:* quod nonnullis interior est lætitia.

(3) *Exultatio:* quæ est lætitiæ per loco motivam declaratio.

(4) *Jubilum:* quod lætitiæ magnæ per vocem & cantum e[st] significatio.

In affectu *lætitiæ* cor dilatatur & spiritus ad membra exterio[ra] diffunduntur, ac veluti exire conantur ad objectum externu[m] gratum & jucundum, ut cum eo uniantur.

Quæ *amoris* & *desiderii* sunt remedia eadem & *lætitiæ* sunt Vix enim est lætitia absque amore vel desiderio. Hoc unum *observetur*, lætitiæ non nimis esse indulgendum. Hinc *Epaminondas* uncto corpore & sereno vultu apparere solitus, post pugnam ad *Leuctra*, postridie processit squalidus atque humilis: Interrogantibus amicis, ecquid adversum obtigisset? *Non sane*, inquit; *Sed heri sensi me animo altius, quam rectum est, elatum fuisse. Itaq; hodie immoderatum illud gaudium castigo. Plutarch. Gaudium*, inquit, *Isidor. Pelusiot. nisi impendentis multationis habenis trudatur, præcipites nos aget, atque ut ab officio ac decore excidamus, efficiet.*

§. 3. Quæritur (1) *An lætitia oriri possit, nullo præcedente amore?*

Resp.

Resp. *Negativam* amplectimur, quæ adeo nonnullis certa est, ut ne de potentia quidem absoluta poni lætitiam posse absque amore prævio existiment: veluti non potest poni conclusio, nisi suppositis præmissis: quæ probatur.

(1) Si lætari de aliqua re possemus, sine ullo præcedente amore, sequeretur, ne odium quidem antecedens impedire posse lætitiam circa objectum exosum: Atqui absurdum & impossibile est consequens: Ergo & antecedens. *Connexum* prob. Quia nulla est causa cur impediat lætitiam, quæ excitari potest sine amore. *Assumptionem* comprobat experientia & ratio: Quia odium avertit appetitum ab objecto, ad quod lætitia convertit. De quo lætamur, id semper nobis obversari expetimus: quod odimus, id aversamur & à nobis longe abesse cupimus. Hinc *Augustino* causaliter definitur lætitia, *amor boni habiti*, lib. 14. de C. D. cap. 7.

(2) Lætitia nunquam est sine cognitione objecti; quod judicatur conveniens vel inconveniens: Si conveniens, proxime amorem concitat, quam sequitur lætitia: si inconveniens, odium & aversationem concitat, quam tristitia sequitur, si nos propius attingat.

(3) Nulla est lætitia nisi de re delectabili apprehensa. Ergo nulla sine amore: *Ratio consequentiæ*: quia impossibile est amorem actualem esse sine apprehensione rei amabilis & delectabilis, sub ratione amabilitatis & delectabilitatis.

Interim pro *affirmativa* qui pugnant, non desunt, etiam ex scholasticis doctoribus: inter quos *Occam*.

§. 4. (1) *In appetitu sensitivo nullus est actus medius inter objecti notitiam & delectationem, seu lætitiam, cujusmodi est in voluntate: Ergo lætitia, quæ est appetitus sensitivi, est immediate ab objecti notitia, amoris actu non interveniente.*

Resp. *Antecedens* negatur. Si lætitia appetitus sensitivi est à sola cognitione objecti, nulla est causa cur non & voluntatis, seu appetitus rationalis, lætitia sit à sola objecti notitia proximè & immediatè: Non enim minus objectum delectationis rationalis applicatur per notitiam intellectui præviam: quam objectum delectationis sensitivæ per notitiam appetitui prælucentem: Et quæ causa sit, cur in appetitu sensitivo nullus sit actus medius inter objecti notitiam & delectationem? Nonne æque intercedit amor, atque inter notitiam & delectationem rationalem?

§. 5. (2) *Potest aliquis immediate lætari de objecto; quod cognoscit esse jucundum. Ergo lætitia immediate potest sequi notitiam, sine præeunte amore:* Antecedens prob. *Quia, quamvis*

amor

amor non antecedat, nihil deest ad terminandum illum appet[…] & voluntatis actum.

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* falsa est: Quia dee[…] quod requiritur ad complendum delectationis formale ob[…]ctum; nempe amor, sine quo cognosci quidem potest in obje[…] delectabilitas, revera autem & formaliter affici appetitus non [p…]test. Non enim, quod per se & natura sua est delectabile, ill[…] huic vel illi appetitui actu est delectabile, nisi antecesserit app[…]titus propenso per amoris modum.

§. 6. (3) *Potest aliquis odisse actionem, ex qua tamen de[…]ctationem quoque nolens haurit: Ergo lætitiam, seu delectatione[…] necessario non antecedit amor.* Antecedens prob. *exemplo virgi[…] per vim compressæ, quæ quod patitur, animo abominatur minim[…]que amat, & tamen interim delectationem sensitivam ex imp[…]ro actu concipit.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* falsa est: quod quis ab[…]minatur, quatenus abominatur, eo delectari est impossibil[…] Aut igitur virgo per vim compressa actu illo impuro delectat[…] & lætatur, aut non delectatur: Si posterius, exemplum ad re[…] non faciet: Si prius, fieri nullo modo potest, ut sine omni amor[…] lætetur. Interim fieri potest, ut ratio aversetur, quod amat ap[…]petitus sensitivus. Ubi utriusque appetitus circa aversationem a[…]licujus objecti est consensio, ibi impossibile est lætitiam exori[…] circa idem illud objectum.

§. 7. Quæritur (2) *Quæ sint præcipua lætitiæ objecta & causæ*[…]

Resp. *Aristoteles* 1. & 2. Rhetor. enumerat sedecim: quæ sunt[…]

(1) *Actio secundum naturæ propensionem.* Per hanc enim bono delectabili unimur.

(2) *Consuetudo:* Quia quasi altera est natura: At cui qu[…] maxime assuevit, eo maxime delectatur.

(3) *Actio sponte suscepta.* Ut enim coacta & violenta sunt molesta: ita spontanea grata. Libertatis cupidissimus est homo.

(4) *Memoria præteritorum bonorum & cogitatio futurorum:* Hac enim ratione præterita & futura bona per cogitationem præsentia nobis sistuntur & lætitiam excitant.

(5) *Victoria:* Quia virtutis in nobis præcellentis, qua impense delectamur, indicium facit, & gloriam habet comitem, quæ maxime delectat.

(6) *Mutatio & varietas:* unde tritum illud: *Varietas delectat:* cujus rationes sequenti quæstione reddemus.

(7) *Admiratio:* Quia versatur circa nova & cum spe cognoscendi est conjuncta.

(8) *Col-*

(8) *Collatio beneficiorum, eorundemque acceptatio*: Illa lætitiam excitat: quia virtutis, nempe liberalitatis, actus est hominem maxime decens, & quo, teste *Cicerone*, homo ad Deum proxime accedit: ista: quia accipiendo consequimur, quod appetebamus: adeoque in boni adeptione acquiescimus & lætamur.

(9) *Imitatio*; quæ est alienæ artis vel virtutis aut etiam naturæ per industriam nostram expressio, maxime delectans; si ex voto succedat: quia artis virtutisque nostræ est testimonium: quo omnes boni viri & artifices gaudere solent. Hinc *Nitias*, nobilis pictor, adeo artis suæ lætari solitus est operibus, ut veluti oblitus sui ex famulis subinde sciscitaretur: *an esset usus balneo? an pransus foret?*

(10) *Casus tragici*: propter novitatem & admirationem: Unde tragœdias legendo satiari quandoque non possumus.

(11) *Similitudo morum & conditionis vitæ*: secundum tritum illud: *Simile simili gaudet.* Ratio est: quia natura nobis est implantatus amor nostri. Quæ igitur in nobis amamus & grata habemus, in aliis quoque probamus & laudamus: ne nos ipsos fastidire & improbare videamur.

(12) *Imperium in alios*: Quia virtutis & præ eminentiæ indicium facit & libertatem arguit homini gratissimam.

(13) *Reprehensio aliorum*: Quia superior & præstantior videtur, qui reprehendit, quam qui reprehenditur.

(14) *Occupatio in eo, in quo quis se putat excellere*: Quia perfecti & laudati operis spem certam concipit; qui id molitur, cujus perficiendi certam habet fiduciam.

(15) *Otium*: Quia res est pulcherrima & statum naturæ maxime convenientem inducit.

(16) *Vindicta*: unde illud: *Est vindicta bonum vita jucundius ipsa.* Est enim injuriæ nobis illatæ & molestæ à nobis amolitio & in autorem, qui juste videtur pati, devolutio.

§. 8. Quæritur (3) *Cur varietas & mutatio tantopere delectet?*

Resp. Miratur *Augustinus*, cur varietas hominem tantopere delectet, cum tamen Deus & ea, quæ circa Deum sunt, iisdem perpetuo gaudeant? Non tamen desunt rationes.

(1) Quia hominem caducum & mortalem rerum omnium caducarum capit satietas: Societatem sequitur contemptus & fuga: Unde ipsam etiam lætitiam tandem fastidit, ut scribit *Theocritus*. Separat enim diuturna in eodem statu mansio habitum naturæ consentaneum: cum in continuo fluxu sit natura, adeo ut ne unius quidem diei spatio iidem perstemus, sed jugiter diffluamus, teste *Nazianzeno*. Animum igitur & appetitum hominis quotidie

quotidie aliter affectum iisdem perpetuo non posse gaudere, ipsa dictat ratio. Hinc videmus aliud ægris, aliud valentibus placere æstate frigus, hyeme calorem appetimus.

(2) Quia, quæ per intervalla & vices obveniunt rara & sic chara evadunt.

(3) Quia naturalis facultas diu in eandem defixa rem amittit proportionem ad eam. Sunt enim omnes humanæ functiones ad certum limitatæ tempus, quod si excesserunt, facultas fatigatur, & ex iis etiam, quæ aliquando gratissima erant, molestiam & fastidium percipit.

(4) Quia plurima scire & experiri natura nostra desiderat, adeo ut expleri non possit. Unde absque molestia diu eadem re detineri & ab aliarum cognitione excludi non potest.

(5) Quia crebra mutatio semper nova subjicit. In nova autem cupidissime fertur appetitus. Unde omnia fere principia fervere solent, media tepere, ultima frigere. Quo enim magis à principio recedit res, eo minus est nova.

§. 9. Quæritur (4) *Cur lætitia ori & faciei ruborem inducat?*

Resp. Ut tristes pallent: ita læti rubent plerunque ore & facie. *Ratio* est: Quia calidi spiritus ab objecto delectabili & appetitu moti ipsum quoque sanguinem concitant, & tanquam fidi ministri animæ cum objecto appetentes delectabili conjungi ad partes procurrunt exteriores & una sanguinis partes subtiliores secum rapiunt: Unde cutem extremam rubedine tingunt & pingunt. In facie autem potissimum lætitia per rubedinem se prodit; quia à corde ad partes superiores spatiosi sunt meatus & insita sua levitate spiritus potius ascendere, quam descendere, aut ad latera diffundi, amant. Uti alias quoque magna est cordis cum capite *συμπάθεια*. Vide *Macrob.* lib. 7. Saturn. cap. 11.

§. 10. Quæritur (5) *Cur per lætitiam membra reddantur agilia?*

Resp. Præ gaudio homines sæpissime exilire, & bruta quoque, imprimis vero canes lætitiam corporis motu atque agitatione testari, docet experientia. *Ratio* est: Quia motus instrumenta sunt spiritus vegeti & agiles, quia à corde ad membra exteriora, caput, manus & pedes per imperium animæ, cui ad nutum parati stant, effusi omnia concitant. Quia vero subjectum lætitiæ per hunc affectum conjungi cum *objecto* suo maxime cupit, vel imprimis ad motum incitatur: quia unio fit per appropinquationis motum.

§. 11. Quæritur (6) *Cur lætitia, si modica sit, sanitatis sit conservatrix?*

Resp.

Resp. Quia ſpiritus excitati vegetum & agile reddunt corpus, torporem, qui perpetuam quietem ſequitur, excutiendo, & materiam morborum diſcutiendo. Agitatio enim & calor à ſuperfluis humoribus atque cruditatibus liberant corpus, ſanguinemque reddunt puriorem & ſubtiliorem. Teſtatur quoque experientia, longe efficaciora eſſe medicamenta, ſi hilari excipiantur animo quam ſi triſti & abjecto. Quia ſpiritus per lætitiam diffuſi promptè admittunt & excipiunt vim medicamentorum, quam animi ægritudo pervicacius retenta edidit. Pertinet huc vox illa ſapientis: *Cor lætum pro medicina: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.*

§. 12. Quæritur (7) *Cur, ſi nimia & valde repentina ſit lætitia, hominem quandoque interimat.*

Resp. Hominum per nimiam & repentinam lætitiam extinctorum exempla non deſunt, *Diagoras Rhodius*, quo die tres vidit filios athletas, victores, præ lætitia in eorum complexu exſpiravit. *Sophcoles* & *Dionyſius*, tyranni *Siciliæ*, accepto tragicæ victoriæ nuncio, præ gaudio ſunt mortui. *Philippides* Poëta cum in certamine Poëtarum præter ſpem viciſſet, & lætiſſime gauderet, inter gaudium repente mortuus eſt. *Gellius* lib. 5. cap. 15.

Romana Matrona, cum falſum de morte filii nuncium accepiſſet, domi mœſtiſſima quidem, attamen ſine jactura vitæ, conſedit. Cum vero præter ſpem ex prælio reverſum incolumen vidiſſet, ſubito animam exhalavit. Similia multa occurrunt.

Ratio eſt: Quia ſpiritu & ſanguine è cordis thalamis nimis copioſe & confertim effuſis, ut fit in immodico & repentino gaudio, cor fatiſcit & collabitur, unde influxu ejus deſtituta reliqua membra & ipſa concidunt, & ſic totus homo repente corruit & extinguitur.

§. 13. Quætitur (8) *Cur majoris & repentinæ lætitiæ comes plerunque ſit riſus?*

Resp. Riſus indicium eſt rei delectabilis & valde probatæ. In repentino autem lætitiæ motu ſpiritus ex corde ad ſuperiora potiſſimum prorumpentes, &, dilatato primum diaphragmate, concitant riſus organa: quæ ſonum lætitiæ indicem, quem riſum appellamus, excitant. vide *Valeſ.* lib. 5. controv. cap. 9. *Fracaſt.* de ſympath. cap. 20. *Scalig.* Exerc. 317. ſect. 6.

Riſus hic ſi nimius ſit & continuus, & ipſe quandoque hominem interimit, reſpirandi impedito officio: non enim admittit inſpirationem, per continuam exſpirationem. Hinc *Zeuxis* pictor; dum anum à ſe eleganter pictam continuo ridet, animam ridendo efflat. Ridendo quoque mortuus eſt *Chryſippus* cum aſinum ficis veſcentem conſpexiſſet. Idem de *Philemone Syracuſano* narrat

no narrat *Valerius Maxim.* lib. 9. cap. 12. Risu quoque obiit *Philistion*, Nicæus Comicus, qui librum φιλογέλων scripsit.

§. 14. Quæritur (9) *Cur lacrymæ lætitiam sæpe comitentur.*

Resp. Cum *Archidamus* insignem *Lacedæmonius* victoriam per præconem annunciasset, initio ab *Agesilao* & senioribus *Ephoris* facto, universi collacrymarunt. Ubi *Xenophon.* lib. histor. ὅτω κοινόντι ἄρα χαρᾷ καὶ λύπη δάκρυά ἐστιν. Sic *Euripides*, χαρμοναὶ δακρύων ἔδοσαν ἐκβολάς. *Gaudia lacrymarum dederunt rivulos.* Gaudia hæc *lacrymosa* Poëtæ appellant: de quibus passim authores. *Habet & lætitia lacrymas suas, & lacrymæ plerunque pietatis indices, non illices sunt doloris:* inquit *Ambrosius.* Cur autem lætitia & tristitia lacrymas exprimant, rationem hanc reddit *Alexand. Aphrodis.* Qui dolent, meatuum, qui sunt in oculis, spissitudine humiditatem eorum exprimunt. Qui autem gaudent, raritate meatuum effundunt humidum. De quo plura deinceps.

X.

Tristitia est affectus, quo ex mali præsentis sensu animus dolore afficitur.

Ἔκθεσις.

§. 1. Oritur igitur *tristitia* ex malo præsenti, cujus cognitionem & sensum dolor sequitur. In hoc affectu cor contrahitur & spiritus ad id confugiunt, ad malum declinandum: spiritus fugientes sequitur sanguis. Unde tristes plerumque pallidi sunt.

Tristitiæ affines sunt (1) *severitas*, quæ est tristitiæ in vultu significatio opposita hilaritati. (2) *Mæror*, qui est diuturna tristitia. (3) *Luctus*, qui est ploratus & habitus tristitiæ index. (4) *Gemitus, fletus, planctus, lamentatio, &c.*

§. 2. Quæritur (3) *An tristitia & dolor idem sint?*

Resp. *Affirmativam* de dolore communiter accepto amplectitur *Thomas*, l. 2. q. 35. art. 2. in conclus. de dolore vero corporali negativam. *Solus dolor*, inquit, *qui ex apprehensione interiori causatur, nominatur tristitia: ille vero, qui ex apprehensione exteriori oritur, dolor quidem nominatur, non autem tristitia: Veluti delectatio ex apprehensione orta interiori gaudium nominatur: contra vero ex apprehensione exteriore orta, delectatio, non gaudium.* Unde colligit tristitiam esse quandam doloris speciem, sicut gaudium delectationis.

Raynaudus dolorem non communiter, sed specialiter acceptum

ptum distinguit à tristitia: quia *dolor* est offensio animæ ex carne, & quædam dissensio ab ejus passione unde ad malum sensile tactu perceptum arctatur: *tristitia* vero, secundum *Augustinum*, est animi dissensio ab his rebus, quæ nolentibus nobis accidunt.

§. 3. Interim affirmat tristitiæ & doloris eandem formaliter esse rationem & naturam, & in ordine ad rem moralem non discrepare. Unde dolorem ex carne offensa actionem appetitus esse affirmat: dist. 3. q. 2. art. 6. n. 244. 245. & contra Medicos *tactionem* esse negat: negat quoque esse in parte læsa, in dentibus, aut gingivis, &c. vel in parte perfossa, sed soli appetitui formaliter & subjective inexistere, quamvis pro objecto habeat malum partis hujus vel illius: & hoc respectu dicamus nos dolere dentibus, oculis, &c. non corde vel appetitu cordi insidente: quo sensu quoque *Maximus Tyrius* ait dissert. 18. *dolorem corporeum ab uno membro læso totum corpus pervagantem esse tormentum corporis & animæ affectionem.*

Sic igitur tristitia & dolor eadem erunt animi passio seu affectio: & non minus tristitia erit dolor ex apprehensione interiore, quam exteriore.

§. 4. Non tamen displicet nobis *Thomæ* sententia. Dolor enim corporalis, qualis est ex solutione continui, vel in dentibus, in oculis, &c. non tam videtur esse affectus tristitiæ inhærens animæ, quam objectum & causa tristitiæ, nempe passio dolorifica inhærens corpori, indeque animam vel partem appetitivam afficiens: etsi dolere corpus sine anima non potest, quamvis doleat quandoque corpus sine animi tristitia. Interim non consentiunt *Medici* & *Philosophi* circa naturam & rationem formalem doloris: quando dolorem alii volunt esse objectum sensus adeoque sentiri, alii ipsum esse sensum tristem, alii tristitiam sensus: Vide *Valles.* controvers. lib. 4. cap. 4. qui dolorem solius tactus symptoma esse contendit.

§. 5. Quæritur (2) *An tristitia sit actio appetitus?*

Resp. Tristitiam esse actionem appetitus, non passionem proprie sic dictam fidenter pronunciat *Raynaudus* loco supra allegato, ubi ait *tristitiam esse actionem appetitus circa malum conjunctum, præsupposito ejusdem mali odio & aversatione*; pro sententiæ hujus confirmatione rationem, ut ait, perspicuam adducit. *Quia omnia, quæ ante actionem appetitus assignari possunt potius præsupposita sunt ad dolorem, quam dolor ipse*: Antecedit enim appetitus operationem sensatio exterior & interior: quarum illa mediate, hæc immediate appetitum ad operandum determinat. Interim neutra habet rationem doloris, hoc est, tri-

 stitiæ:

stitiæ: quia alias substantiarum intellectualium tristitia formaliter esset sita in cognitione intellectus, quod à natura cognitionis, cujus non est amare & respuere, alienum.

§. 6. Sed *ratio* hæc non videtur adeo esse perspicua. Non enim sequitur, tristitiam esse actionem appetitus; quia omnia, quæ actionem appetitus antecedunt, sunt præsupposita ad tristitiam, non ipsa tristitia. Quæ enim præsupposita ista proxime sequitur appetitus actio, non necessario est tristitia: cum actio possit esse tristitia antecedens, eamque sequens tristitia, non actio, sed passio. Unde ipse *Raynaudus* actionem appetitus, quæ sensationem sequitur, ait esse aversationem mali, quam tamen negat formaliter esse tristitiam. Neque difficultatem rei dissimulat: quia quænam illa sit appetitus actio, in qua formaliter tristitia consistit, non exprimit, & ne potuisse quidem exprimere videtur, quando animæ ad tristitiam pergressum ex *Rubionio* declarat. *Primum in corpore inducitur læsio: læsionem tactus percipit: hinc internus sensus excitatur: quia appetitui malum renunciat: appetitus malum aversatur: aversationem excipit dolor.* His gradibus ad tristitiam pervenitur: quæ qualis sit actio non videtur constare *Raynaudo*, quia tacet; tantum tristitiam appellat appendicem actus aversativi. In hanc sententiam laudat inter alios *Scaligerum*, Exerc. 316. sect. 1. Sed male reprehendit *Scaliger Cardanum* definientem tristitiam, perceptionem mali: cum sit non perceptio mali, sed depressio animi post perceptionem quæ utrum actio potius, quam passio sit, viderit *Raynaudus*.

Timplerus in Physicis, Empf. lib. 2. cap. 11. probl. 1. affirmat, omnes affectus esse actiones, excepta lætitia & tristitia, quæ videantur esse passiones. Sed eadem est ratio duorum horum affectuum, quæ & aliorum est. Unde si hi sunt passiones, & reliqui erunt: Si reliqui actiones, & hi erunt. In omnibus affectibus concurrunt aliquæ actiones & passiones. Utrum vero *formalis ratio* affectus in passione potius, an in actione consistat, dubium est. Quæstio hæc à nobis tractata est, hoc ipso capite, ad §. 1.

§.8. Quæritur (3) *Quæ sint præcipua tristitiæ objecta & causæ?* Resp. Octo potissimum numerantur.

(1) *Malum proprium vel amicorum.* Hoc maxime propriam & simplicem gignit tristitiam.

(2) *Malum proprium, quod dedecus tantum, non detrimentum, affert:* Hinc orta tristitia in specie verecundia appellatur.

(3) *Bonum alterius:* unde quidem detrimentum non accipimus: attamen alium eo frui dolemus: quæ in specie *Invidia* appellatur.

(4) *Bonum*

(4) *Bonum alterius, unde dolorem concipimus, quod eo dignum judicamus possessorem.* In specie *Indignatio nominatur.*

(5) *Bonum alterius, quod quidem ademtũ ei nolumus, attamen eo nos carere, ægre ferimus.* Unde dolor, qui *æmulatio vocatur.*

(6) *Malum maxime affligens animum*, cujus causa non est nobis satis nota: proprie *anxietatem* appellamus.

(7) *Malum ingens, quod ita animum detinet, ut propemodum à corpore abstrahat, & cogitationes impediat.* Unde homo quasi sideratus aut multo veterno oppressus quiescit, ita ut nec corpore, nec animo moveatur: nonnulli *accediam* nominant.

(8) *Amor* & ipse tristitiam quandoque parit per amatæ rei absentiam vel amittendæ metum.

§. 9. Quæritur (4) *Cur tristitia corpus & valetudinem maxime lædat?*

Resp. *Chrysippus* ajebat, λύπην, esse quasi λύσιν hoc est, solutionem, quia omnes corporis compages quasi solvit, & ad functiones plane ineptum reddit. Hinc *Maximus Tyrius*: *Dolor ubi corpus subjerit, ejusque se partibus infuderit, naturalem substantiam perturbat, haud secus atque ignis in ferrum inductus. Cicero*, comparatione inter tristitiam aliosque affectus instituta, maxime noxiam esse ægritudinem & tristitiam affirmat. *Cum omnis*, inquit, *perturbatio misera est, tum carnificina est ægritudo. Habet ardorem libido, levitatem lætitia gestiens, humilitatem metus: sed ægritudo majora quædam; tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem lacerat, exest animum, planeque conficit.* Assentitur Menander:

Multorum causa malorum omnibus suapte est natura
Tristitia: propter hanc enim insania oboritur
Multis, & morbi incurabiles:
Et nonnulli per tristitiam seipsos sustulerunt.

§. 10. Cur autem tantopere corpus & valetudinem affligat tristitia, hæc est *ratio*: Quia compressis spiritibus & quasi suffocato calore, quæ duo sunt præcipua organa facultatum corporearum, plerasque omnes actiones, unde vigor accedit corpori, impedit, prosternitur appetitus, impeditur coctio prima, secunda, tertia. Unde vitioso humore & spiritu totum inficitur corpus, frigusque contrahitur & ipsum omnibus inimicum facultatibus: quæ omnia magis magisque augentur incommoda, quo pertinacior affectus hic est. Interim tam violentus & præceps non est affectus hic, quam *lætitia* aut etiam *ira*: Lentus est & tardior: unde uno momento corporis habitum non destruit, & remedia admittit, quæ *immodica lætitia* & *ira* excludunt. Quamvis subita-

neæ mortis per tristitiam subitaneam & ingentem accersitæ exempla non desint; etsi forte rariora sunt. *Rutilius*: audita fratris consulatum petentis repulsa: illico animam egit, teste *Plinio* lib. 7. cap. 36. *Pompeianus* quidam cum *Aversam* urbem hostibus dedi conspexisset, oculis in cœlum conversis præ dolore mortuus illico concidit, teste *Jovio*: quod *Rusciaco Suevo*, cum relatum filii à *Turcis* cæsi cadaver conspexisset, accidisse idem refert *Jovius*, lib. 39.

§. 11. Quæritur (5) *Unde in tristitia sit angustia cordis & difficultas spiritus.*

Resp. Sentire tristes circa præcordia angustias, ita ut quasi grande pondus incumbere ipsis videatur, testis est experientia. *Ratio*: quia, ut in lætitia spiritus è corde ad partes exteriores & quasi circumferentiam corporis effunduntur; ita in tristitia iidem à circumferentia, ad centrum, hoc est, cor confugiunt & cavitates ejus, si repentina sit tristitia, distendunt, confertim irruentes. Hinc sensus angustiæ non satis spiritum & sanguinem capientis.

§. 12. Quæritur (6) *Cur tristitia siccitatem inducat ipsis etiam ossibus.*

Resp. Testis est *αὐτοψία*; nonnullorum, qui cum diuturna conflictati sunt tristitia & ea tandem enecti, exempta corda prorsus flaccida & quasi rugosa sunt deprehensa, pyrorum instar, quæ sicciori exposita aere ita exsiccantur, ut præter putamina, nihil fere retineant. Ratio eventus & effectus hujus in corde est non tam vehemens & torrefaciens calor, qui in progressu tristitiæ nullus est, quam virtutis nutritivæ debilitatio & facultatum cordis, inter quas præcipua, quæ spiritum vitalem & calorem jugi & copiosa generatione, pro totius corporis incolumitate, conservat, læsio. Igitur & ossa exsiccat tristitia, cum quia per eam sufficiens alimentalis humor iis negatur, tum quia tractrix virtus, cujus præcipuum organum est calor, plane debilitata est. Unde qui reliquus manet in ossibus calor, quantisper vivunt, in radicale humidum agit & paulatim id absumit: quod & cordi accidit: humidi absumptionem necessario sequitur siccitas.

§. 13. Quæritur (7) *Cur in tristitia exprimantur lacrymæ?*

Resp. *Plutarchus* lachrymas appellat *partum atque fructum doloris*, ut poma arborum. Causam lacrymarum, quas tristitia exprimit; hanc esse putat *Lelius Peregrinus*; quod moderata tristitia per spirituum excitationem calefaciat cerebrum & inde attenuatum calore humorem per oculos demittat.

De repentina & vehementiore tristitia forsan concedi hoc posset:

posset: etsi per tristitiam potius frigere, quam calere, cerebrum videtur. Siquidem calor à circumferentia & extremis partibus ad centrum, seu cor, in tristitia confugere dicitur, & paulatim ibi quoque extingui: ut ex iis, quæ dicta sunt, constat. Interim fieri possit ut in subitanea & vehementiore tristitia spiritus cum calore ad cor festinantes, repleta cavitate ejus, in capitis regiam sursum aliquo modo enitantur, & humorem circa oculorum angulos attenuando ad fluxum præparent. quæ & *Aristoteli* arridet sententia; quando ait, *lacrymam esse sudorem quendam, adeoque à concalefactione moveri, & non minus esse salsam, quam sudorem.*

§. 14. Interim causam lacrymarum, quæ cum tristitia repentina sæpe concurrunt, non male ad frigus retuleris. Est enim calor veluti vinculum & retinaculum humoris ad oculorum angulos defluentis & ibidem collecti. In tristitia igitur, calore à partibus exterioribus ad interiores revocato & succedente frigore, ex angulis oculorum facile effluit humor lacrymosus, sublato retinaculo: veluti videmus in putredine, dilapso naturali calore & vinculo, elementorum, sicci & humidi, separationem fieri.

Alexander Aphrodisæus tristitiæ lacrymas ex frigore quoque derivat, sed ratione alia: putat enim poros & meatus & condensari, indeque humorem contentum exprimi: quod minus probabiliter dici videtur. Dum enim condensantur semel pori, non nisi id exprimitur humidum, quod intra ipsos continetur: unde continuari aliquandiu lacrymæ non possent: quia per condensationem alterius & interioris humidi fluxus impediretur.

§. 15. *Cælius Rhodiginus* L L. Antiq. lib. 12. cap. 4. laudat interpretem lib. 9. *Almansoris*, qui lacrymas à tristitia ortas refert ad constrictionem cerebri: quam humidi aquosi sequitur expressio: quæ non adeo inconcinna videri possit sententia, si per constrictionem cerebri intelligatur cavitatum & meatuum ejus collapsio, quæ insequi caloris & spirituum solet fugam.

Præsente enim calore & spiritu ut distenduntur cavitates: ita eodem abeunte & frigore succedente, collabuntur & extremitatum appropinquatione contentum humorem exprimunt.

§. 16. Quæritur (8) *Qui fiat, quod nonnullis tristitia lacrymas nequeat elicere?*

Resp. Probabile est iis hoc accidere, qui ficciore sunt cerebro: quod ita humore non abundet, ut in aliqua copia ad oculorum angulos & loci illius glandulas demittat. Forsan etiam meatus isti, per quos lacrymarum guttæ exprimuntur, in nonnullis angustiores sunt, & transitum humori non permittunt: quæ *Cælio Rodigino* arridet ratio.

§. 17. Quæritur (9) *Cur in tristitia nimis magna lacrymas fundere nonnulli non possint, qui tamen in minori copiosas fundunt?*

Resp. Insigne rei hujus exemplum habetur in *Psammenito*, Rege *Ægypti*, quem una cum liberis & amicis ceperat *Cambyses*. Igitur *Psammenitus* cum veterem quendam amicum suum omnibus exutum fortunis vidisset mendicantem, in lacrymas se effudit. Cum vero filium duci ad suplicium & filiam servili habitu cum hydria ad aquam hauriendam mitti videret, nec vocem, nec lacrymam emisit: quasi minus ad se illa pertinerent mala, quam amici miseria. Interrogatus à *Cambyse*, cur amici potius miseriam, quam filii aut filiæ deplorasset? Respondit: *mala domestica erant majora, quam ut ea deflere possem.* Idem & aliis contigit.

Quæritur: *Quæ causa sit.* Respondet *Aristoteles*: *unum fuisse miserabile, alterum terribile.*

Sed porro jam quæritur. *Cur miserabile lacrymas excusserit, quas excutere terribile non potuit.*

§. 18. Putat *Lælius Peregrinus*: nimio dolore ad conspectum filii trucidandi omnem ligatum & stupefactum in parente sensum, ut lamentari & plorare non potuerit, Quem affectum ita expressit Ovidius in Hecuba.

Troades exclamant, obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem lachrymasque introrsus obortas,
Devocat ipse dolor, duroque simillima Saxo
Torpet.

Nondum tamen plane expedita quæstio: Porro enim quæritur: *Quæ causa interna & quasi materialis sit istius stuporis, rigoris & retentionis lacrymarum?*

§. 19. Putat *Peregrinus*, omnes spiritus in maxima tristitia transmitti ad cerebrum, omnemque illius humorem conficere prius, quam solvatur in lacrymas. Hæc causa non adeo probabilis videtur. Ingentem enim oportet calorem esse, qui quasi in momento omnem cerebri conficiat humorem. Ita vero in magna tristitia inflammari caput, certe non experimur. Imo subitaneus ejusmodi & ingens dolor, cum ingenti consternatione animi conjunctus, rigidum potius frigidumque reddit caput, cum aliis membris exterioribus: quia ad cor cum spiritibus calor compellitur. Unde, ut *Ovidius* loquitur, omnia duro similia saxo torpent. Crediderim igitur illam lacrymandi *ἀδυναμίαν* à magno potius esse capitis frigore, quam calore. Subitanea enim consternatio frigus cerebro, aliisque membris exterioribus inducit, quando

quando calorem ad cor compellit. Unde humor capitis, & præsertim, qui circa oculorum est angulos exteriores, incrassatus sistitur, & fluere prohibetur.

§. 20. Quæritur (10) *Cur in tristitia oboriatur fastidium omnium actionum & exercitiorum consuetorum & alias gratorum.*

Resp. Quia animus in malum præsens defixus amittitit sensum voluptatis, qua recreari alias in agendo solet, & cujus desiderium est stimulus actionum. Neque patitur præsentis mali cogitatio & sensus libere animum ad alia exspatiari objecta, qui quasi compedibus vinctus & veterno correptus torpet. Cumque ministri spiritus in plerisque actionibus & exercitiis interveniant, ii vero per tristitiam admodum debilitentur & exhauriantur, mirum utique non est, à consuetis suis actionibus quasi abhorrere facultates. Siquidem frustra se fatigarent deficientibus organis.

§. 21. Quæritur (11) *Cur tristitia discendi voluntatem & facultatem auferat?*

Resp. Discendi voluntatem & facultatem auferri per tristitiam, cum externam, tum internam, testatur experientia. Qui enim impense tristes sunt, etiam à consuetis suis quodam modo abhorrent laboribus atque operis: unde solitudinem quærunt & quietem expetunt. Neque obscura est ratio, cur discendi voluntatem & facultatem dolor adimat: quia totam animæ intentionem ad se trahit, & ab omnibus aliis cogitationem abstrahit: Igitur occupata anima cogitatione tristitiæ & objecti tristitiam adferentis, vacare discendi cura non potest; quæ totam & minime distractam ad se unice conversam, & ipsa requirit animam. Atqui impossibile est totam animæ cogitationem simul impendere distractis rebus sibi invicem non subordinatis: *exempli gratia*, tristitiæ & doctrinæ ad levandam tristitiam non comparatæ. Unde *Augustinus* in Soliloq. lib. 1. cap. 11. inquit, *per dolorem dentium se non potuisse animo volvere nisi ea, quæ jam didicerat, à discendo autem penitus impeditum: quod tota animi ad id opus sit intentione.* Sed probe heîc observanda *limitatio*. Dolor enim & tristitia non aufert omnem simpliciter discendi voluntatem & facultatem, sed eam tantum, quæ mitigandæ tristitiæ non servit, & adversus eam remedium non est, vel consolationem haud subministrat. Ad indaganda enim & comparanda ea, quæ tristes erigunt, vel maxime excitat tristitia, velut morbus ad invenienda & comparanda remedia. Pertinet huc illud *Jesaia* 26. v. 9. *Cum judicia tua exstant in terra, justitiam discunt incolæ orbis habitabilis*: & v. 16. *In ipsa angustia visitaverunt te, fuderunt submissam orationem castigatione tua premente ipsos,*

 §. 22. Quæ-

§. 22. Quæritur (12) *Utrum tristitia interior sit major, quam exterior ?*

Resp. Tristitia & dolor *exterior* est, qui oritur ex læsione corporis, adeoque repugnat appetitui propter corpus: *Interior* ab alio objecto excitatus & per imaginationem vel rationem apprehensus repugnat appetitui sine respectu ad corpus. Hinc *affirmativa* quæstionis eligitur & probatur.

(1) Quia interior dolor repugnat appetitui per se, exterior vero propter corpus. Atqui magis repugnat, quod per se, quam quod per & propter aliud repugnat.

(2) Quia apprehensio rationis & imaginationis altior est quam apprehensio sensus tactus. Atqui dolor interior apprehenditur per rationem & imaginationem: exterior per sensum tactus.

(3) Quia dolores exteriores, quandoque voluntariè suscipiuntur, ut evitentur interiores: adeoque illi per comparationem appetitui interiori non repugnant, sed sunt quodammodo jucundi. Ut si quis suam affligat carnem, ut illibatam retineat mentis & conscientiæ tranquillitatem.

(4) Quia Ecclesiastici 25. v. 17. *plaga cordis omni plaga major* dicitur: illa vero tristitia animi interior est. Et graviter *Chrysost.* epist. 8. ad Olymp. *Tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictaque deterius. Nam & vermi similis est venenato, non solum carnem, sed & animam ipsam perimens, & tinea non solum ad ossa, sed ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, sed vires animæ consumens, & jugis nox & tenebræ profundæ, & tempestas & turbo, febris non apparens, omni igni validius incendens, & pugna requiem non habens.*

§. 23. Objicitur (1) *Dolor exterior excitatur à causa repugnante bonæ constitutioni corporis, in quo est vita: Ergo major est interiore, qui oritur ex imaginatione mali vitam non attinentis.* Ratio consequentiæ: *Quia vita magis amatur, quam bonum imaginatione conceptum.*

Resp. *Consequentia* negatur duabus de causis: 1. Quia & interior dolor sæpe est ex imaginatione mali vitam attinentis, nulla præcedente corporis læsione: ut si quis integro sanoque corpore doleat nonnulla vitam non attinentia æque sunt gravia, vel etiam graviora, quam quæ vitam attingunt, in quibus est infamia, fustigatio publica, &c. quæ viro nobili & honorato etiam morte acerbior accidit. Tormenta malæ conscientiæ quovis extremo dolore sunt graviora & intolerabiliora.

§. 24.

§. 24. (2) *Res magis movet, quam similitudo rei. Sed tristitia exterior provenit ex reali conjunctione alicujus contrarii, interior ex similitudine contrarii apprehensa. Ergo major est exterior, quam interior dolor.*

Resp. *Assumptio* simpliciter vera non est: Interior tristitia non provenit ex similitudine, tanquam ex causa, sed ex ipso contrario per similitudinem apprehenso: quæ quidem apprehensio tanto est perfectior, quanto magis abstracta & immaterialis est similitudo. Neque propositio universaliter vera est: quandoque tam movet vehementer similitudo rei, quam ipsa res, ut videre est in *melancholicis*, qui imaginationibus suis æque afficiuntur graviter, ac ipsis affici rebus possent.

§. 25. (3) *Tristitia exterior habet fortiores effectus, quam interior: Ergo major est, quam interior.* Antecedens prob. *Quia facilius homo moritur, propter dolores exteriores, quam propter interiores.*

Resp. *Antecedens* negatur: vide locum, quem paulo ante ex Chrysostomo allegavimus: Probatio est inconsequens: Quia tormenta animæ & malæ conscientiæ ipsa quoque corporali morte sunt graviora: adeoque mors etiam præ iis sæpe eligi solet.

§. 26. Quæritur (11) *An magis sit fugienda tristitia, quam appetenda delectatio, seu lætitia?*

Resp. Magis appetendam esse lætitiam, quam fugiendam tristitiam, probatur sequentibus argumentis.

(1) Quia causa lætitiæ est bonum conveniens, tristitiæ vero malum repugnans. Atqui bonum conveniens esse potest sine omni repugnantia: malum vero absque omni convenientia repugnans esse non potest. Unde integra & perfecta potest esse lætitia, tristitia vero ex parte tantum: adeoque major est appetitus lætitiæ quam fuga tristitiæ.

(2) Quia bonum, quod est delectationis objectum, per se ipsum expetitur: malum vero tristitiæ objectum, fugitur quatenus est boni privatio. Atqui potius est, quod per se est, quam quod per accidens est. Illustrat hoc *Thomas* exemplo motus naturalis, qui intensior est in fine, cum ad terminum naturæ convenientem appropinquat, quam in principio, cum à termino naturæ non convenienti discedit: & sic res per motum naturalem magis in id tendit, quod est conveniens, quam fugit, quod repugnat.

Interim notat *Thomas*, per accidens fieri, ut tristitiam quis magis fugiat, quam lætitiam appetat, idque (1) Ex parte apprehensionis. Cum enim amor sit causa lætitiæ & tristitiæ, tanto ma-

to magis fugitur tristitia, quanto magis sentitur amor.

(2) *Ex parte causæ tristitiam adferentis*, quæ repugnat bono magis amato, quam alteri, quo lætamur, veluti magis amamus constitutionem corporis naturalem, quam oblectationem, quæ habetur ex cibo.

(3) *Ex parte effectus*: quando tristitia impedit non unam aliquam lætitiam, sed plures.

§. 27. Objicitur: *Actio contrarii facit ad velocitatem & intensionem motus, veluti aqua calida citius congelatur, quam frigida, teste Philosopho: Atqui fuga tristitiæ est ex contrarietate contristantis, appetitus autem delectationis non ex contrarietate, sed ex convenientia delectantis: Ergo major & intensior est fuga tristitiæ, quam appetitio delectationis.*

Resp. *Propositio* simpliciter & absolute vera non est: neque exemplo allegato prob. adhibenda igitur *distinctio* principii moventis, quod est internum vel externum. Motus qui est à principio interno magis tendit in id, quod est naturæ conveniens, quam recedat a contrario: Qui vero est à principio extrinseco, per contrarietatem intenditur. Atqui motus appetitivæ partis est ab intrinseco, nempe ab anima ad res: Unde per se magis appetitur lætitia, quam fugitur tristitia. Motus autem sensitivæ est ab extrinseco, seu à rebus ad animam: Unde quod contrarium est, magis sentitur, per accidens: ut ante ostendimus. Hæc ex *Thoma*.

§. 28. Quæritur (14) *Quæ sint remedia tristitiæ & doloris?*

Resp. (1) *Modica corporis exercitatio*, qua sopitus excitatur calor una cum spiritibus.

(2) *Fletus*, duabus de causis: 1. quia fletus decet statum mœstitiæ: Itaque mens dum animadvertit se suo fungi munere, quasi recreatur. 2. Quia, Poeta teste.

Expletur lacrymis egeriturque dolor.

Est aliquod calamitatis delinimentum, inquit *Latinus Pacatus, dedisse lacrymas malis, & pectus laxasse suspiriis:* vide & *Plin.* lib. 8. ep. 16. Inprimis vero *Basilium* homil. de gratiarum actione.

(3) *Consolatio ab amicis profecta.*

(4) *Contemplatio rerum altissimarum*, quæ maxime animum à curis & tristitia avocat.

(5) *Fuga solitudinis, locorum amœnorum frequentatio.*

(6) *Potus vini albi generosi.*

(7) *Reputatio conditionis humanæ malis obnoxiæ, & divinæ providentiæ*; sine qua nulla obvenit calamitas.

XI. Ha-

XI.

Hactenus affectus ad facultatem concupiscibilem pertinentes: *sequuntur qui ad irascibilem pertinent, suntque (1) Spes & desperatio (2) Ira & mansuetudo (3) audacia & metus.*

XII.

Spes est affectus, quo appetimus bonum absens, arduum & possibile, ex persuasione, quod eo simus potituri.

Ἔκθεσις.

§. 1. Oritur *spes* ex bono absente, arduo & possibili: unde differt à *desiderio*, quod & ipsum versatur circa *bonum absens*, sed quod facile obtineri potest, quamvis vulgo non adeo attendatur hoc discrimen. *Speramus*, inquit Heiderus, *omnia bonorum genera, desideramus omnia, neque raro & illa quæ obtinere non possumus. Observetur:* quatuor conditiones attendi in objecto spei. Est enim spes (1) *Boni.* (2) *Futuri.* (3) *Ardui.* (4) *Possibilis.*

In *spe* & in *desiderio* cor dilatatur, & spiritus effunduntur ad bonum absens expectandum & accipiendum.

§. 2. Maxime necessaria spes est in hominum vita: quia sine spe obtinendi homines nihil ardui moliuntur: unde sperare non desinunt homines, nisi sperare desinant: juxta illud:

Ἐλπὶς ἐνὶ ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι ἢ θανόντες.

Thales interrogatus: *Quid esset communissimum:* Respondit: *Spes: Quia quibus reliqua omnia desunt, hæc adest.* Magna spei necessitas, magna utilitas. Spes ex humanis si exulasset rebus, jam diu commercia sua negotiator, & stipendia miles, & navigationem mercator intermisisset. *Tyr. Max.* Spes in adversis alere animos solet. *Symmach.* vide & *Tibullum* II. Eleg. ult. καλαὶ ἐλπίδες καλῶν ἔργων ἡγεμόνες. *Dionys. Halicar. Principium parandorum bonorum spes est:* Philo. *Spem in foribus seu ianitricem natura collocavit, intus vero cæteras virtutes regias, quas adire licet nemini, qui non prius hanc unam demeruit:* idem:

Hæc facit ut vivat fossor quoque compede vinctus,
Liberaq; à ferro crura futura putet.
Hæc facit ut videat cum terras undique nullas
Naufragus, in mediis brachia jactet aquis.
Ovid. 1. Pont. 7.

Spes

Spes etiam valida solatur compede vinctos.
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

§. 3. Quæritur (1) *An spes pertineat ad facultatem irascibilem?*

Resp. In distributione affectuum per potentiam *irascibilem* & *concupiscibilem*, sequimur *Lelium Peregrinum* & plerosque alios *Peripateticos*. Miretur vero aliquis non immerito, cur spes referatur potius ad facultatem *irascibilem*, quam ad *concupiscibilem*: cum desiderium, quod à spe non adeo distinctum videtur, ad concupiscibilem referatur.* Quod speramus, idem & concupiscimus.

Cur igitur spes non est facultatis concupiscilis?

Thomas prima secundæ: q. 23. art. 1. docet: Passiones respicere bonum vel malum absolute, vel sub ratione ardui: illud *concupiscibilis*, hoc *irascibilis* facultatis objectum esse. Cum igitur spes sit boni ardui, desiderium boni absolute dicti: palam utique est illam esse *irascibilis*, hoc *concupiscibilis* facultatis: *Thomas*, quem sequitur *Peregrinus*, ad *concupiscibilem* refert, gaudium, tristitiam, amorem, odium, &c. ad *irascibilem*, audaciam, timorem, spem, &c.

§. 4. An vero objecta secundum magis & minus tantum differentia diversas requirant facultates, quæri non sine causa possit: Neque hoc negligendum arbitramur, quod *gaudium* & *tristitia amor* & *odium*, circa bonum vel malum non tantum absolute dictum, sed & arduum occupentur. Unde affectus hi ad utramque facultatem, *irascibilem* & *concupiscibilem*, videbuntur pertinere: quod vix admittent *Peripatetici*. Tota affectuum ratio plene explicari videtur posse sine distinctione appetitus in *concupiscibilem* & *irascibilem*. Multa videas apud *Scholasticos* & *Peripateticos*, quæ veritatem implicant potius, quam explicant: & quibus carere facile possemus.

§. 5. Quæritur (2) *An spes etiam brutis competat?*

Resp. *Affirmativa* defenditur: *Ratio* est: quia ex iis, quæ videt brutum, movetur appetitus ejus ad aliquid prosequendum vel fugiendum. Bonum vero absens imaginatione apprehensum, in quod obtinendum fertur appetitus, spem arguit in appetente & prosequente: ubi enim spes obtinendi nulla, ibi conatus quoque persequendi nullus: Quod videre est in brutis: exempli gratia, in *cane*. Hic si leporem è longinquo videat, aut loco prorsus inaccesso, cursu eum non persequitur, quia adsequi desperat. Sin ex propinquo, persequitur, sub spe apprehendendi. Ita felis muri, quem intra cavernam abditum odoratur vel audit, insidiatur

diatur & intentus aliquandiu exſpectat, ſub ſpe capiendi: quæ ubi nulla apparet, ex deſperatione tandem abit & inſidiari deſinit.

§. 6. Objicitur in contrarium.

(1) *Cognitio boni futuri non cadit in bruta: Ergo nec ſpes, quæ eſt de bono futuro:* Antecedens prob. *Quia in brutis non eſt niſi ſenſitiva cognitio, quæ non eſt futurorum: ſed præſentium duntaxat & ſenſui obverſantium.*

Reſp. *Antecedens* ſimpliciter non conceditur: *probatio* ſimpliciter vera non eſt: Etiamſi enim externo ſenſu futura non cognoſcuntur & percipiuntur: tamen cognitio, quæ fit per phantaſiam, etiam in brutis aliquo modo ad futura extendi videtur: Eſt enim in phantaſia brutorum umbra quædam rationis, qua ex antecedentibus ſequentia aliquo modo colligunt & ex præteritis in memoria obſervatis futura. Ita canis baculo aliquoties percuſſus, monſtrato & intentato baculo, ex metu verberum futurorum aufugit: *Thomas* reſpondet: *Quamvis bruta non cognoſcant futurum, tamen ex inſtinctu naturali ita in futurum moveri, ac ſi prævidérent.* Etiam de futuro ſolicita ſunt bruta, quæ æſtivo tempore colligunt & recondunt, quibus hyberno veſcantur.

§. 7. (2) *Objectum ſpei eſt bonum poſſibile: Ergo in bruta ſpes non cadit:* Ratio conſequentiæ: *quia poſſibile & impoſſibile ſunt differentiæ veri & falſi, quæ tantum ſunt in mente:* ut conſtat ex 6. Metaph. t. 8. *Atqui in brutis mens non eſt,*

Reſp. *Conſequentia* negatur: *Ratio* ſimpliciter & excluſive vera non eſt: Eſt enim duplex poſſibile: *unum*, ſecundum habitudinem prædicati ad ſubjectum: quod eſt veri differentia: *alterum*, quod dicitur ſecundum aliquam potentiam: quod veri differentia non eſt: & hoc objectum eſt ſpei.

§. 8. Quæritur (3) *Quot modis ad res gerendas conducat ſpes?*

Reſp. Duobus potiſſimum: *uno*, ratione *objecti:* quod eſt bonum *arduum*, *poſſibile: arduum* attentionem; *poſſibile* alacritatem excitat · *altero*, ratione effectus. Spes enim delectationem conciliat: delectatio operationem adjuvat & promovet.

§. 9. Objicitur contra hunc ſpei effectum.

(1) *Deſperatio ad res gerendas conducit: Ergo ſpes iis obſtat.* Ratio conſeq. *Quia cauſarum contrariarum effectus ſunt contrarii:* Anteced. prob. *Quia in bellicis rebus deſperatio ſæpe victoriam parit & ſine metu præſentis periculi maxima audet. Teſtis experientia & fide digni autores:* Seneca, lib. 2. nat. quæſt. cap. 59. *Perditus animus majora, aut paria conatur, quam magnus.*

Polyanus

Polyænus lib. 1. Straterg. *sæpe desperatio dat hominibus, quod non dat fortitudo.* πολλάκις ἀπόνοια δίδωσιν, ὅσα μὴ ἔδωκεν ἀνδρία.

Seneca, lib. 1. de ira, cap. 13. *Mortis timor etiam inertissimos excitavit in prælia.*

Tacitus, lib. 2. annal. *Obseptis effugiis, multa & clara facinora fecêre.*

Curtius, lib. 9. *Desperatio magnum ad honeste moriendum incitamentum.*

Resp. Negatur *consequentia:* Probatio simpliciter & universaliter vera non est. Sæpe contrarias causas similes sequuntur effectus, sive per se, sive per accidens: pro ratione diversorum *objectorum* & *circumstantiarum.* Sic idem quandoque effectus est fortitudinis & audaciæ; idem prudentiæ & imprudentiæ: idem sobrietatis & ebrietatis, &c. Sic caloris & frigoris iidem intersunt effectus; ut notum Physicis.

Deinde nulla fere est desperatio, quæ non habeat conjunctam aliquam spem. Qui præclusa sibi videt effugia, & de iis desperat, spem vindictæ & honeste fortiterque moriendi concipit: quo sensu desperatio à *Curtio* appellatur magnum ad honeste moriendum incitamentum. Qui omnia desperat, & plane nihil sperat, nullum ad res gerendas incitamentum habet.

§. 10. (2) *Spes conjunctam habet securitatem: Ergo ad res gerendas non conducit:* Ratio conseq. *Quia securitas parit negligentiam; quæ rebus gerendis obstat.* Unde *Vellejus Paterculus*, lib. 2. *Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet; & frequentissimum initium calamitatis est securitas.*

Resp. Neque *antecedens* simpliciter verum, neque satis firma *consequentia.* Spes prudens non quævis conjunctam habet securitatem: neque quævis securitas parit negligentiam: Est etiam quædam prudens securitas, quam prudens omnium mediorum ad finem obtinendum & impedimenta removenda delectus & ordinatio gignit. Quæ negligentiam adducit securitas, existimationem ardui minuit, adeoque spem ipsam, cujus objectum est bonum arduum.

§. 11. Quæritur (4) *Quæ sint præcipuæ spei causæ?*

Resp. Cum non sperentur nisi possibilia futura: & vero noverimus vel in genere aliquid esse possibile, vel in specie nobis esse possibile: utique spei causæ erunt duæ potissimum, vel, quod facit nobis aliquid possibile, ita ut à nobis effici & obtineri posse credamus: vel, quod absolute aliquid possibile esse nos facit credere, si maxime nostris id effici viribus non posse noverimus.

Ad cau-

§. 12. Ad causas primi modi pertinent *divitiæ*, per quas spem obtinendi alia animi, corporis, & fortunæ bona concipimus. Siquidem auro fere omnia sunt venalia. *Pecuniis*, inquit Demosthenes, *opus est*, *& sine illis nulla res fieri necessaria potest.* His instrumentis, quæ alioquin inexpugnabilia & insuperabilia videntur, tandem expugnantur & superantur. *πάντα τῷ πλούτῳ ὑπήκοα*, inquit Aristoph.

Multa loquor: quidvis, numis præsentibus, opta,
Et veniet. Clausum possidet arca Jovem. **Petron.**
- - - Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulcris
Divitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiensque etiam & Rex.
Et quicquid volet. **Horat.**

§. 13. Pertinet huc quoque *fortitudo*, quæ quævis ardua aggreditur & audet. Pertinet *prudentia*; quæ, ut *Iphicrates* ajebat; *neque aurum est, neque argentum, neque gloria, neque valetudo, neque divitiæ, neque robur, neque pulchritudo. Sed id quod recte uti his omnibus potest, ac singula horum utilia facit, jucunda, laudabilia.*

§. 14. Pertinet denique *experientia*, qua facultas acquiritur negotia recte gerendi: Unde *Theocritus*: *πείρᾳ πάντα τελεῖται*: *experientia conficiuntur omnia.* Et Aristot. 1. Metaph. t. 5. *Videmus expertos magis id, quod intendunt, consequi, quam illos, qui rationem absque experientia tenent.*

Ad secundi modi causas itidem pertinet *experientia*, qua possibilia esse novimus ipso edocti usu & eventu, quæ impossibilia esse alii experientiâ destituti sibi persuadent: adeoque speramus nobis obventura, quæ iisdem circumstantiis obvenerunt quoque pluribus aliis.

§. 15. Contra *experientiam* excipitur:

(1) *Experientia pertinet ad vim cognitivam, spes ad appetitivam. Ergo experientia non est causa spei.*

Resp. Negatur *consequentia*: ratio est: quia voluntas & appetitus non movetur ad objectum, nisi præeunte cognitione: Siquidem *ignoti nulla est Cupido*: Nihil speramus, nisi quod possibile esse nobis persuademus & scire nobis videmur.

§. 16. *Experientia spem elidit: E. ejus causa non est*: Antecedens patet ex. 2. Rhet. c. 13. *Ubi Aristot. affirmat, senes esse difficilis spei propter experientiam. Videtur igitur ἀπειρία potius, qualis est in juvenibus, quàm ἐμπειρία, quæ in senibus, causa spei esse.*

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est: neque probatur ex alle-

exallegato *Aristotelis* loco, cui sua quoque constat veritas. Ad spem enim invitat cum *experientia*, tum *defectus experientiæ*: sed non eodem modo, & ut plurimum non eosdem. *Experientia* quidem, quia per eam possibile esse novimus; quod ea destituti impossibile esse alii putant. *Defectus experientiæ*, quia qui difficultatem futurorum ignorant, sæpe facilitatem sibi imaginantur & vanis decepti persuasionibus sperant, quæ prudentes rationibus & usu edocti desperant. Illud senibus plerunque, hoc juvenibus accidit.

§. 17. Quæritur (5) *Cur juvenes ad spem sint longe proniores quam senes.*

Resp. Testatur hoc *experientia* & affirmat *Aristoteles*, 2. Rhet. cap. 12. Rationes sunt:

(1) Quia spes in futurum fertur: Juvenes autem de futuro plus videntur habere reliquum, quam senes, qui à fine suo propius absunt, longius ab initio progressi, cui propiores sunt juvenes.

(2) Quia spiritibus & sanguine, quibus animi vigor conservatur, juvenes abundant. Unde plerunque etiam lætiores sunt, quam senes, adeoque ad spem quoque magis animantur. Contra senes cum plerique sint tristes & frigidi, etiam tuta timent & desperant.

(3) Quia experimentis carent juvenes, suisque votis & desideriis tam sæpe non exciderunt, quam senes. Unde futura quoque minus suspecti habent, iisque magis fidunt.

(4) Quia non adeo intelligunt difficultatem futurorum & sperandorum. Unde tanto promtius sperant juvenes, quanto facilius sperata obtineri posse sibi persuadent, & pericula aut impedimenta magis contemnunt; suis convisi viribus. Quæ omnia secus habent in senibus.

Objicitur.

§. 18. (1) *Spes requirit quandam firmitatem & certitudinem: unde comparatur anchoræ. Ergo in juvenes minus, quam in senes cadit. Ratio* conseq. *Quia in juvenibus non est magna firmitas: facillime mutantur & admodum sunt inconstantes.*

Resp. Negatur *consequentia*: *Ratio* simpliciter vera non est: etiamsi enim in juvenibus non est magna firmitas κατ' ἀλήθειαν: tamen magna est κατὰ δόξαν, secundum opinionem & imaginationem: quæ ad spem sufficit.

§. 19. (2) *Spei causa est experientia*, Aristotel. libr. 3. Eth. cap. 8. *Ergo in juvenes potissimum non cadit*: Ratio conseq. *Quia juvenes destituti sunt experientia.*

Resp.

Resp. *Consequentia* negatur: Quia experientia non est causa solitaria spei: nascitur quoque spes ex defectu experientiæ: quando pro possibili habetur, quod impossibile est. Item spem sæpe elidit experientia: per quam impossibile esse novimus, quod inexpertus pro possibili habet.

XIII.

Desperatio est affectus, quo recedit animus ab appetitione futuri boni, opinione quod nunquam eo sit potiturus.

Ἔκθεσις.

§. 1. D*Esperatio* oritur ex persuasione imbecillitatis virium ad obtinendum bonum futurum. Contrahitur in hoc affectu *cor*, & ad idem revocantur spiritus: quia non habent bonum, quod foris exspectent. Cum desperatione plerunque conjunctus est metus, qui & ipse cor contrahit, & spiritus ad centrum vocat.

§. 2. Quæritur (1) *An desperatio sit contraria spei?*

Resp. *Affirmativam* amplectuntur omnes scholæ Ethicæ: observanda heic distinctio *Thomæ*, quam tradit, prima secundæ, q. 23. art. 2. & q. 33. art. 2. & q. 40. art. 4. *In mutationibus, seu motibus, duplex invenitur contrarietas: una secundum accessum ad terminos contrarios: qualem inveniri ait in passionibus concupiscibilis: quales amor, odium, &c. altera secundum accessum & recessum, respectu ejusdem termini: qualis est in passionibus irascibilis.*

Communis terminus spei & desperationis est bonum arduum; in quod, sub ratione possibilis, tendit spes: recedit ab eodem desperatio, sub ratione impossibilis. Unde manifesta contrarietas.

§. 3. Objicitur.

(1) *Spei contrarius est timor: Ergo non desperatio*: Antecedens *in confesso* est: Ratio consequentiæ: *Quia unum uni tantum est contrarium*, Metaphys. lib. 10. c. 17.

Resp. Negatur *consequentia*: Ratio absque limitatione non admittitur. Unum uni tantum est contrarium, modo contrarietatis uno. Ita spes contraria est soli desperationi, per accessum & recessum ab eodem termino. Eadem contraria est soli timori, per accessum ad terminos contrarios.

§. 4. (1) *Spes & desperatio non sunt circa idem: Ergo contraria non sunt.* Ratio consequentiæ: *Quia contraria sunt circa idem:* Antecedens prob. *Quia spes est circa bonum: desperatio circa malum.*

Resp. *Antecedens* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est. Etiam desperatio est circa bonum arduum, sub ratione impossibilis: quamvis ad malum quoque præceps feratur quandoque.

§. 5. Quæritur (2) *An desperatio pertineat quoque ad appetitum, aut voluntatem?*

Resp. *Almainus*, tract. 2. moral. cap. 7. diff. 3. negat ad desperationem requiri voluntatis actum: putat enim, actu positivo in intellectu circa objectum aliquod nunquam futurum libere posito, sine ullo voluntatis interveniente actu, hominem dici posse desperare.

Sed paucissimos dubio procul adstipulatores habebit *Almainus.* Aut enim desperatio non est affectus spei contrarius, aut in solo intellectu non est: affectus enim formaliter non est in intellectu, sed in voluntate, vel appetitu. Qui igitur desperat, præter intellectus actum, quo judicat sibi impossibile & non futurum bonum, is tristatur de boni propositi impossibilitate & negatione: hæc vero tristitia non est intellectus, sed voluntatis nolentis: adeoque præter judicium intellectus & tristitiam in desperante est nolitio posterior judicio circa impedimenta boni sperati. Hæc vero nolitio profluit ex actuali aliquo affectu prosecutivo circa bonum appetitum: cujus impedimenta nolendo desperantur.

§. 6. In hoc affectu prosecutivo *Raynaudus* desperationem formaliter collocat. Dist. 3. q. 3. art. 2. n. 300. repudiatis sententiis aliorum, qui formalem ejus rationem ponunt vel in fuga & nolitione, aut dimissione boni ardui, vel in nolitione usurpandi media, quibus pertingi ad bonum possit, quod desperatur: vel denique in spirituali casu à bono. Qui enim cadit à consecutione boni summopere concupiti, ut loquitur *Aureolus*, is desperare dicitur. Attamen *Raynaudi* sententia minus videtur probabilitatis habere, quam quas ipse repudiat. Consistit enim in affectu prosecutivo potius spei formalis ratio quam desperationis: etsi sine affectu prosecutivo non est desperatio: quippe quæ versatur circa objectum amatum & expetitum, quod dum nimis esse arduum deprehenditur, tandem amplius non appetitur, sed desperatur. Qui desperat, sperare desinit: qui sperare desinit, quatenus desinit, objectum amplius non prosequitur. Adeoque formalis ratio desperationis non potest esse in actu vel affectu prosecutivo, sed potius in adversativo.

Quæritur

§. 7. Quæritur (3) *Quæ adversus desperationem sint remedia?*

Resp. Duo potissimum: (1) *Consideratio exemplorum*, ubi inæque arduis, per vires æque imbecilles ex voto, imo præter votum & expectationem, res successit. Unde Seneca: *Quare deficimus? Quare desperamus? Quicquid fieri potuit, potest.*

(2) *Cogitatio vocationis legitimæ, bonitatis & potentiæ divinæ*, quæ in adversis constitutos multos erigit & à desperationis præcipitio retrahit.

XIV.

Ira est affectus ortus ex reputatione injuriæ illatæ & ulciscendi desiderio.

Ἔκθεσις.

§. 1. ORitur *ira* ex reputatione injuriæ præsertim contemtus nostri, & existimationis læsæ, quam sequitur ulciscendi desiderium. In hoc affectu, qui admodum violentus est, ex quadam tristitia primum cor contrahitur, ut, quod molestum est, fugiat. Deinde mox dilatatur & in quandam quasi lætitiam, hoc est, vindictæ cupiditatem se effundit. Ex hisce cordis ac spirituum motibus sanguinis ita exardescit calor, ut circa cor quasi ebulliat & effervescat. Unde ira à nonnullis definitur, *fervor sanguinis circa cor.* Sanguis vero per violentos hosce motus attenuatus partes petit superas, nempe caput, & ita cerebrum turbat, ut nec sensus, nec ratio officium recte faciat.

§. 2. Quæritur (1) *An ira sit in facultate concupiscibili?*

Resp. *Negativam* defendunt scholæ *Peripateticæ*: Ratio est: Quia distincta est facultas concupiscibilis ab irascibili. Atqui ab ira non concupiscibilis, sed irascibilis denominatur. Accedit & *altera.* Ira versatur circa ardua & difficilia: Ergo ad facultatem pertinet irascibilem; quæ circa bonum & malum, non absolute, sed sub ratione ardui & difficilis, versatur. *Antecedens* prob. Quia versatur circa vindictam, quam appetit: & malum ejus, de qua vindictam quærit: in utroque inest ratio ardui & difficilis. Quia non exardescit ira sine magnitudine aliqua circa utrumque existente. Quæ enim nullius sunt momenti, aut valde exigua & indigna judicamus ira, neque vim habent irritandi animum & stimulandi ad vindictam.

Objicitur in contrarium.

§. 3. (1) *Ira est libido : Ergo pertinet ad facultatem concupiscibilem :.* Antecedens *Ciceronis* est, in 4. quæst. Tusc. Ratio consequentiæ : *Quia libido est facultatis concupiscibilis.*

Resp. Negatur *consequentia. Ratio* simpliciter vera non est. Libido in genere est cujuscunque boni futuri appetitus, non habita ratione *ardui*, vel *non ardui*. Quo sensu libido commune est adjunctum facultatis concupiscibilis & irascibilis.

§. 4. (2) *Ira mutatur in odium; teste Augustino & Cicerone, cui odium est ira inveterata. Ergo pertinet ad facultatem concupiscibilem, ad quam odium pertinet.*

Resp. *Thomas consequentiam* negat : ratio est : quia non eadem numero passio, quæ ira fuit, postmodum fit odium : sed gignit ira ex se aliam passionem, quam *odium* appellamus.

Interim videtur iræ & odii ex ira derivati idem manere objectum, nempe malum, sive absolute dictum, sive arduum. Si absolute dictum : tam ira, quam odium videbitur pertinere ad concupiscibilem : Si, quatenus arduum, utraque passio videbitur referenda ad irascibilem. Utrique Peripatetici contradicunt.

Resp. Si salva manere debeat *Thomæ* hypothesis : dicendum, malum, quatenus est iræ objectum, æstimari arduum, quatenus odii ex ira nati, esse absolutè dictum.

§. 5. (3) *Ira componitur ex tristitia & desiderio, teste Damasceno*, lib. 2. cap. 16. *Ergo est concupiscibilis facultatis, ad quam tristitia & desiderium pertinent.*

Resp. Negatur *consequentia* : Quia compositio ista non est ex partibus integrantibus, sed ex causis efficientibus. Sunt enim passiones concupiscibilis causæ passionum irascibilis. Vide *Thom.* part. 1. secundæ. q. 25. art. 1.

§. 6. (4) *Ira quandoque accenditur ex re minima : Ergo ad concupiscibilem, non ad irascibilem appetitum pertinet.* Antecedens *comprobat experientia.* Ratio consequentiæ : *Quia malum absolute dictum, vel quatenus parvum, ad irascibilem facultatem non pertinet : quæ versatur tantum circa malum arduum.*

Resp Ad *Antecedens* : res minima est κατ' ἀλήθειαν, vel κατὰ δόξαν : Quæ minima est καὶ' ἀλήθειαν, magna esse potest κατὰ δόξαν, seu opinionem irascentis, & sic iram accendere in animo impotente.

§. 7. Quæritur (2) *An ira sit conjuncta cum ratione ?*

Resp. *Affirmativam* defendunt Philosophi & Theologi.

(1) Si ira rationem non admitteret, & plane irrationalis esset, Deo in scriptura tribui non posset. Atqui falsum consequens. Ergo & antecedens.

(2) Ira

(2) Ira est appetitus vindictæ, & pœnæ infligendæ cum culpa collationem instituit. Ergo non est sine ratione.

(3) Ira est justitiæ ministra: Ergo non est sine ratione. *Ratio consequentiæ*: quia justitiæ actus absque proæresi & ratione non exercetur: Antecedens *patet ex* Rom. 13. v. 4. *Magistratus est Dei minister, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.*

(4) Ita temperari potest ita ut ne peccemus: Ergo à ratione simpliciter non est disjuncta: *Anteced.* prob. Ephes. 4. v. 26. *Irascimini & ne peccate.* Ratio *conseq.* Quia ita temperare iram, ut intra justitiæ se contineat terminos, rectæ rationis est, quæ per voluntatem imperare iram potest.

Objicitur.

§. 8. (1) *Ira est in appetitu sensitivo: Ergo non est cum ratione:* Ratio conseq. *Quia appetitus sensitivus non sequitur rationis apprehensionem, sed sensitivæ partis.*

Resp. *Consequentia* negatur. *Ratio* est inconsequens. Etiamsi enim appetitus sensitivus sequitur partem sensitivam: tamen in homine subjectus quoque est rationi, & ab ea regitur: Sic ira est cum ratione injuriam manifestante & excessum prohibente.

§. 9. (2) *Ira quoque in brutis est: Ergo sine ratione est: Ratio consequentiæ: quia bruta carent ratione.*

Resp. Negatur *consequentia.* Quia in homine ratio præses est passionum, quas cum brutis comunes habet.

Thomas ait, bruta habere instinctum naturalem ex divina ratione ipsis inditum, per quem motus habent interiores & exteriores motibus rationis similes: Prima sec. q. 40, art. 3.

§. 10. (3) *Ira est quædam insania, & inimica rationi atque consilij: Ergo cum ratione non est conjuncta.*

Antecedens *apud Autores sacros & classicos in confesso est.* Unde *Arnobius*, lib. 1. *Quid est aliud irasci, quam insanire, quam furere?* Horatius *Ira furor brevis est:* quam Themistius orat. 3. appellat *μανίαν ὀλιγοχρόνιον*. *An est quicquam similius insaniæ, quam ira?* Exclamat Cicero, 4. Tuscul.

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est. Loquuntur allegati autores de ira non absolute dicta, sed immoderata & præcipiti, rationis præscriptum prævertente & frænum excutiente. Iram à ratione prorsus non sejungi agnoscit quoque *Seneca*, lib. 1. de ira, cap. 3. *Dicendum est feras ira carere, & omnia præter hominem. Nam cum sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi ubi rationi locus est.*

§. 11. Quæritur (3) *An ira sit deterior odio?*

 Resp.

Resp. *Negativa* defenditur.

(1) Quia odii objectum est malum, sub ratione mali: iræ vero sub ratione boni, hoc est, vindictæ justæ.

(2) Quia odium longe pertinacius est ira: unde dicitur *ira inveterata*.

(3) Quia odium est occultius ira, adeoque minus declinari potest, quam ira. Atqui periculosiores & deteriores sunt hostes occulti, quam manifesti.

(4) Quia odium magis est ex proæresi & consilio, quam ira.

(5) Quia iram misericordia mox sequitur, odium non item. Quando malum illatum excedit mensuram justitiæ secundum æstimationem irascentis, tunc miseretur: quod & *Aristoteles* notat 2. Rhetor. cap. 4. in odio hujusmodi æstimatio non est.

(6) Quia odium diutius nocet, quam ira. Quia cito hæc transit, illud manet, & nocendi occasiones continuo quærit.

Objicitur.

§. 12. (1) *Illi, qui odio aliquem habet, sufficit, quod is, quem odit, patiatur malum: Irato hoc non sufficit, sed cupit ut is, cui irascitur, cognoscat illud & de eo doleat. Ergo ira gravior est odio.* Antecedens *est Philosophi*, 2. Rhet. cap. 4. Ratio consequentiæ: *Quia majus est ita pati malum, ut de eo doleas, quam simpliciter tantum pati.*

Resp. Negatur *consequentia*: nam si maxime hoc respectu gravior esset ira: tamen non sequeretur, simpliciter graviorem esse: sunt enim plures alii respectus, ut ante vidimus, ratione quorum gravius est odium. *Ratio Consequentiæ*, quæ adfertur simpliciter vera non est, Æquiore animo malum patitur, qui novit cur patiatur, quam qui ignorat.

§. 13. (2) *Ira concitatur ex concursu plurium passionum, non autem odium: Ergo ira est gravior odio:* Antecedens patet: *quia ira adjunctam habet tristitiam, lætitiam, desiderium spem*, &c.

Resp. Negatur *consequentia*: Potest unius causæ effectus deterior esse, quam multarum. Unde, non obstante causarum, quæ iram concitant, pluralitate, odium minus est sanabile, quam ira: lib. 2. Rhet. cap. 4.

§. 14. Quæritur (4) *An ira oriatur ex fervore sanguinis circa cor?*

Resp. *Affirmativa* in scholis receptissima est: unde *causalis definitio* iræ censetur, fervor sanguinis circa cor.

Causam hanc ita evolvit & explicat *Keckermannus*.

Geminum in ira cordis motum supponit: *unum contractionis*,

cu-

quo à molestia se abjungere cupit, & quasi intra se confugit, ut in tristitia: *alterum dilatationis*, quo compressum cor se in lætitiam quandam & vindictæ cupiditatem effundit. Utque in priori motu calor & spiritus, sub initia tristitiæ, ad interiora confugiunt cordi opem laturi: Unde inter initia iræ plerunque se pallor in vultu prodit: Ita in posteriori quasi è cordis thalamo se effundunt & ad extimam cutem secum sanguinem rapiunt. Unde irati in progressu impense rubent & quasi ardentes habent oculos, propter fervidorum spirituum in illis partibus confluxum *Rationem* hanc adducit *Scaliger*, Exer. 313. Quia injuriæ illatæ labem non nisi inimicorum sanguine putamus elui posse, idcirco spiritus exeunt, quasi suppetias instrumentis laturi. Producunt enim se musculi ad ictum inferendum, in fortibus, ut in *Achille*, in imbellibus & *Ciceroni* similibus ad linguæ arma.

In his igitur contrariis & subitaneis spirituum & sanguinis motibus à partibus exterioribus ad interiores, & ab interioribus ad exteriores, vehementer incalescere sanguinem probabile est. Unde ex hoc reciproco motu cum in toto corpore, tum præcipue in corde effervescit & ebullit, versusque principium suum, epar, regurgitat & fellis vesiculam sollicitat: hinc assumta calida bile tenuior leviorque factus ad cerebrum enititur, sensusque & rationis officinam turbat. Hinc veluti furore concitantur irati, natumque hinc tritum illud, *ira furor brevis est*: Quam in sententiam *Cicero*: *Quid est quo non progrediatur eodem ira, quo furor? Itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est, de consilio, de ratione, de mente.* Similia habet & *Seneca*.

§. 15. Nos etsi ex iis, quæ de efficiente iræ causa à Keckermanno multisque aliis traduntur, probamus multa, tamen omnia non probamus. Et quidem initium iræ, aut cujusque iræ ortum esse à fervore sanguinis circa cor, ex reciprocis illis & contrariis spirituum & sanguinis, jam ad cor, jam à corde, motibus, à vero alienum nobis videtur. Sæpe enim in momento quasi surgit ira & pene cogitationes nostras prævertit. Quis credat in momento reciprocis motibus agitari per universum corpus & inflammari vel spiritus vel sanguinem posse? Et qui inter iræ initia pallent, sanguine ad interiora revocato, commoventur prius, quam ab interioribus ad exteriora recurrat sanguis.

§. 16. Statuimus igitur fervorem sanguinis circa cor potius effectum esse incipientis iræ, quam causam. Irritatus enim appetitus per injuriam illatam plerunque arma sua calorem, spiritus, & sanguinem corripit & ad se trahit, qui primus est motus: eadem deinde explicat & quasi vibrat in hostem externum, exterio-

 ribus

ribus per ea membris ad ultionem concitatis. Unde rubore & calore tota cutis suffunditur. A concitatis spiritibus & agitatô atque fervescente sanguine tandem turbari sensus & rationem iramque valde intendi, non inficiamur; & quidem tanto magis citiusque, quanto biliosior & ad inflammationem pronior sanguis est.

§. 17. Quod vero *Keckerm.* existimat, *turbari potissimum sanguinem, & rationis officinam à bile è vesicula per sanguinem irritatam, & epar regurgitantem educta & accensa*, verisimile quoque nobis non videtur: nisi forsan quandoque extraordinariè in maxima iratorum violentia continuata. Alias ordinariè non est opus in biliosis, & ad iram proclivibus, è vesicula demum bilem flavam accersere, cum per universum corpus sanguini sit mista. Neque enim ita omnem ex epate ad se trahit bilem vesicula, ut non aliquid in sanguine relinquat, quod in alias corporis partes derivetur, majori minorive quantitate, pro temperamentorum diuersitate.

§. 18. Quæritur (5) *An causa iræ impulsiva semper sit aliquid contra eum, qui irascitur, perpetratum?*

Resp. Affirmat hoc *Aristoteles*, 2. Rhet. cap. 4. *Ratio* est: Quia ira est appetitus nocendi alteri, sub ratione justi vindicativi: Atqui vindicta locum non habet, nisi ubi præcessit injuria: neque tamen ad vindictam excitat omnis injuria, sed illi tantum illata, qui vindictam expetit. Ut enim unumquodque naturaliter proprium appetit bonum, ita malum quoque proprium naturaliter repellit: Injuria autem, tanquam malum, ad nos propriè non pertinet, nisi nobis sit illata. Unde sequitur, causam iræ impulsivam non esse, nisi quod contra eum, qui irascitur, sit perpetratum.

Objicitur in contrarium.

§. 19. (1) *Vindicta expetitur etiam de his, quæ contra alios sunt perpetrata*: *Ergo causa iræ impulsiva non est semper aliquid &c.* Antecedens prob. *Quia sæpe irascimur, & in vindictam exardescimus contra eum, qui injuria non nos, sed amicos nostros, aut alios bonos viros affecit.*

Resp. *Antecedens* exclusive verum non est de iis, quæ contra alios ita sunt perpetrata, ut irascentes nullo modo attingant, vindictam non expetitur. *Probatio* simpliciter vera non est: nam & injuria amicis illata ad nos aliquo modo pertinet, & nobis illata censetur: Est enim amicus meus *alter ego*. Qui igitur irascuntur propter injuriam alteri illatam, *alterum illum* sibi conjunctum & ad se pertinentem habent, vel per aliquam consanguinitatem, vel per

vel per affinitatem, vel per amicitiam, vel denique per naturæ communionem.

§. 20. (2) *Irascimur contemptoribus studiorum, quæ amamus & tractamus: Ita Theologus irascitur contemtori Theologiæ: Philosophus contemtori Philosophiæ*, &c. ut docet *Aristoteles* 2. Rhet. 2. *Ergo non semper irascimur propter injuriam nobis illatam:* Ratio consequentiæ: *quia aliud est Theologus aut Philosophus, aliud Theologia aut Philosophia in genere.*

Resp. *Consequentia* negatur: *Ratio* est inconsequens. Non enim potest Theologia aut Philosophia contemni, quin Theologi quoque aut Philosophi contemnantur. Id etiam, quod studiose colimus, nostrum esse bonum judicamus: adeoque contemtoribus boni nostri irascimur.

§. 21. (3) *Qui contumelia alterum afficit, magis irritatur, si tacere eum videat, teste Chrysostomo & experientia: Ergo ira non semper fertur in eum, qui injuria irascentem affecit, aut videtur affecisse:* Ratio conseq. *Quia, qui contumelia affectus tacet, contra irascentem mali nihil perpetrat.*

Resp. *Consequentia* negatur: *Probatio* simpliciter vera non est: Qui enim contumelia affectus tacet, is contumelia afficientem videtur contemnere: unde propter opinionem contemptus magis magisque irritatur ira. Observetur illud *Ambrosii*, lib. 1. de off. cap. 5. *Qui injuriam facit, nos similes sui facere desiderat. Quod si taceas, si dissimules, solet dicere: Quid taces? Loquere si audes. Sed non audes, mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur: victum se reputat irrisum, posthabitum atque illusum.* Pertinet huc quoque illud *Tertulliani* de patient. cap. 8. *Idcirco quis te lædit, ut doleas; quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus evertis non dolendo, ipse doleat necesse est amissione sui fructus.*

§. 22. Quæritur (6) *An, quicunque irascitur, ob contemptum sui irascitur?*

Resp. *Lælius Peregrinus* ex *Plutarcho* docet, primam iræ radicem esse *opinionem contemptus sui* ab alio. Quod adeo persuasum est *Vivi*, ut inde iram definiat; *concitationem animi acerbam, quod bona sua videt contemni, quæ ipse putat non esse contemnenda, in quo & semetipsum censet contemni.* Sententiam hanc olim amplexus est *Thomas*, 1. secund. q. 47. art. 2. quæ & *Aristoteli* videtur arrisisse; 2. Rhet. cap. 2. ita ut communis sit.

§. 23. Interim improbatur ea *Scaligero*. *Haud quævis*, inquit, *ira est ex contemtu*. Non erit igitur objectum iræ universale contemtus, nec per eum definienda ira. Sententiam suam ita probat

 Scaliger

Scaliger: *Hostis*, inquit, *neque contemnit mea, quæ & appetit & occupat: neque me, quem toties fugit ulturum atque etiam ultum.*

Affirmat heic *Scaliger*, se irasci suo hosti, à quo tamen nec ipse nec bona sua sint contemta.

§. 24. An vero contemtus heic nullus interveniat, nullusque ad iram stimulet *Scaligerum*, equidem dubito. Est certe satis magnus viri gravis & in autoritate constituti contemtus, si nulla autoritatis & meritorum ejus ratione habita, illius bona alius sibi rapiat, aut rapere conetur: non enim unquam ausurus hoc esset, si observaret & veneraretur optimum & veneratione dignissimum virum; neque vir optimus ei succensurus, nisi indigne se ab eo tractari crederet.

§. 25. Alio igitur exemplo probandum, non quamvis à contemtu iram esse: quod cogitanti deesse non poterit. Testatur experientia nos quandoque irasci rebus inanimatis, *exempli gratia*, instrumentis ad opus efficiendum ineptis, quæ cum indignatione abjicimus & sæpe frangimus. *Xerxes* iratus & mari stigmata atque verbera ingessit. Illa vero ut contemnere nos non possunt, ita nec contemni nos ab iis opinamur.

§. 26. Quamvis rationi hæc adversetur ira. Irascimur sæpe ob injuriam alteri illatam & cum nullo nostro contemtu conjunctam. Siquidem fieri potest, ut qui injuriam alteri intulit, nos nunquam viderit, aut de nobis plane non cogitarit. Sic stupido & tardo ingenio quandoque præceptor irascitur, à quo tamen se non contemni, imo amari & honorari novit. Nisi quis forsan & heic aliquam contemtus opinionem vel suspicionem intervenire arbitretur: quam etiam de monte *Atho* concepit *Xerxes*: unde epistolam ad eum hujusmodi scripsit: *Atho divine, cælum tanges vertice: noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles, alioquin te excisum in mare deturbabo.*

§. 27. Interim objectum alii eligunt generalius, *injuriam*, quæ contemtu universalior est: unde iram definiunt, *cupiditatem ulciscendi injuriam illatam*. Etsi nec hoc objectum ita universale aliis videtur, ut omnes ex eo nasci ira dici debeat. Quia nec inanimata, quibus irascimur, afficere nos injuria possunt: veluti & brutis atque hominibus, sine injuria nobis illata, irasci quandoque deprehendimur.

§. 28. Universalius igitur constituendum, quod omnia in se complectatur: Id vero nobis videtur esse, *malum*, sive verum sive apparens ita nos offendens, ut repellere id cum vi quadam & violentia discupiamus & conemur. Ad hoc referri possunt, quæcunque ad iram nos commovent: inter quæ justam & evidenti ratione

tione nixam nonnulla iram concitant, ut contemtus nostri & injuria vera, sive realis, sive personalis; alia vero non justam & idonea ratione non nixam; ut cum rebus irascimur inanimatis; aut brutis, aut hominibus, à quibus injuria affecti non sumus, sed molestiam tantum sensimus opinione nostra non ferendam. Etsi *contemtus* admitti videtur posse pro objecto adæquato iræ rationalis, vel ratione justa & idonea nixæ: *Rationem* reddit *Thomas*: Quia ad excellentiam omnia homo refert: unde omnes iræ rationalis causæ tandem rediguntur ad contemtum excellentiæ nostræ: & quo minus excellentiam nostram attingunt eique adversantur, eo minus iram concitant. De ira adversus inanimata observetur sententia Senecæ de ira lib. 2. cap. 26. *Irascimur, inquit, aut his, à quibus nec injuriam accipere potuimus, aut his, à quibus accipere potuimus. Ex prioribus quædam sine sensu sunt: ut librum minutioribus literis scriptum sæpe projecimus & mendosum laceravimus; vestimenta, quia displicebant, scidimus. His irasci quam stultum est, quæ nec iram nostram meruerunt, nec sentiunt. Sed nos offendunt videlicet, qui illa fecerunt.* Digna quoque observatu illa *Augustini* lib. 14. de C. D. cap. 15. *Iram nihil aliud esse, quam ulciscendi libidinem, veteres definierunt. Quamvis nonnunquam homo, ubi vindictæ nullus est sensus, etiam rebus inanimatis irascatur, ut male scribentem stylum collidat, vel calamum frangat iratus, Verum & ista irrationabilior tamen quædam ulciscendi libido est, & nescio quæ, ut ita dixerim, quasi umbra retributionis, ut qui mala faciunt, mala patiantur.* Idem Epist. 115. *Ira est, quantum mea fert opinio, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Itaque plerunque non hominibus tantum, sed & calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus atque frangimus: Et aleatores tesseris & pictores penicillo, & cuique instrumento quolibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur.*

§. 29. *Aristoteles* 2. Rhet. 2. plures iræ causas recenset, nempe, oblivionem, exultationem in calamitatibus, denunciationem malorum, impedimenta voluntatis nostræ executioni objecta, &c.

In quibus singulis ratio quædam contemtus occurrit, ut loco supra allegato ostendit *Thomas*.

§. 30. Quæritur (7) *Utrum ira sit affectus simplex, an compositus?*

Resp. Secundum receptam sententiam, ira inter affectus mistos, seu compositos numeratur, Unde à *Melanchthone* definitur

motus

motus mistus ex tristitia & cupiditate ulciscendi. Quem alii multi sequuntur. Nobis non videtur magis composita esse ira, quam alii affectus, quos simplices appellamus, ut *lætitia*, *tristitia*, &c. Neque refert, quod cum ira concurrant alii quoque affectus: nam & in aliis idem accidit affectibus; qui tamen propterea pro compositis non habentur. *Exempli gratia*: Sæpe cum tristitia conjuncta est ira: nemo tamen propterea dicit tristitiam esse affectum ex fuga mali & ira compositum. Sic & lætitiæ quandoque conjuncta est ira, vel iræ lætitia: ut, cum adultionem ruunt generosi animi quasi exultantes. Est enim vindicta bonum vita jucundius ipsa. Cumque tristitia sit quędam animi demissio, quo nomine à Græcis appellatur κατήφεια, quasi κάτω τὰ φάη βάλλουσα, quod oculos dejiciat, & vero generosus animus irritatus, & adultionem festinans, non sit animo demisso, sed maxime erecto & excelso, sane ira ejus non potest dici composita ex tristitia & cupiditate ulciscendi: sed, si qua esset admittenda compositio, ex lætitia & ulciscendi fervore.

§. 31. Per se igitur ira simplex est affectus, cujus forma consistit in vehementi commotione animi rem molestam, sive ea sit injuria, sive contemtus, sive aliud quoddam malum, à se repellendi: etsi plerunque cum ea & alii concurrunt affectus. Atqui non qualiscunque diversarum rerum concursus illico compositionem facit. Ita variarum rerum distinctæ in intellectu concurrunt cognitiones & species, è quibus tamen unum aliquod compositum non fit. In phantasia vel sensu communi omnia externorum sensuum objecta à diversis sensibus percepta simul cognoscuntur & dijucantur: nec tamen propterea in unum confunduntur Chaos, aut ex commistione vel compositione novam accipiunt formam.

§. 32. Quæritur (8) *An ad illos tantum ira sit, ad quos justitia est?*

Resp. *Affirmativa* est *Aristotelis*, 2. Rhetor. cap. 2. 3. 4. Ratio est, quia ira tendit in vindictam: Atqui vindictam exercere ad justitiam pertinet, uti lædere ad injustitiam. Eodem igitur ira pertinet, quo justitia & injustitia.

§. 33. Objicitur.

(1) Irascimur etiam rebus inanimatis & animantibus irrationalibus: ut supra ostendimus. Ergo ira non est semper erga injustitiam, neque per actum justitiæ se exerit. Ratio consequentiæ: *quia injustitia non cadit in inanimata & irrationalia: adeoque nec adversus ea exercetur justitia.*

Resp. Distinguendum est inter iram, quæ sequitur solam imaginationem, & quæ sequitur rationem: quia læsionem annunciat, quan-

quandoque sola imaginatio, interdum ratio quoque. Unde in *irrationalem* & *rationalem* distingui ita solet. *De ira rationali* negatur *antecedens*. *Irrationalis* non adeo justitiam vel injustitiam respicit, sed de molestia tantum repellenda laborat.

§. 34. (2) *Homo sibi ipsi quandoque irascitur : Ergo ira non est tantum erga illos, erga quos justitia est.* Ratio consequentiæ: *Quia hominis justitia non est ad ipsum, sed ad alium.*

Resp. *Consequentia* negatur: Ratio simpliciter vera non est; ut supra ostendimus ad cap. 28. q. 6. & 8.

§. 35. (3) *Ira tamen est ad aliquod singulare*: Arist. lib. 2. Rhet. cap. 4. *Ergo non est, ad quos est justitia & injustitia.*

Ratio consequentiæ: *quia justitia & injustitia esse potest ad totum aliquod genus, vel communem; veluti cum civitas aliquem læsit.*

Resp. Negatur *consequentia : Ratio* est inconsequens: Etiamsi enim ira non esset, ad quoscunque justitia & injustitia est, tamen non sequeretur, propterea ad aliquid esse, ad quod justitia vel injustitia non est. Etiam tota civitas rationem habet singularis..

Distinguit *Aristoteles* iram ab odio: quod odium possit esse in aliquod genus: veluti odio habemus latronum genus: ira vero tantum in aliquod singulare: Rationem assignat *Thomas*: quia odium nascitur ex apprehensione qualitatis alicujus inimicæ: ira vero ex actione lædente. Atqui actiones sunt singularium: qualitates etiam universalium.

§. 36. Quæritur (9) *In quos potissimum ira cadat?*

Resp. *Biliosi* ab omnibus nominantur: qui maxime proclives ad iram dicuntur, quia propter caliditatem & levitatem concitatu facilima est bilis flava: etsi principium iræ non est ab inflammatione aut fervore sanguinis circa cor: ut supra ostendimus. Interim iræ obnoxios esse biliosos non inficiamur, præsertim vehementiori & rationem turbanti. Quamvis experientia fretus affirmet *Lælius Peregrinus*, pueros & fœminas frigidæ temperantiæ vel centies in die succensere: magnanimos vero, etsi ab innato calore ad irascendum sunt proniores, non item. Unde videri possint magis obnoxii iræ, qui frigidi & *phlegmatici*, quam qui calidi & biliosi sunt temperamenti. Quod tanquam paradoxum à ratione alienum videri possit.

§. 37. Interim experientia omnem elidit rationem in adversum nitentem, & apud sanas mentes ubique suffragium invenit. Distincte igitur & caute heic procedendum, & cum ratione experientia, si fieri possit, conciliānda. Quod hoc modo fieri posse arbitramur.

Sive

Sive ira, sive proclivitas ad iram, quatenus in homine consideratur, causam suam habet principaliter non in temperamento; sed in judicio. Neque enim irascimur, nisi quando nos læsos vel rem molestam cum vi repellendam judicamus. Accedit tamen *temperamentum*, suamque ut in aliis, sic & in hoc repellendi conatu, operam appetitui & voluntati præstat. Jam igitur quærenti, *utrum ad iram sint proniores, qui frigido, an qui calido sunt temperamento?* Respondemus, ad judicium quoque esse attendendum, quod cum temperamento conjunctum est. Et seorsim quidem & per se consideratum temperamentum calidum & biliosum ad iram proclivius esse, quam frigidum & in primis phlegmaticum. Siquidem major est iræ cum temperamento fervido & bilioso analogia, quam cum frigido & phlegmatico, cujus natura plane contraria videtur iræ.

§. 38. *Judicium* si consideres, dubium quoque non est, quin, qui sano, sincero firmoque sunt judicio, tam facile in iram se non effundant, quam quibus imbecillum & erroribus est obnoxium. *Ratio* est: Quia dicta & facta aliorum rectius possunt & solent interpretari, qui solido firmoque sunt judicio, quam qui contrario se modo habent. Hi enim, ex imbecillitate judicii, se contemni & injuria affici putant, etiam quando non contemnuntur & injuria non afficiuntur: Unde ex imaginatione & opinione erronea excandescunt: quod pueris, puellis & fœminis solet accidere, aliisque de plebe simplicioribus. Hinc stultos appellamus, qui levi de causa excandescunt, & omnia dicta & facta male accipiunt, jocorum liberalium nec capaces, nec patientes. Contra magnanimi & prudentes viri, etsi forte sanguis ipsorum mobilior & concitatu facilior, propter bilis copiam, tamen toties & tam cito non excandescunt: quia non offenduntur, nisi ubi manifesta & legitima est offensionis causa, quam, per judicii dexteritatem, à falsa & apparente possunt distinguere. Neque magnanimus quavis injuria aut contemtu vero movetur: quia contemtum à contemtibilibus profectum contemnit, ut & injuriam levem. Pulchra sunt illa *Ambrosii*, lib. 1. off. cap. 6. *Is, qui cito injuria movetur, facit se dignum videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque qui contemnit injuriam, quam qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit: qui autem dolet, quasi senserit, torquetur.* Pertinet huc & illud *Plutarchi*, de ira cohibenda, præceptum: *Quod Diogenes dicentibus*, Hi te rident: *respondit, Ego autem non rideor: id sibi sumere atque existimare debet iratus, non se contemni, sed potius eum sibi contemnendum esse, à quo lesus est.*

Ex

Ex iis, quæ dicta modo sunt, sequentia elicimus porismata.

§. 39. (1) *Ad iram maxime proclives sunt & admodum facile exandescunt, qui cum judicij imbecillitate conjunctum habent temperamentum biliosum.* Quia utraque heic concurrit caussa, & principalis & minus principalis.

§. 40. (2) *In iram facile effundunt, qui judicii laborant imbecillitate; etiamsi sunt temperamenti frigidi & phlegmatici.* Quia principalior iræ caussa est judicium imbecille, quam hominis temperamentum quodcunque.

§. 41. (3) *Sanum solidumque judicium cum temperamento frigido conjunctum tardius ad iræ excessum commovetur, quam idem judicium cum temperamento bilioso conjunctum.*

Quia illic una, heic gemina est iræ causa.

§. 42. (4) *Plerumq;, qui temperamento sunt frigido & phlegmatico, sæpius irascuntur, etsi minus pertinaciter, quam qui sanguineo & bilioso sunt temperamento.*

Quia plerunque cum frigido & phlegmatico temperamento conjunctum est judicium imbecillius, quam cum sanguineo & bilioso: plerunque, inquam, non tamen semper. Hinc igitur est, quod fœminæ plerunque & pleræque ad iram facilius concitentur, quam viri: quia frigidiores sunt viris, adeoque & judicio imbecilliores. Proclivitas ad iram in fœminis refertur quoque ad corporis constitutionem molliorem & laxiorem: per quam bilis incensa in universa membra se facilime diffundit & sanguinem turbat: veluti stipulæ flammam citius concipiunt & augent, quam ligna solida, densa, ut quercus, &c.

§. 43. (5) *Infantes, pueruli & puellulæ sæpissime & facillime irascuntur.* Quia summa in iis est judicii imbecillitas cum omni temperamento conjuncta: Et hanc ob caussam juvenes ad iram sunt proniores, quam senes: quia in his judicium est confirmatius, quam in illis. Accedit quoque temperamentum, quod in senibus est frigidius, quam in juvenibus.

§. 44. (5) *Qui per temperamentum ad iram sunt proniores, rarius irasci possunt & quandoque solent, quam qui per idem minus sunt proni.*

Quia illi judicio possunt esse, & sæpe sunt, solidiore, hi imbecilliore: illud iram coëret, hoc fræna ei laxat.

§. 45. Quæritur (10) *An finis iræ adæquatus sit ultio?*

Resp. Recepta est sententia: *Omnis iræ finem esse ultionem:* Unde etiam definitur ira, *appetitus ultionis.* Græcis, ὄρεξις τιμωρίας. Quod & *Melanchthoni* arrisit, quando iram definivit, motum mistum ex tristitia & cupiditate ultionis. Non placet hoc

Scalige-

Scaligero: Unde pro ultione reponit depulsionem, quæ aliquanto generalior est ultione. Est enim omnis quidem ultio depulsio, sed non omnis depulsio est ultio. *Rationem* censuræ suæ hanc adfert *Scaliger:* Quia ultio est retributionis appetitus, aut ipsamet actio. At non semper irascimur, ut ulciscamur, aut malam gratiã reponamus, veluti qui fato suo irascuntur, qui parentibus, qui liberis, ut castigent, non ut reddant malum, sed ut efficiant meliores.

§. 46. Non adeo displicet nobis *depulsio, ultionis* loco reposita à *Scaligero*: siquidem de iis tantum ultionem sumere expetimus, ex præscripto rectæ rationis, quæ sentire ultionem possunt, & inde dolorem percipere. Atqui irascimur iis etiam rebus, quæ ultionem nec sentire, nec dolerem percipere possunt: Exemplum à *Scaligero* allatum de ira parentum in libros, nobis non videtur ab omni ultionis cupiditate alienum esse. Cum enim liberos per iram castigamus, utique delicta eorum ulciscimur, inflicta pœna; etsi ultio hæc non in malum tendit liberorum, sed in bonum, ut emendentur,& à peccato sibi deinceps caveant.

§. 47. *Atqui ultio*, inquit, *est appetitus retributionis, adeoque in malum tendit.*

Resp. Si *retributio* intelligatur redditio mali pœnæ pro malo culpæ, facile hoc damus. Irati enim parentes reddunt immorigeris liberis malum pœnæ pro malo culpæ, ut per pœnæ dolorisque sensum emendentur. Non quodvis pœnæ malum ad quemcunque retributionis appetitum referimus. Sunt enim pœnæ mala, quæ non tendunt ad emendationem, sed ad destructionem, alia ad emendationem,& non ad destructionem. Sic & retributio mali pœnæ tendit vel ad emendationem, vel ad destructionem. Jgitur negari non potest, iram ut plurimum tendere in ultionem, & forte semper: Si recta nitatur ratione: quam desideramus in iis, qui irascuntur rebus inanimatis & fato suo, vel similibus. Imo de inanimatis quoque ultionem quandoque sumunt irati; quando ea frangunt vel comminuunt: quæ tamen male sana est ultio, quia sentire eam inanimata non possunt. Interim *Scaligeri* finis,ut est generalior, ita paucioribus est obnoxius difficultatibus.

§. 48. Quæritur (11) *An ira delectationem & lætitiam efficiat?*

Resp. Affirmat hoc *Aristoteles* 2. Rhet. cap. 2. ubi illud *Achillis Homerici* laudatur.

Dulcior hac melle atque favo liquidum stillante,
Pectoribus sese insinuans.

Unde & *Plato* in Phileb. iram definit, *mixtionem voluptatis & dolo-*

& doloris. Seneca ex aliorum opinione. 2. de ira : *Ira habet aliquam voluptatem & dulce est dolorem reddere.*

Aristoteles causam delectationis refert ad spem futuræ ultionis: quæ ubi nulla est, nec iram esse credit Philosophus: τὸ ὀργίζεσθαι ἡδύ. οὐδεὶς γὰρ ὀργίζεται τῷ ἀδυνάτῳ φαινομένῳ τιμωρίας τυχεῖν. Quod tamen an universaliter verum sit, non immerito dubitari possit. Irasci enim quandoque etiam qui spem vindictæ nullam habent, testari videtur experientia : nisi forsan vindicta intelligi debeat non realis tantum, sed & verbalis.

Objicitur.

§. 49. (1) *Ira est conjuncta cum tristitia : Ergo non cum delectatione & lætitia :* Antecedens *patet* ex lib. 7. Eth. cap. 6. ubi Philosophus ait, *cum tristitia fieri, quicquid per iram fit* : Ratio conseq. *Quia contraria simul in eodem subjecto non sunt.*

Resp. Ad *Antecedens*. Ira est conjuncta cum tristitia, quoad initium, propter illatam injuriam: & cum lætitia, quoad progressum & terminum, propter vindictam. Sunt igitur tristitia & lætitia in eodem subjecto, nempe irato, sed non eodem tempore & respectu.

§. 50. (2) *Delectatio impedit iram : Ergo cum ira non conjuncta est, neque gignitur ab ira* : Antecedens *Aristotelis est :* lib. 2. Rhet. cap. 3. Ratio consequentiæ : *Quia effectus causam non impedit.*

Resp. Ad *Antecedens* : Delectatio, quæ sequitur vindictam, impedit, imo plane tollit iram: Quæ vero antecedit & cum spe futuræ vindictæ est conjuncta, maximè iram promovet.

§. 51. (3) *Delectatio obvenit irato ex punitione : Ergo cum ira non est conjuncta :* Ratio consequentiæ *: quia punitio sistit impetum iræ : teste Aristotele*, lib. 3. Eth. cap. 5.

Resp. Negatur consequentia : Quia delectatio non tantum sequitur punitionem ; sed & præcedit, & cum spe punitionis futuræ conjuncta est. Illa sistit iram : hæc incitat : illa obvenit ex punitione facta, hæc ex futura & sperata.

§. 52. Quæritur (12) *Cur iratos aut vere dolentes molestè feramus ; cum voluptate vero audiamus eos, qui iratorum vel mærentium gestus repræsentant.*

Resp. Mota hæc olim quæstio in convivio *Boëthij Epicurei :* Ubi uno ore plærique omnes docti respondebant. *Præstare imitatorem veri sic affecto*, (ὅτι κρείττων ὁ μιμούμενος ἐστὶ τοῦ πάσχοντος) *idque nos sentientes delectari & gaudere. Plutarcho* autem hæc arrisit ratio ingeniosior : Quia qui vere irascuntur aut dolent,

 nihil

nihil insolitum agunt aut patiuntur: Siquidem irasci & dolere omnes possumus, nullâ ingenii laude: nec habent irati & dolentes in se, quod audientes & videntes delectare possit, sed potius offendere: siquidem ira & dolor ex objecto nascuntur inimico & tristi, naturamque affligunt: quibus vix unquam sine læsione nostri vel aliorum defungimur.

§. 53. Contra vero qui iratorum & mœrentium gestus repræsentant, rem agunt ludicram, non tamen ita cuivis obviam: cum iratorum & mœrentium gestus ingeniose & accurate repræsentare, sive viva voce, sive pictura, non sit cujusvis. Ut igitur in illis moleste ferimus deformitatem & inimicam passionem, cui omnes sumus obnoxii, & quam in nobis ipsis ægre ferimus: Sic in hisce miramur & cum voluptate audimus & videmus imitantis dexteritatem & ingenium. Uti & alias mirari magis solemus artis naturam felicissime imitantis, quam naturæ opera.

§. 54. Concinna similitudine rem illustrat *Plutarchus*: Gallinam & cornicem continenter vociferantem magna audimus cum molestia; qui autem gallinæ vel cornicis cantum imitatur, voluptatem audientibus adfert. Ita tabe correptos absque molestia non adspicimus, eorundem vero simulacra spectare nobis est volupe: quia animus imitatione trahitur: Ut enim apis dulcedine illecta omnem materiam, cui melleum aliquid inest, studiose consectatur: Ita homo artium & pulchritudinis natura studiosus omne opus omnemque actionem mente & ratione constantem amplectitur & diligit.

§. 55. Quæritur (13) *An & cur ira silentium inducat?*

Resp. *Ira per silentium clausa*, inquit *Gregorius* in Moralibus, *intra mentem vehementius æstuat.* Testatur quoque experientia, ita sæpe turbari iratos, ut verba, quibus se exonerent, non inveniant & plane veluti obmutescant. Inducit autem silentium ira, sive rationem sequatur ducem, sive imperium ejus respuat. Ratio ab ira prorsus non subjugata etsi affectum ab inordinato vindictæ appetitu plane non cohibet, tamen linguam ab inordinato sermone retrahit & compescit. Unde ex judicio silentium inducitur & indicitur. Ratione vero periram impedita & quasi vincta, quandoque ab ipsa perturbationis vehementia silentium inducitur: quia perturbatio ad exteriora se diffundit membra, & ea potissimum, quæ cordi præ reliquis sunt cognata, ut oculi, facies, lingua, in quibus maxime apparent iræ indicia. Ut igitur iræ vehementia, totum faciei habitum mutat, & oculis quasi cæcitatem inducit, ita convenientem linguæ motum quoque impedit, & intus ita rationem affligit, ut organis suis imperare,

& per

& per ea se exercere, nequeat. Veluti & loco motiva officium facere quandoque desinit.

§. 56. Objicitur.

Atqui maximè vocales irati deprehenduntur : Unde in convitia & execrationes sine numero & modo erumpunt. Hinc *Justinus* lib. 9. *quoniam rebus nequeunt ulcisci, verbis usurpant libertatem* : & *Plutarch.* de ira cohibenda: *Iratorum lingua exasperata & inquinata in absurda dicta erumpit. Statius* S.Sylvar. *Ira tacendi impatiens.* Salvianus lib. 3. de gubernat. *prima semper irarum tela maledicta sunt, & quicquid non possumus imbecilli, optamus irati.*

Resp. Tacet & loquitur ira, diverso tempore, & diversis ex caussis. Inter initia loquax & maledica plerunque est: ad summum ubi deventum est fervorem, ut aliorum externorum membrorum, sic & linguæ motum impedit: ut ante ostendimus. Observat hoc *Seneca,* de ira, lib. 1. cap. 4. *Quædam iræ verbis parciores: quædam in verborum maledictorumque amaritudine effusæ: quædam ultra querelas & aversationes non exeunt: quædam altæ gravesque sunt & introrsus versæ.*

§. 57. Quæritur (14) *Quænam præcipua sint iræ damna, & quibus ex caussis proveniant?*

Resp. Ut nullus affectus est ira violentior, ita nullius quoque effectus sunt violentiores: de quibus passim autores & Philosophi prisci; Gignit autem noxios fructus ira tam in eo, in quo nascitur, quam in eo, in quem tendit: & plerunque.

Ipsa sibi est hostis vesania, seque furendo
Interimit, moriturque suis ira ignea telis. *Prudent.*

Illud magis videndum est, inquit Seneca, *quam multis ira per se nocuerit. Alij nimio fervore rupere venas, sanguinem supra vires elatus clamor egessit & luminum suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus, & in morbos ægri recidere. Nulla celerior ad insaniam via est. Multi continuaverunt iræ furorem, nec, quam expulerunt mentem, unquam receperunt. Ajacem in mortem egit furor, in furorem ira.* Eandem in sententiam *Valerius Maximus : Ira consternationis plenus affectus, & nunquam sine tormento sui violento: quia dolorem cum inferre vult, patitur.*

De damnis iræ internis & externis ita *Basilius* in oratione de jejunio. *Considera mihi hominem iratum, quomodo affectione ebrius est, & non est sui ipsius Dominus, ignorat se ipsum, ignorat præsentes, velut in nocturna pugna, omnes attingit, omnes offendit, omnibus insultat, inconsiderata loquitur, ægre contineri potest,*

 convitia-

convitiatur, verberat, minatur, jurat, vociferatur, disrumpitur. Similia passim occurrunt.

§. 58. Certe mirum non est tam graviter affici per iram universum corpus & animum. Siquidem in progressu iræ universus sanguis & spiritus in corpore concitantur & inflammantur. Unde fumus ad superiores partes & caput potissimum, sensuum & rationis officinam, ascendit, omnesque & sensuum & rationis functiones lædit. Hinc irati quandoque nec vident, nec audiunt, multò minus rationi congrua faciunt, aut recte monentibus obtemperant. Neque mirum quod oculi ardeant, rubeant, tumeant. Siquidem sanguis in fumum resolvitur, quo vasa intumescunt, & inflammatus sanguis ad oculos contendit ab appetitu attractus ad ultionem. Per oculos enim quasi egredi in præsentem suum hostem conatur appetitus. Siquidem nunquam tam invalescit ira, quam cum præsentem videt eum, in quem tendit. Ex hac perturbatione humorum spirituumque & convulsione totius corporis, omnium nascitur facultatum debilitatio, & sui prorsus quasi oblivíscitur, objecto inimico unice intenta.

§. 59. Quæritur (15) *An ira hominem repente possit interimere?*

Resp. Mori homines, ex ira, extra omnem est controversiam, etsi plerunque morbus alius concurrit, qui tamen ab ira quoque provocatur. Scribit *Galenus*, lib. 5. de loc. affect. Grammaticum ira correptum illico in morbum incidisse comitialem. Quod & multis aliis contigit. Inter eos memorabile est exemplum *Wenceslai*, Regis *Bohemiæ, qui* cum ira percitus, evaginato pugione, pocillatorem vellet occidere & à circumstantibus detentus pugionem amisisset, intra manus ipsorum apoplexia correptus, post aliquot dies obiit. *Nervam* Imperatorem ira quoque interemit, pluresque alios.

§. 60. Interim *Galenus*, lib. 2. de sympt. caus. negat ex ira aliquem confestim & sine mora extingui. Quod facile damus: quia mortem adfert ira non proximè, sed per alium lethalem morbum, quem excitat, sive ille sit apoplexia, sive epilepsia, sive ardens febris, cum qua magna est iræ vehementi familiaritas. Siquidem sanguinem inflammat & præter naturali calore universum corpus affligit. Inprimis autem iræ mala exasperantur, si in ipso fervore, vel paulo post, ante quam penitus deferbuerit, potus hauriatur copiosior & frigidior. Tum enim a superveniente frigore calor per ἀντιπερίστασιν ad centrum & cor potissimum compellitur, cogitur & de novo supra modum intenditur, adeo ut quandoque subitanea mors, per suffocationem cordis, sequatur.

§. 61. Quæ-

§. 61. Quæritur (16) *Cur iram sedet affusa frigida, extinguat oblatus metus, & deliniat subitaneum gaudium?*

Resp. *Plutarchus* περὶ ἀοργησίας ait, se vidisse affusa frigida iram sedari, & ab *Aristotele* idem narrari: oblato metu extinctam & subito etiam gaudio delinitam: Causæ singulorum non videntur obscuræ. Iram affusa frigida ideo sedat, quia arma, calorem & spiritus, ei eripit, & à partibus exterioribus, in quas ad ultionem sunt extrusi, ad partes interiores propellit: inermis igitur concilit. Accedit, quod præter exspectationem affusa frigida horrore corpus animumque percellat, adeoque ab ira ad horrorem convertat cogitationem.

Oblatus *metus* eandem extinguit, quia & hic iram ultioni intentam & in partibus exterioribus excubantem exarmat, revocatis ad interiora calore atque spiritibus. Trahit quoque ad metus imminentis mali cogitationes & ab ira abstrahit. Gaudium repentinum iram frangit & delinit: quia contrarium est iræ, quæ plerunque cum tristitia est conjuncta: Contraria vero se invicem frangunt & minuunt.

§. 62. Quæritur (17) *An iræ detur affectus contrarius?*

Resp. Sola ira, inter omnes animi affectus, contrariam passionem non habet, docente *Thoma*, 1. 2. q. 23. art. 3. Quod hac probat ratione.

Si iræ contraria esset animi passio: vel esset ea contraria secundum objectorum contrarietatem, vel secundum accessum & recessum ab eodem termino. Atqui neutro modo datur contraria passio. Ergo.

Assumtio prob. *de contrarietate objectorum boni, & mali*, Quia malo difficili jam præsenti, quod iram concitat, opponitur bonum jam præsens & obtentum, quod rationem ardui & difficilis amplius non habet, neque post adeptionem ejus motus manet reliquus, nisi qui est in gaudii in præsenti bono acquiescentis: quo respectu iræ motus contrarium animæ motum non habet, sed tantum quietem, seu cessationem à motu: quæ contrariè motui non opponitur, sed negative vel privative.

Contrarietatem secundum accessum & recessum ab eodem termino hoc fundamento negat *Thomas*: Quia ad præsentiam mali ardui appetitus vel succumbit, & sic intra tristitiæ se terminos continet, vel ad invasionem mali se accingit, quod est iræ. Unde manifestum, non dari contrariam passionem, secundum accessum vel recessum. Quam in sententiam allegat quoque *Aristotelem*, lib. 4. Eth. cap. 5.

§. 63. *Piccolomineus*, Grad. 1. cap. 11. reprehendit eos,

 qui

qui iram sine oppositione statuunt: cum in ea oppositionem quoque agnoscat Aristoteles, & geminam assignant *Piccolomineus*: Unam ratione *universæ latitudinis*: quo modo iræ oponitur gratia & indulgentia: alteram *ratione excessus vel defectus*: quo respectu eidem opponitur lenitas, seu mansuetudo, ut docet *Aristoteles* lib. 2. Nicom. cap. 7.

§. 64. Attamen conciliatio difficilis non videtur. Distinguenda est *ira* ab *iracundia*: hæc enim semper vitiosa: illa non item: adeoque *iracundia* non tam est affectus, quam morale vitium virtuti oppositum.

Distinguenda quoquè oppositio in specie sic dicta, à contrarietate in specie sic dicta: Dari iræ *oppositum* extra controversiam est, neque negatur à *Thoma*: *contrarium* vero ejus dari non illico sequitur. Et si maxime aliquod ejus daretur contrarium, non tamen illico affectus esset.

§. 65. Quæritur (18) *Quænam sint adversus iram remedia?*

Resp. Remedia adversus iram multa sunt, inter quæ & hæc sunt;

(1) *Dandum est animo spatium, ut dissipatas partes colligat prius quam ad ultionem ruat.* Pertinet huc monitum *Athenodori, Stoici*, ad *Augustum*, ut quoties irasceretur, nihil dicere aut facere tentaret prius, quam XXIV. literas secum recitasset. *Prima excandescentiæ, tanquam tyranni, opprimenda ratio est*, inquit Plutarchus, *non parere neque obtemperare ei jubenti vociferari, torvum tueri, cædere seipsum, sed quiescere, neque affectum, morbi in morem, intensiorem jactatione & clamore facere.*

(2) *Cogitandum, quæ facta ab aliis, non in contemtum nostri, sed ex incuria esse facta:* Itaque ante omnia cavenda sinistra suspicio.

(3) *Moderate de nobis est sentiendum & existimandum, posse & nos aliquid contemtu dignum committere.*

(4) *Reputandum, proficisci iram ab animo imbecilli & abjecto, qui temperare sibi non possit.*

(5) *Statuendum, turpe esse injuriam referre, eo quod flagitij partem arripiat, qui id facit.*

(6) *Aures admovendæ sermonibus cum doctrina & veritate conjunctis.*

(7) *Vitanda ebrietas, qua sanguis accenditur & ratio turbatur.*

(8) *Musicæ suavi aures præbendæ*, qua turbati spiritus tranquillantur & componuntur: Ita *Saulis* irati animus est composi-

tus:

tus: & *Gracchum* oratorem iratum fistula mitigavit: *Plutarch.* & *Lacedæmonij* olim tibiarum cantu pugnantium animos iracundia solverunt.

(9) Cogitanda & recogitanda varia iræ incommoda, inter quæ & hoc non postremum, quod in ipsum sæviat iratum.

Ipsa sibi est hostis vesania, seque furendo.
Interimit, moriturque suis ira ignea telis. Prudentius.

Magis illud videndum est, inquit Seneca, *quam multis ira per se nocuerit. Alij nimio feruore rupere venas, & sanguinem supra vires elatus clamor egessit & luminum suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus & in morbos ægri recidere.*

Neque minus in alios sævit. *Homine quid est mitius, inquit idem* Seneca, *dum in recto animi habitu est? Quid autem ira crudelius est? Homine quid aliorum amantius? Quid ira infestius? Homo in adiutorium mutuum generatus est: ira in exitiū. Hic congregari vult, illa discedere: hic prodesse, illa nocere: hic etiam ignotis succurrere, illa etiam clarissimos petere: hic aliorum commodis vel impendere se paratus est, ira in periculum, dummodo deducat, descendere.* vide *Cal. Rhodig.* L. A. lib. 23. cap. 20. 21.

(10) Reputanda rei, ob quam sæpe irascimur, parvitas & vilitas. *Minimis sordidisque rebus non exacerbemur. Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui, turbatus torus, aut mensa negligentius posita: ad ista concitari, insania est*; Seneca.

Item: *Quid est cur tussis alicujus, aut sternutamentum, aut musca curiose fugata nos in rabiem agat, aut versus calix, aut clavis negligentis servi manibus elapsa?*

(11) Fugienda fames & sitis: Quia *exasperat & incendit animos*, Seneca.

(12) Quantum fieri potest, primum iræ irritamentum protinus spernendum, ipsisque repugnandum seminibus, & danda opera ne incidamus in iram. *Seneca.*

(13) Non nimis accurate inquirendum in omnia uxoris, filiorum, amicorum, servorum negotia, studia, colloquia, actiones &c. Unde Seneca: *Non vis esse iracundus? Ne sis curiosus.*

(14) Irati & inflammati vultus in speculo adspicienda deformitas: *Seneca*: Idem & *Plutarchi* est consilium.

(15) Exempla consideranda magnorum virorum, qui cum laude iram represserunt: Hos inter *Socrates*, qui calce petitus ab adolescente feroce, & ad ultionem ab amicis instigatus: *Qui*[illegible] inquit? *An si me asinus calce petiisset, jussuri eratis, ut con*[illegible]*lcem ei impingerem?* Plutarchus.

Charillus Rex, servo adversus ipsum ferocius se gerente; *per Castores*, inquit, *occiderem te, nisi irascerer*, Plutarch.

Pericles à conviciatore quodam per integrum diem exagitatus, tenebris jam obortis, ægre discedentem cum lucerna deduci domum curavit.

Pythagorei, si quando per iram ad maledicta prorupissent, ante solis occubitum dextris mutuo datis & salutatione facta, gratiam redintegrarunt. Plutarch.

Plura videantur apud eundem in libello, de cohibenda ira.

(16) *Proclivi ad iram cavendum est à rebus raris & curiose elaboratis;* quia perditæ hæ magis furorem cient, quam partu faciles & quotidianæ.

Plura adversus iram insignia remedia præscribit *Seneca* tribus de ira libris. Gravissima ejus occurrit sententia, lib. 3. de ira. cap. 5. quæ multis abundat remediis & immodicæ iræ fugam ponderosissimis argumentis suadet.

Ne irascamur, inquit, *præstabimus, si omnia vitia iræ nobis sub inde proposuerimus, & illam bene æstimaverimus. Accusanda* &c. vide locum in Autore.

X V.

Mansuetudo contraria iræ est, qua ab omni inordinata ira nobis temperamus & excitatam subito refrænamus.

Ἔκθεσις.

Mansuetudo inter virtutes haud immerito refertur: de ea igitur supra actum nobis; cap. 23.

X V I.

Audacia est affectus ortus ex opinione virtutis propriæ, & imbecilitatis adversariorum, ad superandum malum.

Ἔκθεσις.

§. 1. OBjectum audaciæ est malum superandum, eoque superato, bonum acquirendum. Nascitur ex opinione virtutis propriæ & imbecillitatis adversariorum, qua impu[illegible] au-

dax

dax magna tentat & sæpissime viribus majora, falsa deceptus opinione.

In hoc affectu cor dilatatur & spiritus ad propulsandum malum prorumpunt: unde stimulus ejus est ira.

§. 2. Quæritur (1) *An audacia spem consequatur?*

Resp. Ita audacia spem consequitur, ut non sit sine spe præeunte, etsi non omnis spes comitem eam habet. Quo sensu accipiendum illud *Aristotelis*, lib. 3. Eth. cap. 8. dicentis, *eos, qui bonæ sunt spei, audaces esse.* Non enim hoc vult *Aristoteles*, omnes, qui bene sperant, audaces esse, sed sine spe bona audacem esse neminem, nisi forte irrationalis & plane bruta sit audacia: quamvis ne in brutis quidem audacia videatur ab omni spe abjuncta. *De rationali audacia* res est manifesta. Audaciæ actus est prosecutio ardui & terribilis imminentis, periculis & difficultatibus obsessi multis. Atqui nemo sanæ mentis terribilia & periculosa aggreditur, si plane nullam superandi spem habeat: præsertim si aggredi vel non aggredi in ipsius potestate & libertate sit. Hinc à *Dionysio Halicarnass.* καλαὶ ἐλπίδες καλῶν ἔργων ἡγεμόνες, hoc est, *spes bonæ fortium facinorum duces* appellantur. *A Philone*, ἐλπὶς ἀρχὴ μετουσίας ἀγαθῶν: *Principium parandorum bonorum.* Observanda & illa ex *Maximi Tyrij*, dissert 37. Interpr. *Heins. Spes ex humanis si exulasset rebus, jam diu commercia sua negotiator, & stipendia miles, & navigationem mercator, & rapinas suas prædio & nocturna intermisisset furta* Scortator. *Quod illa neutiquam permittit, sed illarum studio accendit rerum, quæ nec fieri possunt, nec ad finem interdum perventura sunt suum.*

Objicitur.

§. 3. (1) *Desperatio facit audaces: Ergo non spes:* Antecedens *comprobat experientia: siquidem ex desperatione multi audent quæ nunquam ausuri essent, si absque desperatione essent.* Hinc *Lipsius*, epist. 72. cent. 3, *Extremorum ille metus ad extrema audienda multos adegit.* Et Curtius lib. 9. *Desperatio magnum ad honeste moriendum incitamentum*: & Tacit. lib. 12. Annal. *Obseptus effugiis multa & clara facinora fecêre.* Ratio consequentiæ: *Quia contrariarum causarum effectus sunt contrarij.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & absolutè verum non est: Desperatio ejus, in quod fertur audacia, non facit audaces, sed potius audaciam reprimit: Interim quia desperationem unius comitari quandoque solet spes alterius, & ex desperatione quæri spes nova, audaces reddere desperatio dicitur, propter spem aliam

ex ejus occasione ortam. Sic qui, obseptis & desperatis effugiis, audaciores fiunt, spem victoriæ & vindictæ novam concipiunt & in hostem præsentissimis animis eunt, non tam per desperationem, quam per spem: quam desperatione quæri ait *Velles*. lib. 2.

§. 4. (2) *Audacia & spei contraria sunt objecta: Ergo audacia spem non consequitur.* Antecedens prob. *Quia spei objectum est bonum, audacia malum & terribile*, lib 3. Eth. cap. 6. 7.

Resp. 1. *Antecedens* simpliciter verum non est uti nec probatio: Nam & audacia pro objecto habet bonum, nempe victoriam vel vindictam, quamvis per malum id consequi mediu laboret.

2. *Consequentia* quoque satis firma non est. Quia & boni ad malum esse ordo potest: quando malum est medium consequendi bonum: veluti per terribilia consequimur delectabilia.

§. 5. Quæritur (2) *An audaces, quando pericula aggrediuntur, promptiores sint in principio, quam in medio & fine?*

Resp. *Affirmativam* amplectitur *Aristoteles*, lib. 3. Eth. cap. 7. ubi audaces & fortes inter se comparando ait, fortes in periculis sustinendis præstare constantiam: audaces non item, sed perculsos tergiversari, & tandem periculum fugere. *Ratio* est: Quia audaces pericula aggrediuntur sine certo consilio & deliberatione, non perpendentes eorum magnitudinem & difficultatem: quam dum in medio fervore intelligere incipiunt, trepidant & desperantes tandē plane aufugiunt. Quod fortibus non accidit, qui maturo consilio omnia prævident, & adversus ea se premuniunt.

§. 6. Objicitur: *Audacibus in progressu crescit ira: Ergo in progressu promtiores sunt, quam inter initia;* Antecedens prob. *quia verbera & vulnera, quæ in progressu potius sunt, quam inter initia, iram magis irritant & exasperant.* Ratio consequentiæ: *quia ira promtos reddit: est enim cos ut fortitudinis sic & audaciæ.*

Resp. *Antecedens* simpliciter verum non est, uti nec probatio: verbera & vulnera irritant iram, quando spem victoriç aut vindictæ habent conjunctam,: quæ ubi vel nulla est, vel minuitur: ubi promtitudo quoque vel nulla, vel minor est.

§. 7. Quçritur (3) *An audacia sit contraria metui?*

Resp. *Affirmativa* defenditur. *Ratio* est: Quod maxime distat à metu: id contrarium est metui. Atqui audacia maxime distat à metu: Ergo contraria est metui *Propositio* prob. Quia contraria maxime à se distant, *Aristotel.* lib. 10. Metaphys. text. 13. *Assumtio* prob. Quia metus periculum futurum fugit, propter desperationem: audacia idem aggreditur, per spem superandi: vide Aristot. lib. 2. Reth. cap. 5,

Objicitur.

(1) *Time-*

§. 8. (1) *Timori contraria eſt ſpes: Ergo non audacia*: Antecedens prob. *Quia timor eſt futuri mali*: *ſpes futuri boni*: Ratio conſeq. *quia unum uni tantum eſt contrarium.*

Reſp. Negatur *conſequentia*: *Ratio* non niſi cum limitatione admittitur. Unum uni tantum reſpectu uno eſt contrarium: reſpectibus vero diverſis uni plura quoque contraria poſſunt eſſe. Ita ſpes contraria eſt metui, ſecundum oppoſitionem boni & mali, eadem contraria quoque eſt deſperationi, ſecundum oppoſitionem acceſſus & receſſus à bono, Spes enim ad bonum futurum accedit, deſperatio ab eo recedit.

§. 9. (2) *Audacia eſt vitium*: *Ergo non eſt contraria metui*: Antecedens patet: *quia fortitudinis extremum eſt*: Ratio conſeq. *quia vitium non affectui, ſed virtuti eſt contrarium.*

Reſp. Ad *Antecedens*: diſtinguenda eſt *audacia*: vel enim conſideratur ea tantum quatenus eſt motus appetitus ſenſitivi in objectum terribile: vel quatenus cum hoc motu concurrit receſſus ab ordine rationis. *Priori* modo & reſpectu audacia eſt affectus: *poſteriori* vitium morale: vide *Thomam* 1. ſecundæ, q. 45. art. 1. ad 1,

§. 10. Quæritur (4) *Cur Juvenes maxime ſint audaces*?

Reſp. (1) Quia maxime ſunt calidi & fervidi: atqui calor inſtrumentum eſt audaciæ: frigidi audaces plerunque non ſunt.

(2) Quia in ſpem magis ſunt proni, quam ſenes: Atqui audacia ſequitur ſpem,

(3) Quia uſu rerum & experientia ſunt deſtituti, adeoque imprudentiores. Unde periculorum magnitudinem non adeo intelligunt & conſiderant. Spectat huc tritum illud: *Dulce bellum inexpertis*. Audacis cognomen ſortitus eſt *Philippus Burgundiæ* dux: quod ſaltu periculoſo menſam tranſilierit, ut Carolo VI. Gallorum regi proximus ſederet.

§. 11. Quæritur (5) *An ab audacia fuerit ſudor Chriſti ſanguineus*?

Reſp. De ſudore Chriſti ſanguineo teſtatur, Luc. cap. 22. v. 44. *Erat ſudor ejus quaſi grumi ſanguinis deſcendentes in terram.* Quem à cauſa fuiſſe naturali magno conſenſu Theologi affirmant, quas allegat *Theophilus Raynaudus*, Philiſoph. moral. dict. 3. q. 4. art. 2. n. 383. In primis vero de ſudore Chriſti ſanguineo prolixe & ex profeſſo diſputat *Franciſcus Collius*, Doctor *Mediolanenſis*, de ſanguine Chriſti lib. 3. diſp. 3. 4. 5. 6. 7. 8. ubi diſputationis quintæ cap. 3. rationib. 5. demonſtrat *ſudorem hunc naturalem eſſe*: & contrarias rationes capite 4. ſolvit. Hac igitur poſita hypotheſi, de cauſa ſudoris iſtius quæritur. Varias

ſententias

sententias colligit *Collius*: lib. 3. disp. 7. cap. 2. Causa igitur nonnullis est *pudor*, qui ex cogitatione & consideratione sordium & peccatorum nostrorum humeris ejus impositorum obortus videtur: quo maxime motus sanguis, qui moveri alias per dolorem solet.

§. 12. Aliis *tormentorum & mortis apprehensio immobilis*, quæ in eam animi angustiam Servatorem redegerit, ut sanguineum liquorem profuderit: Aliis, ut *Gersoni*, *summa quadam voluptas & lætitia*, qua perfusus fuerit ex ea cognitione, quam à primo conceptionis momento habuit. Aliis *maximus orandi conatus*.

§. 13. Aliis *tristitia summa & motus vehementissimus*. Accedit tandem *Raynaudus*, qui sudorem istum refert *ad sanctam Christi in illo conflictu audaciam*, quæ profundam exceperit tristitiam qua sanguis exarserit & attenuatus ad exteriora magno impetu profluxerit & foras per poros penetrârit. Quod vero referri ad metum & tristitiam per se non possit iste sudor, hanc adfert rationem: *quia metus & tristitia sanguinem potius contrahit, quam foras elicit*: ut in confesso est.

§. 14. Nobis nec verba *Raynaudi* arrident, nec sententia probatur uti nec maxima *Gersonis* voluptas atque lætitia: qua tamen missa, ad *Raynaudi* nos audaciam convertimus: quam minus recte Christo sive humili, sive glorioso tribui arbitramur: est enim in vitio audacia, quæ sancta sine contradictione appellari non potest: rectius igitur fortitudinem, seu animositatem appellasset: Ut vero ne minima quidem lætitiæ & voluptatis, sic nec audaciæ vel præsentis erectique animi indicia in isto gravissimo conflictu historia Evangelica promit: Omnia loquuntur animum in profundam tristitiam demersum, Lucæ 22. v. 41. 42. 43. 44. cujus in cruce quoque testem protulit exclamationem; *Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me!* Matth. 27. v. 46. Angelus quidem de cœlo missus corroborasse eum dicitur, sed tristitiam & formidinem plane pepulisse & audacem reddidisse non legitur. Itaque profundissimæ tristitiæ potius, & angori potius, quam audaciæ vel animi magnitudini imperterritæ sudorem hunc adscribimus: quamvis summum illum orandi conatum non excludamus: adeoque illam *Didaci Stellæ*, quam ex *Hieronymo* & aliis patribus traxit, sententiam probamus, quam hisce expressit verbis. *Hunc sudorem Christus emisit ob maximum conatum orationis & ob terribilium omnium maximam memoriam, & objecti periculi, & ingentem angustiam, qua à sensualitate torquebatur, quæ pati permittebatur naturaliter. Cor autem Christi cum*

cum esset, inflammatum, omnes pori recludi & dejici cœperunt & emittere sanguinem. Ita *Cyprianus*, in sermon. de pass. Dom. *Et te tristem usque ad mortem præ nimia anxietate sanguineo sudore perfusus coram Apostolis es professus.* Ita Bernhardus: *Inspice tribulationem ipsius mitissimi cordis, qua angebatur, cum totũ corpus ex omni parte sanguineo sudore manaret. Neque enim corpus extrinsecus tanto talique sudore deflueret, si corpus intrinsecus nullius doloris molestia frangeretur.* Sententiam hanc probari docet *Collius* pontificiis doctoribus, *Cornelio Iansenio*, *Iohanni Maldonato*, *Salmeroni*, *Caspari de Melo*, *Francisco* Suarez, plurimisque aliis. Quamvis ipse in ea plene non acquiescat.

§. 15. Præcipuum tamen obstaculum, quod huic objiciunt sententiæ *Collius* & *Raynaudus*, petitur ex natura tristitiæ, quæ sanguinem ad exteriora non propellit, sed ad interiora potius & cor potissimum compellit: unde in tristitia & metu magno partes externæ frigent. Sed non deest, quod huic removendo obstaculo serviat.

1. Testatur *experientia* in maximis terroribus corpora nostra quandoque sudoribus, præsertim frigidis, manare. Unde Germani. Der kalte Schweiß ist jhm vor Angst außgebrochen. quo pertinet illud Virgilii lib. 3. Æneid.

Talibus attonitus visis & voce Deorum,
Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus
Velatasque comas præsentiaque ora videbat:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor.

1. Quia in summa animi consternatione nonnulli, absque ullo audaciæ vel lætitiæ interioris indicio, sudorem sanguineum leguntur emisisse. Ita, referente *Raynaudo*, *Maldonatus* scribit, se ab oculatis accepisse testibus, quendam *Lutetiæ*, audita in se capitali sententia, cæteroqui robustum & *bene* valentem, sudasse sanguinem.

3. Quia sanguis & cum eo calor in metu & tristitia confertim à partibus exterioribus ad cor irruens in corde & circa cor æstuat atque rarefit, externi frigoris ἀντιπερίστασει quoque irritatus. Unde angustiarum impatiens ad externa potest prorumpere, & cutem penetrare, veluti videmus intra frigidas nubes accensam exhalationem calidam violenter erumpere & obstantia quævis effringere: Rationem hanc adducit quoque *Collius*: qui tamen cum ea conjungit confortationem angelicam, qua omnes dolores ac metus vires non tantum fractas, sed plane de medio sublatas opinatur: sed sine evidenti historiæ Evangelicæ indicio: imo potius contra historiam, ut ante ostendimus.

4. Quia

4. Quia eadem potest esse sanguinei, quæ frigidi & serosi si doris in magno metu & consternatione causa: Atque frigidi su doris in magno metu causa non est calor, sed frigidus potiu quod fugienti succedit sanguini & calori: Sive dicas per fugai caloris & sanguinis ad interiora partium externarum jam frigida rum debilitari vim retentricem, & sic cum serum, tum sangui nem intercutaneum per poros effluere: veluti per ejus facultat debilitationem in maximo metu alvi quandoque funduntur, & vesicæ retrimenta profluunt, docente *Cœlio Rhodig.* A. L. lib. c cap. 5. sive in humoris exterioris per frigus constrictione gutt cum seri tum sanguinis exprimi & elidi putes: quod plantis quo que accidere norunt Physici: Vide *Marcell. Donat.* in histor. med mirabili, lib. 1. cap. 2. quod est de sudore sanguineo.

§. 16. Quæritur (6) *Quænam sint audaciæ remedia?*

Resp. (1) *Moderata de se opinio & non levis de viribus adversariorum existimatio.* Unde exercitatorum militum axioma *Non est contemnendus hostis:* quo usus est olim *Alexander Magnus*, apud Curt. lib. 6. *Nihil tuto in hoste despicitur: quem spreveris, valentiorem negligentia facies.*

(2) *Sobrietas*: quæ moderationis & prudentiæ magistra est: uti ebrietas vix quicquam moderabile suadet.

XVII.

Metus sive timor est affectus, quo futurum expectamus malum à vi superiore, ortus ex opinione nostra imbecillitatis & virtutis adversariorum.

Ἔκθεσις.

§. 1. Ut ad spem, ita ad *metum* spei oppositum tria quoque requiruntur: *Malum futurum*, quod vel certo, vel probabiliter imminet, nobisque inconveniens, molestum & damnosum est: *Cognitio hujus mali, & aversatio*, seu fuga ejus. Hosce actus sequitur passio cordis ingrata, conjuncta cum spirituum, sanguinis & caloris ad interiora, & cor potissimum, fuga.

§. 2. Patet quoque ex *definitione* contrarium esse *metum audaciæ*: Ut enim *audacia* malum aggreditur ex opinione virtutis propriæ & imbecillitatis adversariorum: ita *metus* ab eodem refugit ex opinione imbecillitatis propriæ & virtutis adversariorum. Augetur metus, si malum imminens difficulter propulsari posse existima

existimatur: si sit magnum & grave: si sit repentinum, adeoque locum consilio & præparationi non relinquat: si sit ignotum, quod minus admittit consilii. Metuenda autem non tantum magna mala, sed & quæ parva possunt videri. Unde Publ. Mim. *Inimicum quamvis humilem doctu est metuere.* Et Hyppocrat. *Nihil parvum, nihil contemne.*

§. 3. Quæritur (1) *An omne malum sit metus objectum & causa?*

Resp. Malum, quod metus *objectum* est, vel absolute metum incutit, vel comparate, majorem. Malum metus absolute considerati in genere non est objectum quodvis. Sunt enim mala, quam *culpæ* vocamus, verę mala, quam metuere homines non solent: quæ vel non intelligant, vel, si maxime intelligant, sponte tamen & ultro admittant, vel admittere parati sint: quia nihil inde doloris, vel molestiæ metuunt, imo naturæ corruptæ convenientia judicant & grata habent. Unde cupidissime multi in maxima & fœdissima peccata animo concepta & præmeditata ruunt.

§. 4. Objectum igitur metus in genere est *malum pœnæ*, quatenus est futurum, & pro vere malo naturæ inimico & dolorifico habetur, quod triplici potest opponi bono, *corporis, animi & fortunæ.*

Corporis bono oppositum & formidabile malum est dolor corporis & destructio ejus: *animi bono*, infamia: *fortunæ bono*, amissio facultatum. Hæc omnia solemus metuere. Interim & hæc quandoque à nonnullis non metuuntur, vel quod ferendis iis assueverint, vel quod pro malis non habeant, & tanquam media apprehendant ad obtinenda magna bona. Sic qui jam ante sunt infames, novam infamiæ maculam imminentem, nisi forte corpus lædat, non metuunt. Tormenta & dolores corporis non metuunt multi martyres à spiritu Dei singulariter & extraordinarie adversus metum roborati: quia norunt & breves eos fore, & ad gloriam Dei animæque salutem, de voluntate Dei, tendere. Sic olim Philosophi quoque gentiles nonnulli jacturam vitæ non formidarunt, imo ultro & cupide fecerunt, ut vitæ melioris participes fierent: de quibus supra: *Sapiens*, inquit Epicurus, *semper beatus est, & vel inclusus in Phalaridis tauro hanc vocem emittet: suave est & nihil curo.* Contemnunt quoque corporis mala, hoc est, vulnera ipsam quæ mortem *Heroes* in conflictu cum hostibus *Fortunæ bona* qui minimi faciunt, ut olim Philosophi multi & Theologi, eorum jacturam imminentem non metuunt, imo sponte multi ea abjecerunt.

Sunt

Sunt tamen, quæ objici heic possunt.

§. 5. (1) Videtur etiam metus circa bonum esse.

Metuitur potestas & imperium superioris. Ergo & bonum quoddam est metus objectum. Ratio consequentiæ: *Quia potestas illa & imperium legitimum & à Deo est:* ut constat, ad Rom 13. v. 13. Antecedens comprobat experientia, & *Paulus*, cap allegato, v. 3. 4.

Resp. Ad *antecedens*. Potestas & imperium metuitur non per se, quatenus est potestas & imperium superioris: sed propter *malum pœnæ*, quod est à potestate & imperio: ut constat ex allegatis versiculis 3. & 4.

Instant. *Deus etiam timetur, non tantum à malis,* sed *etiam à bonis: Unde Domini timor passim etiam sanctis præcipitur: Atqui Deus summum est bonum.*

Resp. Timor Dei, qui sanctis præcipitur, non tam affectus, quam virtus est, nempe reverentia Dei. Interim Deus, quatenus est summum bonum, per se non timetur, sed offensio ejus: quæ mala & pœnæ meritoria est.

§. 6. (2) Quod etiam culpæ mala possint esse objecta metus probatur:

1. *Homo timet separationem à Deo: Ergo culpæ malum timet:* Ratio consequentiæ: *quia separatio à Deo est malum culpæ: nihil enim à Deo nos separat, nisi culpa.* Jesaïæ 59. v. 2.

Resp. *Consequentia* negatur: separatio à Deo, quatenus timetur, est pœna peccatum consequens: etsi & *culpæ* rationem habere potest, quatenus à Deo volens se homo separat, deserendo ipsum & Satanæ adhærendo.

2. *De malo culpæ possumus dolere & tristari: Ergo idem quoque metuere possumus:* Ratio consequentiæ: *Quia illa timemus, cum futura sunt, de quibus præsentibus tristamur. Cicero.* 4. quæst. Tuscul.

Resp. *Consequentiam* negat *Thomas* cujus *ratio* ipsi universalis non est. *Non omnia*, inquit, *timemus, quæ sunt futura, de quibus tristamur, cum sunt præsentia: sed aliqua tantum, quæ sunt ardua.*

Cur autem *culpæ mala* non timeamus, esse rationem docet: quia sunt in nostra potestate, & ab interna causa, nempe voluntate: Unde terribilia non sunt. Mala vero, metus objecta, sunt à causa violenta, externa, per quam sunt terribilia.

Interim *mala culpæ* non videntur simpliciter excludenda è numero objectorum metus. Sunt enim *culpæ mala*, quæ pii non possunt declinare, & quæ etiam nolentes perpetrant: ut videre

dere est ad Rom. 7. v. 15. 19. 20. &c. Quæ timere quis prohibeat, imo quis non debeat? Unde misera illa lamentatio Apostoli, v. 24. *Miser ego homo: quis me eripiet ex isto mortis corpore!*

Sic *Thomas* quoque concedit, mala culpæ formidari, ad quæ ab externa causa efficaciter inclinari voluntas potest, quam ob causam periculosas tentationes quotidie deprecamur.

§. 8. Quæritur (2) *An, & quæ sint mala, quæ metum augent?*
Resp. Majorem minoremque metum, pro ratione objectorum, esse, testatur experientia: Metum igitur auget malum.

(1) *Si difficulter propulsari posse existimetur.* Metum enim temperare solet spes de malo vel declinando, vel facile superando: quæ ubi minor est, ibi major metus est.

(2) *Si sit magnum & grave.* Natura enim magis horret & refugit, quæ sibi magis inimica judicat & à quibus se facilius posse destrui, aut magis affligi, credit.

(3) *Si sit repentinum:* Quia consilio & præparationi non relinquit locum. Quo autem minus se obfirmat & munit animus adversus imminens malum, eo minus quoque metui ejus resistit & facilius succumbit.

(4) *Si in specie non sit notum.* Quo enim minus est notum, eo plerunque solet magis esse suspectum, & minus adversus id consilii & auxilii potest quæri.

(5) *Si sit propinquum:* Quia tanto minus pausæ datur naturæ, quanto magis appropinquat & propius abest malum: & quo accedit propius, eo fortius à phantasia apprehenditur & jam quasi præsens imaginando sistitur. Hinc est, quod instantem mortem plerique valde metuunt; quam longius absentem & & futuram, seu post plures demum annos adventuram, vix quisquam metuit.

§. 9. Denique inter causas metus, vel proclivitatis ad metum, numeratur quoque *temperamentum* cum *melancholicum*, tum *phlegmaticum*, propter frigus, in quo quasi stabulari metus amat: qui & ipse perpetuo cum frigore conjunctus est. Hinc videmus ad metum maxime proclives esse melancholicos, qui, ubi forinsecus nulla sunt, intus sibi fingunt terriculamenta. Sic & fœminæ sunt timidiores, quia frigidiores. Contra biliosi & sanguinei, ut plus habent plerunque audaciæ, spei & lætitiæ, ita minus habent metus.

Metum quoque augere solent *tenebræ* 1. Quia spectra & nocturnæ larvæ amant tenebras: duæ formidabiles nobis sunt. (2) Quia major in tenebris est vis imaginationis. (3) Quia pericula

pericula in iis ſunt majora & liberiora ab improbis. (4) Quia præ-
videri mala imminentia per eas non poſſunt.

§. 10. Quæritur (3) *An metus objectum quoq; ſit malum re-
motum, non proxime impendens?*

Reſp. *Negativam* nonnulli eligunt, & pro ea experientiam atque autoritatem Ariſtotelis allegant: Ait enim Ariſtoteles, 2 Rhet. cap. 5. mortem, quia creditur remota, non timeri, etiam ſi certo tandem obventuram nemo negat vel dubitat. Teſtis *experientia*. Quotus enim quiſque juvenum, qui ſpes vivendi longas inchoant, à mortis hora ſe longe abeſſe credunt; poſt multos demum annos appropinquaturam formidat?

§. 11. Contra vero pro *affirmativa* militat quoque ratio & experientia.

Malum enim certo, quamvis longe poſt obventurum, quatenus eſt malum, repugnat naturæ & appetitui ſano: Unde id, ſub ratione mali velle homo non poteſt: & cum inevitabiliter obventurum cogitat, neceſſario timet, tanquam inimicum & deſtructivum naturæ: etiamſi tanto minus timet, quanto longius abeſſe credit: quia diſtantia ejus longa minus acriter id repræſentat, minuſque cogitationem exercet.

§. 12. Neque obſtat quod nonnulli longius remotum non timent. Nam & proxime impendens multi non timent, quamvis iidem multi quoque timeant: Cur autem longe remotum multi non timeant, variæ poſſunt eſſe cauſæ; & in iis duæ potiſſimum: vel quod propter nimiam ſecuritatem de eo non adeo cogitent: vel quod ſub ratione boni potius, quam mali, id apprehendant, & quod alii averſantur, ipſi exoptent, ut ne præſens quidem ægre ferant. Ita fidelium plurimi mortem non timent ſive longe, ſive proxime abſentem; quia ſub ratione viæ ad meliorem vitam ducentis eam concipiunt. Inſignia heic ſunt *Martyrum* exempla. *Diſſolvi cupio*, exclamat Paulus, *& cum Chriſto eſſe.*

De ultimo judicio obſerventur illa Chryſoſt. homil: 8. in 1. Theſſ. 4. *Horreamus obſecro & terreamur non ſecus quam ſi iſta jam fierent: ne ſolemur nos ipſos ex mora & cunctatione. Quando enim omnia oportet fieri, nihil prodest cunctatio.*

Sic *Hieronymus* ſupra Matth. *ſive comedam, ſive bibam, ſive aliquid aliud faciam, ſemper vox illa videtur ſonare in auribus meis. Surgite mortui & venite ad judicium. Quoties diem judicii cogito, totus corde & corpore contremiſco. Si qua præſentis vitæ est lætitia, ita agenda eſt, ut nunquam amaritudo futuri judicii recedat à memoria.*

Et An-

Et *Augustinus* epistol. 80. *Unus quisque debet etiam de die hujus vitæ suo novissimo formidare. In quo enim quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies. Quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.*

Et Bernhard. *Quid horribilius morte? Quid judicio terribilius? Nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? Time*, inquit idem, *quod in terribili judicio ei præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere.*

§. 13. Interim observetur, longe post futura mala non timeri absque omni præsentia: quam cogitatio nostra ipsis confert, quando tanquam præsentia sibi & quasi sensib. objicit. Hinc pulchre Seneca epist. 75. *Quicunque audiverit, post quinquagesimum annum sibi patienda supplicia, non perturbatur, nisi si medium spatium transilierit, & se in illam seculo post futuram solicitudinem immiserit.*

§. 14. Quæritur (4) *An malum futurum sit metus objectum?*

Resp. *Affirmativa* etsi extra omnem esse controversiam videtur: Quis enim nescit futura & imminentia mala atque pericula nos metuere, de præsentibus autem tristari eaque odisse: tamen non omni res cadit scrupulo. Itaque sic contra objicitur.

Etiam in bruta cadit metus. Ergo metus non videtur esse mali futuri, nondum positi. Antecedens *apud omnes est in confesso. Cani enim si baculum intentes, vel aufugit, vel ad vindictam se parat, ex metu verberum.* Ratio consequentiæ est: *quia in brutis non est futurorum, sed tantum præsentium, sensus: ut docet Philosophus* lib.4. de ani. tex. 53. vide & *Senecam, epist.* 124.

§. 15. Heic varie multi se angunt, dubitantes, *utrum sit tutius, brutis negare metum, an tribuere præsensionem futuri, ut per id metus sint capacia,* utrumque suos habet adstipulatores.

Sunt qui brutis metum adimant, ne præsensionem futuri cogantur tribuere, alii etiam præsentium esse metum affirmant. Unde ajunt bruta timere malum quasi præsens, ex recordatione mali alias inflicti, eadem occasione vel loco; ita ut malum futurum non præsentiant.

Interim non est quod ab *affirmativa* nos dimoveri patiamur. Metus est malorum futurorum, bruta vere & proprie metuunt, eademque futura præsentiunt, Declinant enim canes verbera nondum inflicta ex metu futuræ inflictionis adeoque futura fugiunt, præsentiunt, metuunt. Sensus externus nec in hominibus,

nec in brutis est futurorum. Internus non tantum in hominibu sed & in brutis est futurorum. Habent enim & bruta phantasiam in qua quoddam rationis est rudimentum, quo ex præteritis me morią comprehensis & præsentibus in sensus externos incurrenti bus futura colligunt, & vel sperant, vel metuunt. *Aristotel* brutis non simpliciter adimit omnem futuri præsentiam, sed i specie *Providentiam* quæ rationis usum requirit.

§. 16. Quæritur (5) *An malum certo eventurum metus obj ctum esse possit.*

Resp. *Affirmativam* amplectitur *Vasques* 3. p. d. 62. eam que probat exemplis & ratione. Christo expresse tribuitur metu mortis, quam sibi obventuram certo præsciverat. Ergo de ratio ne metus non est incertitudo vel dubitatio de futuro malo. Si *exempli gratia*, sectio membri putris timetur etiam ab iis, qu voluntarie eam sunt admissuri, & certe futuram norunt. Acced & ratio: Ut enim se habet spes ad bonum, sic metus ad malum Atqui spes non tantum de incerto, sed & de certo bono esse po test: Ergo & metus non tantum incerti, sed & certi est mali futuri

§. 17. *Negativam* eligere videtur *Aristoteles*, qui 2. Rhet cap. 5. affirmat metum habere spem adjunctam evadendi pericu lum vel malum imminens. Atqui spes evadendi non consistit cum certitudine eventus contrarii. *Rationem* reddit Philosophus, quia metus ad capienda consilia inducit: nemo autem consilium init de re, quam desperat & quam aliter non posse evenire certe præscit. In eandem sententiam concedunt *Thomas*, 1. 2. q. 42. art. 2. *Cajetanus*, *Lælius Peregrinus* & alii. *Hinc* ii, inquiunt, *qui ad extremum damnati sunt supplicium, postquam exceperunt sententiam, non amplius timent, sed tantum tristantur de morte; eamque non tanquam futuram præconcipiunt, sed tanquam præsentem & oculis obversantem habent tristes.*

Sententias hasce duas extremas, adhibita *distinctione*, non nulli conciliant. Nempe metus est vel *efficax & absolutus*, vel *inefficax* & *conditionatus*. Quorum ille his exprimitur verbis *Hoc malum volo declinare*: hic, *vellem declinare, si fieri posset.* Igitur *affirmativa* de metu inefficaci & conditionato datur, non de absoluto & efficaci: *negativa* de efficaci & absoluto, non d conditionato. Nemo enim sanæ mentis dixerit se absolute vell malum declinare, quod declinari non posse certo præscit: Con tra vero à sanæ mentis homine alienum non est, sub condition velle & optare malum declinare, quod certo eventurum præscit hoc nempe modo: *vellem, optarem declinare, ii qua fieri ration posset.* Interim utriusque impendentis metu percellimur.

§. 18. Ra

§. 18. Rationes pro utraque ſententia allatæ contra diſtinctionem hanc nihil efficiunt : quia diverſo reſpectu & modo metus eſt de malo certo & incerto. *Ariſtotelis* ſententia de metu cum ſpe conjuncta, non admittitur niſi de metu abſoluto & efficaci.

§. 19. Quod vero *Thomas*, *Cajetanus*, *Lælius Peregrinus* & alii negant eos metuere amplius, qui ſententiæ damnatoriæ certi ad ſupplicia jam abducuntur, id experientiæ contrarium eſt. Videmus enim tanto magis trepidare pleroſque ſceleratos, quanto propius à ſupplicii abſunt loco. Triſtitia in iis cum metu eſt conjuncta : quia nolunt & horrent malum futurum : de quo veluti oculis obverſante triſtantur.

§. 20. Objiciuntur quoque *deſperati* nonnulli & nefarii homines, qui ſub carnificis manu fortiter ferre mortem, abſque omni metu videntur.

Sed aut ſimulata & non vera eſt illa fortitudo *καταχρηστικῶς* ſic dicta, aut ab aliis orta cauſis, non à deſperatione. Plerunque autem in iis deprehenditur obfirmatus ille contra ultimi ſupplicii metum animus, qui alias vitæ fuerunt prodigi & quaſi venalem ſingulis momentis geſſerunt; quod etiam in militibus veteranis videre eſt, vel qui aliis cogitationibus metum mortis pellunt. Abjiciunt quoque motum nonnulli qui per tormenta, quæ jam ſuſtinuerunt, ita ſunt turbati, ut ratione uti amplius haud poſſint, vel extrema omnia ſe jam paſſos arbitrentur, vide *Ariſtot.* 2. Rhetor. cap. 11. Accedunt nonnunquam etiam diabolicæ obfirmationes ex *camera meditationum* profectæ.

§. 21. Quæritur (6) *An etiam timoris objectum ſit Deus?*

Reſp. Apud Theologos *affirmativa* extra controverſiam eſt: Eſt enim *timor Domini initium ſapientiæ*: *Timeat Dominum*, inquit David Pſal. 33. v. 8. *omnis terra*. Similibus abundat Scriptura. Interim cum Theologi nonnulli, tum Philoſophi minus commmode heîc vel ſentiunt, vel certe loquuntur. Igitur à *Seneca* & ex *Seneca* contra affirmativam ſic diſputatur.

§. 22. *Qui timendus eſt, is nocere poteſt*: *Atqui Deus nocere non poteſt*: *Ergo Deus non eſt timendus.*

Aſſumtio eſt *Senecæ* de ira lib 2. cap. 27. Quædam *ſunt, quæ nocere non poſſunt, nullamque vim niſi beneficam & ſalutarem habent. Ut Dii immortales, qui nec volunt obeſſe nec poſſunt. Natura enim illis mitis & placida eſt, tam longe remota ab aliena injuria quam à ſua. Dementes itaque & ignari veritatis illis imputant ſævitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hyemis.*

Suffragari *Senecæ* videtur *Lactantius*, de ira Dei, cap. 17. *Si*

 nocet,

nocet, inquit, *alicui Deus, jam bonus non est. Non exiguo falluntur errore, qui censuram sive humanam, sive divinam, acerbitatis nomine infamant, putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna* &c. Eadem igitur & *Senecæ* & *Lactantij* est ratio

§. 23. Igitur *syllogismi assumtionem* negamus: circa quam impingit *Seneca*, quo ad rem: *Lactantius*, quo ad verba: *Nocere Deum non posse* uterque dicit, sed non eodem, ut videtur, sensu. *Nocere*, Senecæ est inferre damnum, affligere &c. quod à Deo alienum esse male sentit *Seneca*, & demens atque ignarus veritatis negat à Deo esse sævitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hyemis &c. Cum omnium horum autorem esse Deum ipse Deus in suo testetur verbo. Immodicorum imbrium, marisque Dei jussu sævientis horrendum habemus exemplum in diluvio. *Timete eum*, inquit Christus. Matth. 10. v. 28. *qui potest & animam & corpus perdere in Gehenna.* vide Psal. 7. v. 13. 14.

Contra vero *nocere* Lactantio est injuria afficere: unde nimis stricto significatu *nocere* ab ipso accipitur: nocet enim non tantum qui innocentem injuria: sed & qui nocentem justa pœna afficit: quamvis alio sensu *nocens* vulgo accipiatur, quando *innocenti* opponitur. Quomodo Deus non nisi blaspheme nocens dici potest. Attamen propterea non desinit esse timoris objectum, quia hoc sensu nocens non est. Nam & innocens timeri debet & potest, qui punire nocentem potest. *Quod si feceris, quod malum est*, inquit Apostolus, Rom. 13. v. 4. *metue: non enim temere gladium gestat* (magistratus) *Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.*

Atqui malum, inquis, *est objectum metus. Deus non est malus: Ergo non est objectum metus.* Propositio *supra probata* est: Assumtio *in confesso est.*

Resp. Ad proposit. Non tantum malum per se est objectum metus, sed & bonum propter malum pœnæ quod potest infligere. Unde Apostolus loco allegato. *Vis non timere potestatem? Quod bonum est facito. Quod si feceris, quod malum est, metue: non enim temere gestat gladium* &c.

§. 24. Quæritur (7) *An etiam metus possit metui?*

Resp. *Affirmativa* defenditur: *Ratio* est: Quia passio est ab extrinseca proveniens causa, quam declinare plerunque in hominis potestate non est: siquidem ab imminente est malo, quod phantasia apprehensum passionem etiam invitis imprimit. Ut igitur passiones alias ingratas timemus, quatenus futuræ sunt sic & timorem: qui valde ingrata est passio pro ratione & magnitudin

tudine imminentis mali. Unde *tormentum non parvum à Cassiodoro* appellatur.

§. 25. Interim negat *Augustinus*, in lib. 83. quæst. q. 33. timorem timeri posse: quod de timore intelligi vult *Thomas*, quatenus voluntati subjacet & repelli potest. Attamen objicitur.

(1) *Nihil fugit se ipsum. Ergo nec timor timetur: Ratio conseq. Est enim timor fuga quædam.*

Resp. Ad *anteced.* Idem numero se ipsum non fugit: Ita nec idem numero timor timet & timetur: sed præsens futurum timet. Ita homo hominem fugit, sed numero alium.

(2) *Timor est futuri: Ergo non est timoris*: Ratio consequentiæ: *quia qui timet, jam præsentem habet timorem.*

Resp. Negatur *consequentia: Ratio* est inconsequens: Qui timet, præsentem habent timorem, quo timet, sed non quem timet.

§. 27. Quæritur (8) *An metus causa sit amor?*

Resp. Affirmat hoc *Augustinus* lib. 83. quæst. q. 33. *Nulli dubium est*, inquit, *non aliam esse metuendi causam, nisi ne id, quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.* Est autem metus causa *amor*, per modum dispositionis materialis; quatenus malum futurum timemus, quia contrarium est bono, quod amamus, neque metueremus, nisi boni, quod amamus, & vel præsens auferri, vel futurum impediri ægre ferimus, esset privativum.

Objicitur.

§. 28. (1) *Metus est causa amoris: Ergo amor non est causa metus*: Prob. Antecedens: *quia teste Augustino, timor inducit amorem charitatis. Ita puniri à Deo qui timet, præcepta ejus observat, & tandem sperare incipit: spes vero amorem gignit.*

Resp. Negatur *consequentia.* Metus est causa amoris per accidens, alias enim odisse homines solent, quos metuunt. Unde parens odii, metus à *Papiniano* appellatur: & *Minutius* in Octavio: *Naturale est & odisse, quem times, & quem metueris, infestare, si possis.* Et Seneca: *Nec quisquam amat, quos timet*: lib. 4. de Benef. cap. 19. Amor vero metus est causa per se: ut ostendimus.

§. 29. (2) *Amor est in amantis potestate: Ergo non est causa metus.* Ratio consequentiæ: *Quia metus est à terribilibus in potestate nostra non constitutis: Atqui amor nec terribilis est, nec extra potestatem est.*

Resp. Negatur *consequentia. Ratio* est inconsequens: Quia ab amore non est metus per modum *causæ efficientis*, sed per modum *materialis dispositionis.*

§. 30. Quæritur (9) *An metus consiliorum excogitandorum peritos reddat?*

Resp. Affirmat hoc *Aristoteles*, 2. Rhet. cap. 11. ὁ φόβ@- βυλευτικὺς ποιεῖ: Quod duobus accipi modis potest: nempe per modum vel *causæ impulsivæ*, vel *principalis efficientis*, facultatem excogitandi consilia impertinentis. *Prius* conceditur, & ratio est, quia metu futuri mali homines perculsi quævis adversus ea conquirunt remedia: ad quæ opus est consiliis, ut recte constituantur & eligantur.

§. 31. *Posterius* negatur: quia metus, præsertim si major sit, consilium potius impedit, quam promovet, quando rationem turbat. Unde metum Græcis δεῖμα, quasi ligamentum dici ait Plutarchus, quia animum perturbat & vincit territum: Idem in lib. de fort. *Alexandri* dicit, *metu non solam consternari memoriam, sed & institutum animi omne & laudabilem conatum.* Et *Ennius* apud *Ciceron.* lib. 3. de orat. *Tum pavor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat.* Et Xenoph. lib 3. Cyripæd. πάντων τῶν δεινῶν ὁ φόβ@- μάλιστα καὶ πλήττει τὰς ψυχάς. In specie consiliis inimicum esse metum *Plato* scribit in Timæ. θάρρ@- καὶ φόβ@- ἄφρονε συμβούλω: Cui *Seneca* assentitur: *Temeritas præceps, & nunquam fidele consilium daturus timor.* *Plutarchus* lib. 7. Sympos. q. 10. ait, *nihil magis impedimento esse consultantibus, quam metum.*

§. 32. Quæritur (10) *Cur perculsorum metu palleant ora, tremant poplites, solvatur alvus, horreat & sudet corpus, erigantur capilli, hæreat vox?*

Resp, Noti sunt illi metus majoris effectus qui omnes sequuntur fugam caloris ab externis partibus, corporis ad internas, & frigoris præsentiam, quæ cum metu conjunguntur. Horret enim animus malum imminens, & familiarissima sua organa, spiritus & calorem, intra centrum revocat, ut mature malo subducantur. Unde *pallet vultus* ex fuga caloris & spirituum ad interiora: *Tremunt Poplites*, qui fuga caloris & spirituum debilitati molem corporis sustinere fortiter non possunt: quod & iis videmus accidere, qui humeris majora gestant onera. *Solvitur alvus* quia per absentiam caloris debilitata est vis retentrix. *Horret corpus*, propter frigus, cujus molestiam excutere laborat. *Sudat idem*, vel quia, per caloris fugam debilitata vi retentrice, per poros humor effluit, vel quia frigus eundem exprimit. *Eriguntur capilli*, quia calore & succo vitali destituti quasi indurantur & flecti abnuunt. Vide *Gell.* lib. 19. cap 4 6. *Hæret vox*; quia organa ejus torpent frigore ad motum inepta.

§. 33. Quæ-

§. 33. Quæritur (11) *Cur in magno metu quandoque subito canescant juvenes?*

Resp. Exempla subitaneæ & admirandæ hujus canitiei in historiis occurrunt multa, quæ recenset *Marcellus Donatus* in historia sua medica mirabili *Diegus Osorius* ob flagitiū in aula perpetratum, regis Hispaniarū jussu, in carcerem conjectus, quamvis juvenis & pene adolescens esset, ob ingentem metum unica nocte totus est factus canus, adeo ut altero die è carcere productus annorum LXX. senex videretur: toto etiam corporis habitu ita fuit deformatus, ut non capilli tantum, sed & facies grandem præ se senectam tulerit.

Ludovicum Bavarum quoque una nocte canum esse factum memorant *Cuspinianus* & *Aventinus* lib. 7. annal. Bojor.

Francisci Gonzagæ, Mantuani principis, affinis conjurationis suspectus cum jussu *Gonzagæ* in turrim conjectus esset, ad quæstionem aut supplicium asservandus: renuntiatum altero die fuit principi, totum unica nocte canum esse factum: quo veluti prodigio motus princeps gratiam reo fecit: exempli hujus meminit quoque *Scaliger*, Ex 312. Cujus ætate contigit.

Nicolaus Florentinus memorat, se duos vidisse pueros, quorum & nomina exprimit, qui ex subito timore canitiem repente contraxerint.

Nobili cuidam *Patavino* cum vespere annunciatum capitis esset supplicium in sequentem diem, unica illa nocte canuit. *Crantzius* narrat, *Wipertum*, designatum Episcopum *Raceburgensem*, cum confirmationis obtinendæ causa Romam esset profectus, & ob adolescentiam à Pontifice repudiatus, proxima nocte totum incanuisse.

Idem & juveni accidit è rupe pendenti cum accipitrum pullos scrutaretur, & interim funes, quibus sustentabatur, dissilirent: *Cœlius Rhodig.* Antiqq. lect. lib. 13. cap. 27.

Manifesta igitur est repentina quorundam juvenum canities: manifesta causa, metus: cum vero & aliæ proximiores causæ à metu provocatæ interveniant, in eas porro inquirunt docti.

§. 34. Tres heic sunt distinctæ *Physicorum* & *Medicorum* sententiæ. *Nonnulli* siccitatem in causa esse ajunt: quia calore, sanguine & spiritibus propter metum ad vitæ fontem fugientibus, consueto pabulo defraudantur pili & sic exsiccantur. Unde albedo & canities: veluti & folia atque segetes virides, cum exsiccantur, albescere videmus.

Alij exhalantes à putredine vapores pro causa habent.

Extremis enim partibus per timorem calore naturali destitu-

destitutis, pituitosi humores sub cute existentes & circa capillorum radices copiosi putredine corripiuntur. Unde elevantur à calore præter naturali, qui cum putredine concurrunt, vapores pituitosi, qui capillis se insinuant, & albedine, seu canitie, inficiunt.

§. 35. *Alij* ex frigore causam derivant, hoc modo. *Frigidi*, inquiunt, *proprium est indurare & cogendo exsiccare. In magno igitur timore & pavore capitis cutis subito refrigeratur, simulque cogitur, induratur & exsiccatur: Unde meatus arctiores redduntur & timentibus quoque capilli arriguntur. Quia cutis radices pilorum arcte complexa & ipsa compressa simul radices comprimit & inclinantes erigit. Cum autem pili ex fuliginosa humorum eluvie ortum ducant, iisque circa radices pilorum plerumque accumulentur, sive pituitosi, sibe albi, fit ut arctatis & compressis cutis meatibus, seu poris, materia pilorum, seu alimentum album simul exprimatur & in capilli substantiam dispergatur adeoque breviculo temporis intervallo canitiem inducat.* Hanc maxime probat sententiam *Marcellus Donatus*.

§. 36. *Prima sententia* minus probabilis videtur. Quid enim natura in excrementitio humore inveniat præsidii, ob quod ad interiora eum in metu revocet? cum naturæ ille sit molestus, in quem etiam expellendum tota incumbit. Neque defectus alimenti ad paucula horas pilis subtracti admirabilem hanc & repentinam canitiem posse inducere videtur.

§. 37. *Altera* minus habet probabilitatis. Quis enim credat, tam exigua temporis mora putrescere humorem circa capillorum radices posse in sano præsertim corpore? Taceo, quod frigus putredinem potius arceat & impediat, quam juvet.

§. 38. *Tertiam* igitur reliquis præferrimus: etsi explicatio ejus tota non arridet. A frigore potius, quam à siccitate, aut putredine, canitiem hanc mirabilem esse, facile damus, nec enim ulla probabilior occurrit causa. Quod vero *Donatus* opinatur, humorem frigidum & albicantem circa radices pilorum exprimi & in substantiam eorum dispergi, indeque pilos infici, probabile nobis non accidit, minus etiam illud, quod de putredinali, ut loquitur, calore addit. Existimamus igitur humori, qui per universam pili substantiam jam est diffusus, ad albedinem vel canitiem admittendam peculiariter dispositus, à frigore, quod in terrore magno capillos quoque invadit, mirabilem & subitaneam alterationem atque tincturam accidere; quia alios quoque observamus humores frigore concretos albescere.

§. 39. Quæ-

§. 39. Quæritur (12) *An spes honoris & pœnæ metus virtutum sint elementa ?*

Resp. Libet verbis *Cælii Rhodigini* quæstionem hanc expedite. *Duo esse veluti elementa virtutis à Philosophiæ studiosis traditum, scire videor : Honoris spem, & pœnæ metum Illa quippe ad honesta studia alacriores reddit : quando est externorum maximum bonum honor : Siquidem hunc Diis contribuimus, hunc in dignitate constituti affectant propriè : tametsi cumulate virtuti dignus rependi haud queat. Hic autem, metum dico, depravatos impetus cogit hebescere, tardioresque facit ad ea, quæ à rationis libra visuntur se mota. Hinc ad terrorem increscentis audaciæ pœnarum genera, octo legibus sanciri Marcus Tullius scribit : damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. At summus ille parens, DEUS, à quo in hanc mundi partem universalitatis mediam emissi sumus, ut hinc inde rerum ab eo productarum ordinem excellentiamque exactissime contemplati humilem debitumque venerationis cultum autori exhiberemus, æternitatis præmium ex formula sua viventi propòsuit : Abeunti vero ad brutorum immanitatem & sensibus mancipatam naturam, formidabiles inferorum cruciatus perpetuitatis diritati adglutinatos.* Hæc Cælius. φόβος ὠφελεῖ, καὶ πρὸς ἀγαθοῦ τοῖς ἀνθρώποις ξύνεστι : inquit *Clemens Alexand.* unde σωτήριον appellat, εἰ καὶ πικρόν. *Plutarchus* appellat *modestiæ magistrum* : Et Plinius, *magistrum recti.*

§. 40. Objicitur :

A peccatis abstinere propter pœnæ metum, & non propter virtutis amorem, non est laudabile : Ergo metus pœnæ non videtur elementum virtutis. Antecedens : probatur ex illo trito.

Oderunt peccare boni virtutis amore,

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Resp. *Antecedens* simpliciter non conceditur : etiamsi enim à peccatis abstinere, ex formidine pœnæ, minus est laudabile, quam ex virtutis amore : tamen absolute non est vituperandum : quia præstat à peccatis abstinere, quam iis indulgere, etiamsi ex metu pœnæ id fiat : Accedit, quod hæc à peccatis abstinendi consuetudo tandem virtutis conciliet amorem : ut tandem ab iis abstineatur, non ex formidine pœnæ, sed amore virtutis. Unde pœnarum metu ipse Deus in officio homines continet, &, Dei jussu, magistratus.

§. 41. Quæ-

§. 41. Quæritur (13) *Cur metus recta consilia plerunque impediat?*

Resp. Fieri hoc supra ostendimus, ad quæst. 5. quod tamen non de quovis, sed potissimum de magno metu accipiendum; quo videmus incerta esse trepidantium consilia, jam huc jam illuc fluctuare, & sic rerum præclare gerendarum occasiones sæpissime elabi. *Ratio* perturbationis & confusionis est nimia animi in futurum & imminens malum intentio & attentio, quæ ab idoneorum mediorum inventione & electione cogitationes avocat, vel certe iis diu & constanter immorari non patitur: statim enim ad se cogitationes abstrahit imminentis mali magnitudo. Accedit etiam ipsa spirituum animæ ministrantium perturbatio & per obortum frigus dissipatio: Unde idoneo horum destituta ministerio anima minus recte suo fungi officio potest.

§. 42. Quæritur (14) *Cur per vehementem & repentinum metum atque terrorem quandoque morbi discutiantur?*

Resp. Non tantum morbos adfert, sed & aufert quandoque repentinus magnusque metus: quod in Antiq. Lect. observat *Cælius Rhodig.* lib. 20. cap. Per metum nonnunquam singultum & quartanam febrim solutam testantur historiæ. Quin & podagra quandoque vinculis impeditos imminentis mali metu perculsos & mali sui oblitos, articulorum instauratis viribus, observatum subito aufugisse: cum ante vix pedem movere potuerint, idque non sine ingenti cruciatu: Factum hoc in incendiis exortis & improvisis militum irruptionibus. Sic *Crœsi* filium, teste *Herodoto*, naturali impedimento mutum, cum ad patrem miles festinasset, trucidandi Patris periculo perculsum, vocalem metus fecit, ut exclamarit & militem inclamarit; *Homo, ne perimas Crœsum.*

§. 43. Causam *Rhodiginus* refert ad rationalis animæ vim potestatemque in terrenum hominis hebesque corpus. Unde certior eruditorum conjectatio de excellentia animę formęque humanę: ad cujus obsequia proclive humanum corpus deprehenditur. In hoc igitur, instante periculo & urgente metu, imperium exerit, &, quod impedimento ipsi, facessere jubet.

§. 44. Sed *Platonica* hæc potius quam *Aristotelica* ratio, quam suo loco relinquimus. Nos in corpore quoque alterando vim metus agnoscimus, ut constat ex iis, quæ hactenus sunt disputata. Existimamus igitur, repentina illa & vehementi corporis alteratione atque mutatione, quam metus adfert vehementior, in fuga illa motuque caloris, sanguinis & spirituū, moveri quandoque & loco pelli causam morbificā naturęque impeditę solvi vincula, quæ manifesta sunt in singulientibus, febricitantibus, podagricis & mutis.

Quæritur

Quæritur (15) *Quæ metus, seu timoris, sint species?*

Resp. Timorem aliter *Philosophi*, aliter *Theologi* dividunt. Species timoris sex numerantur à *Damasceno*, lib. 2. de fid. cap. 15. & *Nemesio* de hom. lib. 1. c. 20.

Segnities: quæ fuga esse dicitur impendentis actionis, cujus molestia apprehenditur.

Pudor: metus labendi & vituperium promovendi.

Verecundia: metus infamiæ ob dedecus admissum.

Stupor: metus ex ingenti imaginatione, aut specie animo oblata.

Terror: metus ex insuetæ speciei occursu.

Agonia: metus ne, quod agressi sumus, non cadat ex sententia.

§. 46. Hanc tamen minus accuratam esse distributionem facile apparet: nec enim satis distinguuntur species, nec omnes pro objectorum varietate recensentur. *Scaliger*. Exer. 312. varia timoris sive nomina, sive species accurate distinguit, etiam ex originibus, *Metus*: demissio animi propter expectationem futuri mali, παρὰ τὸ μενέται. *Timor*, exspectatio censuræ eorum qui sunt in dignitate constituti: παρὰ τὸ τιμᾶν. *Verecundia*, magna opinio reprehensionis; cum væ, hoc est, *valde remur*, hoc est putamus rem ipsam. *Pudor*; latius patet, quam verecundia, & à putidis dicitur, à quibus avertitur sensus: *Pavor*, idem quod *perculsio*: cum animus quasi verberatur imminentis mali opinione: παρὰ τὸ παίειν & κίλλειν. *Consternatio*; summum pavoris & perculsionis fastigium; quando ex perculsione concidimus, spe & consiliis abjectis. *Exanimatio*; atrocior consternatione, quando etiam animo vis adimitur. *Tremor* & *horror*; proprie corporis sunt affectus ex animi affectibus pendentes: *ille* motus est ex motibus contrariis: *hic* asperitas est corporis, qua etiam capilli eriguntur: *Trepidatio* corporis quoq; est, cum ita nos tremor occupat, ut consistere nequeamus: παρὰ τὸ *pedare, repedare*. *Formido*: à formis, hoc est, spectris.

§. 47. Theologi timorem distinguunt in *mundanum*: quo perculsi à Deo recedunt eos veriti, qui corpus possunt occidere & fortunæ bona auferre: In *serviliter servilem*: quo quis vitat culpam, ne subeat mulctam: manente interim affectu ad culpam, à qua solius pœnæ metu retrahitur. In *simpliciter* servilem, quæ culpa abstinetur, propter metum pœnę, secluso tamen affectu ad culpam. In *filiam*: quo fugitur culpa unicè propter offensionem Dei. In *reverentialem*: quo homo ex consideratione & conscientia suę indignitatis se coram majestate Dei abjicit, & coram Deo se nimis licenter & libere gerere veretur: cujusmodi fuit timor *Abrahami*. Gen. 18. v. 27. & *Centurionis Capernaitici*, Matth. 8. v. 8.

Quęritur

§. 48 Quæritur (16) *Quæ sint metus remedia?*

Resp. (1) *Non nimis multa amare:* Quod enim quis nimium amat, ejus jacturam valde timet.

(2) *Adsuescere ferendis rebus terribilibus.* Est enim consuetudo altera natura; quam nemo timet.

(3) *De numinis auxilio & præsentia bene sperare.* Fiducia auxilii hujus metum facile comprimit.

(4) Ante oculos habere posita exempla virorum fortium.

(5) *Vinum hauriri generosum.* Hoc enim ut tristitiam, quæ mali est præsentis, fugat, ita & metum, qui mali est futuri. Pertinet huc illud Proverb. 31. v. 6. 7. *Date potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo. Bibat ut obliviscatur paupertatis suæ, & molestiæ suæ non sit memor amplius.*

XVIII.

Hactenus affectus principalis: *sequitur minus principalis, qui fere ex principalibus est mistus & compositus: præcipua ejus species sunt: (1) Pudor & impudentia: (2) Æmulatio & contemptus dignitatis: (3) Commiseratio & inhumanitas: (4) Invidia & perversa lætitia.*

XIX.

Pudor est affectus quo malum, ignominiam adferens, metuimus.

Ἔκθεσις.

§. 1. ORitur *pudor* ex opinione mali ignominiam adferentis, quod est turpe, quod non idem videtur omnibus: unde pudorem nonnullis incutit, quod alios minime movet. Sedes *pudoris* in oculis maxime est: unde ex pudore plerunque dimittuntur oculi: & adagium: *In oculis pudor.* Distinguimus *pudorem* à verecundia, quam supra cap. 21. inter virtutes numeravimus, & sententiæ nostræ rationem reddimus.

§. 2. Quæritur (1) *An pudor in bonos quoque viros & senes cadat?*

Resp. In hac quæstione dissidere videntur *Plato & Aristoteles. Plato* in Protagora inquit, *Justitiam & pudorem esse munera Jovis, per Mercurium tributa hominibus, quæ civitates ornarent*

narent & mutua benevolentia cives conciliarent.

Unde subjungit. *Omnes horum participes esse debent, & legem meo condas nomine, qua, quisquis omnino vel justitia vel pudoris est expers, tanquam civitatis pestis quadam, ultimo supplicio afficiatur.* Et in lib. S. de Leg. *Sapiens Legumlator senioribus pracipiet, ut sint coram junioribus verecundi.*

§. 3. Contra vero *Aristoteles*, lib. 4. Moral. Nicom. cap. 9. ait: *non omni atati, sed adolescentia pudorem, quam verecundiam alii appellant, convenire.* Rationem reddit: Quia adolescentum vita assiduis perturbationibus agitatur: unde multa peccant, à quibus pudore revocantur: Cur autem in senes & viros bonos non ca lat, hanc esse causam docet: Quia senem nihil agere oportet eorum, propter quæ pudor solet existere: neque patranda viris bonis sunt mala, ex quibus.

§. 4. *Aristoteli Platonem* conciliare nititur *Piccolomineus*, Grad. 4. cap. 32. Nobis arridet sententia, quam allegata *Platonis* verba præ se ferunt. Rationes sunt:

(1) Passim scriptura, nullo ætatis discrimine, pudorem & erubescentiam, ut ita loqui fas sit, tribuit populo Dei & ejus hostibus. Loca videantur; *Psal.* 35. v. 4. & 86. v. 17. & 109. v. 28. 29. & 119. v. 78. & 129. v. 5. & 132. v. 18. *Jesai.* 41. v. 11. & 45. v. 24. & 66. v. 5. *Jerem.* 3. v. 20. & 20. v. 11. & 22. v. 22. *Ezech.* 16. v. 63. *Mich.* 7. v. 16. *Rom.* 6. v. 21. 1. *Cor.* 15. v. 34.

(2) Commendatur etiam in sapientissimis & gravissimis viris pudor & erubescentia. Unde de *Pompejo Seneca. Nihil erat mollius ore Pompeii, nunquam non coram pluribus erubuit, utique in concionibus. Fabianum (Philosophum & Rhetorem) cum in se natum testis esset inductus, erubuisse memini, & hic mire illum pudor decuit. Non accidit hoc ab infirmitate mentis sed à novitate rei: qua in exercitatos etsi non concutit, movet naturali in hoc facilitate pronos.* Epist. 11. *Duo sunt*, inquit Plato, *qua à pueritia per omnem vitam ducere illum debent, qui sit praclare victurus: in rebus turpibus verecundia, in honestis, gloria laudisque studium. In convivio.*

(3) Senes sæpe numero pudenda patrant: ut experientia testatur. *Atqui necesse est*, inquit *Aristoteles*, lib. 2. Rhet. cap. 14. *pudore affici ob ea mala, qua videntur esse turpia.*

(4) A senibus alienissima debet esse impudentia *Cynica*: Ergo pudor & verecundia ipsos decet; cujus bono exemplo præire adolescentibus debent: Spectat huc *lex Platonica*, de qua supra *Heliogabalus* cum ad vindemias vocasset amicos nobiles, & ad corbes

corbes sedisset, gravissimum quemque percontari cœpit, *an promptus esset in Venerem?* Erubescentibus vero senibus: exclamabat, *salva res est, erubuit.*

(5) Etiam sanctissimi quique pœnitenda committunt, & per naturæ vitium in peccata sunt proclives, ut constat exemplo *Davidis*, *Salomonis*, &c. Ergo necessarius ipsis est pudor, qui delicta vel antecedat & ab iis absterreat, vel consequatur, & ad pœnitentiam invitet.

§. 5 Ratio in contrarium ab *Aristotele* adducta non est magni ponderis. *Senes nihil oportet agere eorum, propter quæ pudor solet exigere, neque viris bonis patranda mala, ex quibus pudor nascitur. Ergo in senes & bonos viros non cadit pudor.*

Resp. Negatur consequentia. Simili modo eodemque sequelæ robore inferri posset. Senes & boni viri cavere sibi ab ebrietate & scandalosis debent peccatis vel actibus Ergo in peccata & actus hujusmodi prolapsi non debent cogitare de pœnitentia: vel. Morbi per in temperantiam non sunt accersendi: Ergo de eorum remediis non est laborandum & cogitandum.

Imo vero quia senes bonique viri norunt per naturæ imbecillitatem se obnoxios esse peccatis pœnitendis & pudendis, & pudoris, inter alia arripere debent arma, quibus propulsare à se hujusmodi peccata possunt, ut vel non perpetrent ea, vel si perpetrarunt, non probent aut excusent.

Neque, si maxime senes & boni viri nihil unquam perpetrarent, cujus pudere ipsos deberet, frustraneus & inutilis esset pudor: quia inter alia media, quæ à pudendis nos avocant, est quoque pudor & verecundia: qua innocentiam suam tuetur adolescentia. Si quod hujus argumenti esset robur, ab adolescentia quoque pudorem excluderet. Siquidem & adolescentes nihil oportet agere eorum, propter quæ pudor solet existere.

§. 6. Quæritur (2) *Quæ sint objecta pudorem provocantia?*

Resp. Recenset ea *Aristoteles*, lib. 2. Rhetor. cap. 14. & ad tria revocat capita: quorum commune genus est *malum*, quod videtur turpe. Unde pudor, seu αἰσχύνη definitur *dolor aut animi perturbatio ex malis orta vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris, quæ ad infamiam deducere videntur.* Sub hoc communi genere continentur.

(1) *Opera vel actus à vitiis moralibus profecti: Exempli gratia, à timiditate*, in præliis abjicere clypeum: ab *injustitia*, deposito aliquem fraudare? ab *avaritia* & sordibus; quæstum facere ex parvis, aut turpibus: ab *illiberalitate*, nullam egeno opem ferre, cum possis, aut minorem, quam possis; pecuniam ab aliquo

aliquo petere mutuo, qui à te videbatur velle petere, &c. ab *adulatione*, præſentem laudare, aut virtutes ejus ſupra modum laudare, vitia extenuare: ab *animi mollitie*, labores non tolerare, quos ſeniores tolerant, vel delicati homines, vel in majori authoritate conſtituti, &c. ab *animi abjectione*, ſæpe ab aliquo beneficium accipere, accepta exprobare: ab *arrogantia* & *oſtentatione*, de ſe multa prædicare & magna polliceri, res alienas ſuas dicere, aliorum inventa ſibi tribuere, &c.

(2) *Defectus rerum pulchrarum, quarum alii ſunt participes, conditione pares:* ut, non ita bene eſſe educatum & eruditum, ut ſunt alii, quibus major non contigit ad res præclaras opportunitas, &c. Tanto autem turpiora & magis pudenda ſunt mala, ſi ipſe eorum ſis fueriſve autor.

(3) *Obſequia & miniſteria vel corporis, vel turpium facinorum, ex quibus injuria contumelioſa naſcitur: ſive ad intemperantiam ſive ad violentiam ſpectent.*

§. 7. Objicitur.

Videtur etiam pudor eſſe circa objectum non turpe: quod probatur.

(1) *Homo quandoque erubeſcit propter exercitium operum ſervilium quæ turpia non ſunt. Ergo pudor etiam eſt circa objectum non turpe.*

Reſp. *Antecedens* ſimpliciter non datur: etiamſi enim opera ſervilia in ſe & per ſe conſiderata, ſi honeſtati contraria non ſint, turpia non ſunt; tamen reſpectu certarum perſonarum, quas minus decent, in turpibus quoque habentur, & exprobantur iis, qui ſupra conditionem ſervilem ſunt evecti, quando videri poſſunt profecta à contemptu ſtatus honeſtioris, vel ſordibus, &c.

§. 8. (2) *Sæpe erubeſcunt, qui coram ſuperioribus ſuam aſſerere innocentiam, & actionum etiam laudatarum reddere rationes tenentur. Ergo pudor non eſt ſemper de re turpi.*

Reſp. Negatur *conſequentia:* Etiamſi enim innocentiam ſuam coram ſuperioribus aſſerere & actionum laudatarum rationes reddere non eſt turpe & vituperabile: tamen oboriri ſuſpicio & metus poteſt, ne quid indecens & indecorum cum honeſtis hiſce actionibus concurrat, quod offendere ſuperiores poſſit: & hoc pudor reſpicit.

§. 9. (3) *Homines quandoque erubeſcunt virtutum actionibus*: Ergo &c. Antecedens prob. Lucæ 9. v. 26. *Quem puduerit mei & meorum ſermonum, ejus pudebit filium hominis.*

Reſp. Negatur *conſequentia:* Quia etiam actiones per ſe laudatæ & virtuoſæ, ex falſa hominum opinione atque imaginatio-

ne, videri possunt indecoræ & contemptibiles: ut confessio Evangelicæ veritatis, &c.

§. 10. Quæritur (3) *Coram quibus maxime oboriri pudor soleat?*

Resp. Ad quæstionem hanc respondet *Aristoteles*, lib. 2. Eth. cap. 15. Ubi (hac data & concessa hypothesi, quod, cum pudor opinio quædam sit de infamia, & propter hanc ipsam infamiam vehementer homines commoveantur, nullus vero bonam curet famam; nisi propter eos, qui opinionem de nobis bonam vel malam habent, necesse sit unum quemqne illorum moveri pudore, quorum rationem habet, & quos curat atque aliquo modo reveretur) nominantur.

(1) *Quos admiramur & quibus admirabiles videri cupimus, quibuscum de honore & dignitate certamus, & quorum opinionem atq; judicium non contemnimus.* Admirabiles autem videri cupimus, eosque admiramur, qui pretiosum aliquod & honoratum bonum possident, aut à quibus aliquid vehementibus petimus precibus, quod in sua habent potestate, qui prudentes, qui seniores & eruditi sunt viri, quorum verum sincerumque esse judicium solet.

(2) *Qui semper nobis præsentes sunt futuri, nostraque studia & actiones semper observant, tanquam in oculis nobis continuo versantes.* Qui enim raro nobis adsunt, eos non adeo curamus, neque censuram adeo formidamus.

(3) *Qui vitiis iisdem non sunt obnoxii.* Non enim possunt ii improborum mores & vitia probare.

(4) *Qui non sunt faciles ad ignoscendum iis, qui videntur peccare.* Quæ enim quis ipse facit, ea in aliis cum indignatione non solet reprehendere: quæ vero non facit, in aliis facile reprehendit. Ita exosi sunt castis libidinosi, sobriis ebriosi, veracibus mendaces, &c.

(5) *Qui secreta aliis enunciant.* Nihil enim differre inter se videntur, non peccasse, & peccatum commissum non enuntiari.

(6) *Qui in aliorum peccatis observandis & vitiis notandis sunt curiosi:* Ut irrisores & comici Poëtæ. Hi & ipsi secreta enunciant & plerunque sunt maledici.

(7) *Apud quos repulsam passi non sumus:* Videmur enim iis admirabiles: Unde cum repulsa nos dimettire verentur.

(8) *Cum quibus notitia intercessit vetus, nulliusque sceleris vitii nostri sunt conscii.*

§. 11. Neque tantum personæ nobis pudorem incutiunt, sed & *dicta* atque *facta* turpia & pudenda.

Contra

Contra vero pudore non commovemur coram iis, quorum de veritate opinionem multi contemnunt, coram infantibus & bestiis, quæ judicare de turpibus & vituperabilibus non possunt

§. 12. Quær. (4) *Cur cum pudore conjuncta sit erubescentia?*

Resp. Rubore tingi pingique faciem per affectum pudoris, testatur experientia. Hinc tritum illud: *Erubuit salva res est*, & à Laërtio rubor appellatur *color virtutis*. Pulchre dicitur verecundia seu pudor, *in vultu peccatum pingere, & liberalem ferre criminis commissi mulctam*. Et *Pythias* filia *Aristotelis* interrogata: *Qui color esset pulcherrimus?* Respondit. *Qui per verecundiam ingenuis oboritur*. Stob. serm. 31. Et Cato Major dicebat: *eos se magis adolescentes probare, qui erubescerent, quam qui pallescerent*. Hoc est: Qui probrum magis, quam reprehensionem, suspicionem potius, quam periculum, timerent. Unde rubrum colorem appellant *vatem* & *vadem* boni ingenii.

§. 13. Causa *ruboris* per pudorem provocati est: Quia ex corde spiritus egrediuntur, & calorem sanguinemque secum ducunt comites ad rem turpem repellendam, & faciem purpureo sanguinis velo occultandam: *Gell.* lib. 19. cap. 6.

§. 14. *At enim, cum pudor sit metus quidam, & metus pallorem inducat vultui, quæritur, quid causa sit, cur rubedinem potius, quam pallorem conciliet?*

Resp. *Ægidius* lib. 1. de regim. princ. p. 3. cap. 10. duplicem facit timorem: *unum* qui refugit malum corruptivum internum, qui sanguinem ad cor convocat, ut interiora firmentur. *Alterum*, qui refugit malum externum, nempe *ἀτιμίαν*, ignominiam, indeque ad partes externas sanguinem emittit. Altius alii penetrantes ajunt *pudorem esse metum, sed modicum*: in quo non adeo solicita est natura de firmando corde. Unde inter initia pudorem excipit pallor quidam, per sanguinis contractionem: mox tamen succedit rubedo & diffusio sanguinis, quando minoris periculi reputatio ad partem exteriorem, nempe vultum, laborantem, tanquam copias auxiliares, mittit spiritus & sanguinem.

§. 15. Quæritur (5) *Quæ pudoris laudabilis sint effecta?*

Resp. (1) Insigniter naturam commendat. Unde *Ambrosius* lib. 1. off. cap. 17. *In adolescentibus verecundia velut quadam dote commendatur natura.*

(2) Prima virtutum ducit jacitque fundamenta: *Ambros.* lib. 1. off. cap. 43.

(3) Salutis parandæ principium est: *καλὴ ἀρχὴ πρὸς τὸ σωθῆναι τὸ αἰδεῖσθαι*. Plutarch. Unde & *Publ. minus. Spes est salutis, ubi*

 hominem

hominem objurgat pudor. Sophocles in Ajace; *Metus cui adest & pudor simul, hunc posse salvum esse scito.*

(4) Indicat mentis honestatem: Unde *Symmach.* lib. 1. epist. 90. *Quorum mens honesta est, eorum imbecilla frons est.*

(5) Virtutes omnes custodit & dedecus fugit. *Cicero.* in part. Orat.

(6) Etiam bellicam virtutem adjuvat: unde *Timoth.* in *Persis.* apud *Plutarch.* de Poëtis audiendis.

σέβεσθαι αἰδῶ συνεργὸν ἀρετᾶς δοριμάχου.

(7) Intra officii limites continet: unde *Seneca*:

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Insigne exemplum habetur in virginibus *Milesiis*: quæ cum olim furore correptæ passim se suspenderent, & horribilium comminatione pœnarum absterreri haud possent, interque custodum manus exitum invenirent: tandem edictum est, ut, quæ se occidisset, nuda per medium forum mediâ luce traheretur. Hac demum deterritæ sunt pœnâ ne nudæ cernerentur, licet exanimes. *Vives* de Christ. fœm. cap. 1.

XX.

Impudentia est affectus, quo malum ignominiam adferens ultro admittitur: Quæ ut in defectu adversatur pudori laudato: Sic in excessu pudor vitiosus, quo tanquam ignominiosum fugitur, quod nec ignominiosum, nec fugiendum est, Græcis appellatur δυσωπία.

Ἔκθεσις.

§. 1. Nihil pejus hoc vitio, quod reliquis omnibus flagitiis occasionem præbet & mentis pessimè affectæ indicium facit, adeo ut à bruto haud multum differre impudens videatur: Unde tantoperè exosi sunt impudentes. *Impudentia dux est ad turpissima quæque*: Xenophon. *Omnium inter homines morborum gravissimum* appellat Euripides. *Licentiosa turpidinis hortatricem*, Prosper Aquitanicus, lib. 2. de vitâ contempl. cap, 5. *Supra omnem monstruosi piaculi execrationem est, scelus summum admittere, & pudorem sceleris non habere.* Salvianus. *Characterem impudentis* vide apud Theophrastum: *Perdidi*, exclamat ille apud Plautum, *omne, quod fuit, fio impudens.* Apud *Ægyptios* impudentiæ hieroglyphicum fuit *Musca*, quæ sæpius abacta nihilominus

hilominus redit: *Horus* Apoll. lib. 1. cap. 48. In proverbium abiit. *Canina impudentia*, à qua *Diogenes* appellatus est *Cynicus*, hoc est, caninus, propter summam impudentiam: quia de turpibus in hominum conspectu non magis erubuit, quam canis: Ab impudentia quoque *Aristogiton*, orator *Atheniensis*, appellatus est *canis:* Volaterr. lib. 13. cap. 4. Canibus quoque accensendus fuit C. *Cæsar Caligula*, qui immanissima sua facta verborum augebat atrocitate, dicebatque *in natura sua se nihil magis laudare & probare, quam impudentiam.* Suetonius. Prædicatur quoque à *Guicciardino*, lib. 1. *Alexandri* VI. Papæ impudentia: qui *spurios* suos, non ut alii Pontifices, dissimulato nomine, *nepotes*, sed *filios* appellare consueverat. Ecce vero sanctissimum & castissimum patrem.

§. 2. Quæritur (1) *Quæ impudentiæ sint remedia?*

Resp. Etsi difficilima curatu est impudentia. Siquidem omnes humanæ res, ut apud *Stobæum Theodectes* ait, natura consenescunt, & ad finem temporis veniunt, præter solam impudentiam. Hæc enim quanto magis genus augetur mortalium, tanto major fit quotidie: tamen tentanda sunt remedia & de eorum successu non plane desperandum: Inter alia autem hæc sunt.

(1) *Crebra cogitatio humanæ naturæ*, cui honestorum & turpium discrimen ipse Deus inbibit & turpia ab hominum oculis remota voluit.

(2) *Meditatio divinæ legis forensis, quæ actiones naturales cum aliqua deformitate conjunctas honestis & verecundis eloquitur verbis*; cujusmodi sunt *pedes tegere, agnoscere. &c.* & ab hominum removeri conspectu jubet, quæ inter cultas gentes tegi vestibus & in occulto fieri solent. Unde pudenda detegere in lege & populo Dei est abominabile.

(3) *Consideratio contemptus & odii*, quod accersunt sibi impudentes, tanquam vilissima omnis turpitudinis mancipia.

§. 3. Quæritur (2) *Quæ vitiosi pudoris sint incommoda?*

Resp. Extat *Plutarchi* commentariolus περὶ δυσωπίας, de vitioso pudore, qui in excessu pugnat cum laudabili pudore: quo qui laborant, verecundia alios intueri non sustinent, & petentibus aut jubentibus negare nihil audent, etsi jure possent & deberent. Per hunc pudorem sæpe numero in eadem cum impudentibus peccata incidunt verecundi. Præbet igitur pravitati occasionem & causam, etsi per se signum est non malum.

Misera certe τῶν ἐνδυσωπήτων conditio! quia impudentium sunt mancipia, quibus per pudorem negare nihil audent, ex nimio vituperationis metu & ad quemvis strepitum trepidatione: unde

 turpissimis

turpissimis quibusque rebus & vitiis se occupandos præbent. *Brutus* dixit, *male sibi videri eum ætatu florem collocasse, qui nihil negare auderet.* Pessimam thalami & Gynæcei ἐπίτροπον *Plutarchus* δυσωπίαν appellat: ob quam sæpe periclitatur pudicitia. Per hunc pudorem sæpe mutuum damus iis, quorum est suspecta fides, & inviti spondemus; quamvis illud, ἐγγύα πάρα δ' ἄτη, *Sponde, præsto noxa est*, laudemus. Nonnullos, cædem aut venenum sibi parari suspicantes, à tuenda salute ineptus pudor absterruit: quod, pluribus adductis exemplis, probat *Plutarchus*. Summa huc redit: Etsi contraria est impudentiæ δυσωπία: tamen ad eandem tendit metam, & quod consequi per se impudentes quandoque non possunt, per εὐδυσωπήτους consequuntur.

§. 4. Quæritur (3) *Quæ sint vitiosi pudoris remedia?*

Resp. (1) *Assuefactio negandi & recusandi parva & non admodum difficilia:* sic enim ad recusanda majora paulatim frons animabitur.

Exempla adducit *Plutarchus:* Si in cœna tibi saturo aliquis præbibat, noli verecundia inepta ductus vim tibi facere, sed depone poculum.

Si alius inter pocula poscat, ut *tesseris* secum ludas: abjice inanem pudorem, neque metue dicteria: & *Xenophanem* imitare, qui à *Lasio Hermionensi* timidus appellatus, quod ludere cum eo tesseris nollet, fassus est, *ad res inhonestas se etiam timidissimum esse.*

In *garrulum* si incidas, qui tibi inhæreat & te detineat, noli vereri, sed, præciso colloquio, propera & age, quod cœpisti. *Quid facies in magnis rebus*, inquit Plutarchus, *rege aut populo tibi pudorem incutiente: si non audes poculum, præbibente familiari, repudiare aut garruli prehensionem effugere? Qui eminus se assuefecit, ut neque dicentem laudet diversum sentiens, neque canenti applaudat, neque scurrilibus dictis arrideat, is rem eo usque deduci non patietur, ut ipsi istis in rebus pudoris vacuo dicat aliquis*, jura pro me, falsum perhibe testimonium, pronuncia injuste, &c.

(2) *Cogitatio de majore ignominia vitiosum pudorem secutura, & trito illo. Stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt.* Evenit enim hoc pudori vitioso, quod iis, qui fumum fugientes in ignem incidunt. Dum enim verentur contradicere inique urgentibus, postmodum pudore turpi afficiuntur in justas illapsi accusationes, & ob metum exiguæ reprehensionis plerunque apertum sustinent dedecus.

Exemplis hoc declarat *Plutarchus*: Amico pecuniam flagitanti dene-

ti denegare ob ineptum pudorem non ausi, carentes ea ipsi, re patefacta, paulo post turpiter stant.

Ita nonnulli polliciti se patrocinaturos alicui in judicio, pudore alterius partis ducti, vadimonium deserunt.

Multos pudor vitiosus in stupulationem nuptiarum filiæ sororisve inutilem conjectos mentiri, mutata sententia, coëgit.

(3) *Consideratio damnorum magnorum, quæ vitiosum sequi pudorem sæpe solent.*

Hinc monet *Plutarchus*, si alias, maxime ad eos, qui pudorem nobis volunt incutere, dicendum: *Intelligo bene quid facturus sim mali, falsum dicturus testimonium, injuste judicaturus, inutilem legem probaturus, æs alienum contracturus in ejus gratiam, qui non reddet.*

(4) *Comparatio minoris turpitudinis aut damni, ad quod incurrendum multi se permoveri vitioso pudore haud facile patientur, cum majori.*

Hoc ita *Plutarchus* explicat: Flagitat aliquid à te jus dicenre orator, aut consulente in publicum? Dic te morem ei gesturum, *si in exordio solœcissimum, aut in narratione barbarissimum velit admittere:* nolet enim ob turpitudinis speciem: cum videamus quosdam etiam vocalem cum vocali concurrentem in dicendo non ferre.

Rursum aliquem illustrium virorum improbi aliquid abs te contendentem jube, *saltando per forum exire, aut perverso vultu.* Si neget hoc, jam tuum est quærere: *Utrum sit turpius, solœcissimum facere, & vultum pervertere, an legem violare, perjuriis se obligare, injuste malo plus quam bono tribuere?*

(5) *Imitatio constantiæ multorum in actibus suis vitiosis.* Neque enim avarum importunitate tua eo adiges, ut talentum det mutuum absque syngrapha, aut ambitiosum, ut primo loco cedat, aut Magistratus gerendi cupidum, ut, spe potiundi proposita, petitionem dignitatis omittat, &c.

Atqui indignum revera fuerit, inquit Plutarchus, *cum videamus hos in vitiosis istis affectionibus rigidos, invictos, immutabilesque perseverare: nos, qui profitemur honesti & justitiæ studium, non esse nostrum ipsorum compotes, sed subverti & prodere virtutem.*

XXI.

Æmulatio est affectus, quo quis boni alicujus, alteri competentis, defectum vel inæqualitatem in se ægre fert & æqualitatem expetit.

Ἔκθεσις.

§. 1. NAscitur igitur æmulatio ex desiderio boni alterius, quod quidem ipsi non invidemus, attamen nobis non contingere dolemus; præsertim cum eo nos dignos vel capaces judicamus.

Locum habet inter bonos, qui conditione & vitæ institutis sunt similes: ut, inter ejusdem artis vel liberalis vel mechanicæ cultores. *Natura gloriosa est virtus, & anteire priores cupit*, inquit *Seneca*: Et Mamertin. *obtrectant sibi invicem artifices operum sordidorum: est inter aliquos etiam canora vocis invidia; nihil denique tam vile, tam vulgare est, cujus participes malignus æmulationis stimulis vacent.* Hæc tamen non tam est æmulatio in specie sic dicta, de qua hoc loco agimus, quam defectus æmulationis *ad invidiam* inclinans, de qua suo loco.

Usus æmulationis haud contemnendus est: quia quasi *calcar* quoddam est ad virtutem: Unde illud Lucani: *Stimulos dedit æmula virtus.* Et Quintil. *Firmiores in literis profectus alit æmulatio. Themistoclem* ab ignavia & vitiis retraxit æmulatio *Miltiadis*: *Julium Cæsarem* ad maxima quæque inflammavit æmulatio *Alexandri* M. Hujusmodi æmulatio quoque fuit inter *Theseum* & *Herculem*, *Aristotelem* & *Xenocratem*. Cavendum tamen ne in *invidiam* degeneret, quæ facilis est μεταμόρφωσις; præsertim si æqualitatem desperet; qui alterum æmulatur. Hinc *Dionysius Major*, tyrannorum maximus, irritato & exasperato animo, quod *Philoxenum* poëtam canendo, *Platonem* disserendo non superaret, alterum in lapidicinas conjecit, alterum in *Æginam* vendidit. *Plutarch.*

§. 3. Probe igitur observanda distinctio æmulationis vulgo sic dictæ in *malam* & *bonam*.

Mala idem est cum invidia: Unde *Græcis* dicta æmulatio ζῆλος, invidiam quandoque significat, & inde verbum ζηλοῦν invidere, φθονεῖν.

Bona Aristoteli definitur, *Molestia quædam propter apparentem præsentiam bonorum honoratorum, & eorum quæ ipse potest etiam accipere, in similibus natura, non quod aliis, sed quod non etiam nobis sint.* Aliis concinnius definitur: *Honestum & laudabile studium, quo accendimur ad alterius virtutes imitandas, aut etiam superandas sine ullo tamen ipsius odio.* Eodem & nostra tendit definitio, quamvis verba sunt alia.

§. 4. Observanda quoque heic nonnulla de æmulatione bonæ *subjecto* & *objecto*.

Subje-

Subjectum æmulationis est *æmulator*. Ubi tenendum, non promiscue omnes ad æmulationem esse idoneos, sed (1) Qui dignos se judicant iis bonis, quæ non habent, habere tamen possunt, adeoque eorum defectum in se ægre ferunt, attamen sine invidia. (2) Quos alii quoque bonis illis dignos judicant. (3) Quorum majores, cognati, aut domestici; vel tota etiam natio, honoratiores sunt.

Objectum est *reale* vel *personale*.

Objectum *reale* sunt bona, quæ æmulantur: Cujusmodi sunt vel honorata, ut virtutes: vel utilia ad beneficia in alios conferenda, cujusmodi sunt divitiæ, &c.

Objectum *personale* sunt ii, quos æmulamur qui de sententia Aristotelis sunt. (1) Qui habent bona honorata & utilia. (2) Quibus multi esse similes aut amici volunt. (3) Quos multi suspiciunt & mirantur. (4) Qui à laude dignis viris laudantur. (5) Qui & ipsi alios cum laude æmulantur.

XXII.

Contemtus dignitatis contrarius est æmulationi affectus, qui excludit studium honoris vel dignitatis acquirendæ aut amplificandæ.

Ἔκθεσις.

Pestis hæc est Reipublicæ. Etenim, ut recte *Tacitus* scribit, *contemtu famæ contemnitur virtus: & ignavis nec in victoria decus, nec in fuga flagitium.*

XXIII.

Commiseratio, alias humanitas, est affectus natus ex opinione mali, quod interitum doloremve affert ei, qui fortuna illa indignus judicatur.

Ἔκθεσις

§. 1. Itaque *commiseratio* potissimum est erga viros bonos, qui iniqua patiuntur, *Platone* teste. Quod si ad eos quoque extendatur, qui merito suo patiuntur, ad humanam conditionem potius, quam ad pravos naturæ mores referenda fuerit. Unde *Aristoteles* reprehensus, quod homini nequam mendi-

canti stipem dedisset, respondit: *hominem se commiseratum esse, non mores. Etsi omnibus debetur misericordia, tamen justo amplius:* Ambrosius: Familiaris est hic affectus iis, qui eadem mala & sibi posse contingere cogitant, vel aliquando contigisse recordantur. Unde *Medea* apud *Ovidium.*

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Quo pertinet & illud Curtii: *Suam quisque fortunam in consilio habet, cum de aliena deliberat, & nisi mutuo simus miseri, alius alii erit fastidio.* Itaque rarior hic affectus est apud felices, qui ab omni vi se tutos censent: quæ causa, quod multi Principes in cives, & divites in egenos sint duriores: quia illi mala civium, hi egenorum nunquam sunt experti, & ab iis se tutos judicant. *Summum inter homines vinculum est humanitas & commiseratio: quod qui disruperit, nefarius & parricida existimatur*, Lactantio, lib. 6. cap. 10. *Totus orbis periret, nisi iram finiret misericordia:* Seneca. Indigni sunt misericordia, qui erga alios non utuntur misericordia.

Commiserationi familiares sunt lacrymæ. Unde *Juvenalis* Sat. 12. - - - *Mollissima corda*

Humano generi dare se natura fatetur,

Quæ lacrymas dedit. - - -

In vitio olim commiserationem, seu misericordiam, posuerunt *Stoici*: sed in vocabulis ii luserunt, ut circa affectus in genere, sic & circa eorum species. Misericordiæ intra suos se limites continentis magna laus est: ut ante vidimus. Unde toties ad eam nos exhortatur scriptura & ipsius quidem Dei, qui misericordiam suam passim hominibus commendat, exemplo: *Estote misericordes sicut Pater vester est misericors:* Luc. 6. v. 36. Præclare Phocion, *Nec ex templis aras, nec ex hominum vita misericordiam esse auferendam.* Hanc omnibus aliis *Cæsaris* virtutibus præfert *Cicero*, Orat pro Ligar. *Nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior est, misericordia. Homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam salute hominibus danda.*

Itaque non admittimus, quod *Agesilaus* ait, *difficile esse simul misereri & sapere*, & quod *Seneca* lib. 2. de clement. cap. 5. 6. *Non miserebitur sapiens, sed succurret, sed proderit.* Nam & misereri & sapere invicem consistunt: uti sapiens & misereri debet & succurrere atque prodesse. Unde ipse *Seneca* alibi in controvers. *Multis debeo misericordiam: à multis tuli.*

§. 2. Quær. (1) *Qui ad commiserationem maxime sint proclives?*

Resp. *Aristoteles* 2. Rhetor. cap. 8. decem hominum, qui ad commiserationem proclives sunt, genera numerat & nominat: quæ sequentia sunt. (1) *Qui*

(1) *Qui metuunt se aliquid passuros mali & molesti, idque brevi:* Ab aliis enim vicissim sperant commiserationem, & sic levamentum mali.

(2) *Qui passi jam sunt & evaserunt:*

Qui vim mali affligentis norunt: unde illud: *Non ignara mali miseris succurrere disco.*

(3) *Seniores*: propter prudentiam & experientiam.

(4) *Debiliores* & *timidiores*. Quia eadem & sibi posse accidere arbitrantur & metuunt, & non nisi commiserando afflictis se posse succurrere judicant.

(5) *Eruditi & circumspecti.* Quia mali magnitudinem rectius æstimant, & hoc homini hominem debere intelligunt.

(6) *Qui parentes, uxores, & liberos habent:* Quibus similia posse accidere cogitant.

(7) *Qui non sunt irati & iracundi.* Ira enim commiserationem vix admittit, neque de futuro admodum cogitat.

(8) *Qui in contumelias non sunt præcipites.* ὑβριςαὶ enim immisericordes sunt.

(9) *Qui non nimis metuunt.* Qui enim nimis metuunt, affectu proprio detenti, de aliis non adeo laborant.

(10) *Qui aliquos esse bonos putant.* Qui enim de nemine bene sentiunt, & omnes malo dignos judicant, commiseratione non tanguntur.

§. 3. Quæritur (3) *Quinam potissimum sint, quorum misereri solemus?*

Resp. *Aristoteles* 2. Rhet. cap. 8. novem recenset.

(1) *Qui familiares sunt nobis, sed non admodum arcto necessitudinis vinculo juncti.* Horum enim casus lamentabiles quasi in saxa nos mutant, & mali sensum atque æstimationem excutiunt: quod *Psammenito* regi accidit, cum filium jussu *Cambysis* ad supplicium duci vidisset.

(2) *Quibus magnum & atrox malum est propinquum.*

(3) *Qui nobis sunt similes ætate, moribus, ingenio, dignitate*, &c. similia enim & nobis accidere posse cogitamus.

(4) *Quibus acciderunt, quæ nos metuimus.* Quod enim fieri nobis noluimus, idem & aliis fieri ægre ferimus.

(5) *Quorum mala gestu corporis & voce repræsentantur, & quæ propinqua sunt.* Longe post futura non adeo curamus, sive nos, sive alios attingant.

(6) *Quibus mala nuper evenerunt.* Ut enim præsentia, sic & recentia nos magis afficiunt.

(7) *Qui passionum suarum signa circumferunt in oculos incurrentia*, ut vestes, vulnera &c. (8) *Quo-*

(8) *Quorum in ipsa calamitate voces & lamentationes au-diuntur.*

(9) *Qui innocentes patiuntur & meliori sorte sunt digni.*

§. 4. Quæritur (3) *Quotuplex sit commiseratio seu compassio*

Resp. *Hugo* in lib. de trib. volunt. in Christo, triplicem faci compassionem, seu commiserationem: *Unam* ex vitio, *alteram* ex natura; *tertiam* ex virtute. *Ex vitio*, si dolor reprehensibili ex illicito amore proficiscatur. *Ex natura*, si insito pietatis affe ctu animus alienis condoleat, quos ultra mensuram premi videat *Ex virtute*, quando propter Deum alienis doloribus compatimur: cum sc. justitiam premi & innocentiam affligi videmus. Compassio *ex vitio* culpabilis est: *ex natura*, irreprehensibilis; *ex virtute* laudabilis. Prima igitur reprehenditur: *tertia* laudatur: *secunda* nec culpam habet, quia est à natura: nec præmium, quia non est ex virtute.

XXIV.

Inhumanitas affectus commiserationi contrarius est, quo alterius, etiam iniqua patientis, miseria quis non afficitur.

Ἔκθεσις.

§. 1 ALias *crudelitas* quoque appellatur. Dicitur autem *inhumanitas*, quod ab hominis natura alienissimus sit affectus hic: Unde bestiæ potius, quàm homines censendi inhumani & crudeles.

§. 2. Summus inhumanitatis gradus est ἐπιχαιρεκακία, qua quis de alterius miseria gaudet: quod vitium plane *Diabolicum* censetur. *Terentius in Andria.*

Hoccin' est credibile aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet:
Ut malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius sua comparent ut commoda.

Interim *Minerva* apud *Sophoclem* γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθροὺς γελᾶν: *Dulcissimus risus in calamitatibus inimici ridere*: Laboravit hoc vitio *Timon*, μισάνθρωπος: qui cum omnes odisset alios, unum exosculatus est *Alcibiadem*; quod *Athenienſibus* magno ipsum malo futurum prospiceret. *Plutarch. in Alcibiade.*

Apud *Lucianum*, *conspexero*, inquit Timon, *incendio con-*

flagrantem

flagrantem & obtestantem, ut restinguam, oleum & picem affundam. Si quem flumen undis abstulerit, isque manum porrigens imploret, ut retineatur, hunc quoque ne possit emergere, propellam. Talis *Hannibal*, qui cum fossam sanguine plenam vidisset, *formosum ajebat, spectaculum est.*

Talis quoque *Nero* fuit, qui summa cum lætitia Romæ incendium spectavit.

Talis *Fulvia Antonij* uxor, quæ interfecti *Ciceronis* linguam acubus pupugit & mortuo insultavit.

Horrendæ crudelitatis exemplum olim exhibuerunt *Judæi* in *Cyrenaica*, in qua ducenta viginti millia hominum trucidarunt, cæsorum se intestinis præcinxerunt, cruore inunxerunt, cute capita velarunt & humanas carnes esitarunt: *Sabell.* lib. 7. Eneid. 7. Simile dedit specimen *Gallia*, Anno 72.

XXV.

Invidia est affectus seu ægritudo animi inde orta, quod alii nihilo meliori bene sit, idque non propter commodum invidentis, sed quia ægre ferat, ipsum ejusmodi bono frui.

Ἔκθεσις.

§. 1. DE *subjecto* & *objecto* invidiæ sequentia observentur. Fertur invidia plerunque in *pares* aliquo saltem respectu: Judicat enim invidus alterum, cui invidet, nihilo se meliorem; ideoque ægrè fert eum bono frui, quo ipse careat. Nonnunquam tamen in eos quoque fertur, qui judicio invidentium inferiores sunt & indigni videntur, qui eodem fruantur bono.

§. 2. Cadit affectus heic vel in *pauperes*, vel in eos, qui fortis sunt mediocris: qui enim magna subnituntur potentia, omniumque rerum copia abundant, invidia vix tanguntur, nisi sint animi prorsus viles, abjecti & serviles & supra modum avari.

§. 3. Plerunque nascitur invidia è bonorum externorum & caducorum, ut sunt, divitiæ, honores, favores &c. consideratione.

§. 4. *Raro ulli homini contigit, ut felicitas ejus effugeret invidiam.* Seneca. Circa *virtutem* vix unquam se fatigat. Etenim virtuosus non invidet. Improbus etsi invidet, virtutis tamen possessionem non invidet, quia eam contemnit. Unde eleganter *Plutarchus*

Plutarchus ait: *Invidiam fugari ſplendore virtutis: uti Sol, cu altiſſimus fertur, omnem umbram diſjicit.*

Notat *Vives*, lib. de anim, in invidia bona aliena quatuor m dis conſiderari. (1) *Vel nocent nobis, & illorum applicatione, cu majora cenſeantur, bona noſtra fiunt minora, ut ſi quis altio exſtruat ædes & luminibus noſtris officiat.* (2) *Vel non nocent dolemus vero tantundem nobis non obveniſſe; quæ eſt ſpeci quædam cupiditatis.* (3) *Vel nolumus alios conſequi, qu nos aut ſecuti ſumus, aut conſequi non potuimus.* (4) *V tantum dolemus aliis bene eſſe, abſque reſpectu noſtrarum util tatum.*

Alias bona, invidiæ objecta, ſequentibus deſcribuntur co ditionibus. 1. Quæ magni æſtimantur. 2. Quæ præſentia & o culis obvia ſunt. Hinc invidus dicitur vicini oculus. 3. Quæ qu dem & alta, ſed non maxima & altiſſima ſunt. 4. Quæ nimium ſolent oſtentari & jactari. 5. Quæ viventium potius, quam mo tuorum ſunt. 6. Quæ noſtri ſunt ordinis & conditionis: Secun dum illud *Heſiodi: figulus figulo invidet, & faber fabro.*

§. 5. Eſt quoque extra invidiæ telum poſita *miſeria:* quia mi ſeris *nemo invidet*; Plutarchus. Unde *Themiſtocles* aliquand doluit, quod in nullius eſſet invidia: quia miſerum ſe judicavit. *Pittacus* ſe tam diu fortunatum credidit, quamdiu invidos habe ret. Hinc ſymbolum quorundam: *Spero invidiam. Summis & altiſſimis hæret invidia:* Livius.

§. 6. Hactenus *de ſubjecto & objecto invidiæ* Ex *adjunctis & effectis* ſi æſtimetur, peſſimum eſt malum. Unde *Phalaris* Ty rannus cenſuit, nullum invidia ſupplicium majus dari poſſe: qu *Poëta* videtur reſpexiſſe:

> *Invidia Siculi non invenere Tyranni*
> *Tormentum majus.*

Antiſthenes rubigini eam comparavit: ut rubigo ferrum, ita & invidia eos, quibus ineſt, conſumit. Comparatur etiam *viperis*, quæ partu ſuo necantur. *Agis Rex Spartanus* dixit: duplicem eſſe pœnam invidi, dum angitur propriis malis, & cruciatur com modis alienis. Menandri ſententia eſt: *Invidus eſt ſibi ipſi hoſtis.*

Graviſſime in invidiam invehitur *Baſilius*, homil. περὶ φθόνου: quando fugiendam eam docet, tanquam θεομαχίας διδάσκαλον, ἀνδροφονίας μητέρα, σύγχυσιν φύσεως, δικειότητος ἄγνοιαν, συμφορὰν ἀλογωτάτην. Item κακὸν ἀφόρητον, ὄφεως δίδαγμα, δαιμόνων εὕρημα, ἐχθροῦ ἐπισπορὰν, ἀῤῥαβῶνα κολάσεως, ἐμπόδιον εὐσεβείας, ὁδὸν ἐπὶ

γέενναν;

γέενναν, ςέρησιν βασιλείας: Hoc est: *Pugna adversus Deum doctorem, homicidii matrem, confusionem naturæ, ignorantiam familiaritatis, calamitatem absurdissimam, malum intolerabile, serpentis documentum, Diabolorum inventum, inimici seminationem, arrhabonem pœnæ, impedimentum pietatis, viam ad Gehennam, privationem regni.* Assentiuntur alii autores: Seneca: *Invidia nihil est periculosius.* Aristides: *Invidia supremum in humanis delictis obtinet locum, nec ullam meretur veniam.*

Chrysostom. *Fera venenosa invidia est, fera immunda & morbus voluntatis, omni venia & excusatione indigna, omnium malorum mater & autor.* Philo. *Gravissima pestis invidia, virtutis adversaria.* Galen. *Invidia omnium vitiorum fœdissimum est.* Ovidius.

Pallor in ore sedet: macies in corpore toto:
Nusquam recta acies: livent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno:
Risus abest, nisi quem visi movere dolores:
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis, &c.

Quis omnia persequatur? Fœdius à sapientibus nullum perstringitur vitium, quam invidia. Usque adeo horrenda & portentosa est ejus natura, ut ex felicitate alterius suum contrahat infortunium: *Quercetan.* Vide *Drexelium* in *Josepho*, Ægypti prorege, cap. 2. ubi graviter in invidiam invehitur. περὶ φθόνου exstant *Dionis Chrysostomi* duæ orationes. Interim invidiæ encomium scripsit *Dornavius.*

§. 7. Quæritur (1) *An invidia differat ab odio*?

Resp. Nihil videtur ab odio differre invidia, inquit *Plutarchus*, sed idem esse. Interim commentariolo περὶ φθόνου καὶ μίσους, in differentias accurate inquirit, & decem enumerat.

(1) *Odium* in eum fertur, quem malum esse imaginamur: *Invidia* in eum, qui fortuna utitur propitia.

(2) *Odium* ab hominibus concipitur etiam in animalia bruta. Sunt enim qui feles & serpentes oderunt: *Germanicus* galli gallinacei neque vocem, neque adspectum tulit. *Arabes* & *Ægyptii* mures obominantur. *Invidia* tantum adversus hominem est.

(3) *Odium* etiam inter bruta est: oderunt aquilæ dracones, cornices ululas, pari cardueles, elephanti mures &c. *Invidia* inter bruta est nulla: nullum enim de alterius vel secundis vel adversis rebus sibi quicquam imaginatur.

(4) *Odij* justæ possunt esse causæ: *invidiæ* non item.

(5) *Odium* augetur contra eos, qui deteriores fieri pergunt; *Invidia* erga eos, qui meliores & feciliores videntur fieri.

(6) *Invidia*

(6) *Invidia* exstinguitur rerum secundarum excellentia & splendore. Non enim verisimile est *Alexandro* aut *Cyro* quenquam invidisse, postquam rerum summa potiti sunt. *Odium* propter malitiæ incrementa non extinguitur, sed magis magisque accenditur.

(7) *Invidia* tollitur adversis rebus: *Odium* iis non tollitur: nam & dejectos inimicos odimus, cum misero invideat nemo.

(8) *Invidia*, felicitate mutata & sublata, ad miserandum est facilis: *Odium* non item;

(9) *Odium* tollitur, ubi fides fit, nos non esse affectos injuria, vel quando bonos esse credimus: quos ut malos oderamus: neutrum *invidiam* tollit: posterius etiam auget.

(10) *Odium* est propositum male faciendi ejusque occasionem captandi: *Invidia* non item. Multi familiaribus & domesticis suis invident, quos tamen perire aut in calamitatem incidere nollent. De hac quæstione differentem quoque vide *Pererium*, in Genes. 37. v. 4.

§. 8. Objicitur.

Benevolentia odio & invidiæ est contraria: Ergo odium ab invidia non differt: Ratio consequentiæ: *Quia unum uni tantum est contrarium.*

Resp. Negatur *consequentia*. Benevolentia generalis est affectio, cujus actus per varia virtutum exercitia sunt diffusi: Unde etiam variarum virtutum contrariis est opposita. *Ratio consequentiæ* simpliciter vera non est: Sunt enim uni virtuti contraria duo extrema, unum in excessu, alterum in defectu: Quamvis autem *odium & invidia* in multis differant, ut vidimus: tamen in aliquibus quoque conveniunt, & respectu convenientiæ pariter oppositam habent benevolentiam.

§. 9. Quæritur (2) *An invidia sit tristitia?*

Resp. *Damascenus* ait Invidiam esse speciem tristitiæ: unde eam definit, *tristitiam de alienis bonis*. Cui sententiæ videtur obstare: quod *objectum tristitiæ* sit malum proprium: *invidiæ* vero *objectum*, bonum alienum, ut constat ex definitione *Damasceni*. Sed *observandum*, bonum alienum apprehendi quoque posse ut proprium malum: quo respectu tristitiæ objectum esse potest. Duobus vero modis alienum bonum apprehendi potest, tanquam malum proprium: *uno*, cum quis tristatur de bono alterius, quatenus ex eo detrimenti periculum ipsi imminet: veluti cum quis de inimici incrementis, nempe potentia, dignitate, divitiis, tristatur, ex metu, ne damni inferendi occasionem inde arripiat inimicus; *altero*, cum bonum alterius suæ obstare

gloriæ

gloriæ & excellentiæ opinatur. *Priori modo* tristitia non est invidia, sed potius timoris effectus, ut docet Philosoph. lib. 2. Rhetor. *Posteriori* recte appellatur invidia, quæ circa ea potissimum versatur bona, quæ cum gloria & honore sunt conjuncta: ut constat ex lib. 2. Rhetor. etsi ad alia quoque extendi solet, ex quadam malevolentia.

Objicitur in contrarium.

§. 10. (1) *Invidia oritur ex similitudine: Ergo non est tristitia:* Antecedens prob. ex lib. 2. Rhetor. *ubi invidere ait eos, quibus sunt aliqui similes, aut secundum genus, aut secundum cognitionem* &c. Ratio consequentiæ: *Quia similitudo non est causa tristitiæ, sed potius lætitiæ: gaudet enim simile simili.*

Resp. Ad *antecedens*: Invidia oritur ex similitudine non quavis, sed quæ voluntati invidentis adversatur, quia gloriæ & luminibus ejus officere creditur. Hoc sensu negatur *consequentia:* Cujus ratio simpliciter vera non est; similitudo non lætitiæ tantum, sed & tristitiæ causa est: quatenus nempe probatur vel improbatur.

§. 11. (2) *Invidia est de bonis humanis: Ergo non est tristitia:* Ratio consequentiæ: *Quia cogitatio de bonis est causa lætitiæ, non tristitiæ: neque enim eadem esse causa contrariorum potest.*

Resp. *Consequentia* negatur: *Probatio* simpliciter vera non est: Sunt enim, diversa ratione, bona eorumque cogitatio causa lætitiæ & tristitiæ: ut ante ostendimus: bonum enim alienum apprehendi potest sub ratione mali proprii diminuentis bonum proprium.

§. 12. Quæritur (3) *An invidia omnium perturbationum dici possit justissima & injustissima?*

Resp. *Affirmat* hoc *Gregor. Nazianzenus* in Orat. de cathed. Rationem *justitiæ* reddit: Quia pœnam sumit de invido. Dominum enim suum exedit & consumit dira malignaque lues, quæ dolose adeo pectoribus hominum illabitur, ut prius omnia occupet, quam sentiatur ingredi. Dæmon vernaculus & familiaris admittitur facile, sed non nisi magno labore ejicitur. Pertinet huc illud *Horatij*:

Invidus alterius rebus marcescit opimis.

Ut *Ovidius* olim, sic & *Basilius*, *viperæ* eam comparat. Ut enim *vipera* partu suo moritur, sic & *invidia*. Plura in præceptis supra attigimus. *Injustissima* est eadem: quia adversus bonos se armat: non enim invidetur nisi bonis, vel propter bona.

§. 13. Quæritur (4) *Quæ sint remedia invidiæ?*

Resp. Ut ne invideas aliis (1) *sola animi bona, quæ non rodit*

invidia, pro vere bonis habenda: cætera vel contemnenda, ve non magnifacienda: Quia sæpe possessoribus periculosa sunt, & ad vera bona aditum intercludunt. Præceptum hoc est *Basilii* i oratione de invidia.

(2) *Sorte tua contentus esto, & ut contentus sit suum cuiq demensum à Deo distribui cogitato: cum quo expostulare fas j nemini.* Quam in rem insignis est parabola Evangelica de ope rariis mercede æquatis, qui laboribus æquales non erant. Ur de, nonnullis invidia flagrantibus & de mercedis æqualitate cu hero expostulantibus? *Isti ultimi unam horam opus fecerunt, & eos æquales nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstum* Responsum. *Amice, non facio tibi injuriam: nonne dena rio pactus es mecum? Tolle, quod tuum est, & abi. Annon li cet mihi quod volo facere in meis? An oculus tuus malus est, qui ego sum bonus?*

(3) *Invidiæ deformitatem & damna considerato;* quæ ex sa cris & profanis autoribus supra recensuimus. Observentur & illi *Chrysostomi*, homil. 41. in Matth. *Invidia pestiferum malum hominem in Diaboli conditionem & in Dæmonem immanissi mum convertit. Invidia prima hominis cædes apparuit: Invi dia fraterna charitas contemta est: Invidia sanguine homini terra primo maculata*, &c.

§. 14. Ne vero aliorum invidia tangaris.

Cum honoribus & opibus conjunge modestiam, humanitatem & beneficentiam erga pares & inferiores. Sic enim animos ipso rum tibi conciliabis: quando se non contemni, sed honorari po tius & juvari intelligent. Unde *Cato* monuit, *invidiam vitari moderato sobrioque rerum secundarum usu*, Plutarch.

(2) *Ne oculis te ingere, ne bona tua jacta, sed in sinu gaude.* Seneca epist. 105. *Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.* Tibullus.

> --- *Tacitus pasci si posset corvus, haberet*
> *Plus dapis, & rixæ multo minus invidiæque.* Horat.

(3) *Invidiam modeste deprecare:* Hinc natæ veterum for mulæ, quibus invidiam amoliebantur: *pace vestra dixerim: ab sit dicto invidia: quod citra invidiam dictum velim: venia sit dicto: bona hora hoc exaudiat*, &c. φθόνος ἀπέστω.

XXVI.

Perversa lætitia affectus est, quo quis fortunæ bon vel su

vel suis, vel alienis nimium gaudet, & in eis ita acquiescit, ut animi bona vel negligat, vel præ hisce non adeo magnificat.

Ἔκθεσις.

§. 1. Est hic periculosus animi morbus & ingens judicii error, quando fortunæ & corporis bona præferuntur animi bonis, & hæc non nisi propter illa expetuntur. Ut enim hoc modo bonorum ordo turbatur & de fastigio suo virtus dejicitur: Ita in ejus locum facillime migrat & ascendit vitium, quæ monstrosa in humano genere ἀταξία.

§. 2. *Remedium* hujus mali est: *si fluxa & caduca bonorum fortunæ natura rectè æstimetur, si bonorum animi excellentia & immortalitas consideretur, si nocuisse plurimis fortunæ bona cogitetur; si denique magnorum virorum, qui posthabitis fortunæ bonis in animi bona toti incubuerunt, exempla perpendantur.*

Hactenus de Affectibus.

LIBER II. ETHICÆ DE VITA BEATA.

CAPUT I.

BEATITUDO DEFINITUR.

THESIS I.

HActenus de principali hominis fine, recta nimirum vita: *Sequitur rectæ vitæ præmium, quod est beatitudo.*

II.

Beatitudo, seu felicitas, est status seu conditio hominis, qua ipsi bene est.

Ἔκθεσις.

§. 1. PRincipalis hominis *finis*, recta nimirum vita, insolubili nexu cum vita beata jungitur. Qui enim recta, hoc est pia probaque vita, Deum colunt, iis excellentissimum beatitatis Deus rependit præmium. *Beatitudo*, seu felicitas, *Græcis* appellatur μακαρισμὸς, εὐδαιμονία, εὐζωΐα: *Latinis* plerumque *Summum bonum*. Felicitatem vero, seu beatitudinem, hoc loco intelligimus non κατ' ἐξοχὴν ita dictam & ultimam, quam æternam felicitatem & vitam æternam Theologi appellant: Sed quæ hujus vitæ circumscribitur limitibus virtutumque paratur studio & quasi umbra quædam æternæ est; non tantum intra sed & extra Ecclesiam: quamvis longe perfectior sit, quæ intra Ecclesiam à spiritu

ſpiritu regenerante eſt & via ad æternam recta deducens. De variis *ſummi boni* nominibus vide *Heiderum* Philoſ. moral. part. 1. pag. 36. 57.

§. 2. Quæritur (1) *An recte diſtinguatur ſummum hominis bonum à ſummo ejus fine?*

Reſp. *Affirmativam* defendit autor; quamvis vulgo in Scholis Ethicis & *Peripateticis* duo illa diſtingui non ſoleant, & qui ſummus hominis finis ab autore noſtro nominatur, *ſummum* appellari *bonum* ſoleat, vid. lib. 1. cap. 2. *θ.* 2. *Exθ.* 3. *Ratio* autoris, pro aſſerenda diſtinctione petitur ex conſideratione aliarum creaturarum. Princeps Angelorum conditorum *finis* alius aſſignari non poteſt, niſi magni illius Numinis celebratio: ut omnis fatetur. *At ſummum* eorundem *bonum* conſiſtere in beato illorum ſtatu & nativa felicitate, itidem in confeſſo eſt: unde manifeſta diſtinctio *ſummi finis* à *ſummo bono. Bonum ſummum* in homine terminatur, *finis* ejus *ſummus* non in homine, ſed in conditore Deo: cujus gloriæ omnia ſerviunt, etiam ipſum creaturarum rationalium *bonum ſummum*. Brutorum *finis* eſt, inſervire uſibus hominum, quos præſtant etiam damno & interitu ſuo: hunc vero *finem* brutorum eſſe *bonum* illorum, nemo facile dixerit. Interim quæſtiones nonnullas *ſummum hominis & finem & bonum* concernentes hoc quoque loco attingemus: quia ſupra, cum de *fine hominis* ageremus, præteriimus, præſertim cum non adeo diſtingui alias bonum à fine ſoleat.

§. 3. Quæritur. (2) *An homo in hac vita poſſit eſſe felix?*

Reſp. *Negativam* defendunt nonnulli ſequentibus argumentis.

(1) Quia felicitas eſt divinorum æternorumque affectio: humana vero omnia ſunt terrena & mortalia: Felicitas eſt eximia tranquillitas, lætitia pura, affectio ſolida & conſtans: in hac vita eſt materia litis, umbra tenebricoſa, voluptas cum dolore permiſta, imago mortis: Felicitas libera & exemta eſt à revolutione fortunæ, mortalis hic orbis in fortunæ manibus eſt collocatus.

(2) Quia humana vita miſeriis eſt obnoxia, calamitatibus implicata, variis perturbationibus agitata.

(3) Quia in iis, qui in infelicium ſerie feliciores celebrantur, nihil præter inanem auram, præter umbram & fumum exſtitit: omneſque vitam hanc flentes auſpicamur, & fallaci quadam vitæ umbra deludimur.

(4) Quia, quo opulentiores ſunt homines & in eminentiore dignitatum gradu conſtituti, eo gravioribus curis premuntur &

vitæ cupidiores mortem magis timent, adeoque à vera animi tranquillitate longius absunt. Unde *Bernhardus: Nunquam in honore sine labore, nunquam in sublimitate sine vanitate quis esse potest.*

(5) Quia hominum vita infelicior est, quam aliorum animantium. Homo enim non corporis tantum, sed & animi, non sensuum tantum, sed & mentis, non præsentibus tantum, sed & futuris atque præteritis calamitatibus perturbatur.

(6) Quia hominum scientia, in qua *summum bonum* Peripatetici collocant, admodum est imperfecta: & quæ scimus, paucissima sunt, si conferantur cum iis, quæ ignoramus. Unde versiculus. *Umbra quod in sole est, hoc tota scientia nostra est.*

(7) Quia humana felicitas, quæ sic appellari solet potius est illustris miseria, quam felicitas seria, & potius inanis atque ambitiosa occupatio, quam vera tranquillitas. vide *Ecclesiasten* cap. 1. v. 3. cui uno ore adstipulantur gentilium sapientes & imprimis *Poëta* οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο, exclamat *Homerus.* πᾶς ὁ ἄνθρωπος ξυμφορά: &, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, succlamat *Pindarus.* Ἄνθρωπος ἱκανὴ πρόφασις εἰς τὸ δυστυχεῖν, inquit, *Menander.* οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὧδ' εἰπεῖν ἔπος, οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος, ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις: Euripides.

(8) Quia admodum variæ de *summo bono* Philosophorum opiniones sunt, quas ætate sua *Marcus Varro* 288. numeravit. Sententiarum hæc varietas maximam rei arguit incertitudinem.

Hanc vero sententiam simpliciter non esse admittendam; probamus hoc argumento principali.

Ubi datur virtus & actio secundum virtutem, nec non ex actione hac, tanquam vita recta, resultans mentis tranquillitas & lætitia & cordis & tandem corporis sanitas, bona fama & vitæ sufficientia, ibi quoque datur felicitas civilis: Atqui in hac vita datur virtus & actio secundum virtutem, nec non mentis tranquillitas lętitia cordis corporisq, sanitas cum fama bona & vitę sufficientia.

Ergo in hac quoque vita datur felicitas civilis.

Propositio prob. Quia illa sunt fundamenta & partes felicitatis civilis humanæ.

Assumtionem comprobat experientia & omnium sanæ mentis hominum consensus. Insigne specimen felicitatis hujus exhibet & describit in *Q. Metello Valer. Max.* lib. 7. cap. 1. ubi ostendit, quot gradibus beneficiorum *Q. Metellum* à primo originis die ad ultimum usque fati tempus nunquam cessante indulgentia, ad summum

summum beatæ vitæ culmen perduxerit constanter propitia fortuna.

Cum tamen prioris sententiæ argumenta non sint plane contemnenda & fere communes omnium mortalium sint querelæ, de plurimis vitæ hujus caducæ difficultatibus & incommodis, quæ etiam à sanctissimis deplorantur. 1. *Chron.* 29. v. 15. *Job.* 3. v. 19. & 7. v. 6. & 9. v. 25. 26. &c. *Psal.* 29. v. 9. 10. & 102. v. 24. 25. *Eccles.* 2. v. 18. 23. 24. 2. *Cor.* 5. v. 6. *Rom.* 7. v. 24. *Miser ego homo quis me eripiet ex isto corpore mortis!* Distinctio quædam adhibenda fuerit inter *felicitatem perfectam & imperfectam*: Illam ut non adstruit ratio pro *affirmativa* allata; ita nec istam destruunt rationes pro *negativa* adductæ: quamvis non tam gentiles, quam Christiani vere fideles de felicitate hujus vitæ etiam imperfecta, quoad partes ejus principales, *animi tranquillitatem & cordis lætitiam*, vere gloriari possint. De perfecta, ne sanctissimi quidem: quia (*Augustini* verba sunt lib. 19. de C. D. cap. 27. *quamdiu vitiis repugnamus, plena pax non est: illa enim quæ resistunt, periculoso debellantur prælio & illa, quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio. Solus æternitatis dies securissimus est.* Memorabilis quoque *Platonis* est sententia, lib. 12. de LL. *ubi negat, in hac vita quenquam beatum, præter paucissimos: præclaram tamen spem esse futurum ut, postquam hac ex vita discesserimus, ea omnia aliunde consequamur, quorum gratia, dum viveremus, optime vitam instituere summo studio conabamur.* Sic in *Epinomide* scribit *neminem aut certe paucissimos dici posse, vel esse beatos, sed mortuis omnia contingere.* Et ult. de Repub. puram sapientiam non alibi docet reperiri posse, quam cum ad Deum homo, unde profectus est, revertitur.

§. 5. Quæritur (3) *An ante vitæ hujus finem atque clausulam dici aliquis felix possit?*

Resp. *Crœso* olim interroganti, *an beatus esset?* Respondit *Solon. Tu mihi quidem videris & divitiis valde pollere & permultorum hominum Rex esse: sed id de quo me interrogasti, nondum, te esse dixero priusquam te bene vita defunctum esse audiero.* Unde hanc in sententiam Ovidius.

Scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini est: dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Eadem à pluribus olim repetita est sententia ab *Æschylo*, *Sophocle*, *Euripide*, *Ausonio*, *Dionysio Tyranno.* Eadem & *Agesilai* Regis fuit opinio, teste *Xenophonte.* Spectant huc illa veterum,

 ut

ut *Varronis : Nescis quid serus vesper vehat.* Pauli Consul. apud Livium : *Quid vesper ferat, incertum est.* & Philippi, apud eundem : *Nondum omnium dierum sol occidit.*

§. 6. Interim *Solonis* hæc sententia omnibus non probatur: Unde *Cicero* in lib. 3. de finib. *Sapientis corpus etiamsi constringatur, animo tamen vincula inici nulla possunt : neque exspectet ullum tempus ætatis, ut tum denique judicetur, beatus ne fuerit, cum extremum vitæ diem morte confecerit : quod ille unus è septem sapientibus non sapienter Crœsum monuit.* Assentitur *Ciceroni Aristoteles* lib. 1. Eth cap. 10. Unde & *Salvianus* scribit, Græcos quosdam sapientiæ sectatores usque ad contemptum doloris & mortis doctrinæ suæ culmen erexisse, dicentes, etiam in catenis atque suppliciis beatum esse sapientem.

Si felicitas ex honoribus & divitiis principaliter æstimanda esset, quæ *Crœsi* videtur sententia fuisse, Soloni minime contradicendum judicaremus : Quia admodum caduca hæc sunt bona, & sæpe unius diei spacio præter spem omnem maximæ averti fortunæ solent, quo nomine passim à scriptoribus perstringi solent divitiæ. Apud *Suidam* πλοῦτος appellatur ἐπινίμιος, *fallax*, & *inconstans* : apud *Euripidem* ἐφήμερος, *in diem tandem durans* : apud *Lucianum*, πολὺ τῶν ὀρνέων ὠκύτερος: *multo celerior avibus. Dives es,* inquit Minutius Felix, *sed male fortunæ creditur. Quæ sunt divitiæ* exclamat Seneca, *quas non egestas & fames & mendicitas à tergo sequatur? Locuples es? Num quid ditior Pompeio? hic cum tot flumina possideret in suo orientia & in suo cadentia, mendicavit stillicidia : fame ac siti perijt in palatio cognati, dum illi hæres publicum funus esurienti locat.* Sic & ante obitum *Crœsus* omnibus suis fortunis exutus est.

Hinc *Plato* ep. 8. *Locupletes beatos appellare, sermonem esse amentem & infelicem.*

§. 7. Si vero felicitatis partes præcipuæ habeantur *tranquillitas mentis & cordis lætitia* : ante clausulam vitæ quoque felicem prædicari aliquem posse, nemo facile negaverit. Siquidem ex habitu & exercitio virtutum parata *mentis tranquillitas* & *cordis lætitia* sunt constantia bona. Hinc tranquillitatem *Democritus* appellavit εὐεστώ à bonitate constantiæ. Divinum hoc est bonum supra fortunæ lusum collocatum. Interim nec in hac vita plane perfecta est animi tranquillitas & lætitia, ut supra ostendimus.

§. 8. Quæritur (4) *An summum hominis bonum, seu felicitas, recipiat magis & minus?*

Resp. Quæstio est de gradibus perfectionis formæ : *an unus altero dici possit felicior, & idem homo modo magis, modo minus sit felix?*

sit felix? *Affirmativam* amplectimur cum *Aristotele*: sive *summum bonum* constituatur in habitu virtutis, sive in actione ex habitu fluente, hoc est vita recta, sive in vita beata, cujus præcipuæ sunt partes *animi tranquillitas* & *lætitia cordis*. Ratio manifesta est. Quia virtus, ut supra ostendimus, recipit magis & minus: unde actio virtutis necessario quoque admittit gradus: qualis enim & quanta est virtus, talis quoque & tanta ejus est actio. Ubi experientiam testem habemus locupletem: sunt enim alii aliis fortiores, temperantiores, liberaliores, magnificentiores, gratiores &c. quæ fieri absque variis habituum & actionum gradibus non potest. Qualis vero vita est recta, talis quoque necessario est beata. Quæ ex recta tanquam fonte, fluit. Unde major minorque in diversis & iisdem hominibus animorum est tranquillitas & lætitia sive diversis, sive iisdem temporibus, si partes felicitatis minus principales & externas potissimum consideres, evidentior erit graduum diversitas. Sanitas corporis in eodem homine & in diversis modo major modo minor, quod de fama bona vitæque sufficientia quoque manifestissimum est.

§. 9. Interim & *Stoici & Plotinus* nulla admittunt incrementa & decrementa *summi boni*, seu felicitatis, nullos gradus, Rationes ipsorum sunt.

(1) *Summum in individuo est positum, ita ut nec crescat nec decrescat: Atqui felicitas est summum: unde vocatur bonum summum. Ergo nec crescit nec decrescit, adeoque magis & minus non recipit.* Propositio manifesta est. *Quod enim crescit fieri potest majus, adeoque summum non est. Quod decrescit, minus fit & summum esse desinit.*

Resp. *Propositio* non conceditur nisi de *summo* absolute & simpliciter sic dicto: de quo etiam *probatio* admittitur. Atqui felicitas non est summum bonum absolute & simpliciter ita dictum, sed cum aliis bonis minoribus comparatum: quod etsi in se gradus admittit, uti & *felicitas Theologica*, quæ æternæ vitæ est gloria, nihilominus tamen aliis bonis in homine terminatis est majus, & hoc respectu *summum* dicitur: quamvis in se etiam modo majus modo minus sit quatenus plus minusve de eo participat homo. Interim felicitas etiam absolutè considerata, quoad essentiam & definitionem, sine respectu ad existentiam in hoc vel illo subjecto, in indivisibili consistere dicitur: quo sensu magis & minus quoque non recipit.

§. 10. (2) *Si felicitas, summum hominis bonum, magis minusque reciperet, & cresceret vel minueretur, esset hoc vel à virtute, unde prodit: vel à tempore seu duratione: vel ab instrumentis.*

mentis. Atqui à nullo horum est. *Non à* virtute: *quia virtus, unde prodit, debet esse perfectissima. Atqui in summo gradu non est latitudo: non à* duratione: *quia per diuturnitatem majus evadere summum bonum negat Aristoteles libr. 1. Moral. neque de essentia ejus est tempus: non ab* instrumentis: *quia instrumenta sunt extra essentiam rei.*

Resp. *Assumtio* negatur: Gradus ejus sunt à *vita recta*, quæ virtuti ejusque actioni debetur: quæ cum gradus admittat, ipsa quoque vita beata eosdem admittit: à perfectissima virtute est perfectissima felicitas, saltem quoad partes principales: minus perfectæ effectus quoque est minus perfectus.

§. 11. (3) *Felicitas est bonum perfectissimum. Ergo magis minusque non recipit. Antecedens apud Philosophos in confesso est.*

Resp. Videatur responsio ad primum.

§. 12. Quæritur (5) *An aliquis possit esse felix, & felicitatem suam ignorare vel non percipere?*

Resp. Tribus modis dici felix potest (1) *prædestinatione* seu ordinatione, qui ad felicitatem est destinatus. (2) *Habitu* (3) *Actu*. Unde tribus *assertionibus* ad quæstionem respondetur.

Prima est: *Prædestinatione felix esse potest, etiam qui se felicem esse ignorat & non sentit.*

Ratio est: Quia prædestinatio ad felicitatem est actus alterius, qui ignotus esse potest ei, quem attingit. Non enim consilia & decreta de hominibus semper hominibus patefacit Deus. Unde multi ad æternam gloriam ab æterno destinati ad ultimam usque senectam ignorant sibi decretam esse gloriam.

§. 13. Secunda est: *Habitu felices esse possunt, etiam qui se felices esse nesciunt.*

Ratio est: Quia habitu felices sunt dormientes, qui tamen de felicitate sua, quando dormiunt, actu nihil sciunt.

§. 14. Tertia est: *Actu felices esse non possunt, nisi qui actu scientes sentiunt se felices esse &* quod probatur.

(1) Aut in actione virtutis consistit felicitas, aut in tranquillitate animi lætitia cordis potissimum. Atqui neutro modo ignota esse potest. Actionis enim præstantia in proæresi est posita, quæ ignota esse præeligenti non potest. Neque animi tranquillitas & cordis lætitia nos latere potest ubi actu se exerit: Quia fugere animum potest id, quo suavissime afficitur.

(2) Si actu felix esse posset, qui se felicem esse ignoraret, sequeretur felicitatem, quæ summum est hominis bonum, minoris esse efficaciæ, quam alia sensuum recte dispositorum objecta, quæ ita sensum recte dispositũ afficiunt, ut sentiantur: veluti sonus ita au-

res affi-

res afficit, ut audire nos cognoscamus, qualitates tactiles ita tactus organum, ut sentiamus: lux & color ita oculum, ut videamus &c.

Atqui consequens est absurdum: siquidem summum bonum in nullo deficit.

In hanc sententiam & *Seneca* concedit epist. 9. *Miser est qui se beatum non judicat, licet mundo imperet, non est beatus, qui se beatum non esse putat, veluti etiam non est dives, qui se esse divitem non agnoscit.*

§. 5. Objicitur.

(1) *Felicitas est prior cognitione: Ergo felix esse aliquis potest etiam si suam felicitatem non intelligit.*

Antecedens *manifestum est: quia natura rei non sequitur cognitionem, sed cognitio naturam rei: actus felicitatem circa objectum præsupponit objectum.*

Felicitas est prior cognitione natura, sed non tempore. Simul atque igitur felicitas in homine actu est, quoque cognoscitur: immo nec sine cognitione acquiritur. Igitur ut agnoscendo acquiritur, ita acquisita cognoscitur.

§. 6. (2) *Sanus est, etiam qui non sentit se sanum esse, pulcher etiam, qui nescit se pulchrum esse. Ergo etiam beatus esse potest, qui nescit se beatum esse. Plotini hæc est argumentatio.*

Resp. *Consequens* conceditur de eo, qui habitu est beatus seu felix: De eo, qui actu est beatus, negatur *consequentia:* quia ejusdem rationis non sunt beatitudo, seu felicitas actualis, & sanitas atque pulchritudo actualis: illa enim est animi bonum, quod non est sine cognitione, quia cognoscendo paratur: hæc corporis bonum, quod à sola potest esse natura sine cognitione.

§. 7. (3) *Etiam dormientes sunt felices qui tamen se felices esse nesciunt. Ergo felix esse aliquis potest, qui tamen se felicem esse non cognoscit.*

Resp. *Consequens* datur de eo, qui est habitu felix: de actu negatur *consequentia.*

§. 18. Quæritur (6) *An amitti felicitas moralis possit?*

Resp. Variæ heic sunt sententiæ. Pro negativa stare & pugnare videtur *Aristoteles*, qui summum suum bonum tanquam stabile, fixum, constans & immutabile laudat. lib. 1. Nicom. c.10. ubi affirmat, *felicem toto vitæ suæ tempore talem esse:* Quia semper & maxime omnium agit, & contemplatur, ea quę sunt ex virtute: Ibidem ait, *nulla in re humana tantam inesse firmitudinem, quanta est in actionibus, quæ cum virtute consentiunt.*

§. 19. Contra in affirmativam inclinat *Plato*, qui in *Protagora* ait: *virum bonum posse reddi parvum & vice versa:* sententia hæc pluribus firmari argumentis potest. (1) Quia

(1) Quia felicitati contraria est infelicitas. Atqui contraria invicem permutari possunt.

(2) Quia tam theoretici quam practici habitus amitti possunt: illi per oblivionem: hi per contraria vitia. Exempla in promtu sunt. *Messala Corvinus* per vehementem morbum ita memoriam omnium amisit rerum, ut proprii nominis amplius haud meminerit. Idem *Athenis* per pestem plurimis contigisse scribit *Thucydides*. Summi quoque Oratoris meminit *Boetius*, qui per febrim omnem perdidit eruditionem. Quod & *Decio* JC. accidisse scribit *Corasius*. *Hermogenes Tarsensis* Anno ætatis 18. artem Rhetoricam scripsit, & cum omnium admiratione publice professus est, quem *Musonius Philosophus* & *Marcus Imperator* cum admiratione audiverunt: Anno autem 24. mente lapsus omnium est oblitus: Unde *Antiochus Sophista* in eum cavillatus est, ἑρμογένης ὁ ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς, *Georgius Trapezuntius* superioribus seculis vir doctissimus in senio omnium literarum Græcarum & latinarum est oblitus, teste *Volaterr.* lib. 21. quod & *Francisco Barbaro* accidit, teste *Hermolao*. De virtutum quoque moralium interitu testatur tritum illud & antiquum. *Mores bonos commercia corrumpunt mala* 1. Cor. 15. v. 33. Pertinet huc quoque illa *Tyrii Maximi* sententia, dissert. 40. *Philosophia & scientia & virtus quem semel proscripserunt, nunquam admittunt, nunquam in gratiam recipiunt.* Et illa *Quintiliani*; *Noli desperare, sæpe redire virtutes.* Ita testatur experientia, sæpe in turpissima prolapsos vitia, quia singularis modestiæ & probitatis nomine commendabiles erant.

§. 20. *Piccolomineus* Grad. 9. cap. 46. de felicitatis proprie sumtæ constantia & immutabilitate ita judicat: *Commutationem felicitatis in infelicitatem, ex extremo in extremum non posse fieri & contrarium nullo evinci exemplo posse.* Rationem reddit: Quia prudentia & virtutes tam leves tamque imbecillæ non sunt, ut in contrarium habitum verti possint. In eandem concedunt sententiam ex recentioribus *Peripateticis* plerique: vide *Jacob. Mart.* de summo bono disp. 5. d. 6. q. 1.

Nos sententiam nostram duabus *assertionibus* explicamus.

§. 21. (1) *Felicitas humana tam theoretica quam practica & moralis, etiam quoad partes principales amitti potest.* Assertionem hanc probant rationes pro *affirmativa* allatæ. Præsertim *Secunda*; quæ nititur testimoniis & exemplis pluribus. Sive summum hominis bonum aut felicitas ponatur in *virtute*; sive in *actione virtutis*, sive in *tranquillitate mentis & lætitia virtutis actionem consequente*, res videtur satis manifesta. Et quidem si habitus

habitus virtutis est mutabilis & amitti potest, de mutabilitate actionis, tranquillitatis & lætitiæ causa dubitandi nulla erit. Siquidem bona hæc inter se necessario sunt connexa. Virtus autem si humana parari potest industria conservarique exercitio: quidni amitti quoque possit intermissione exercitii, & contrariis ad vitia incitamentis, quibus à recto virtutis tramite sæpius abduci etiam bonos testatur experientia. Unde tam fœdi sanctorum lapsus: quibus si gratiam subtrahat Deus singularem, & sibi ipsos permittat, nihil est facilius, quam labi. Qui à rectæ & sanæ rationis statu per phrenesim aut furorem deturbantur, virtutis retinere habitum & exercitium, si in illo perseverent statu, dici non possunt.

§. 22. Contra eos vero, qui multorum vere sanctorum apostasian totalem & finalem propugnant, quæ *Pontificiorum* & *Lutheranorum* est sententia, invictum est hoc argumentum.

Si virtutum Theologicarum à singulari & gratiosa Spiritus Sancti naturam corruptam instaurantis operatione profectarum totalis & finalis fieri potest jactura: utique virtutum moralium quoque humana industria & generalis saltem concursu gratiæ partarum fieri jactura potest. Atqui verum prius, ex hypothesi *Pontificia* & *Lutherana*, quæ tamen falsa est. Ergo & posterius.

§. 23. Excipit *Piccolomineus: Ægritudines oblivionem parere, at non inducere habitum depravatæ ignorantiæ.*

Resp. Cum inter felicitatem & miseriam non detur medium; etsi utriusque dantur gradus: certe non poterit non esse miser, qui contrariæ felicitatis habitu est privatus, quæcunque tandem interveniat ignorantia aut privatio. Si felix est, qui sapiens est: infelix erit, qui insipiens est: Si felix est: cujus ex conscientia rectæ vitæ tranquilla & læta mens est utique infelix erit, qui mente alienatus rectæ vitæ sibi conscius non est & mentem nec tranquillam, nec lætam habet; si maxime stimulis malæ conscientiæ non agitatur.

§. 24. (2) *Felicitas humana practica & moralis quoad partes principales, nisi extraordinarie mens valde affligatur, amitti facile non potest.*

Admittimus heîc rationem *Piccolominei* dicentis, *prudentiam & virtutes non esse tam leves & imbecilles, ut in contrarium verti habitum facile possint.* Item; *felicitatem esse bonum omnium humanorum bonorum maxime firmum*: neque subitaneæ istius mutationis exemplum dari contrarium. Et hoc quoque sensu accipimus, quæ de constantia virtutis traduntur ab aliis: Cujusmodi illud *Senecæ*, de vita beata cap. 7. & 13. *Altum quid-dam*

dam est virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile: Voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio ac domicilium fornices & popina; Et lib. 7. de Benef. cap. 19. *In pessima ab optimis lapsus necesse est etiam in malo vestigia bona teneat. Nunquam in tantum virtus extinguitur, ut non certiores animo notas imprimat, quam ut illas credat ulla mutatio. Fera inter nos educata cum in sylvas eruperunt, aliquid mansuetudinis priscæ retinent, tantumque à placidissimis absunt, quantum à veris feris & nunquam humanam manum passis. Nemo in summam nequitiam incidit, qui unquam hæsit sapientiæ. Altius infectus est, quam ut ex toto elui & transire in colorem alium possit.* Quo & illud pertinet: *Nemo repente factus est pessimus.*

§. 25. Quæritur (17) *Utrum sit difficilius, exuere habitum summi boni, an summi mali.*

Resp. Difficultatem heic *Piccolomineus* considerat ex parte conditionis rei permutandæ & ex parte nostri, in quibus fieri mutatio debet. Unde assertiones ejus sunt duæ.

(1) *Ex parte conditionis rei permutandæ, difficilius est exuere habitum summi boni:* ratio est:

1. Quia latius est diffusum.

2. Quia nobis per sensus est familiarius.

3. Quia via ad illud est multiplicior & facilior: unde facilius est labi, difficilius elevari.

§. 26. (2) *Ex parte nostri difficilius est exuere habitum summi boni, facilius exuere habitum summi mali.* Ratio est:

1. Quia nemo est ita depravatus, qui erroris sui ex parte sibi non sit conscius.

2. Quia nemo ita est vitiis inquinatus, qui non præsentiat detrimenta, quibus per vitia afficitur, & aliqua ex parte liberari ab iis non expetat: cum nec sibi, nec aliis sit amicus, adeoque sorte sua non sit contentus, semper conqueratur, semper mutationem quærat. Cum contra vir probus sua sorte sit contentus & nihil aliud quærat, quam conservationem ejus.

3. Quia vitæ progressus & senium mutationi in melius conducit. Sunt enim minus dediti voluptatibus senes, &, nisi vitia deserant, ab iis deseruntur.

§. 27. Sed non adeo opus videtur *distinctione*; si loquamur de summo bono, seu felicitate humanis viribus parabili, non tamen excluso universalis gratiæ concursu. Exuere felicitatem moralem partam ejusque plenam & totalem facere jacturam, sive rei permutandæ conditionem, sive hominem ipsum consideres, vide-

tur

tur difficilius, quam exuere oppositam infelicitatem: idque ob sequentes rationes.

(1) Quia felicitas est bonum stabilius & constantius, quam opposita infelicitas: ut apud sapientes in confesso est.

(2) Quia longe efficaciores sunt rationes pro retinenda felicitate, quam infelicitate.

(3) Quia longe suavius animum afficit felicitas, quam infelicitas: adeoque de ea retinenda magis homo laborat.

(4) Quia felix, in quo acquiescat, habet, infelix non habet.

(5) Quia felix cogitatione præmii se erigit, infelix metu pœnæ se dejicit.

(6) Quia felicitas per principia practica insita convenientior est naturæ humanæ quam infelicitas.

Objicitur in contrarium.

§. 27. (1) *Difficilius est ascendere quam labi: Ergo quoque difficilius est exuere infelicitatem, quam felicitatem:* Ratio consequentiæ: *quia illa exuitur ascendendo, hæc descendendo.*

Resp. Distinguendum est inter lapsum ascensumque *naturalem & moralem.* Corpori gravi difficilius est ascendere quam labi: levi difficilius est labi, quam ascendere. *Moraliter* ascendere infelicitatis onere gravi facilius est, quam labi felicitatis instructo alis: ut ante ostendimus vitiosum è cœno vitiorum facilius extraxeris, quam virtuosum in id depresseris.

§. 28. (2) *Fortuna prospera inconstantior est, quam adversa,* Aristot. lib. 2. Phys. t. 56. *Ergo facilius est prosperam exuere, quam adversam.*

Resp. *De bonis fortunæ* totum dantur: facilius ea amittuntur, quam acquiruntur: adeoque facilius prospera exuitur, quam adversa: moralium animi bonorum & malorum alia est ratio.

§. 29. (3) *Plato in Protagora* ex *Simonidis sententia, ait, fieri bonum difficile quidem esse, attamen possibile: servari vero bonum penitus impossibile.*

Resp. Sententia *Simonidis* à veritate aliena est & communi sapientum suffragio damnatur. *Senecam* potius audiamus lib. 5. De benef. cap. 2. *Quod turpe existimas, id accidere viro bono non potest, ut vincatur: nunquam enim succumbet, nunquam renunciabit: ad ultimum usque diem vitæ stabit paratus, & in hac statione morietur* Et lib. 6. cap. 21. *magnum argumentum est firmæ voluntatis, ne mutari quidem posse. Vir bonus non potest non facere, quod facit: non enim erit bonus, nisi fecerit.*

§. 30. Quæritur (8) *Utrum summum bonum sit bonum honorabile an laudabile?*

Resp.

Resp. *Aristoteles* lib. 1. Eth. Nicomach. cap. 12. & Magnor. moral. c. 2. constituit tria bonorum genera, nempe τίμια, ἐπαινετὰ & οὐδέτερα, hoc est: *honorabilia, laudabilia* & *neutra*. Τίμια seu *honorabilia* appellantur, quæ summa, cultu & honore digna ut Deus, animus, beatitudo; principia & fundamenta rerum ἐπαινετὰ seu *laudabilia*, quæ ob utilitatem laudantur, quam ad bonum majus comparandum præstant, quo modo virtutis habitus laudatur propter felicitatem, quæ per eam acquiritur.

οὐδέτερα seu *neutra* quæ per se nec honorem nec laudem merentur: sed talia tantum fiunt & æstimantur, quatenus iis bene utuntur homines: in quo genere collocantur δυνάμεις seu facultates, quibus bene & male uti possumus.

Secundum hanc bonorum distinctionem *summum bonum* non erit *laudabile*, sed tantum *honorabile* bonum: quia propter aliud non est. Nos etsi discrimen inter *honorabilia* & *laudabilia* admittimus, sunt enim laudabilia quædam, quæ propriè nemo honoraverit; ut constat de multis rebus inanimatis & animatis: tamen nihil *honorabile* arbitramur esse, quin etiam sit *laudabile*: adeoque summum honum & *honorabile* & *laudabile* esse asserimus, veluti & Deum honoramus & laudamus. Distinctos honoris gradus & species facile admittimus, ut & laudis. Honoramus bonos principes & eorum ministros, sed non eodem modo: utrosque laudamus bonos, sed pro meritis.

§. 32. Quæritur (9) *An summum bonum morte hominis aboleatur?*

Resp. *Piccolomineus* grad. 9. cap. 31. observat, ex *Aristotelis* sententia, in obitu viri felicis aboleri essentiam summi boni, & conservari tantum memoriam virtutis, instrumenta quædam & opera externa filios, agnatos, opes, magnificos sumptus, ædificia, &c. quam in rem allegat textus ex lib. 12. Metaph. t. 39. ex lib. 3. de ani. t. 20. ex lib. 1. Nicomach. cap. 11. Hanc & plerique alii amplectuntur sententiam, putantque dubium non esse, quin felicitas moralis hujus vitæ, sublata hac vita, penitus tollatur, & nihil ejus maneat reliquum: Unde allegant communem illum JCtorum & Philosophorum canonem. *Mors omnia solvit*.

§. 33. Nobis non adeo sententia hæc probatur, de præcipuis summi boni moralis partibus, quæ sunt *animi tranquillitas & lætitia*, quæ ex conscientia rectè factorum oriuntur. Etiamsi enim in damnandis tandem prorsus evanescit qualiscunque tranquillitas & lætitia ex conscientia rectè factorum orta, quæ etiam gentilibus quibusdam tribuitur: tamen in salvandis, qui ante

conver-

conversionem hoc bonum attigerunt, quodque non abolitum, sed perfectum in iis est, etiam post obitum servari bonum hoc in spiritu hominis, nempe tranquillitatem & lætitiam animi nemo Theologus & Philosophus Christianus negaverit. Quod contra rationem negarunt gentiles, quicunque animæ humanæ immortalitatem, & vitam, post hanc vitam, meliorem crediderunt.

Manere etiam post obitum famam bonam, quæ & ipsa est felicitatis pars, extra controversiam est. Saniores gentiles spem etiam extra vitæ hujus limites extenderunt, ut supra ostendimus.

§. 34. Quæritur (10) ***ad quam animæ partem pertineat summum bonum?***

Resp. ***Subiectum*** in scholis Philosophicis distinguitur in ***adæquatum*** & ***principale:*** illud est *totum*, hoc ***pars totius***, per quam toti competit affectio. Igitur *subiectum* ***adæquatum*** summi boni seu felicitatis non est anima hominis, sed homo, quem felicem, & summi boni capacem, atque participem esse dicimus. ***Principale*** vero est anima, quo ad partes summi boni principales: nam pars ejus minus principalis ad corpus quoque pertinet; Veluti & summi boni Theologici pars corpus quoque concernit.

§. 35. ***Animæ facultates*** tres vulgo constituunt, ***vegetativam sensitivam & rationalem.***

Vegetativam omnes excludunt, quam etiam cum plantis communem homo habet.

Sensitivæ felicitatem quoque tribuere videntur, qui ***appetitum sensitivum*** contendunt esse subjectum virtutum moralium: quæ recepta in scholis ***Peripateticis*** sententia est: quamvis ***appetitum sensitivum*** propterea ***summi boni subjectum*** esse non concedunt: quia non est principium primum, non ***αἴτιον κύριον.*** Sed tantum ***ἑπόμενον, σύνεργον***, & administrans. Quæ quanti ponderis sit ratio, ipsi viderint. Non enim sequitur, subjectum non esse, si causa principalis non est: aliud enim subjectum, aliud causa. Et cur negent, summi boni subjectum esse, quod virtutis esse subjectum credunt, quæ vel ipsum est summum bonum, ut ***Stoici*** volunt: vel principium summi boni, hoc est actionis virtuosæ, ut ***Peripatetici*** volunt. Si virtutis subjectum est facultas sensitiva: quidni & actionis virtuosæ? Nos subjectum hoc summi boni non agnoscimus: quia virtutem ejusque actionem, & inde resultantem animi tranquilitatem atque lætitiam, non ad sensitivam; sed ad rationalem facultatem referimus.

§. 36. Cum vero ***rationalis facultas*** in ***intellectum*** & ***voluntatem*** distinguatur; porro jam quæritur: ***utrum intellectus, an voluntas, aut utrumque felicitatis moralis subjectum sit?***

Thomæ & discipulis ejus arridet *Intellectus*: *Scoto* & asseclis ejus *voluntas*: *Richardo* & aliis utrumque.

Non loquimur hoc loco de summo bono *Theologico*, quod est vita, post hanc vitam, beata in cœlis æternum agenda? quam alii consistere ajunt in *contemplatione*, hoc est, visione Dei, alii in *amore* Dei: unde illis subjectum est *intellectus*, his *voluntas*. Nos beatæ illius vitæ partes agnoscimus plures, quarum aliæ ad *intellectum*, aliæ ad *voluntatem*, aliæ ad *appetitum sensitivum*, aliæ ad corpus, &c. pertinent. Unde subjectum *adæquatum* est unum, *partialia* vero plura: ut alias ostendimus.

Neque loquimur de bono *theoretico*, seu *contemplativo*, cujus subjectum esse intellectum facile damus: sed de *practico*: quod sive virtutem statuas, sive actionem virtutis, sive tranquillitatem animi & lætitiam, pro subjecto habet *appetitum rationalem*, seu *voluntatem*: cui virtus, actio, animi tranquillitas & lætitia competit. Qui duos summi boni gradus constituunt *theoreticum* & *practicum*, ad utramque facultatem, *intellectum* & *voluntatem*, merito id referunt.

§. 38. Quæritur (11) *An idea boni Platonica sit absolute summus atque ultimus hominis finis & bonum.*

Resp. Observat *Piccolomineus*, *ideam* tripliciter à *Platone* accipi.

(1) Pro *eminentia*, quando Deus dicitur idea omnium eminentissima ratione includens omnem bonitatem, pulchritudinem, atque perfectionem: quæ prima omnis boni est origo.

(2) Pro *forma*, quæ mente hominis concipitur & alias *conceptus* appellatur, pro varietate *objectorum* varius atque distinctus.

(3) Pro *similitudine*: quæ idea nominatur in genere, de omnibus rebus formata: Similia habet *Martyr*, in primum Eth. cap. 6. pag. 143.

§. 39. Cum igitur *Plato* summum hominis bonum *ideam* esse ait, de *idea boni* in primo significatu loquitur, adeoque recte & pie philosophatur, supra communem aliorum Philosophorum sensum, quod insignes ejus confirmant sententiæ. In septim. de Rep. ait, *ideam boni omnibus omnium rectorum atque bonorum causam esse, cum ipsa in loco visibile lumen creaverit, & luminis autorem in ipso vero intelligibilis regnet ipsa, veritatemque & mentem protulerit.* In eodem dialog. *Qui boni ideam*, inquit; *ratione definire non potest, à cæteris eam distinguens secundum substantiam, non secundum opinionem arguens & refellens hic bonum non dicetur cognoscere.*

Et in Sextio: *Boni ideo est maxima disciplina, qua quidem & justa*

justa & alia si utantur utilia & conducibilia sunt.

In *Alcibiad.* secundo: *Videtur sane caeterarum omnium scientiarum possessio, nisi quis scientiam optimi nactus fuerit, raro quidem prodesse, obesse plerunque.*

In Conviv. *Quaerendum*, inquit, *illud pulchrum, quo nihil sit pulchrius, & quod aliis pulchritudinis suae dignitatem largiatur.*

In The. *Enitendum*, inquit, *ut hinc ad illa quam citissime fugiamus. Haec autem fuga est Dei similitudo, quoad fieri potest. Unde homini accidere nihil optatius potest, quam si cum hac boni Idea conjungatur, & quam simillimus ei evadat*, quod in hac vita plene neminem consequi, sed futurae reservari alibi docet in *Phil. Timaeo*, *Phaedro* & lib. 12. de LL. Loquitur ergo *Plato* de *Idea boni* universali non in *praedicando*, ut *Aristoteles* interpretari ipsum videtur, sed in *causando* ut loquuntur: unde tanquam ex augustissimo & limpidissimo fonte omnia alia manant bona, quorum à nobis particulares ideae formantur. Undo irrita est *Aristotelis* contra *Platonem* disputatio lib. 1. Eth. cap. 6. Plura videantur apud *Piccolomineum* Grad. 9. cap. 24. 25. 26.

III.

Adversatur felicitati infelicitas; quae contraria est felicitati secundum omnes ejus partes: ut enim tota toti felicitati, sic singulae ejus partes singulis felicitatis partibus sunt contrariae.

Ἔκθεσις.

Ut praecipuae felicitatis partes sunt à virtute: Ita praecipuae quoque infelicitatis sunt à vitio, quod ad infelicitatem sufficit, etiam sine fortuna: ut ostendit *Plutarchus* in commentariolo. *εἰ αὐτάρκης ἡ κακία πρὸς κακοδαιμονίαν.* vide eundem *περὶ εὐθυμίας.* Ut felicitas est summum bonum: Ita infelicitas summum malum.

CAPUT II.

BEATITUDINIS PARTES RECENSENTUR.

Et

PRIMA EARUM EXPLICATUR.

THESIS I.

Partes beatitudinis aliæ sunt internæ, *aliæ externæ.*

II.

Internæ *sunt: bonus status animi, & bonus status corporis.*

III.

Animi bonus status consistit in tranquillitate mentis & lætitia cordis: quarum utraque rectè facta comitatur, & individuo nexu in hoc quoque ævo cum recta vita est conjuncta.

IV.

Tranquillitas mentis est status animi pacatus, è certitudine declinatarum per rectam vitam pœnarum acquisitus.

Ἔκθεσις.

§. 1. QUÆRITUR (1) *An beatitudinis humanæ pars sit animi tranquillitas.*

Resp. In partibus summi boni numerandam esse *mentis tranquillitatem* probatur sequentibus rationibus.

(1) Quia *magnum & summum est Deoque vicinum, non concuti. Sen. Summa beata vitæ est solida tranquillitas, & ejus inconcussa fiducia.* Idem epist. 44. lib. 5. de finibus. *Ista animi tranquil-*

tranquillitas ea ipsa est beata vita, quam à Democrito ait appellatam securitatem. Fiducia hæc & securitas perfecta demum erit in æterna vita. *Hic enim periculosa est elatio, illis est secura exaltatio. Hic timetur, ne, qui erat amicus, efficiatur subito inimicus; illic semper manet amicus, quia nullus illuc admittitur inimicus. Hic quicquid est bonum, timetur ne pereat, illic quicquid acceperis, ab illo servaberis, qui fecit ut ne tu transeas, & quod acceperis, non admittas. Augustinus* contra Judæos cap. 21. Magna certe felicitatis pars est de felicitate retinenda securum certumque esse. Heic ut non nisi umbra est felicitatis: ita & securitatis.

(2) Quia *neque preciosa domus, neque auri copia, neque generis dignitas, neque Magistratus amplitudo, neque facundia, neque eloquentia, tantam vitæ serenitatem tranquillitatemque præstat, quantam animus actionum consiliorumque pravorum purus, ingeniumq; perturbationis expers, intaminatumq́. Unde promanant honestæ actiones.* Plutarch. περὶ εὐθυμίας.

(3) Quia *ille beatissimus & securus sui possessor est, qui crastinum sine sollicitudine expectat.* Seneca.

(4) Quia *nullo loco, nullo tempore à boni viri latere recedit. Etenim bona conscientia virum ad omnia sacra mittit, per omnes vias, per omnia Deorum templa, ad omnes hominum species: & plaudens canensque ipsum ubique laudat, dormienti quoque ei assistens, præclarum chorum è somniorum domo circumponit. Philostratus* in vita Apollonii.

(5) Quia nulla major miseria intelligi potest, facinorosa, malaque conscientia: quippe quæ *instar ulceris est in corpore.* Plutarch. *& neque vigiliis neque quietibus sedari potest*: Sallustius. *Nec sinit rectis oculis quenquam adspicere, nec expedita verba proferre, ab omni etiam hominum cœtu exterminat, & dormientes perterrefacit.* Philostratus.

Hinc truculentus *Nero* somniorum portentis terretur, & furiarum impetu ab omnium hominum consortio abducitur.

Orestes ob interemptam matrem mente captus insomniis agitatur.

§. 2. Quæritur (2) *Quibus mediis præter communes virtutum actiones animi tranquillitas paretur?*

Resp. Excludit *animi tranquillitas* non tantum malam conscientiam, sed & omnis animi æstus atque perturbationes, quibus obnoxii sunt avari, impudici, superbi, iracundi, crudeles, invidi, luxuriosi, pauperes, calamitosi, &c. Ad hanc tranquillitatem parandam sapienter præscribunt media nonnulla, in quibus sequentia sunt.

 (1) *Ani-*

(1) *Animum coga sibi intentum esse, nec avocari ad externa. sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat, recedat, quantum potest ab alienis, & se sibi applicet, damna non sentiat, etiam adversa benigne interpretetur.* Seneca.

(2) *Ad parandam animi tranquillitatem illustres viros considera, qui eadem, qua tu, fortuna æquo sunt animo usi.* Idem Plutarch. exempla ibidem videantur.

(3) *In læta fortuna alios respice: qui pauciora bona possident: in sinistra autem infeliciores. Si in fortuna prospera meliorē, in adversa minus malam spectaveris, perpetua tristitia laborabis.* Favorin.

(4) *In iis, quæ invito tibi evenerunt, ne negligas in hac intueri, quæ tibi grata & venusta adsunt: Sed mixtione utrorumque instituta meliorum momentis deteriora abole.* Plutarch. *Insani est ob amissa dolore affici, non gaudere relictis.* Aristip.

(5) *Communium habenda ratio, & gaudendum, quod vivimus, valemus, solem videmus, bellum nullum, nulla est seditio, terra cultui, mare navigationi libere prostat, licet nobis loqui, tacere, res agere, otio frui. Præsentia hæc majorem nobis animi tranquillitatem parabunt, si absentium imagines nobis fingamus, memoria nobiscum sæpius repetentes, quam desiderabilis sit ægrotanti sanitas, in bello constitutis pax,* &c. Plutarch.

(6) *Cum præstantioribus te ne compara: quo vulgo laboratur vitio, animique perturbatio irritatur, cum, qui vincti sunt, solutorum laudant fortunam, soluti liberorum, liberi civium, cives divitum, divites Satraparum, Satrapæ Regum, Reges Deorum.* Plutarch.

(7) *Semper aliquis incrementis terminus est fugiendus, nec fortunæ arbitrium desinendi damnum.* Seneca.

(8) *Quæ nolentibus nobis fortuna obtulit, alio sunt tranferenda & in usum nostrum convertenda.* Plutarch. Sic *Zeno* cum audisset navim onerariam, quam unicam habebat reliquam, un cum mercibus esse submersam. *Laudo*, inquit, *tuum factum ô fortuna, quæ nos in palliolum & porticum redigis.* Ita si fort Principis ambiens amicitiam passus es repulsam, bono tuo id factum cense, ut periculorum & negotiorum liber viveres. Simili apud *Plutarchum* exempla vide.

(9) *Maledicta, iram, invidiam, malevolentiam & obtrectationes cum malignitate conjunctas eorum esse pestes, quibus in sunt, cogitandum, iisque stolidos turbari & exasperari.* Plut.

(10) *Culpare res & inique ferre ut desinas, alios intuere, q iisdem absque dolore & cum hilaritate utuntur.* Ita febricitant bus, quicquid gustant, amarum & insuave videtur. Ubi vero ali videm

videmus eadem citra molestias gustare, non jam cibum potumque, sed morbum & ægrotantes in causa esse dicimus.

(11) De fortunæ bonis non nimis anxie laborandum, iisque ita nos frui decet, ut voluptatem ex iis capiamus, amissionem vero; si accidat, æquiore animo feramus. Qui magnis non inhiat, magnis non excidit, adeoque minus dolet.

(12) *Id vitæ genus amplectere, quod tibi commodum, & cui tu commodus videberis, & in eo elabora, omissis reliquis.* Ut enim à vite ficus, ab olea uvas non requirimus. Ita non ad quævis studia animus applicandus, qui nec ad quævis est idoneus.

(13) *In rebus humanis cum nihil sinceri securique sit & à bonis sejungi mala non possint; in altero animus ob dolorem non est despondendus, sed, ad imitationem harmonicorum, concinnum vitæ nobisq; conveniens temperamentum conficiendum, & melioribus deteriora obscuranda, mala bonis occupanda.* Veluti gravia acutis attemperant *Musici*, & mutas vocalibus *Grammatici*.

(14) *Sæpe cogitanda rerum humanarum inconstantia etiam ante jacturam, ut tandem æquiore animo feramus jacturam.* Sic *Anaxagoras* de morte filii hanc edidit vocem: *Sciebam mortalem esse, quem genueram*: quem imitantes ad singulos fortunæ casus dicemus. *Noveram divitias me possidere in diem durantes & instabiles: Noveram Magistratum ab iis adimi posse, qui eo me ornaverunt: Noveram amicum esse hominem & facile mutabile animal, &c.* Ita præparatis & informatis si quid adversi acciderit, non admittemus voces istas: *Non putaram: Multa speravi: Hæc non exspectabam, &c.*

(15) *Rationis imperio ad adversa sustinenda mature componendus est animus.* Animi enim oblectatio subducens se à rerum adversarum cogitatione & circa facillima ad suavissima identidem occupata fatuitatem quandam & imperitam molliciem ingenerat.

Præclara hæc est animi tranquillitas *moralis*: attamen longe inferior tranquillitate *Theologica* & pace conscientiæ: unde illa absque hac evanescit, & nunquam sincera & plena esse potest: hæc evanescit, & absque illa nunquam est. Oritur autem tranquillitas animi Theologica ex sensu *justificationis*. Rom. 5. v. 1. quæ sine sanctificatione nunquam est.

§. 3. Quæritur (3) *An tranquillitas animi rectius dicatur pars quam effectus boni summi moralis?*

Resp. *Bonam conscientiam* &, quæ ex ea fluit, animi tranquillitatem *Peripatetici* immediatum summi boni effectum, non partem, esse docent: quod hypothesi ipsorum plane consentaneum. Nam si summum bonum est actio virtutis & actionem virtutis comitatur

mitatur bona conscientia & animi tranquillitas: Consequens est, summi boni non partem, sed consequens & effectum esse conscientiam bonam & animi tranquillitatem; Siquidem effectus non est pars suæ causæ.

§. 4. Nobis vero *summum bonum* seu *beatam vitam* à virtute & virtutis actione, seu recta vita, distinguentibus, idque recte, ut supra ostendimus, aliter judicandum fuerit. Igitur animi tranquillitas effectus virtutis & vitæ rectæ est, non summi boni; cujus partem recte constitui, quæst. 1. probavimus: videatur & cap. 1. q. 1. Propter animi tranquillitatem virtus paratur & exercetur: Unde rectius ei summi boni dignitas tribuitur, quam virtuti: Siquidem summum bonum propter se, non propter aliud, expetitur.

§. 5. Quæritur (4) *An conscientia bona consequens & effectus sit animi tranquillitas?*

Resp. Vulgo cum conscientia bona confundi solet animi tranquillitas: Quod si vero proprie & accurate loquamur, animi tranquillitas non est ipsa bona conscientia, sed consequens & fructus bonæ conscientiæ: Ex eo enim, quod recte factorum sibi conscius est animus, & se absolvit, vera oritur ejus tranquillitas, consistens in securitate pœnæ, fiducia favoris divini, animique in omni fortuna moderatione atque præsentia. *Conscientia bona*, inquit Hugo. de anim. lib. 2. cap. 9. *titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum declinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum S. Sancti, liber signatus & clausus.* Non possunt hæc esse sine magna animi tranquillitate. *Magnam vim habet conscientia in utramque partem, ut semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverint, & nihil timeant, qui nihil admiserint.* Cicero pro Milone. *Conscientia benefactorum magnum & in vita munimentum est, & in morte solatium: nec illa, quæ bene actæ vitæ testis est, hominem miserum esse unquam sinit, sicut nec scelerum arbitra felicem.* Vives. Diogenes dixit: *neminem à timiditate liberum, & revera animosum esse, nisi illum, qui nullius mali sibi conscius sit.* Stobæus: serm. 24. Laudat quoque sapientem *Laërtius*, qui neminem frui tranquillitate animi dixit, qui scit sibi iratum & infensum esse Numen divinum. *Socrates* interrogatus, *quinam tranquille viverent?* Respondit: *illi, qui nullius absurditatis sibi conscii sunt.*

§. 6. Quæritur (5) *Utrum summum bonum consistat in habitu virtutis moralis? an in actione ex habitu fluente?*

R. Pro *habitu virtutis* pugnare *Piccolomineo* videntur Stoici: quibus hæ tribuuntur rationes. (1) Quia

(1) Quia summum bonum, consensione omnium, ad animum pertinet. Atqui in animo nihil salutarius, nihil præclarius virtute.

(2) Ex summo bono universa pendet hominis perfectio. Atqui ex virtute pendet hæc perfectio.

(3) Summum bonum ex se bonum, cætera omnia reddit bona: Atqui virtus ex se bona, reddit omnia alia bona, nempe naturæ & fortunæ munera: quæ sine virtute potius obsunt, quam prosunt.

(4) Summum bonum exclusis omnibus aliis, bonorum reddit possessorem suum: sola hoc virtus facit, per quam bonus est, etiam qui omnibus aliis destitutus est præsidiis: Contra vero malus, qui expers ejus omnibus aliis abundat.

(5) Summum bonum maxime potens est, & omnia bona vincit. Hujusmodi virtus est; qua sola muniti fortunam vincimus, naturæ incommoda superamus, affectus feroces compescimus, & vitia omnia debellamus.

(6) Summo bono nihil firmius, nihil constantius. Eadem virtutis firmitas & constantia, quæ semper sibi similis, & quadrata est, nullisque frangitur aut concutitur calamitatibus, damnis, injuriis.

(7) Summo bono male uti nemo potest: unde non potest non prodesse. Eadem & virtutis est ratio.

(8) Summum bonum mensura & regula est omnium aliorum bonorum, talis & virtus est.

(9) Summum bonum ab omnibus, quamvis non sine difficultate, potest acquiri, neque ab externo aliquo pendet: Eadem virtutis est ratio.

(10) Summum bonum est jucundissimum, honestissimum, utilissimum, semper sibi simile naturæ convenientissimum, & hominem magno mundo reddit similem. Quæ omnia virtuti competunt.

§. 7. Contra vero pro *actione virtutis* pugnant *Peripatetici*, sequentibus argumentis.

(1) Per summum bonum distinguitur probus ab improbo, felix ab infelici: quod fieri per virtutis habitum non potest, dum enim dormit & nihil agit, qui habitu virtutis est præditus, distingui ab improbo, & infelici dormiente, & nihil agente non potest.

(2) Summum bonum non est propter aliud: Atqui virtutis habitus est propter aliud, nempe propter actionem. Potius igitur actio, quam habitus, summi boni nomen merebitur.

(3) Summum bonum ex se est perfectum, cui addi aliquid, quo perficiatur, non potest. Atqui virtus ex se non est perfecta:

 addi

addi enim habitui poteſt & debet actio, qua perficiatur.

(4) Summum bonum in jucunditate eſt poſitum, vel jucunditatem tanquam affectionem, ſibi junctam habet. Atqui jucunditas non ex habitu, ſed ex actione virtutis conſurgit.

(5) Summo bono nihil eſt melius: Atqui virtutis habitu melior eſt actio: Unde etiam propter actionem magis laudamur & honoramur, quam propter habitum otioſum.

(6) Summum bonum intime nos Deo conjungit. Atqui actio nos arctius & magis Deo conjungit, quam habitus: quo enim magis actuoſi ſumus, eo ſimiliores & conjunctiores Deo ſumus, qui actus eſt puriſſimus.

(7) Poſſeſſio ſine uſu inanis eſt & uſus poſſeſſione præſtantior eſt: quia propter uſum acquiritur poſſeſſio: Atqui habitus eſt poſſeſſio: actio uſus.

§. 8. Hiſce argumentis uti *Stoica* impugnatus ſententia: Ita viciſſim non deſunt, qui *Peripateticam* impugnent, quam & *Plotinus* improbet *Ennead.* 1. lib. 4. q. 10.

(1) Oppugnant eam decem argumenta, quibus *Stoicorum* ſententia propugnatur.

(2) Summum bonum nos ſemper comitatur, eſtque ens permanens & conſtans. Atqui actio virtutis nos ſemper non comitatur & eſt ens ſucceſſivum, & in fluxu conſtitutum, & ad exiſtentiam ſuam requirit naturæ & fortunæ inſtrumenta, quibus opus non habet habitus.

(3) Facultas aſſequendi ſummum bonum ſequitur naturam hominis & fluit ex principiis internis, tanquam facultas ejus propria. Actio adæquate non pendet ex internis principiis, ſed varia requirit externa.

(4) Si in actione poſitum eſſet ſummum bonum, egeni morboſique homines, ſi non aſſequerentur ſummum bonum, miſeriæ ſuæ culpam in naturam, fortunam aut parentes poſſent rejicere, quorum culpa carent inſtrumentis, quæ ad actiones requiruntur, cujuſmodi ſunt bona naturæ & fortunæ. Atqui falſum conſequens: eſt enim unuſquiſque ut miſeriæ; ſic & felicitatis ſuæ faber.

(5) Si in actione ſummum bonum collocaretur, inſtar Chamæleontis eſſet mutabile: Sunt enim variæ quietis & actionum vices: per quas modo felix, modo non felix erit homo: quod abſurdum.

(6) Si ſummum bonum virtutis eſſet actio, vel omnium ſimul eſſet virtutum actio, vel modo unius, modo alterius. Atqui prius eſt impoſſibile: poſterius ſi addmittatur nunquam homo frui-

mo fruitur simul universo & consimili bono, sed modo una, modo altera ejus parte: nec bonum hujusmodi in eo servabitur, sed continue evanescet: quod absurdum.

(7) Perfectio actionis est ab habitu virtutis, quæ eminenter in se continet perfectionem actionis: ergo præstantior est virtus actione, & potius pro summo habenda bono, quam actio.

(8) Actio virtutis est usus summi boni. Ergo non est ipsum summum bonum.

§. 9. *Piccolomineus* partes dissidentes: ita componit. Consentire ipsi videntur in duobus. 1. *quod fundamentum summi boni sit virtus*, 2. *Quod virtutem necessario sequatur actio.* Unde subjungit summum bonum dupliciter considerari posse, vel *in habitu*: vel *in actu*: vel *in fundamento*, vel in eo, *quod consurgit ex fundamento*: *vel* in eo, quod sine varietate alicui est obnoxium: *vel* in re, *vel* in usu rei, *Stoicos* igitur & cum iis *Academicos* respexisse habitum, fundamentum & rem sibi semper similem. *Peripateticos* vero actum, fructum & usum. Et hos quidem sibi proposuisse exactissimam summi boni perfectionem ex conspiratione bonorum animi munerumque naturæ & fortunæ consurgentium. *Stoicos* vero id tantum, quod principale est, considerasse.

§. 10. Tandem omnes sententias colligit & conciliat: Summum bonum collocatum est in *virtute*, tanquam in fundamento: in *actione* virtutis, tanquam in forma & postrema perfectione: in *jucunditate*, tanquam in affectione, in *muneribus naturæ & fortunæ* tanquam in instrumentis: in *honore & gloria* tanquam in signo: in animi tranquillitate, tanquam in fructu: In *Deo Opt. Max.* tanquam in objecto & fine ultimo, nos beante: in *conspiratione bonorum cunctorum*, tanquam in cumulo omnium ad summum vitæ hujus bonum confluentium: Grad. 9. cap. 14. Sed in hac conciliatione forsan non acquiescent vel *Peripatetici* vel *Stoici*. Manet enim quæstio: *utri rectius sentiant Peripatetici, qui summum bonum ponunt in actu, fructu & usu: an Stoici, qui idem ponunt in habitu, fundamento & re permanente?* Idem de reliquis judicandum conciliationibus: distincta sunt. Summum bonum, summi boni fundamentum, summi boni affectio, summi boni instrumenta, summi boni signa, summi boni fructus, summi boni objectum, &c. Unde non possunt dici vere consentire, quorum alii, loco summi boni, habent fundamentum ejus, alii affectionem, alii instrumenta, alii signa, alii fructum, &c.

§. 11. Hac ratione omnia componi possent dissidia: tam enim longe vix unquã dissident docti, quin communẽ habeant aliquam hypothesin, ad quam inflecti diversæ possunt sententiæ per diver-

sos

sos respectus. Nobis summum bonum morale nec virtus, neč actio virtutis est: Sed quæ ex virtute, virtutisque actione fluit, animi tranquillitas & lætitia: quas tamen non pro summo bono completo & toto habemus, sed tantum pro partibus principalibus. Neque fructus summi boni nobis est tranquillitas animi: quam tamen virtutis & actionis virtuosæ fructum appellari facile patimur: est enim summum bonum: medium virtus & actio virtutis. Unde de contrariis *Peripateticorum* & *Stoicorum* argumentis solvendis laborandum nobis non est. Distinguimus inter *rectam* & *beatam hominis vitam*, quarum illa est finis principalis, hæc minus principalis, quæ in specie beatitudo & bonum summum appellatur. *Peripateticorum* & *Stoicorum* argumenta pugnant pro recta vita, seu fine principali: non vero oppugnant vel expugnant beatam *Authoris* nostri vitam in specie sic dictam. Et *Stoici* quidem otiosum & quiescentem virtutis habitum non videntur tanti fecisse, ut solum illum pro summo habuerint bono. Virtutem laudarunt actuosam, quam & Theologi prædicant. Hinc non adeo videntur dissensisse *Stoici* & *Peripatetici*: Si illi *virtutem* laudarunt *actuosam*, hi *actionem virtuosam*: Neutri à summo bono excluserunt vel virtutem vel actionem. De quæstione *hac* disputantem vide *Hornejum* Eth. lib. 2. cap. 2.

CAPUT III.

De

LÆTITIA CORDIS.

THESIS I.

FUit primum boni status animi requisitum, tranquillitas animi: *sequitur alterum, cordis lætitia: quæ est status animi lætus, quo cor hominis è recte factorum memoria gaudium concipit, & propter spem præmii, quod virtuti propositum est, lætatur.*

Ἔκθεσις.

§. 1. ALTERUM hoc boni status animi requisitum, *lætitia cordis* ex primo *tranquillitatis* bono oritur: quia non potest gaudium aut lætitia animo ingenerari, nisi tranquillitatem pro fundamento

mento ſubſternat : *Plutarchus.* ἡ τιμία ἡδονὴ ϗ ἱερὰ ἀδιαςά-τως τῷ πυδαίῳ παρέπεται ; hoc eſt, *honorata & ſacra voluptas virum virtute præditum continuo perſequitur :* inquit anonymus quidam.

Lætitia alias appellatur voluptas, de qua cum deinceps agendum ſit, hoc loco ejus obſervanda *definitio.* Veteribus definita fuit γένεσις εἰς φύσιν αἰσθητὴ, hoc eſt, *generatio in naturæ ſenſibilis* : quam definitionem refutat *Ariſtoteles* lib. 7. moral. cap. 12. *Ciceroni* definitur, jucundus in ſenſu motus : aliis *placentia operationi ſuperveniens* : præferunt tamen *Ariſtotelis* definitionem, quæ eſt ἐνέργεια τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστος : hoc eſt : Operatio non impedita promanans ex habitu, qui eſt ſecundum naturam : de qua videatur *Iacob. Mart.* Eth. diſp. 7. 9. 1. q. 2. & 7. Grammaticis *voluptas* dicitur quaſi *volupitas*, à volupis, volupe, quod eſt à *volo* : ſic igitur dicta, quod in eam maxime feratur appetitus, ſeu voluntas.

§. 2. Quæritur (1) *An lætitia cordis ſit pars ſummi boni ?*

Reſp. *Voluptas gaudium* & *lætitia* hoc loco ſynonyma nobis ſunt. Diſtinguimus autem ante omnia voluptatem & lætitiam in *corporis* & *animi* voluptatem. *Illa* ſenſus habet judices & arbitros, eſtque communis homini cum bruto, quo cum ſentientem quoque animam brutum commune habet : Maxime vero ſenſu *tactus* & *guſtus* percipitur : de qua quæſtio nobis non eſt, quam pro ſummo habere bono non *poteſt*, niſi qui humanæ naturæ immemor, ad bruta tranſit, eorumque ſocietatem ambit. *Iſta* hominis eſt propria, & brutorum tranſcendit conditionem ; unde & animo tribuitur, ſeu rationi, quæ *intellectum* & *voluntatem* complectitur, facultates nobiliſſimas animæ humanæ rationalis & immortalis. Neque refert, quod *cordis* appellatur lætitia. Etiamſi enim cor ſuaviter afficit, unde ab *Authore* lætitia *cordis* appellatur, phraſi ſcripturis divinis familiari : tamen ortum trahit non à corde, quod cum bruto quoque homini commune eſt, ſed à ratione lætitiæ ſuæ ſpiritualis, ſenſum cordi quoque impertiente. Hæc vero lætitia & voluptas ex animi facultatibus, *intellectu* & *voluntate*, rurſus diſtinguitur in *Philoſophicam* & *politicam* : quarum illa ex *contemplatione* oritur : hæc ex *actione virtutum moralium*, ejuſque conſcientia & animi tranquillitate. De hac poſteriore animi voluptate & lætitia nobis potiſſimum eſt quæſtio : cujus amplectimur *affirmativam*, idque exemplo non novo. Laudat enim ſententiæ hujus autores *Piccolomineus*, Grad. 9. cap. 17. *Mercurium Triſmegiſtum*, *Theodorum*, *Democritum*, *Epicurum*, *Eudoxum*, *Originem*, *Avicennam*, *Algazelem*, *Marſilium Ficinum*,

cinum, aliosque plurimos: in quorum sententiam quoque pertrahere nonnulli *Aristotelem* conantur: quibus tamen acriter contradicit *Picolom.* Grad. 9. cap. 20.

§. 3. Quod in voluptate & lætitia essentia summi boni sit posita, sequentibus rationibus probari docet *Piccolom.*

(1) Quia omnium consensione & experientia per internam naturæ commotionem ab omnibus animalibus maxime expetitur, quæ summi boni est natura. Bonum enim est, quod omnia appetunt: Ergo summum est bonum, quod omnia maxime & summe appetunt. *Rationem* & *consequentiam* hanc probat *Aristoteles* lib. 8. Moral. cap. 13. & lib. 10. cap. 2.

(2) Quia dolor, miseria & pœna omnium animalium est summum malum, quod à cunctis per se fugitur. Voluptas igitur, quæ à cunctis per se optatur est summum bonum: *Ratio consequentiæ*: Quia contrariorum contrariæ sunt conditiones.

(3) Quia summum bonum dicitur μακαρισμός, à maxime gaudendo, ut interpretatur *Aristot.* lib. 7. Moral. cap. 11. Petitur autem nomen ex natura rei.

(4) Quia, communi omnium hominum consensione felicitatis nomine aliud nihil denotamus, nisi eximiam voluptatem, lætitiam immensam, & gaudium incomparabile.

(5) Quia felix esse definit, qui summo dolore & tristitia angitur.

(6) Quia, qui eximia & perfecta jucunditate perfusus est, nihil amplius expetit & in sola hac lætitia acquiescit.

(7) Quia æternæ vitæ felicitas exprimitur nomine ineffabilis lætitiæ.

(8) Voluptas perficit actionem, tanquam finis, lib. 10. Moral. cad. 4. Ergo præstantius est bonum actione.

§. 4. Nos etsi totam summi boni rationem sola animi cordisque lætitia sincera & pura non absolvi statuimus; tamen unam ex principalibus ejus partibns esse asserimus cum Thoma lib. 4. sentent. distinct. 48. art. 1. q. 3. pro qua sententia ex allatis rationibus multæ militant: quamvis *Piccolomineus* hoc tantum iis probari contendat: quod vera voluptas sit dulcissima affectio summi boni & veluti esca ad summum nos bonum invitans, Grad. 9. cap. 22. ubi rationes pro voluptate allatas conatur solvere. Quam vero solidæ sunt rationum præcipuarum solutiones, cordatus lector, & qui nullo occupatur præjudicio, judicet.

Sententiam nostram insigniter confirmat sacra scriptura, quæ hujus & futuræ vitæ felicitatem sæpissime gaudii nomine exprimit: quod certe factura non esset, si inter Principes felicitatis partes gau-

tes gaudium non esset: loca videantur *Psal.* 4. v. 7. 8. & 16. v. 11. & 35. v. 9. & 40. v. 16. 17. & 51. v. 14. & 64. v. 11. & 68. v. 3. 4. & 70. v. 5. & 89. v. 16. 17. & 90. v. 14. & 104. v. 34. & 105. v. 3. *Prov.* 15. v. 15. *Cantic.* 1. v. 4. *Jes.* 56. v. 7. & 60. v. 15. & 61. v. 7. *Zach.* 10. v. 7. *Luc.* 2. v. 10. *Joh.* 16. v. 20. 21. 22. 24. *Rom.* 15. v. 13. *Philip.* 4. v. 4. 1. *Thes.* 5. v. 16. *Heb.* 12. v. 2. 1. *Pet.* 1. v. 8. 1. *Joh.* 1. v. 4. *Apoc.* 19. v. 7.

Accedit, quod summa hominis infelicitas consistat in angoribus & tormentis animæ potissimum: Huic igitur opposita felicitas consistet in tranquillitate & lætitia animi.

Denique virtutis & actionis virtuosæ præmium est animi tranquillitas & lætitia: in quo plene acquiescimus, bonumque aliud non expetimus, sub ratione finis: quod quidem hujus sit ordinis.

Sed multa huic nostræ sententiæ objicit *Piccolimin.* Grad. 9. cap. 19.

(1) *Quod dirigitur ad aliud, tanquam finem, id non est summum bonum, vel pars ejus. Atqui voluptas dirigitur ad aliud tanquam finem. Ergo.* Proposit. prob. *Quia summum bonum est ultimum, quod ad aliud non dirigitur.* Assumtio prob. *Quia lætamur, ut honeste operemur, non honeste operamur, ut lætemur.*

Resp. *Propositio* non conceditur nisi de bono absolute summo: de quo hoc loco non agimus: Alias ratio militaret quoque contra actionem virtutis, quam summum esse bonum cum *Aristotele* contendit *Piccolomineus*: Nam & hæc ad aliud dirigitur.

2. *Assumptio* non datur, nisi aliud illud, ad quod voluptas dirigi dicitur, intelligatur finis & bonum absolute summum.

Probatio falsa est: honeste operamur, ut lætemur & animi tranquillitate perfruamur, non lætamur, & tranquillitate fruimur, ut honeste operemur: quia impossibile est tranquillitate animi frui & lætari, nisi prius honeste operati fuerimus.

§. 6. (2) *Summum bonum est animi perfectio. Ergo non in voluptate, sed in veri inspectione & honesti adeptione consistit: Hæc enim animum perficit, non illa.*

Resp. *Consequentia* negatur: *probatio* falsa est: & actio virtuosa ipsaque virtus, &, quæ utramque sequitur, animi tranquillitas & lætitia, est animi perfectio: variis enim modis & gradibus perficitur animus: qui si nulla frueretur tranquillitate & lætitia, certe perfectus dici nullo modo posset. Est igitur tranquillitas & lætitia animi complementum & gradus perfectionis summus, quem virtus virtutisq; actio intendit. Siquidē ideo recte vivimus, ut tandem bene beateq; vivamus, & præmium rectæ vitæ animi tran-

mi tranquillitatem & lætitiam, auferamus, tanquam partes summi boni principales. Estque fructus hic, animi tranquillitas & & lætitia, non summi boni, sed virtutis & actionis virtuosæ. Ad *antecedens* quoque observandum; summum bonum non animi tantum, sed & corporis & totius hominis esse perfectionem: ut constat è partibus felicitatis. Sic & Theologica atque æterna felicitas non animæ tantum rationalis, sed & corporis & totius erit hominis perfectio, cujus qui partem esse negaverit cœleste gaudium, à Theologis vix tolerabitur. Videantur scripturæ loca, quæ hanc in rem ante allegavimus. *Æterna civitatis æterna sunt gaudia* inquit *Augustinus* de innocentia cap. 38. *Quale gaudium erit, cum te videris esse socium Angelorum, participem regni cœlorum, regnare cum Rege, nihil concupiscendo omnia possidere, sine avaritia divitem, sine pecunia administrantem, sine successore judicantem, sine metu Barbarorum regnantem, sine morte æterna vita viventem!* Item.

§. 7. (3) *Per lætitiam homo non redditur bonus, neque bonus denominatur. Ergo summi boni pars non est*: Ratio conseq. *Quia per summum bonum homo bonus redditur & denominatur.*

Resp. Antecedens de omni lætitia sincera negatur. Est enim bona illa lætitia, orta ex causa bona: Ut igitur ad animi perfectionem; ita quoque ad bonitatem conducit: Negemus ne bonum esse æternæ vitæ gaudium? Atqui à bono quod nobis inest, quidni boni simus & denominemur. Si igitur universale est *Piccolominei* axioma: *Ab eo, quod bonum est, boni reddimur & denominamur;* confecta res est, & soluta ratio *Piccolominei*. Interim summum bonum, uti hoc loco à nobis accipitur, nempe pro præmio rectæ vitæ, non tam bonos nos reddit, quam bonos esse testatur: uti virtutis præmium non virtuosos nos reddit, sed arguit.

§. 8. (4) *Homo propter possessionem summi boni afficitur lætitia. Ergo lætitia non est summum bonum vel pars summi boni.* Ratio conseq. *quia effectus non est causa neque pars causæ.*

Resp. Si in *antecedente* & *consequente* sub appellatione summi boni, etiam pars summi boni comprehendatur & intelligatur: *consequentia* negatur. Potest enim totius aggregati, quale est summum bonum, pars una esse causa alterius partis, ut nihilominus utraque totius sit pars, quod in toto quoque integrali accidit: exempli gratia, in corpore animalis; cujus pars est sanguis, qui tamen effectus est partis, nempe epatis &c. Sed & Antecedens. Lætitia non oritur ex possessione summi boni, sed est pars summi boni: oritur autem ex conscientia rectæ vitæ, quem finem hominis summum appellamus.

§. 9. (5) Si

§. 9. (5) *Si voluptas animi & lætitia esset summum bonum, intemperantes & vitiosi essent felicissimi: Atqui absurdum consequens. Ergo & Antecedens.* Connexum prob. *Quia intemperantes vehementissimis voluptatibus afficiuntur.*

Resp. *Connexum* negatur. *Probatio* falsa est. Intemperantium voluptates non sunt animi, & sinceræ puræque: Sed corporis & impuræ: quæ ex impura quoque anima fluunt.

Instat: *Qualescunque sint intemperantium voluptates, non sunt minus gratæ & suaves vitiosis, quam probæ probis.*

Resp. Judicium intemperantium corruptum de corporis voluptatibus impuris, quas execrantur temperantes & probi, sinceris purisque animi voluptatibus nihil potest præjudicare, multo minus de suo eas statu deturbare vel impuras voluptates ad fastigium purarum evehere. Neque propterea vita recta desinit esse bonum præstantissimum: quia vitiosam improbi præferunt, eaque magis gaudent. Veluti suavis esse odor ambræ non desinit, etiamsi luti fœtorem ei præfert porcus.

§. 10. (6) *Voluptates ab honesta actione habent, ut probæ & honestæ sint. Ergo sunt pars summi boni.* Ratio conseq. *Quia summum bonum ex se bonum & honestum est.*

Resp. Ex eodem fundamento nec in actione virtutis collocandum erit summum bonum: quia actio virtutis bonitatem & honestatem suam habet ex virtute, tanquam fonte actionum bonarum & honestarum. Igitur *consequentiam* negamus *Ratio* ejus falsa est: Summum bonum, uti hoc loco accipitur, & fine summo inferius quiddam est, bonitatem & honestatem suam habet à vita recta, quæ finis est summus.

§. 11. (7) *Propter summum bonum homo est honore dignus. Propter lætitiam & voluptatem animi non est honore dignus, E. &c.*

Resp. *Assumptio* negatur: sincera animi lætitia ex conscientia rectæ vitæ orta, quidni honore sit digna? Etiamsi non totum est summum bonum, sed tantum pars ejus: Interim non omnes summi boni partes sunt bona proprie honorabilia. De summi boni propriis pronunciavit *Aristoteles* ex hypothesi propria.

§. 12. Quæritur (2) *An Epicurus summum bonum posuerit in voluptate corporis?*

Resp. A priscis & recentioribus vapulat *Epicurus* & male audit propter infame dogma de summo bono in corporis voluptatibus, quæ intemperantiam potissimum sequuntur, posito. Unde *Epicuri de grege porcos*, passim traduci audias. Graviter in ipsum invehitur *Pererius* de principiis lib. 4. c. 4. ubi *monstrum Philosophiæ* ipsum appellat. Summa huc redit: *Epicurus ex homine pe-*

eundem facit, non aliud æstimans bonum quam quod pecudum est, voluptatem. Idem quoque ἄθεος audit: qui divinam providentiã, Deosque plane negaverit. Quem ajunt in lib. de fine scripsisse: *Equidem ignoro, quid de summo bono statuam, si tollam voluptates, quas sapor ministrat, ut Veneris usus adfert, aut quibus aures permulcentur.* Animæ quoque immortalitatem negasse dicitur: Præ aliis Plutarchum quoque consule, in comment. ὅτι ὐδὲ ζῆν ἔςιν ἡδέως κατ' Επίκουρον.

§. 13. Non desunt tamen qui longe honestius de *Epicuro* judicent, & non corporis sed animi voluptatem ab ipso assertam & commendatam arbitrentur: Etsi contrarium ipsi vulgus impegerit: quod pluribus quoque priscis Philosophis accidit, quorum a successoribus longe aliter acceptæ sunt sententiæ, quam ab ipsis intellectæ. Unde *Platoni* aliisque veteribus ab *Aristotele* quoque injuriam sæpiùs esse factam, multorum est opinio. Si scripta ipsorum exstarent, quæ à successoribus dicuntur abolita, sincerius & tutius de dogmatibus ipsorum fieri judicium posset. Cur autem verisimile non sit, tam absurdi dogmatis patronum fuisse *Epicurum*, rationes sunt sequentes.

(1) Quia corporeis voluptatibus ipse non fuit deditus. Quod si vero eas aliis commendasset, & summum in iis bonum collocasset, dubio procul totis ea viribus fuisset sectatus: quas tamen neglexisse ipsum certum est ex multis indiciis.

§. 14. 1. Ex *Laërtio* refert *Seneca* ep. 92. Epicurum morti jam vicinum epistolam ad amicos scripsisse, qua testetur, *se vitæ laudabiliter exactæ & rationum subtiliter à se inventarum memoriâ in singularem animi lætitiam erigi, licet hinc urinæ difficultate torqueatur, hinc insanabilem exulcerati ventris dolorem sentiat.*

2. Quia omnes libros suos, ut scribit *Cælius Rhod* l. 13. c. 25. *replevit oleribus & pomis*, vilibusq; cibis vivendum esse affirmavit.

3. Quia, eodem *Cælio*: lib. 19. c. 27. teste, scripsit, *cum Jove se promptius de felicitate in certamen venturum, si maza modo suppeteret & aqua:* quæ corporearum voluptatum incensiva non sunt.

4. Quia insignis ejusdem ab eodem lib. 20. cap. 24. prædicatur sententia: *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum.* idem expressit *Athenæus*, referente *Laërtio*, in laudem *Epicuri*, dum ita cecinit.

Quis furor, ô cives, ut vos ob vile lucellum,
Rixas & bellum sollicitetis atrox?
Nam natura opibus facile est contenta pusillis:

Con-

Contenta ast nullis ambitio est opibus.
Hoc Epicurus ait, dulces quem nempe Camœnæ,
Aut Suadæ tripodes edocuere sacri.

5. Quia librorum scriptorum multitudine omnes alios Philosophos superavit; *Laërtio* teste, pene infinita volumina scripsit, & posteris reliquit. Quod ab homine voluptuario fieri nec solere nec posse, res ipsa loquitur. *Hactenus prima nostra ratio.*

§. 15. (2) Quia repertum est antiquo æri incisum *Epicuri* symbolum: *Agnitio peccati initium salutis*: quod tam absurdi dogmatis professionem non videtur potuisse admittere. Symboli hujus *Epicurei* meminit *Senec.* Epist. 28. in fine.

(3) Quia non est verisimile virum judiciosum & naturæ debitum contemplationi atque subtilibus inventionibus tam demisso & abjecto fuisse animo, ut corporeis voluptatibus se totum immerserit, ejusdemque instituti autor aliis fuerit.

(4) Quia *Metrodorus* olim, *Epicuri* sectator omnes fortunæ aditus interclusit, ut ne ad istum posset adspirare. Unde colligit *Piccolomineus.* Grad. 8. cap. 10. *Epicurum in ea voluptate summum collocasse bonum, quæ ex proba actione consurgit.* Sectatus est *Metrodorus* animi tranquillitatem, qua frui non possunt, qui fortunam & ejus bona magni faciunt. Apud *Ciceronem* toto lib. 2. de finib. pro *Epicuro* disputat *Lucius Torquatus*, ubi negat eum ab *Epicuro* laudatam esse voluptatem, quæ quasi sensus titillet & ad eos cum suavitate adfluat, & *sapientem* ab *Epicuro* ita induci ait, *ut finitas habeat cupiditates, negligat mortem, de Diis immortalibus sine ullo metu vera sentiat, non dubitet, si ita melius sit, de vita migrare. His rebus instructum semper in voluptate eum esse: neque enim esse tempus, quo non habeat plus voluptatis quam dolorum.* Ita quoque de animi voluptate sententiam *Epicuri* accipit *Diogenes Laërtius*: qui ex epistola *Epicuri* se ipsum explicantis & à calumnia vindicantis allegat consequentia. *Cum voluptatem dicimus finem esse, non luxuriosorum & nepotum voluptates, easque quæ in gustu & ingluvie sunt posita, uti quidem ignorantes & à nostra sententia dissidentes, aut male accipientes arbitrantur, sed non dolere, corpore animoque tranquillo esse & perturbatione vacare dicimus.* Ubi cum animi tranquillitate conjungit quoque corporis incolumitatem: quam & nos summi boni partem constituimus: ut è sequentibus patebit.

Seneca de vita beata cap. 13. scribit, *sectam Epicuri male audire quidem & infamem esse sed flagitiorum, ut vulgo habeatur, magistram non esse.* Ibidem. *Non ab Epicuro,* inquit, *impulsi, luxuriantur, sed vitiis dediti luxuriam suam in Philosophia sinu abscon-*

abſcondunt & eo concurrunt, ubi audiunt, laudari voluptatem &c. Item. *Mea quidem iſta ſententia eſt (invitis hoc noſtris popularibus dicam) ſancta Epicurum & recta præcipere, & ſi propius acceſſeris, triſtia. Voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur, & quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati.* Ejuſdem pulcherrimas ſententias paſſim in epiſtolis allegat. In lib. allegati: cap. 14. ſcribit *ſine probro voluptuariæ hujus ſententiæ ſemper memoratum à veteribus, tanquam optimum morum magiſtrum, idque non minus verbo, quam exemplo.* Vid. & lib. de Provid. *Epicurum* quoque excuſant & laudant. *Lactant* 3. Inſt. cap. *Tertull.* Apolog. cap. 38. *Nazian.* Jamb. 8.

Interim diſputat contra *Epicurum* Clariſſ. *Hornejus* lib. 1. Eth. cap. 4.

§. 16. (1) Epicurus providentiam divinam & animi immortalitatem negavit. Ergo ſentire recte de ſummo bono morali non potuit.

Reſp. 1. Ut maxime non uſque quaque recte ſenſiſſet, non tamen propterea ſequeretur infame dogma, quod vulgo ipſi impingitur, ab ipſo propugnatum eſſe. 2. *Antecedens* non eſt extra controverſiam. Excuſant de falſis dogmatibus *Epicurum* multæ præclaræ ſententiæ, quæ à *Cicerone*, *Seneca* & *Laërtio* recenſentur. Quid non invidia adverſus innocentes molitur ſive aperte, ſive per conſequentiarum cuniculos! quod tota die experimur.

3. Neque *conſequentia* ſatis eſt firma. Potuit errare circa providentiam & animæ immortalitatem & tamen de ſummo bono morali uti à Philoſophis id accipitur, recte ſentire, quod & gentilibus quibuſdam *Peripateticis* accidit.

§. 17. (2) Epicurus ſibi non conſtat, teſte *Cicerone*, 5. Tuſcul. q.

Reſp. Interim famoſi dogmatis iſtius non videtur convinci poſſe, cui vita praxiſque *Epicuri* contradicit, laudat in allegato loco *Cicero Epicurum*, quod neget, quenquam jucunde poſſe vivere, niſi idem honeſte, ſapienter juſteque vivat. Culpat vero, quod hoc ipſum, honeſte, ſapienter, juſte ad voluptatem retulerit: quod de impura corporis voluptate ab ipſo affirmatum, quis quæſo credat. Neque *Metrodorum* convincit *Cicero.*

§. 18. (3) Epicurus etiam de corporis voluptate locutus eſt & quidem potiſſimum. Unde ſi Ciceroni credimus, negavit ullum eſſe gaudium poſſe, quod non referatur ad corpus: Si Plutarcho neſcire ſe dixit, quid bonum eſſet ſine corporis voluptate.

Reſp. Per corporis voluptatem aliud nihil videtur *Epicurus* intelle-

intellexisse, quam bonam corporis dispositionem, seu valetudinem sine qua perfectum bonum, quod summum appellamus, perfectumque gaudium, quod *Ethica* describit, esse non potest. Hanc vero principalem esse summi boni partem, ab *Epicuro* unquam affirmatum esse, vero simile non est. Cum *Sardanapalo Epicurum* minime comparandum judicamus; & ab historica fide prorsus aliena ducimus, quæ *Epicuro* impingit *Cicero*, quando scribit, *Hominem fuisse mollem, voluptuarium, sine acumine, qui nihil oleat ex Lyceo, nihil ex Academia, nihil ex puerilibus quidem disciplinis, qui metu* Atheniensium *urbis Deos sustulerit, cujus in hortulis meretriculæ*, Leontium, Ovidium, Hedera & Nicedium *quotidie versata fuerint*. Nostræ sententiæ accedit quoque *Heiderus* in Ethicis, part. 1. pag. 95.

§. 19. Quæritur (3) *An recte Plato affirmaverit, nullam voluptatem esse bonam?*

Resp. *Negativa* apud omnes modo est in confesso, præsertim si synonyma sint *voluptas, lætitia, gaudium*, de quibus vide *Piccolom*. Grad. 9. cap. 15. Quis sanæ mentis voluptates animi ex conscientia recte factorum, animique tranquillitate ortas vituperet, aut bonas esse neget? Neque credibile est; à *Platone* & *Platonicis* eas è bonorum censu exclusas: quamvis hic ipsis error vulgo imputetur: vide *Piccol*. Grad. 9. cap. 18. & *Jacob Mart*. disp. Eth. 7. θ. 3. q. 1. Forsan idem *Platoni* accidit, quod *Epicuro*. Interim pro affirmativa *Platoni* sequentia tribuuntur argumenta.

§. 20. (1) *Omne bonum est qualitas. Voluptas non est qualitas: Ergo voluptas non est bona.*

Resp. *Propositio* negatur, sequeretur enim nec substantias nec actiones esse bonas: quod falsissimum. Imò omne ens est bonum. Unde inter *transcendentia* bonum est.

§. 21. (2) *Omne bonum est definitum: Voluptas non est definita: Ergo* &c. *Assumtio* prob. *Quia recipit magis & minus.*

Resp. *Assumtio* negatur: *Probatio* inconsequens est: Ipsa etiam qualitas recipit magis & minus: quam tamen esse definitam & bonam affirmat *Plato*. Sic actiones honestæ recipiunt magis & minus, neque propterea desinunt esse bonæ & finitæ.

§. 22. (3) *Omne revera bonum est perfectum: Voluptas non est perfecta.* Ergo & Assumtio prob. *Quia est motus vel generatio. Atqui motus est ex numero entium imperfectorum.*

Resp. *Propositio* simpliciter vera non est: Habet enim bonum sua incrementa & decrementa: per quæ modo magis, modo minus est perfectum. Deinde *assumptio* quoque negatur, una cum

 probatione:

probatione: est & gaudio atque voluptati sua perfectio: ut enim modo minus, modo majus est gaudium, ita & maximum quandoque est & perfectum. Unde pleni gaudii mentionem sæpe scriptura facit: Vide cum alibi, tum 1. Joh. 1. v. 4.

§. 23. *Voluptas est turpis & probrosa: Ergo non est ex genere bonorum.*

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est. Datur turpis datur & honesta voluptas. Hæc si *Platonis* fuit ratio; non nisi de voluptatibus corporalibus ipsum esse locutum palam est. Qui enim sanæ mentis voluptates ex rerum divinarum contemplatione ortas dixerit & probrosas? Aut nullum oboriri dicemus gaudium ex conscientia recte & honeste factorum?

§. 24. Quæritur (4) *Cur animi voluptates sint præstantiores corporis voluptatibus?*

Resp. Ob sex potissimum causas.

(1) Quia in animi voluptatibus non datur excessus cum ex honestis profluant actionibus Atqui in corporis voluptatibus fœdi dantur excessus: quia multæ fluunt ex actionibus inhonestis.

(2) Quia dolores nulli eas sequuntur: quæ corporis voluptates sæpissime sequuntur.

(3) Quia semper ad honesta incitant: corporis autem voluptates sæpissime ad inhonesta.

(4) Quia subjectum habent longe præstantius, quam corporis voluptates: nempe animum intellectu & voluntate præditum.

(5) Quia longe sunt constantiores corporis voluptatibus.

(6) Quia è rebus oriuntur præstantioribus, nempe honestis animi actionibus.

§. 25. Quæritur (5) *An voluptates corporis simpliciter sint malæ.*

Resp. *Negativa* defenditur sequentibus argumentis.

(1) Quia opponitur voluptati corporis dolor corporis. Atqui oppositorum opposita sunt consequentia: Ut igitur dolor est fugiendus: ita voluptas est eligenda: Atqui nunquam est eligendum, quod simpliciter est malum.

(2) Quia per naturam etiam integram ita disposita sunt corpora cum brutorum, tum hominum, ut objectis nonnullis afficiantur, & ex desiderio voluptatis in ea ferantur. Quod si vero omnes corporis voluptates per se essent malæ, utique mali moralis stimulos natura corporibus indidisset, adeoque culpam sustineret.

(3) Quia nonnullæ sunt necessariæ vel ad commodam individui conservationem & sustentationem, vel ad speciei propagationem.

(4) Qu

(4) Quia nonnullæ intra suos se continent terminos & modum, à recta ratione proscriptum naturæque necessitate requisitum observant.

(5) Quia homini cum bruto sunt communes. Atqui simpliciter & naturaliter mala homini cum bruto non sunt communia, nec enim moraliter mala cadunt in bruta.

§. 26. Objicitur: *Concupiscentia oculorum ab origine sua est mala: Ergo & voluptas corporalis.* Antecedens patet ex Joh. 2. v. 16. *ubi non à Deo sed à mundo malo esse dicitur.*

Ratio consequentiæ: *quia potissimum in corporis voluptates fertur & ab iis excitatur.*

Resp. *Antecedens* non conceditur nisi de concupiscentia vitiosa & inordinata, quæ ad illicita fertur: de qua loquitur Apostolus loco allegato. Atqui non omnis voluptas corporis est illicita, neque omnis concupiscentia oculorum est inordinata. Sic inter *opera carnis* numerantur quoque ira, lis, æmulatio, *Gal.* 5. Neque tamen propterea omnis ira, lis, æmulatio in malis numeranda. Nam & licita atque justa quædam est ira, lis, æmulatio.

§. 27. Quæritur (6) *Cur plerumque homines magis expetant corporis, quam animi voluptates?*

Resp. Ob sequentes potissimum causas.

(1) Quia plerique homines animi voluptates ignorant. Atqui ignoti nulla est cupido.

(2) Quia sensibus maxime sunt obviæ corporis voluptates. Homines vero plerique in ea potius feruntur, quæ sensibus sunt obvia, quam quæ ab iis sunt remota.

(3) Quia corporis dolores magis fugiunt, quam animi maculas: Magis igitur de dolorum laborant remediis, nempe voluptatibus corporis, quam de veris animi bonis.

(4) Quia ad vitam hanc conservandam & speciem propagandam magis sunt necessariæ.

§. 28. Objicitur. *Bonum animi est proprium voluntatis objectum E. in id voluntas potius fertur, quàm in bonum corporis, seu voluptatem corporalem atque sensualem.* Antecedens prob. *Quia propria potentia maxime fertur in proprium suum objectum: Aristot.* lib. 3. de an.

Resp. De voluntate conjuncta cum corpore negatur *consequentia. Probatio* non conceditur nisi de potentia propria non impedita. Atqui voluntas hominis in plerisque impeditur, ne maxime in objectum suum proprium feratur: impeditur, inquam, per unionem cum corpore & facultate sensitiva, per quam objecta ipsi offeruntur, & à qua in assensum solicitatur, per naturam corruptam.

§. 29. Quæritur (7) *Cur admodum sit difficile modum in voluptatibus tenere?*

Resp. Difficillimum esse modum in voluptatibus tenere, testatur experientia: quia paucissimos reperias, qui in affluentia deliciarum & media voluptatum turba ubique rationem audiant, eique obtemperent. ὥσπερ, τινὸς ὠμοῦ τε καὶ, ἀπαραιτήτου δεσπότου ξίφος ἐπισείοντος, καὶ τὰ καὶ τὰ ἐπιτάττοντος, οὐκ ἔνεστιν ἀπειθεῖν. οὕτως εἴκειν πάντας ἀνάγκη καὶ τρέχειν, ὅπη ἂν ἡ ἡδονὴ νεύσειεν. Hoc est. *Ut crudelis alicujus & inexorabilis heri, qui gladium vibrat & hæc atque illa facere jubet, imperium recusare non licet: ita cedere cunctos & currere necesse est, quocunque voluptas innuerit:* inquit *Manuel Imperat.*

Rationes sunt.

(1) Quia voluptates nonnullæ, nempe quæ ad individui & speciei conservationem spectant, sunt naturales. Natura verò, nisi impediatur, secundum potentiæ suæ ultimum semper agit.

(2) Quia corporis voluptates vehementer delectant, sensumque & appetitum intime afficiunt: unde ab iis se abstrahi natura ægerrime patitur & magis magisque eas persequitur.

(3) Quia insidiose & latenter in hominis sensum & naturam irrepunt, & ante, quam animadvertas, subjugatam & vinctam tenent.

Subrepit voluptas, ut serpens. Unde elegantem comparationem inter *serpentem* & *voluptatem* instituit *Philo*, de Mundi opificio pag. 27. 28. Comparationem hanc pluribus quoque persequitur *Manuel Imperat.* Orat. 4. pag. 251.

Blanditur ut meretrix. Docet hoc, loco ante allegato, *Philo. Voluptas tanquam lasciva meretricula amatorem appetit, quærens stupri conciliatores, per quos illum, seu hamo capiat: sunt autem hujus cupidinis sequestri sensus, quos, postquam inescavit, facile mentem subjugat.*

Insidiatur ut vulpes: quod docentem vide *Manuelem* loco allegato.

Laniat ut truculenta bestia: unde idem *Manuel: omnem sanguinariam bestiam stimulo pungentem, venenosam, insanabili morsu lædentem feritate superas: nec mansuefieri nec cicurari potest, & reconciliationes aversatur.*

§. 30. Quæritur (8) *An necessaria sit homini voluptas? & unde ea potissimum sit haurienda?*

Resp. *Affirmativam* pulchris verbis & sententiis adstruit Maximus

ximus Tyrius, Differt. 15. sub finem. *Talem requiro voluptatem, quam pedisequam suam esse non dedignetur virtus: Necesse enim est, ut omnia, quæ natura pulchra sunt, suas gratias, suam venustatem habeant, leporem suum & delectationem; & si qua præterea sint jucunda nomina.* Ita *cœlum non modo pulchrum sed omnium spectaculorum est jucundissimum. Sic mare navigationi idoneum, segetes fructiferæ, montes arboribus vestiti, prata florida, liquidi aquarum cursus nobis placent. Jucundissimus visu Achilles erat (quidni enim esset?) non tamen ob flavam cæsariem, nam & Euphorbum commendabat coma: verum pulchritudinem Achillis illustrabat splendor. Jucundissimus visu inter fluvios Nilus est: non ob aquæ copiã tamen: nam & hoc etiam Istro commune est: Verum minus fœcundus Ister est, fœcundissimus Nilus. Nec tamen Nilum visu jucundissimũ nego: quanquam voluptatem quam virtutem, potius tam divino adscribere non ausim fluvio. Ego & in Phidiæ statuis voluptatem video, artem tamen laudo. Et in Homeri carmine voluptatem video: majora tamen sunt, quæ in eo admiror. Ego ne ipsum quidem Herculem sine voluptatibus vixisse puto: nec enim omnino assentiri possum Prodico. Nam & masculæ sunt voluptates, quæ virtutis molestias solari solent: non quæ in corpore sentiuntur, nec quæ in sensus influunt externos: Sed quæ nobiscum nascuntur, quæ in interioribus animi partibus exultant: quoties illa honestis sive actionibus, sive studiis, sive sermonibus assuevit. Ita & Hercules gaudebat, cum ignem adiret: Ita Socrates gaudebat, cum in carcere esset, cum ex legis præscripto mortem oppeteret. Conferamus illum Socratis calicem, cum Alcibiadis. Uter eorum bibit securius? Alcibiadesne vinum, an venenum Socrates?* Videantur ejusdem differtationes tres, nempe 31. 32. 34. quibus probat, *voluptatem esse bonum, quamvis non sit stabile bonum.*

§. 31. Quæritur (9) *An felicitas moralis partibus suis principalibus hactenus declarata sit perfecta sine contemplatione?*

Resp. posse *felicitatem civilem* in animi tranquillitate & lætitia ex recte factorum conscientia ortis consistentem sine *scientiis contemplativis* haberi certum est. Siquidem in communi vita & Reipublicæ administratione plurimi reperiuntur viri integerrimi & optimi, in quibus nihil videtur desiderari posse: quique privatim & publice omnibus se commendant & egregie suis funguntur officiis insuperque in summa vivunt animi tranquillitate, qui tamen nec *Metaphysicis*, nec *Mathematicis*, nec *Physicis* contemplationibus se unquam occuparunt. *An vero perfecta sit hæc ipsorum felicitas*, porro quæritur.

Piccolomineus in negantem inclinat partem: rationem reddit: Quia prudentia & moralis virtus à ſapientia recipit principia, ſine qua firma & conſtans eſſe nôn poteſt.

Neque videtur *Politicus* cuncta recte diſponere, leges condere, & de illis recte judicare, niſi conditiones rerum, dignitates earum, merita, hominiſque perfectionem exacte cognoſcat: quod ſine ſapientia conſequi non poteſt,

Si de felicitate plane perfecta, quæ in hac vita ſperari vix poteſt, ſermo ſit, *Piccolomineo* facile aſſentimur: Cum enim divinæ ſapientiæ, bonitatis & juſtitiæ radii ex omnibus Dei operibus effulgeant & in animæ contemplantis oculum incurrant, dubium non eſt, quin felicitati morali aliqua inde fieri poſſit acceſſio, ſtudiumque excitari Deum imitandi & naturam perficiendi?

Dum contemplamur divina, inquit ille; ***ad eorum imitationem componimus humana.*** Unde ut incrementa virtutes ſumunt: Sic & animi tranquillitatem atque lætitiam per ea creſcere vero plane conſentaneum eſt. ***Tunc intelliges juſtitiam & jus, & quicquid rectum eſt, omnem orbitam bonam: cum venerit ſapientia in animum tuum & ſcientia menti tuæ amœna erit.*** Prov. 2 v. 9. 10.

§. 32. Objicitur. ***Multitudini ſapientiæ ineſt multum indignationis, & qui auget ſcientiam, auget dolorem Eccleſ. 2. v. 1. Ergo Sapientia & ſcientia non perficiunt felicitatem moralem.***

Reſp. ***Antecedens*** non datur niſi de ſapientia & ſcientia faſtuoſa & inflata, quæ per accidens dolorem auget & indignatur: ut & inflat; Pertinet huc quoque ***ſapientia carnalis***, quam ***Paulus*** appellat φρόνημα σαρκὸς, Rom. 8. v. 7. & ait, ***inimicitiam eſſe adverſus Deum.***

§. 33. Quæritur (10) ***An perfecta poſſit eſſe contemplatio ſine felicitate morali?***

Reſp. ***Negativa*** defenditur: Rationes ſunt:

(1) Quia per felicitatem moralem, ſive ſit animi tranquillitas & lætitia, ſive virtus moralis, aut actio virtutis, recte utimur habitu contemplationis.

(2) Quia eum, qui ſcientias vult aſſequi, oportet animi perturbationes componere, & purgatam à vitiis animam habere: ut docet ***Ariſtot.*** lib. 7. Phyſ. tex. 20. & ***Plato*** in Dialog. 6. de Repub. ***Unde ſapientia in animo prudentis dicitur requieſcere;*** Prov. 14. v. 33. ***Homini, qui bonus videtur in conſpectu ipſius, Deus dat ſapientiam & ſcientiam cum lætitia.*** Eccleſiaſt. 22. v. 27. ***In malitioſam animam non ingreditur ſapientia, neque habitat in corpore, quod ſubjectum eſt peccato:*** Sap, 1. v. 4.

(3) Quia

(3) Quia is demum beatus prædicatur, *qui cum sapientia res honestas meditatur & qui intelligentia sua res sanctas disserit*, Ecclesiast. 14. v. 21. *Qui parum attendit actioni suæ non efficitur sapiens:* Eccles. 38. v. 25. *Nisi quis adjecerit animum suum & cogitet de lege Altissimi, non efficietur sapiens:* ibid. v. 39.

(4) Quia perfecta contemplatio non est sine mentis serenitate. Atqui cum mentis serenitate non consistit animus vitiosis affectibus perturbatus. Unde *Gregor.* lib. 5. Moral. *Mens nostra nullo modo ad viam intimæ contemplationis rapitur, nisi studiose prius à terrenorum desideriorum tumultu sopiatur.*

(5) Quia gaudium, quod perfectam contemplationem sequitur, non cadit in animum vitiis inquinatum.

(6) Quia *omnis vitiosus est ignarus*, teste Aristot. lib. 3. Moral. cap. 1. Atqui nullus sapiens est ignarus.

Objicitur.

§. 34. (1) *Aristoteles in lib 6. Moral. cap. 7. ait, Anaxagoram, Thaletem & alios Philosophos sapientes quidem, at non prudentes esse dictos. Et Plato sæpius affirmat, virum contemplationi incumbentem ad actiones civiles minime aptum esse, & in iis irrisione dignum seprabere. Ergo contemplatio potest esse sine felicitate morali.*

Resp. De felicitate morali privata, sive in virtute morali, sive in actione honesta, sive in tranquillitate & lætitia animi ponatur, negatur *consequentia*. Ratio est; quia *antecedens* Philosophis istis tantum denegat prudentiam politicam, quæ in administratione Reip. occupatur: non eam, quæ actiones morales & honestas dirigit. At multi ad gerendas Respubl. inepti sunt, qui tamen viri sunt & optimi & honestissimi,

§. 35. (2) *Averroes in proœmio Physic. docet fieri posse, ut sapiens sit malus: uti & Aristotel. lib. 1. Rhetoric. sapientem posse sapientia sua male uti docet; cum virtute morali male uti nemo possit. Sic & Philosophos multos valde inconditis esse moribus & vitiis infames, testatur experientia. Philosophi, inquit Lactant.* lib. 3, cap. 25. *Cum ætates suas in studio Philosophico conterant, neque alium quenquam, neque seipsos (si natura paululum obstitit] possunt facere meliores. Itaque sapientia eorum, ut plurimum efficiat, non exscindit vitia sed abscondit.*

Resp. Loquimur hoc loco de perfecta contemplatione, sapientia & philosophia, & consequenter de hujusmodi Philosophis quoque. Sapientiam & Philosophiam qui profitentur & interim vitiorum sunt mancipia, longissime absunt ab ista perfectione &

ne & sinceritate sapientiæ, & tam augusto in digni sunt nomine: etiamsi absolutæ perfectam sapientiam nulli tribuimus, uti nec absolutam perfectionem moralem. Igitur male sapiens est, qui malus & vitiosus est: ætates in studio Philosophiæ infeliciter contriverunt, qui in virtute nihil profecerunt, & meliorem neminem fecerunt. Non ergo de veris Philosophis loquitur *Lactantius*, sed de *Philosophastris*, *Philologis & Sophistis*, qui falsa scientiæ perfectæ persuasione se & alios decipiunt: vel, ut *Symmachus* loquitur, *Philosophiam fastu & habitu mentiuntur.* Unde commentat. lib. 1. Phys. *Philosophus, sive sapiens, naturaliter est virtuosus secundum omnes species virtutum moralium, quæ sunt, justitia, castitas, liberalitas & similia*, Et à *Cicerone* Philosophia salutatur *virtutis indagatrix & expultrix vitiorum.* Observandum illud Mecænatis monitum ad *Augustum* apud *Dionem* lib. 2. *Non quia Aureum & Athenodorum bonos & honestos viros expertus es, omnes alios idem studium præ se ferentes similes eorum judicare debes: cum hac specie usi multi infinita mala populus privatisque hominibus adferant.*

§. 36. Quæritur (11) *Utra felicitas sit constantior & firmior practica, seu moralis, an contemplativa?*

Resp. Pro utriusque constantia & firmitate majore rationes sunt probabiles, quibus motus *Aristot.* modo morali, modo contemplativæ majorem tribuit constantiam & firmitatem. Pro majori felicitatis moralis constantia adserenda stat lib. 1. Moral. Nicom. cap. 10. ubi ait, *rerum humanarum nullum esse, quæ tantam habeat firmitudinem, quantam actus ex virtute, videri que ipsis etiam scientiis stabiliores esse.* Rationes sunt.

(1) Quia felicitas & actus moralis magis est in nostra potestate, & assiduitate atque more comparatur: & dum virtuoso agendi offertur occasio, quatenus est virtuosus non potest non agere quia contra naturam virtutis est, honeste non agere, veluti contra ignis est naturam, non calefacere. Aliter se res habet in scientia & contemplatione, quæ sine ulla culpa sæpe otiari potest & solet.

(2) Quia ubi externæ actioni honestæ impedimenta objiciuntur, interna nihilominus viget perturbationibus componendis occupata, cui nunquam deest occasio.

(3) Quia virtus est constans animi propositum semper secundum legem vivendi. Cujusmodi propositum non est scientia contemplativa, cujus actum lex perpetua non exigit.

§. 37. Contra majorem *felicitati contemplativa* constantiam tribuit, l. 10. c. 7. ubi ait, *contemplationem esse maxime assiduam*, quia assidue contemplari magis, quam quidvis agere possumus: rationes sunt:

(1) Quia

(1) Quia transcendit res contingentes & fluxas, & rerum est immutabilium & in iis præcipue divinarum.

(2) Quia non adeo in fortunæ manibus est posita & ad sui vigorem & conservationem non adeo indiget fortunæ bonis, ut praxis multarum virtutum moralium, magnificentiæ, fortitudinis, temperantiæ, liberalitatis, &c. aliarumque, quæ ad minimum requirunt conversationem civilem & societatem humanam. Quibus minime eget contemplatio, quæ in solitudine quoque & omnium fortunæ bonorum defectu sua gaudet liberalitate, suasque explicat vires & opes. Unde ut tanto liberius philosopharentur veteres, fortunæ bonis se sponte exuerunt, & humanæ societati valedixerunt. *Crates* ajebat, *Philosopho re nulla opus esse:* unde apud Trapezitam deposuit pecuniam, hac conditione, ut, si liberi fierent idiotæ, traderet eam illis: sin Philosophi nummos distribueret in plebem: quod indoctis opus esset pecunia: Philosopho nec opus, nec utilis. Laërt. lib. 2.

(3) Quia ad nobilissimam animæ partem, *intellectum*, pertinet, eique firmissime inhæret.

§. 38. Lis hæc distinctione inter *subjectum* & *objectum*, inter *habitum* & *actionem*, inter *actionem externam* & *internam* commode dirimitur; unde sequentes *assertiones*.

1. *Ratione objecti firmior est felicitas contemplativa, quam practica.*

Quia occupatur in rebus firmioribus & constantioribus: cujusmodi sunt divinæ & naturales. Practicæ vero in contingentibus & in horas mutabilibus.

2. *Ratione habitus firmior & constantior est moralis. Quia* internæ ejus actiones magis sunt assiduæ: & *quia* assuetudine potius quam disciplina acquiritur, adeoque minus obnoxia est oblivioni. *Quia* denique habitus moralis felicitatis magis est necessarius, quam contemplativæ.

3. *Ratione actionis internæ constantior est moralis.* Quia per moralem virtutem semper ad vitam legibus conformem sumus parati: quod dici de contemplatione non potest.

4. *Ratione actionis externæ constantior est contemplativa.* Quia non adeo ipsi obstat defectus rerum externarum: quibus nec adeo opus habet: ut ante ostendimus.

§. 39. Quæritur (12) *An in Ethicis recte agatur de felicitate contemplativa?*

Resp. De felicitate contemplativa ex professo agere ad Ethicum non pertinet: ratio præcipua est.

Si de felicitate contemplativa ex professo agere Ethici esset, ejusdem

ejusdem quoque esset ex professo ita agere de habitibus contemplativis, uti agit de habitibus practicis.

Atqui falsum consequens: Ergo & Antecedens.

Connexi ratio est: quia ad felicitatem contemplativam tam est necessaria perfecta habituum contemplativorum cognitio & doctrina, quam habituum practicorum, seu virtutum moralium ad felicitatem practicam.

Assumptionem supra probavimus in appendice de virtutibus intellectualibus, quæst. generali 4. Et quis ferat Ethicum ita de singulis scientiis ex professo differentem & præcipientem, uti disserit & præcipit de virtutibus moralibus? Sic enim chaos ex Philosophia fieret & omnes alias Philosophiæ partes una absorberet Ethica, sublatis & confusis Disciplinarum limitibus.

§. 40. Interim de excusando *Aristotele* laborant *Peripatetici.* Ajunt igitur *Philosophum de summo bono theoretico in ethicis & politicis agere tantum per viam commentarij, ut ex collatione theoretica & practica felicitatis tanto melius intelligatur natura summi boni civilis, & à theoretico bono rectius distinguatur. Cumque politicum bonum ordinetur ad theoreticum, non potuisse non Aristotelem de theoretico bono agere, ut ordinatio hac manifesta fieret. Denique ex hoc nomine debuisse agere de bono theoretico, quia bona hac sunt conjunctissima, & in uno subjecto concurrunt, hominemque in hac vita perfectissime beatum reddunt.*

Resp. Quod dicitur de tractatione per viam commentarii, facile damus: ut enim usu conjunctæ sunt disciplinæ & nonnullæ subordinatæ, ita una quoque alterius inservire explicationi potest, & in commentariis modo una, modo altera attingi, non violatis methodi legibus. Posse etiam institui comparationem diversorum & certo respectu in eodem subjecto conjunctorum, cujusmodi sunt *bonum theoreticum* & *practicum*, non negamus.

Interim ad plenam tractationem hæc ratio non sufficit, concurrunt in eodem subjecto etiam diversarum disciplinarum distincta *objecta*, quorum agnitio ad hominis perfectionem requiritur: quæ tamen in eandem non sunt compingenda disciplinam.

§. 41. Quod vero de ordinatione *politici* boni ad *theoreticum* dicitur, certe non probamus. Videtur nobis *theoreticum* potius ad *practicum*, in humana societate potissimum, esse ordinatum: veluti in divinis cognitio & visio Dei ordinatur ad ejus amorem & cultum: non amor ad visionem. Ideo Deum cognoscimus, ut amemus & colamus. *Et contemplamur,* inquit *Piccolomineus, divina, ut ad eorum imitationem componamus humana.*

Quæ

Quç causa, quod ad praxin totam Philosophiam redegerit. *Socrat.*

§. 42. Quæritur (13) *Utrum practica & moralis felicitas sit præstantior, an theoretica.*

Pro majori præstantia *theoreticæ* felicitatis omnes deponunt *Peripatetici*: quibus se opponit *Taurellus*. Alp. Cæs. lib. 2. q. 6. n. 4. ubi ait; *se mirari Philosophos suæ speculationi tantum tribuere: quæ tamen, si cum minima boni civis virtute conferatur, nullius sit futura precii.* Nos quoque *practicam theoreticæ* præferendam judicamus, iisdem rationibus, quibus supra in appendice de virtutibus intellectualibus §. 6. q. 11. probavimus. *Scientiis speculativis præstantiores esse practicas*: ubi contrarias *Pererii* & *Fonsecæ* rationes dissolvimus.

§. 43. Breviter jam argumenta excutiemus, quibus recentior quidam *Peripateticus*, conatur probare, *Taurelli judicium, quo bonum practicum theorico præfert, esse violentum & preceps, esse judicium sine judicio.* Ita ergo disputat *Peripateticus*.

(1) *Quo quid magis est functio animæ rationalis, eo magis homini convenit & summum est bonum. Atque θεωρεῖν est magis animæ rationalis functio, quam ἐνπράττειν. Ergo.* Assumptio prob. *quia theoria sine corporis adminiculo est simplicissima. πρᾶξις sine corporis adminiculo nec est, nec esse potest.*

Resp. 1. *Propositio* non est simpliciter vera. Non est homo tantum anima rationalis, sed compositum ex anima rationali & corpore animali organico variis sensibus instructo: Unde per actiones perficitur non mere spirituales: quia spiritus non est, sed humanas, quæ etsi principaliter sunt ab anima rationali, tamen *συνέργειαν* corporis non plane excludunt. Hinc videmus etiam maxime proprias animæ rationalis actiones sinceras perfectasque non esse, ubi male dispositum est corpus & interiores sensus perturbati: ut videre est in phreneticis & maniacis. Quod si simpliciter admittenda esset *propositio*, sequeretur cogitationem de homine interficiendo esse præstantiorem & magis perficere hominem, quam laboriosam & cum periculo procuratam hominis conservationem: quia illa magis est functio animi, quam hæc, quæ corporis requirit adminiculum.

2. *Assumptio negatur.* Non minus animæ rationalis functio, vivere secundum legem, quam contemplari cœlum, stellas, aquas, terram, herbas, bestias, &c. Imo illa longe excellentior est.

Probatio partim *falsa*, partim *inconsequens* est. *Falsa*; quia theoria non perficitur sine corporis adminiculo: Utitur enim ratio sensuum & corporeum organorum ministerio: ut ante ostendimus: neque sine magnis laboribus olim inventæ sunt scientiæ. *Deinde* praxis

praxis interior, seu interna virtutis actio, tam esse simplex potest, quam theoria. *Inconsequens*; quia praxis laboriosior theoriam quoque habet conjunctam; adeoque non est absque simplici illa animæ functione.

Hactenus primum argumentum.

§. 44. (2) *Quodcunque magis divinum facit intellectum nostrum, magisque cum Deo connectit, id hominem magis perficit, & magis ei bonum est. Atqui theoreticum Bonum hoc præstat, Ergo &c.* Assum. prob. *Quia hominem supra humanam conditionem elevat in subtilissimam rerum divinarum contemplationem.*

Resp. *Assumptio* negatur: *probatio* est inconsequens. Hominem cum Deo magis connnectit *Bonum practicum*, quam *theoreticum*: magis animi probitas, quam scientiæ subtilitas. Unde quamvis Diaboli eximia polleant rerum divinarum humanarumque scientia, tamen à Deo sunt alienissimi & cum eo minime connexi: cui per fidem & dilectionem intime conjunguntur etiam in quibus nulla est contemplationum subtilitas. Ubique scriptura praxin pietatis præfert contemplationi: illa filiorum Dei est propria: hanc etiam cum Diabolis communem multi habent improbi. Imaginis divinæ, quæ cum Deo nos connectit, præcipuæ partes sunt *sanctitas* & *justitia*.

§. 45. (3) *Bonum theoreticum est ultimum vitæ hujus Boni complementum, sine quo bonum practicum quidem esse potest, sed non perfecte. Siquidem virtus moralis à sapientia petit principia per eandem quoque leges condit, de conditis judicat, hominum merita æstimat, &c. Ergo theoreticum præstantius est practico.*

Resp. Negatur *consequentia*. Nam *theoreticum* sine *practico* non est perfectum: ut supra ostendimus, potest reddi res perfectior per accessionem alicujus requisiti, ut pictura per accessionem alicujus lineæ vel coloris: ut tamen linea illa vel color non sit perfectior pictura.

§. 46. (4) *Practicum bonum ordinatur ad theoreticum: Ergo theoreticum præstantius est practico.* Antecedens prob. *Quia ut scientias possimus assequi, perturbationes animi tenemur componere.*

R. De ordinatione ultima negatur *antecedens*: rationem quæstione præcedenti extrema reddimus. *Probatio* est inconsequens: quia scientiarum quoque usus esse potest in perturbationibus animi componendis. Mutuas sibi in perfectione sui operas tradunt *felicitas theoretica* & *practica*, ut supra.

§. 47. (5) *Bonum theoreticum minus eget aliarum rerum adminiculo, quam practicum. Ergo præstantius est practico, quod plurium*

plurium opus habet adminiculo, & inter alia quoque fortunæ bonis, ut *constat de praxi virtutum moralium.*

Resp. *Consequentia* negatur. Hac ratione concludi posset, pauperculum & improbum subditum præstantiorem esse optimo Rege: quia pluribus hic opus habet, quam ille: cui paucissima possunt sufficere. Quis dixerit contemplationem formicæ præstantiorem benignitate & liberalitate erga pauperes; quia pluribus hæc opus habet, quam illa?

Neque *antecedens* simpliciter verum est de internis virtutum actionibus.

§. 48. (6) *Bonum theoreticum* est *absolute summum: ut sapientia absolute optima virtus. E. præstantius est practico.*

Resp. *Antecedens* negatur. Sapientiam *Aristotelis* in specie sic dictam, quam *Metaphysicam* appellant, absolute optimam esse virtutem, credat, qui volet. Nullum illa per se *moraliter* bonum facit. Alterius ordinis est sapientia, de qua Prov. 3. v. 13. *Beatus homo, qui consequitur sapientiam, & homo, qui provehit intelligentiam, melior enim est negotiatio ejus, negotiatione argenti, & auro effosso proventus ejus, &c.* Sapientia hæc non theoretica tantum, sed & practica est. Cujusmodi & illa est, de qua *Cicero* lib. 1. de finib. *Sapientia sola est, quæ nos à libidinum impetu & formidinum terrore vindicat, & ipsius fortunæ modeste ferre docet injuriam, & omnes docet vias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferunt.*

§. 49. Quæritur (14) *Quomodo differat felicitas practica à theoretica?*

Resp. Differunt variis modis.

(1) *Efficiente & fundamento.* Practicæ fundamentum est virtus practica, hoc est prudentia & virtus moralis. Theoricæ virtus intellectualis theorica.

(2) *Objectis.* Practica versatur circa contingentia & mutabilia, humana: theorica circa necessaria & immutabilia: qualia sunt naturalia & divina.

(3) *Subjectis*: Practica potissimum ad voluntatem: Theorica ad intellectum pertinet.

(4) *Finibus & effectis propriis.* Practica perficit voluntatem & facultatem appetentem: Theorica intellectum.

(5) *Gradibus*: Animi tranquillitas, quæ practicam virtutem sequitur, est major, quam quæ theoricam sequitur. Imo per se & immediate theoricam non sequitur animi tranquillitas; quæ recte factorum, non vere cognitorum sequitur conscientiam.

§. 50. Interim ita sunt conjunctæ hæ felicitates, ut una alteram

perficiat : tantumque hominis decedat perfectioni, & felicitati perfectæ, quantum alterutri vel utrisque decidit.

II.

Lætitiæ huic contrarius est dolor, ex malæ vitæ recordatione pœnarumq; expectatione ortus.

CAPUT IV.

De
CORPORIS SANITATE.

THESIS I.

HACTENUS animi status bonus declaratus : *Sequitur corporis status bonus,* Sanitas, *quæ status est corporis, quo actionibus salubriter obeundis illud est aptum, consistitque in bona corporis constitutione & conformatione.*

Ἔκθεσις.

§. 1. SANITATIS studium commendant rationes & informant præcepta. *Rationes* sanitatis studium commendantes, sunt :

(1) Quia de felicitate perfecta gloriari non potest, qui morbidum circumfert corpus, qui hodie æstu, febrique molesta jactatur, cras autem prodagræ ardet doloribus, aut tetris intestinorum cruciatibus torquetur.

(2) Quia in ordine bonorum corporis primum veteribus fuit *sanitas.* Hinc Plato : ἡγεῖται μὲν ὑγίεια : *Primum est sanitas.* Et *Lucianus ex Philemone* recenset: ὑγείαν πρῶτον, εἶτα εὐπραξίαν, τρίτον δὲ χαίρειν, εἶτ' ὀφείλειν μηδενί. Pertinet huc illud Horatii.

Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis : nil
Divitiæ poterunt regales addere majus

Bona valetudine, inquit *Nicostratus* apud Stobæ. *nullum mihi videtur ornamentum aut monile præstantius esse.*

ὑγεία ἥδυσμα θειότατον καὶ προσηνέστατον. Plutarch.
Sanitas condimentum divinissimum & jucundissimum.

§. 2. Præcepta de sanitate tuenda observentur sequentia. Sanitatem qui amat, ei

(1) Tem-

(1) Temperantia cibi & potus desideria frænet.

(2) Mansuetudo iram coërceat.

(3) Exercitatio corpus regat.

(4) Odores crebro boni objiciantur.

§. 3. Inprimis autem heic habenda ratio sex rerum, quas Medici appellant *non naturales*, quæ, si recte se habeant, sanitatis conservandæ vim habent maximam;& sunt 1. *Aer.* 2. *cibus* & *potus.* 3. *Somnus* & *vigilia.* 4. *retentio* & *evacuatio.* 5. *Motus* & *quies.* 6. *Animi affectus*; de quibus prolixe & erudite disserentem atque disputantem vide *Ludovicum Mercatum*, operum Medicorum tom. 1. lib. 2. qui est de sanitatis conservatione. Est & elegans libellus de studiosorum sanitate conservanda *Marsilii Ficini.*

§. 4. Inprimis quoque consulantur *Plutarchi* ὑγιεινὰ παραγγέλματα, *de tuenda sanitate* præcepta doctissima & utilissima peculiari libello comprehensa. Ubi sanitati conservandæ etiam *vocem* servire docet. *Vox*, inquit, *cum sit anima motus, non in superficie sed intimis in visceribus tanquam fonte invalescens calorem auget, sanguinem tenerum reddit, omnes expurgat venas, omnes aperit arterias, coire & concrescere humorem nullum supervacaneum patitur, aut tanquam facem subsidere in iis vasis, quæ alimentum excipiunt & conficiunt: Itaque continenter orando* (ἐνδελεχῶς λέγοντες) *debemus nobis familiarem hanc facere exercitationem.*

§. 5. Veteres tria dixerunt esse saluberrima (1) *Alimenti circa satietatem usum* (2) *Alacritatem impigram ad labores.* (3) *Naturæ seminis conservationum.*

Socrates familiares suos crebro hortabatur, ut valetudinis curam haberent, ac partim à peritis, quæ possent, discerent, partim singuli per omnem vitam seipsos observarent, quinam *cibus*, qui *potus*, qui *labor* eis conduceret,& quo pacto his utendo quam optima valetudine frui possent. Si quis compendio nosse cupiat prima valetudinis fundamenta, tres veterum attendat præceptiunculas: quarum *prima*; omne genus fructuum crudorum fugere. *Secunda*: corporis motum non negligere, & quotidie minimum unam horam obambulare. *Tertia*: vinum cibarium probe dilutum bibere & abstinentiam tutissimam valetudinis custodiam summifacere. *Huic ego trigemino pharmaco*, inquit Drexelius, lib. 1. de jejun. cap. 4.

§. 6. Et alii mecum, gratias agimus maximas, & omnem valetudinem referimus acceptam.

Synesii præceptum est: *ut animo & corpori sua constet sanitas, partim id laboramum, partim à Deo postulandum esse.*

Cum sanitas videatur esse de Fato: debetur & Medico: quia ad nos beneficium Fati per hujus manus venit Seneca.

§. 7. Quæritur (1) *An pars summi boni sit corporis sanitas?*

Resp. Inter partes felicitatis humanæ civilis numerandam quoque esse corporis sanitatem, nemo facilè negaverit, qui statum & conditionem hominis recte ponderaverit, qui præstantiam sanitatis probe consideraverit, & morbosam corporis constitutionem ejusque maxima incommoda secum reputaverit. Igitur pro *affirmativa* rationes hasce damus.

(1) Quia homo constat anima & corpore: Oportet igitur humanam felicitatem ita esse comparatam, ut, non animam tantum, sed & corpus attingat: Siquidem perfecta ea esse debeat: quod fieri non potest, nisi sit *mens sana in corpore sano*: quæ *Juvenalis* est sententia, Sat. 10. quam eleganter explicat *Satyricon Misoponer.* sect. 36. 37. Quam in sententiam *Synes.* Epist. 57. ἵνα ὑγιαίνῃ ψυχή τε καὶ σῶμα, τὸ μὲν γὰρ δεῖ πονεῖν, τὸ δὲ αἰτεῖν. Hinc felicitas predicatur *Zenonis* qui 98. ætatis Anno sine morbo excessit vita, teste *Laertio* lib. 8. Et *Xenophili Musici*, qui sine ullo corporis incommodo 105 Annis vixit: teste *Plinio* lib. 7. cap. 50. urget primam hanc rationem *Varro* in libro de Philosophia.

(2) Quia corporis sanitas egregium est instrumentum, ad externos virtutum actus exercendos, & scientias comparandas. Unde, *Philisco* apud *Dionem* teste, *si quis corpore bene sano utatur, vitamque sine curis ducere possit, is omnium eorum, quæ ad felicitatem faciunt, fructus sentit.* Apud *Scalig.* lib. 1. Poët. cap. 44. exclamat ex interpretatione Poëta Græcus. *Tecum, ô diva sanitas, florent omnia, tecum renidet Gratiarum Ver: absque te vero nemo felix.*

Hinc egregium illud sanitatis encomium, Ecclesiast. 30. v. 15. 16. *Sanitas & bona constitutio quolibet auro melior est, & corpus validum immensis opibus: non sunt divitiæ, quæ meliores sint sanitate corporis.*

(3) Quia corporis ægritudo externas impedit virtutum actiones & animi contemplationes: quando omnes ad ægrum corpus convertit sensus atque cogitationes, animumque à melioribus, & sublimioribus avocat curis. Et quid quæso perfecte omnibusque partibus felicem dicat, quem dira *Colicæ passionis* tormenta jugiter excruciant, quem febris ardores fatigant, & quem ad rabiem usque *cephalalgiæ* affligunt?

Quæ de naturæ bonis heic objici possunt, in sequentibus expedientur. Heic breviter *observetur*: Partem hanc summi boni minus principalem esse. Unde facile eliduntur, quæ alicujus momento possunt videri.

§. 7. Quæ-

§. 7. Quæritur (2) *Quot & quæ sint præcipua corporis & naturæ bona?*

Resp. *Corporis* & *naturæ bona* hoc loco synonyma sunt, & intelliguntur ea, quæ per generationis principium nobis competunt, quorum quatuor præcipua sunt capita.

(1) *Sanitas*; ad quam senectus refertur cruda & vegeta.

(2) *Robur*: ad quod rediguntur vires decertandi.

(3) *Sensuum incolumitas, & ad animi functiones recte obeundas, congrua dispositio.*

(4) *Pulchritudo*: ad quam grata & congrua refertur magnitudo.

§. 8. Quatuor hæc *naturæ* corporisque humani bona conferri cum quatuor *virtutibus cardinalibus* solent, quibus aliquo modo sunt analoga.

Sanitati respondet *justitia*, in qua proportio attenditur. Partim *Arithmetica*, partim *geometrica*: qualis est in humoribus principalibus & spiritibus, sine quorum justa proportione, ratione quantitatis & qualitatis, non consistit sanitas: Vide *Tyrium Maxim.* dissert. 10. & 23.

Robori respondet *fortitudo*, cujus insigne ad jumentum & instrumentum est quoque corporis robur.

Sensuum incolumitati & congruæ partium omnium dispositioni respondet *Prudentia*, quæ mediocritatem ubique præscribit & circumstantias atque opportunitates probe attendit.

Pulchritudini respondet *temperantia*, quæ ut sanitatis, sic & pulchritudinis naturæ est conservatrix, & ejus potissimum partis, quæ in colorum consistit elegantia.

§. 9. Quæritur (3) *An corporis & naturæ bona sint per se & vere bona.*

Resp. Dissident circa quæstionem hanc *Stoici* & *Peripatetici*: *Stoici* naturæ corporisque bona, quæ sic apellantur, negant per se & vere bona esse. Unde non bona, sed commoda tantum appellari volunt, necessaria quidem, attamen indifferentia & ex solo usu æstimanda. *Rationes* ipsorum sunt.

(1) Quod viris bonis est bonum, malis malum: id per se nec bonum, nec malum est: Atqui hujusmodi sunt, quæ *naturæ* & *corporis* appellantur bona. E. per se nec bona, nec mala sunt, sed indifferentia. *Propositio* prob. Quia quod per se bonum est, id unicuique junctum tale est.

(2) Quæ naturæ appellantur bona, etiam improbis contingunt: E. per se bona non sunt: *Ratio consequentiæ*: quia, ex sententia *Platonis*, ut viro probo nihil mali, ita & improbo nihil boni potest contingere.

 (3) Quæ

(3) Quæ per se bona sunt, ea hominem reddunt bonum: Atqui naturæ bona hominem non reddunt bonum. Ergo per se bona non sunt. *Ass. prob.* Quia improbi iis nihilo meliores redduntur.

(4) In Deo & separatis mentibus, in quibus omnia bona eminentissime fulgent, bona naturæ locum non habent. Ergo per se non sunt bona.

(5) Ex muneribus naturæ multa mala & impia prodeunt. Ergo per se bona non sunt. Unde sacræ virgines olim corporis formam spreverunt, oculosque sibi effoderunt.

§. 10. Contra vero per se bona esse, affirmat *Aristoteles* sequentibus argumentis.

(1) Quia sunt bona utilia ad adeptionem & possessionem ultimi finis conducentia.

(2) Quia, qui ex vere bonorum censu ea excludunt, adversantur *Deo*, bonorum opifici, *Mundi plenitudini*, *Ordinis perfectioni*, & *Naturæ benignitati.* Quidni enim in bonis numerentur, quæ ex summo bonorum promanant fonte, ex maximo inde deducto rivo, *Natura?* Maximi momenti hæc est ratio: unde bonitatis testimonium ipse opifex Deus, omnibus suis operibus perhibuit, *Gen.* 1.31. Inspexit Deus, quicquid fecerat, ecce autem bonum erat valde: & 1. Tim. 4. *Quicquid creavit Deus, bonum est.*

(3) Si ea tantum essent bona, quę à recta hominis ratione & præ electione prodeunt, solus homo esset opifex boni, non Deus, non natura. Atqui falsum & absurdum conseq. Ergo & Antecedens.

(4) Quia sunt utilia. Atqui nihil vere est utile, nisi vere bonum & quatenus boni est particeps.

Appellat *Aristoteles* hæc bona alias *simpliciter bona*, quamvis homini male iis utenti bona non sint. Sunt enim bona intrinsece per naturam, non per usum: Vide *Piccolom.* Grad. 8. cap. 7.

§. 11. Hoc vero *Stoicorum & Peripateticorum* dissidium non in re, sed in verbis tantum esse docet *Piccolomineus* cap. 8. Nobis tamen rectius loqui & sentire videntur *Peripatetici*: ubi *observandum* de bonitate *naturali*, non *morali* sermonem heic esse: Unde ad *Stoicorum* rationes facilis erit responsio.

§. 12. Ad (1) *Propositio*, de naturaliter bonis, negatur, una cum *probatione*. Eo enim, quod per se & natura bonum est, abuti malus, seu improbus, potest: ut constat de cibo & potu, quibus magno suo malo multi abutuntur. Vinum cor hominis lætificat & valetudini conducit, tanquam singulare Dei donum & bonum: *Plinius* lib. 22. c. 1. & *Plato* lib. 2. de LL. cujus naturam non destruit horrendus abusus. Unde à *Platone* reprehenduntur, qui hominibus in ultionem id datum, ut insanirent, olim dixerunt.

§. 13. Ad

§. 13. Ad (2) *Consequentia* negatur, una cum *probatione*. Dictum *Platonis* non probamus, nisi benigna accedat interpretatio. Bonum & malum eodem sensu non accipiuntur. Hoc loco nobis sermo est de bono late accepto & in specie *naturali*, non *morali*: cujus esse abusus potest.

§. 14. Ad (3) *Assumptio* negatur. *Probatio* simpliciter vera non est, si distinguatur inter bonitatem *moralem* & *naturalem*. Bona naturalia etiamsi non reddunt moraliter bonos, tamen naturalem iis bonitatem conciliant.

§. 15. Ad (4) *Antecedens* simpliciter verum non est: etiamsi enim naturæ corporalis bona corporalia in spiritibus non sunt: tamen spiritualia iis non desunt. Minime vero sequitur, bona naturæ corporalis per se non esse bona, quia non insunt naturæ spirituali. Ut enim distinctæ sunt naturæ corporales & spirituales: sic & bona.

§. 16. Ad (5) *Antecedens* de malis & vitiis per se prodeuntibus; negatur. Per accidens prodeunt, hominum culpa, quæ naturæ bonis non est imputanda.

§. 17. Quæritur (4) *An bona natura ad felicitatem sint necessaria?*

Resp. Ad felicitatem complendam suisque numeris perficiendam necessaria quoque esse naturæ bona, iisdem probatur argumentis, quibus quæst. 1. ostendimus, sanitatem corporis esse partem felicitatis humanæ, quamvis minus principalem. Felicitatem autem intelligimus, quæ hujus vitæ circumscribitur limitibus, ad quam etiam Ethnici virtutum studio cultuque aliquo modo pertigerunt. Ad æternam enim felicitatem obtinendam naturæ bona non sunt adeo necessaria: quia nullius boni naturalis defectus separare nos potest à charitate Dei. Rom. 8. v. 39.

Videamus igitur contraria *Stoicorum* argumenta.

§. 18. (1) *Quod firmum constans & stabile est, cum rebus mutationi obnoxiis nodo necessitudinis ligatum esse non potest. Atqui felicitas firma, constans & stabilis, &c. Et cum rebus mutationi obnoxiis, cujusmodi sunt natura bona, nodo necessitudinis juncta non sunt.* Propos. prob. *Quia alias firmum & constans redderetur quoque infirmum & inconstans.*

Resp. 1. *Propositio* universaliter vera non est: *Probatio* falsa & inconsequens est: Anima enim rationalis firma & constans nodo necessitudinis cum corpore humano mutabili ligata est, neque tamen propter corporis infirmitatem & inconstantiam ipsa quoque redditur infirma & inconstans.

 2. *Assum-*

2. *Assumtio* non est simpliciter vera: sunt enim felicitatis humanæ partes diversæ, quarum aliæ sunt firmæ & constantes, aliæ infirmæ & inconstantes. Imo tota quoque simpliciter immutabilis non est. Alia est *theologicæ felicitatis* ratio: quamvis & hujus inconstantiam multi admittant & propugnent: sed male.

§. 19. (2) *Ea sola sunt necessaria ad felicitatem, quæ in hominis manibus ejusque facultate sunt posita. Atqui hujusmodi non sunt naturæ bona. Ergo &c.* Propos. prob. *Quia homo, prælectionis & virtutis munere, suæ sortis & sui boni est faber, & animal per naturam beari aptum.*

Resp. *Propositio* simpliciter vera non est: uti nec *assumtio*: Etiamsi enim felicitatis moralis & civilis partes principales in hominis facultate aliquo modo sunt positæ: tamen minus principalium ratio plane eadem non est. Deinde & naturæ bona aliquo modo sunt in facultate hominis, ut constat de sanitate corporis, seu valetudine, de qua curanda tot veterum & recentium sunt monita & præcepta.

§. 20. (3) *Feliciter est actio virtutis proba & præclara, qua mens supra corpus elevatur. Ergo naturæ ad eam munera non sunt necessaria.*

Resp. 1. *Antecedens* supra improbatum est. 2. *Consequentia* quoque non est solida. Conferre enim ad virtutum exercitia non parum bona naturæ, supra quæst. 1. ostendimus.

§. 21. Quæritur (5) *An bona naturæ sint præferenda bonis fortunæ.*

Resp. *Affirmatur* de fortunæ bonis, quas *divitias* appellamus: (1) Quia bona *naturæ* nobis sunt conjunctiora, quam bona *fortunæ*: sunt enim illa interna, hæc externa.

(2) Quia *fortunæ* bona expetuntur propter *naturæ* bona & *naturæ* bonis inserviunt, in quorum conservationem liberaliter impenduntur: exceptis duntaxat avarorum sordibus. Hinc *Hermocrates* avarus cum decumberet, calculare cœpit, quantum mercedis medico dandum esset, si convalesceret, & quid ægrotus esset insumpturus: Cum vero deprehendisset, unicum sibi denarium restare, si convalesceret, *mori præstat*, dixit, *& diriguit.* Stobæus serm. 10.

(3) Quia sanitas paupertati juncta optabilior est divitiis ægritudini junctis: unde patet, sanitatem divitiis simpliciter esse optabiliorem utitur hac ratione *Aristoteles*, in secundo. Priorum.

(4) Quia corpus proximum & intimum est animæ instrumentum, cum ad alia præclara opera plurima, tum ad externas virtutis actiones.

(5) Quæ

(5) Quia in naturæ bonis est quoque sensuum integritas & congrua facultatum animæ per naturam constitutio: unde ad reliqua omnia bona est via expeditior. Hinc, exceptis animi bonis, sanitas corporis, prefertur omnibus aliis naturę & fortunæ bonis; hoc est, *pulchritudini*, *nobilitati*, *honori*, *bonæ proli & divitiis*: de quorum ordine videatur *Piccolomin.* Grad. 8. cap. 13.

II.

Adversatur sanitati ægrotatio sive morbosa corporis constitutio.

Ἔκθεσις.

Hæc demum est, quæ *sanitatis* prestantiam nobis commendat, *Ægrotantium verba*, inquit Plato, *sunt*, *dum morbo laborant*. *Nihil esse dulcius sanitate: sed eos latuisse ajunt, quam dulcis sit, antequam ægrotarent.* Unde monet *Plutarchus* de tranquillit. an. Sæpe nobiscum memoria repetendum, quam desiderabilis sit ægrotanti sanitas, in bello constitutis pax, &c. Sic futurum, ut non tunc demum magna & præclara ista reputemus, quando amisimus.

CAPUT V.

DE BONA FAMA.

Thesis Prima.

HActenus internæ Beatitudinis partes: *Externæ sequuntur, quæ sunt bona fama & vitæ sufficientia.*

II.

Bona fama est honesta aliorum de nobis existimatio.

Ἔκθεσις.

§. 1. AD bonæ famæ studium nos excitant rationes sequentes:

(1) *Quia maxima bonæ famæ vis est*: Nam pecuniam si cui ademit aut eripuit injuria, tamen dum existimatio est integra, facile honestas consolatur egestatem. *Cicero.*

(2) *Quia maximus ejus est fructus:* Unde *honestus rumor* à Mimo *alterum* dicitur *patrimonium*. Et *Socrates* liberis bonam potius famam, quam divitias relinquendas esse docet.

(3) *Quia amissio bonæ famæ est turpissima & miserrima.* Nam qui hujus jacturam fecit, eum neque bonorum aditu, neque congressione, neque sermone dignum quisquam judicat.

(4) *Quia fama & vita æquiparantur à Martiano* l. 8. ff. de Manumiss.

(5) *Quia omnes boni alienæ gloriæ defensionem ad officium suum pertinere putant.* Cicero. Verrin. 4. quanto igitur magis propriæ famæ studium?

(6) *Quia famæ & fidei damna majora sunt, quam quæ æstimari possint:* *Livius* lib. 3. Unde *Plautus*: *Si bonam mihi servasso famam, dives ero satis.*

(7) *Quia beatissimus est, qui bonæ mansuræque famæ præsumptione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria vivit.* Plin. lib. 9. Epist. 3. *Homo res caduca, fama eum facit perpetuum.* Lipsius.

§. 2. Præcepta de acquirenda & conservanda bona fama hujusmodi nobis tradit *Epictetus*: *Si bene vis audire, discito bene loqui: & cum bene loqui didiceris, recte facere conator: hoc enim modo famam bonam acquires.*

§. 3. Cum bona fama plerumque conjunctus est honor, qui à *Cicerone* definitur: *Præmium virtutis judicio studioque civium delatum ad aliquem.* Unde alibi ait: *Eum sibi verum honorem videri solere, qui non propter spem beneficii, sed propter beneficia claris viris defertur.*

Honor est *activus* vel *passivus*. *Activus* appellatur honoratio, qua quis alium honorat: constatque duabus partibus hæc actio. 1. Interiori affectu honorantis erga honorandum, quo agnoscit honorans in honorando bonum aliquod honorabile. 2. Externa significatione interioris affectus per verba aut gestus, inter quos *genuflexio, capitis apertio*, &c. *Passivus* appellatur affectus interioris, & externorum gestuum, hunc affectum testantium receptio in eo, qui honoratur.

§. 4. De *honore* observentur sequentia Sapientum monita.

(1) *Honor uberrimum est virtutis alimentum.* Valer. Max. *Nutriunt enim*, inquit Cassiodorus, *præmiorum exempla virtutes: nec quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur quod conscientia teste, laudatur.*

(2) *Honorare est interdum, quam honorari, gloriosius.* Plutarch.

(3) *Medio-*

(3) *Mediocres honores tempore augentur, nimii abolentur.* Plut.

(4) *Honoribus insolescere impotentis est animi. Interim difficillimum est, ut gradus honoris tumorem non pariat in animo imprudentis:* Sarisbeniensis. Unde pulchre *Symmach*, lib. 9. epist. 91. *Ille vere incrementis suis major est, quem sublimitas partis honoris inclinat.*

(5) *Honor nec emendus, nec emendicandus.*

(6) *Honorem qui laboriose exoravit, sibi debet unam gratiam, quod impetravit. Qui vero sine molestia ambitus adeptus est, duplam gratiam prabentibus debet, & quod non petierit & quod acceperit.* Apulejus. De honore ex professo actum & disputatum lib. 1. cap. 32. Hoc loco paucula addemus, iisque quæstiones *de nobilitate*, quæ honoris est species, subjiciemus.

§. 5. Quæritur (1) *An honor, veneratio, dilectio, laus, encomium, gloria & fama inter se differant?*

Resp. Cum omnia hæc sint externa bona, in aliorum facultate posita, & cum virtute conjuncta, sic ut eam veluti fructus ejus indicent; nonnunquam uno honoris nomine comprehendi & significari omnia solent. Unde & *Plato* in lib. 3. LL. ait, *primo honoranda esse animi bona, secundo corporis, tertio externa.* Interim accurate quoque distingui solent, idque secundum distincta bonorum genera, quorum sunt signa. Igitur bona ad virtutem pertinentia & cum ea conjuncta in triplici sunt differentia: *Quædam* tantum expetuntur sui gratia: *alia* & sui & alterius gratia.

§. 6. *Tantum sui gratia* expeti dicitur honestum & probe actionis & summum bonum: qui ultimus est finis, ad quem Honor refertur. Hoc vero bonum cum duplex sit, *divinum* & *humanum*, honor distinguitur in *divinum* & *humanum:* ille appellatur *veneratio*: hic, pro personarum varietate, nomina sortitur varia. Majoribus & superioribus debetur *pietas* & *reverentia*: Æqualibus *amicitia* & varia *amicitiæ* signa: Minoribus & inferioribus *dilectio* & alia probarũ actionũ signa: quæ distinctæ honoris species appellari solent. Unde *Arist.* lib. 8. Nicom. c. 9. ait, *finitima videri, amari & honore affici.* In iis *quæ tantum alterius gratia expetuntur*, consideratur vel *sola eorum possessio*: quibus *laus* competit: veluti cum laudamur ob corporis dexteritatem aut utiles alios animi habitus: vel *actio & usus*, cui *Encomium* tribuitur.

§. 7. *Sui & alterius gratia* expeti dicuntur vel moralium virtutum vel artium habitus. Propter illos partim laudamur, partim honoramur: propter hos tantum laudamur.

§. 8. *Gloria* ad laudem redigitur: etsi à *laude* quoque distinguitur: Gloria enim magnitudinem requirit, & communi hominum opinione

opinione atque voce celebratur, quam εὐδοξίαν Græci appellant poteſtque conſervari etiam abſque externo ſigno, ſine quo nec *honor* in ſpecie ſic dictus, nec *Laus* conſervatur. Unde *Plato* in Protagora. *Probamus judicio ſine deceptione, laudamus verbis, plerumque falſo, per ſententiam.*

Fama admodum affinis eſt *Gloriæ*: Interim *fama* proprie tribuitur mortuis & abſentibus: *Gloria* tantum in bonam accipitur partem: *fama* etiam in malam: etſi mala proprie appellatur infamia.

De triplici differentia *gloriæ* & *honoris* vide *Piccolom.* Grad. 9. cap. 26. De diſtinctione *laudis* & *encomiȷ* vide *Cælium Rhodig.* A. L. lib. 7. cap. 5.

§. 10. Quæritur (3) *An honor ſit ſummum bonum?*

Reſp. In hac quæſtione honor accipitur in latiore ſignificatu quo *famam* quoque bonam & *gloriam* complectitur. Aſſeritur autem *negativa*, ſequentibus argumentis.

(1) Summum bonum, quoad partes principales, eſt proprium ejus, qui id poſſidet? unde bonum appellatur οἰκεῖον: Atqui honor non tam eſt honorati quam honorantis: & magis eſt in poteſtate honorantis, quam honorati; cum ille agentis, hic patientis rationem habeat.

(2) Summum bonum quoad partes principales, difficulter auferri poteſt ab eo, qui id adeptus eſt. Honor non item. Siquidem bonum eſt inconſtans; quod ex aliorum pendet arbitrio, & ut facile conferri, ſic & auferri poteſt: unde *Horatius* lib. 3. od. 29.

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.

Mariana clade, exclamat *Seneca* epiſt. 47. *quam multos ſplendidiſſime natos, ſenatorium per militiam auſpicantes gradum fortuna depreſſit: alium ex illis paſtorem, alium cuſtodem caſæ fecit. Ipſi M. Mario, qui in bello Catilinario periit, cui paſſim ſtatuæ poſitæ, cui thure & vino Popul. Rom. ſupplicavit, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus juſſit.* Seneca lib. 3. de ira cap. 18. Quanta temporis anguſtia circumſcribatur bona fama elegante ſtylo docet *Boëtius* lib. 2. de conſol. proſ. 7. *Quam multos*, inquit, *clariſſimos ſuis temporibus viros ſcriptorum inops delevit opinio? Quanquam quid ipſa ſcripta proficiunt, quæ cum ſuis autoribus premit longa atque obſcura vetuſtas. Vos autem immortalitatem vobis propagare videmini, cum futuri formam temporis cogitatis.*

Quod

Quod si ad æternitatis infinita spacia pertractes, quid habes quod de tui nominis diuturnitate læteris? unius enim mora momenti, si decem millibus conferatur annorum, quoniam utrumque spacium definitum est, minimam licet, habet tamen aliquam proportionem. At hic ipse numerus annorum, ejusque quantumlibet multiplex, ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest. Etenim finitis ad se invicem fuerit quædam, infiniti vero atque finiti nulla unquam poterit esse collatio. Ita fit, ut qualibet prolixi temporis fama, si cum inexhausta æternitate cogitetur, non parva, sed plane nulla esse videatur. Vide & *Antonium* de vita sua lib. 4. num. 4. *Profunda*, inquit Seneca, *super nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exerent, & in idem quandoque silentium abitura*: Epist. 21. Videatur quoque *Chrysostomus*, homil. 28. in Johan. & inprimis hom. 7. Coloss. *Basilius* homil. 5. Hexaëm.

(3) Summum bonum, quoad partes principales, propter se expetitur. Honor non propter se, sed propter opinionem virtutis expetitur. Unde victoriam & gloriam eligenda esset docet *Aristoteles*, lib. 1. Rhet. cap. 9. Quia excellentiam virtutis declarant.

(4) Summi boni, quoad partes principales, abusus esse non potest. Atqui honoris esse abusus potest. Unde dicuntur *honores mutare mores*: Sæpe in pejus: Hinc *Sulpitius Severus* in dialog. *ut ex virtute honor, sic ex honore vanitas cœpit obrepere*. Et Salvian ep. 2. *Pedissequa novi honoris plerunque est arrogantia.*

(5) Summum bonum corporis mala levat & animum perficit. Honores & dignitates horum per se nihil præstant, sed sæpe cum maximis conjunctæ sunt corporum incommodis & animorum molestiis. Hinc Seneca: *Dolores capitis non sanantur diademate, nec bona valetudo perit, licet non imperes.* Et *Augustinus* in sentent. num. 53. *Malus etsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed quo gravius est, tot dominorum, quot vitiorum.* Et *Claudianus*. Consul. 4. Honor.

Tu licet extremos late dominare per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs & Seres adorent:
Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius Leges.

Magnas plerunque occupationes comites habent magni honores & dignitates. *Atqui omnium occupatorum*, inquit Seneca, *conditio misera est, eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odisse, res omnium liberrimas,*

liberrimas, Jubentur. Quam fœdus sæpe dignitatis politicæ ambitus! Cujus vel recordatio ingenuis pudorem merito incutit. *Quibus hoc sordibus emit, ut fulgeat? Quos arrogantium fastus prius pertulit? Quas superbas fores matutinus salutator obsedit? Quot tumentium contumeliosa vestigia stipatus clientium cuneis ante præcessit? ut ipsum etiam salutantem comes postmodum pompa præcederet; obnoxia non homini, sed potestati. Cyprianus* lib. 2. epist. 2.

(6) Summum bonum, quoad partes principales non cadit in indignos: Atqui honor sæpe indignis confertur, etiamsi solis probis competit.

Objicitur in contrarium.

§. 11. (1) *Honor est premium virtutis: Ergo est summum bonum.* Antecedens in confesso est. Unde *Arist.* lib. 4. Eth. cap. 3. τῆς ἀρετῆς ἆθλον ἡ τιμή: Et *Cicero* l. 5. epist. 10. *Qui vere appellari potest honos, non invitamentum ad tempus sed perpetuæ virtutis est premium.*

Ratio consequentiæ: Quia summum bonum est virtutis fructus atque præmium: quod & ipsum in confesso est.

Resp. Negatur *consequentia*: *Probatio* est inconsequens: Est & honor & summum bonum virtutis præmium, sed non eodem modo, nec ejusdem rationis & conditionis præmium: Summum bonum est virtutis præmium, quod ipse tanquam ultimum intendit, & propter quod principaliter operatur. & quod in sua habet potestate. *Honor* vero virtutis dicitur præmium, non ob hasce causas: Sed quod ab hominibus virtuti alienæ majus tribui præmium non possit, quam honor, tanquam publicum actionis honestæ testimonium.

§. 12. (2) *Honor ab omnibus appetitur. Trahimur enim omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloria ducitur.* Cicero pro Archia. *Ergo summum est bonum*: Ratio conseq. *Quia & hoc ab omnibus appetitur.*

Resp. Negatur *consequentia*: *Probatio* est inconsequens: conveniunt enim in hoc *honor* & *summũ bonum*: quod utrumq; ab omnibus appetatur. Unde *Syllogismus* est in figura secunda affirmatus: *Summum bonum ab omnibus appetitur. Honos ab omnibus appetitur. Ergo honos est summum bonum.* Non illico unum sunt, quæ in uno tertio conveniunt: cum & opposita in uno tertio convenire possint. *Summum bonũ* propter se appetitur, *honor* propter aliud.

§. 13. (3) *Honor est constans & immutabilis: E. summum est bonum quod & ipsum est constans.* Anteced. prob. *Quia immortalis dici solet gloria.* Unde *Sidonius* l. 4. Epist. 11. *Mens & gloria non queunt humari*: & *Propertius* l. 3. el. 1. *Omnia*

Omnia post obitum fingit majora vetustas
Majus ab exequiis nomen in ora venit.

Resp. 1. *Antecedens* universaliter verum non est, videatur ratio secunda *pro negativa*. Tertull. de Patient. cap. 10. *Gloria ubique vana*. 2. Negatur *conseq.* possunt enim in uno tertio convenire honor & summum bonum, etiamsi unum sunt.

§. 14. (4) *Nullius boni jacturam tam iniquo animo ferunt homines, quam honoris & gloriæ. Ergo summum bonum est.*

Resp. *Antecedens* universaliter verum non est. Longe gravior & magis metuenda est jactura virtutis, bonæ conscientiæ & tranquillitatis animi, quam honoris: etiamsi perverso judiciō homines quandoque pluris faciunt honorem, quam virtutem & bonam conscientiam.

§. 15. Quæritur (5) *An bona fama sit pars felicitatis, seu summi boni?*

Resp. *Affirmativam* amplectimur; cujus evidens est ratio: Quia post recte factorum conscientiam, & quæ inde necessario fluunt, à viris optimis nihil magis expetitur, quàm bona fama. Unde *Plato* Epist. 2. *Probatissimi viri cuncta faciant, quo in futuris seculis bene inter homines audiant*: & *Plinius* lib. 9. ep. 3. *Ego beatissimum existimo qui bonæ mansuræq; famæ præsumptione fruitur, certusque posteritatis cum futura gloria vivit.* Et *Cicero* l. 1. Off. *Negligere, quid de se quisq; sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.* Et *Tacitus* l. 4. annal. *contemptu famæ contemnuntur virtutes.* Et *Symmach.* lib. 3. ep. 69. *Fama optimo cuique pretiosa est*: Et *Livius* l. 3. *Famæ ac fidei damna majora sunt, quam quæ æstimari possunt.* Et *Diotima* ad *Socratem*, apud *Platonem*, in convivio. *Pro immortali virtute & honesta opinione cuncta, ut arbitror, omnes agunt, & quo meliores sunt, eo magis ad ista contendunt. Nam immortalitatem amant.* Hinc vix ullius rei inter homines formidabilior jactura, quam famæ bonæ. *Scalig.* lib. 3. Epidorp.

Infamia mortis species fœda profana
Horrenda necat non semel ac pullulat ultro:
Crescensq; sui fœnoris exigit tributum.

Et *Sophocles* in Trach. *Infamia malum intolerabile est*, &c. Præferenda bona fama aliis naturæ & fortunæ bonis, sanitas corporis semel amissa recuperari potest, honesta existimatio non potest: unde tritum illud:

Omnia si perdas, famam servare memento
Qua semel amissa, postea nullus eris.

Famam atque existimationem bonam qui amisit, eum miserrimum

mum pronunciare ne dubita. Nemo enim bonorum aditu, nemo congressione, nemo sermone, dignum putabit.

Divitiæ ne comparandæ quidem cum bona fama. *Pecuniam enim si cuipiam fortuna ademit, aut si alicujus eripuit injuria: tamen, dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem: Cicero* pro *Quintio.* Unde *Agesilaus* opulentissimo regno præposuit bonam existimationem. *Æmyl.* Prob. & *Proverb.* 22. v. 1. *Optatius est nomen divitiis amplis.*

§. 16. Quæ in contrarium objici possunt, facile dissolvuntur distinctione *partium principalium* & *minus principalium.* Est enim honor & bona fama summi boni pars minus principalis. Objicienti igitur: *Summum bonum in nostra est potestate. Bona fama non est in nostra potestate: Ergo bona fama non est summum bonum.*

Respondetur 1. *Conclusionem* nobis non contradicere: Non enim fama bona nobis est summum bonum, sed tantum summi boni pars, eaque minus principalis. 2. De parte si loquatur *conclusio*: in præmissis quoque partium facienda mentio fuerit: nempe hoc modo: *Omnes summi boni partes in nostra sunt potestate.* Bona fama, &c. Tum vero neganda fuerit *propositio.* Interim & bonam famam aliquo modo in nostra esse potestate, è sequenti quæstione patebit:

Igitur objectionis hujus nec *propositio* nec *assumptio* simpliciter est vera, insuperque *conclusio* nobis non adversa:

§. 17. Quæritur (4) *An bona fama sit in nostra potestate?*
Resp. Partim in nostra, partim in aliorum est potestate:

In nostra potestate, respectu *materiæ*: in aliorum potestate, respectu *formæ. Materia* bonæ famæ sunt actiones bonæ & honestæ, quæ à nobis proficiscuntur & in potestate nostra sunt: *Forma* est honesta de bonis nostris actionibus aliorum existimatio: quæ in nostra potestate non est: Sunt igitur hæc duo bonæ famæ principia à se invicem separabilia. Quandoqne enim honestas nostras actiones non sequitur existimatio aliorum honesta, idque per improborum invidiam, quæ in calumniam se solet effundere. Tum vere vir bonus solari se, & sustentare bona sua conscientia debet, magnoque animo ferre & contemnere iniquitatem. Laborandum nobis est de *materia* gloriæ: defectus formæ æquo ferendus animo.

Cum *Alexander* a quodam sibi maledici audiret: *Regium* est, inquit, *male audire, cum beneficias.* Ad amicos dicebat *Fabius Maximus: Qui maledicta & convitia metueret, hunc sibi timidiorem existimari eo, qui hostes fugiat. Non qui audit, sed qui facit convitia, miser est.* Cyprian. lib. 1. Epist. 3.

§. 18. Quæ-

§. 18. Quęritur (5) *An sit nobilitas?*

Resp. Affinis honori est nobilitas: quia species est honoris: Unde dispositio de nobilitate ab hoc loco aliena non est, neque suo caret fructu, quem & *adolescentes* & *senes* ex ea hauriunt. Utilis est *adolescentibus*, quia ad eam amplificandam & propagandam redduntur alacriores. Ignoti nulla est cupido: Unde nec virtutem quisquam coleret, nisi de prętantia ejus edoctus esset, &, quam insignia ei proposita sint præmia, nosset. *Nobilitatis* vim & excellentiam qui non intelligit, maximum virtutis ignorat præmium, & in colenda virtute segnior est: siquidem *uberrimum virtutis alimentum honos est:* Valer. Max. lib. 2. cap. 6. Et honorem virtuti qui detraherent eos ajebat *Cato Major* virtutem adolescentiæ adimere: *Plutarch.*

Grata quoque *senibus* est disputatio de nobilitate, cujus dum indolem fulgere in semetipsis vident, fructus quoque ejus læti in natis intuentur.

Eadem ingenuis viris omnibus est accommodata, quia arctissimo junguntur vinculo nobilitas & viri liberi atque ingenui conditio.

§. 19. Ad quæstionem ante quam respondeamus, nobilitatis etymon præmittimus, ut, quid nomen significet, constet. Quæstioni enim, an res sit, recte præmittitur nominis significatio: *Nobilitas* igitur, si vocis originem spectes & vim, nominis est celebritas; à *nosco*, unde notum, & hinc nobilitas: veluti à moveo motum: Unde mobilitas: aliis nobilitas dicitur quasi noscibilitas: Igitur quærere, *an sit nobilitas*, est quærere, *an sit noscibilitas, hoc est, nominis celebritas:* etsi non eodem sensu ab omnibus olim accepta nobilitas, neque etiamnum accipitur: quando vulgus fere non agnoscit *nobilitatem*, nisi fumosis avorum & proavorum imaginibus testatam: qui antiquus est error & sugillandæ nobilitatis ansam sapientibus jam olim præbuit.

§. 20. Interim nobilitatem simpliciter non negarunt, etiam qui iniquiores ei sunt visi. Non enim tam rem ipsam, quam errorem circa rem, exagitarunt. Nobilitatem illam fumosam *Stoicorum*, & præsertim *Chrysippi*, autoritate freti nonnulli appellant, *ramenta*, *rem fictam*, & *commentum præpotentum civium. Natura enim*, inquiunt, *æqua parens est omnibus, nulli est noverca, nemini viam ad virtutem claudit, omnes ad felicitatem gignit idoneos, non Scythia, aliave ulla regio animum lædit, non unum altero antiquius censeri debet.* Si mundus est æternus, omnes in eodem æternitatis cursu æque locati sumus: si habuit principiũ, omnes ex semine unius primi parentis ortum ducimus.

 Natum

Natum hinc germanicum illud: Da Adam spaete und Eva spann/wer wahr da ein Edelmann.

§. 21. Ad communis hujus originis considerationem plebejæ nobilitatis fastum quoque revocat *Boeth.* lib. 3 de Consol. Philosoph. Metro. 6. *Omne hominum genus in terris simili surgit ab ortu, &c.* Et *Seneca* epist. 44. *Si ad vetera recurras, nemo non inde est, ante quod nihil est. A primo mundi ortu usque in hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. Non facit nobilem*, inquit Seneca, epist. 44. *atrium plenum fumosis imaginibus: nemo in nostram gloriam vixit: nec, quod ante nos fuit, nostrum fuit*: quam in sententiam quoque *Naso*.

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Idem Seneca, lib 3. de benef. cap. 28. *Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium & artibus bonis appetitus.* Qui imagines in atrio exponunt & nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant; noti magis, quam nobiles, sunt. Idem ante *Senecam Euripides* cecinit. *Bonus vir*, inquit, *mihi nobilis videtur: qui vero justus non est, licet à patre meliore, quam Jupiter sit, genus ducat, ignobilis mihi videtur.* Sensit idem *Epicharmus. Quisquis natura proclivus ad bona fuerit, nobilis est, quamvis matre genitus Æthiope: Nulla nobilitas inter malos est*, inquit Euripides, *sed tantum inter bonos viros.* Plato ait, *neminem regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus.*

§. 22. Tam igitur rigidi non fuerunt vel *Stoici* vel *Peripatetici*: ut nobilitatem penitus everterint, quamvis fumosam nobilitatem contempserint, qua ita turgebant ipsorum secula, ut vix ullam aliam agnoverint: qui & nostri morbus est seculi, quo ab iis, qui avos & proavos innumerato habent, quamvis priscæ virtutis ne vestigium quidem circumferant, vilis ducitur civilis sanguis, etiam virtute propria splendidissimus. Ita utrinque à medio ad extrema aberratum: quando illi nullam admiserunt nobilitatē, nisi in eo, qui ipse autor ejus: hi nullā, nisi ab avis & proavis descendentē: illi nullā nisi in individuo, hi nullam nisi in genere,

§. 23. Interim testatur experientia, cui & ratio adstipulatur, esse nobiles quasdam familias, in quibus etsi virtus non est hæreditaria, tamen inclinatio & propensio ad virtutem major, quam in aliis plebejis deprehenditur: cui & educatio accedit vere nobilis, quæ latentes igniculos excitat & gentilitium splendorem evocat. Magna vis est seminis cum ad corporis conformationem, cujus

omnia in femine lineamenta latent occulta & per vim plasticam in actum educuntur; tum ad morum compositionem, qui corporis sequuntur temperamentum. Unde tritum illud:

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Hinc videas in nobilibus quibusdam & illustribus familiis non tantum gentilitia signa in corpora posterorum descendentia, sed & hæreditariam ad eadem studia easdemque virtutes propensionem. Quo & Horatianum illud spectat:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, &c.

Similia in autoribus occurrunt multa. *Idne tu miraris*, inquit ille apud Comicum, *si patrissat filius*? Eandem in sententiam *Quintilianus*, lib. 5. cap. 10. *Similes parentibus ac majoribus suis filii plerunque creduntur: & nonnunquam ad honeste turpiterque vivendum inde causæ fluunt.* Eodem spectat Græca appellatio. Nobilitatem Græci appellant *εὐγένειαν*: quasi dicas, *bonam* & *præclaram indolem à genitoribus venientem.*

§. 24. Quæritur (6) *Quid & quotuplex sit nobilitas?*

Resp. *Simonides* interrogatus, *quid sit nobilitas*, *& qui viri nobiles?* Respondit, *eos esse*, *qui ex majoribus longo tempore locupletibus nati sunt.* Quæ admitti, tanquam generalis, definitio non potest: nisi è nobilium excludendi censu videantur, quicunque locupletes non sunt, & ex non locupletibus nati: quos vultu propitio fortuna non adspexit: quo in virtutem veramque nobilitatem nihil dici iniquius posset: imo & in paupertatem, quam nobilissimis viris olim familiarem fuisse novimus:

Pauper erat Curius, Reges cum vinceret armis:
Pauper Fabricius Pyrrhi cum sperneret aurum.
Sordida Serranus flexit Dictator aratra:
Lustrata lictore casa, fascesque salignis,
Postibus affixi: collecta consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura Colono.
Claudianus de 4. Consul. Honorii.

§. 25. *Aristoteles* nobilitatem definit *facultatem procreandi viros ingenuos, ad virtutem faciles, multorum, & ad minus trium successione confirmatam.*

Neque hæc generalis est definitio: Sic enim nemo sterilis esset nobilis: nemo in familia primus: nemo nisi ad virtutem natus & à natura factus. Quæ falsa & absurda sunt.

Hujusmodi & illa *Keckermanni* est definitio, in præcog. Eth. *Dignitas in serie certarum familiarum virtutibus, præsertim bellicis, & orta & continuata.*

§. 26.

§. 26. Cum vero gradus nobilitatis ſint varii, definitio generalior informanda erit, quæ omnibus aptari poſſit gradibus vel ſpeciebus : ſit illa *celebritas nominis è ſingularibus & laudabilibus orta cauſis :* loquimur autem heic de nobilitate nota, non ignota : Ignota enim proprie nobilitas non eſt : ut patet ex vi vocis.

§. 27. Inſigniores gradus nobilitatis numerantur quatuor.

(1) *Nobilitas divina* : quæ per virtutes competit divinas, quibus ad Deum mens hominis elevatur & ad imaginem divinam accedit propius. Fuit hæc nobilitas ſanctorum *Patriarcharum*, *Prophetarum*, *Apoſtolorum*, & inſignium Eccleſiæ veteris cum Græcæ, tum Latinæ, *Doctorum*, quam *theologicam* quoque recte appellaveris. Competit hæc nobilitas *κατ' ἐξοχὴν* beatis *Angelis*, & non in ſola conſiſtit ſapientia, ſeu rerum divinarum ſcientia, ſed & in ſanitate atque juſtitia, quæ divinæ imaginis pars eſt præcipua. Princeps tamen nobilitatis hujus eſt ipſe Deus. Unde *Averrhoës.* in 2. de cœl. cont. 64. ait, *perfecte nobilem unum eſſe tantum, nempe Deum.*

(2) *Nobilitas moralis*, quæ conſiſtit in excellentioribus virtutum moralium gradibus, earumque exercitio, non tantum in privata, ſed & in publica vita : maximeque conſpicua eſt in prudentia, fortitudine, temperantia, magnificentia, juſtitia, &c. Hæc ſtudio & induſtria comparatur, ad quam natales quoque humiles & obſcuri ſæpe aſcendunt, ſuperatis difficultatibus, quas paupertas, invidia & iniquior fortuna ſæpe objiciunt.

(3) *Nobilitas Naturæ*, vel *naturalis* : quæ quaſi jure quodam hæreditario à parentibus in liberos, à majoribus in poſteros deſcendit, ſecumque à genitoribus quaſi ſemina virtutum in hanc effert lucem : quæ proprie *εὐγένεια* appellatur, & latine virtus generis ex temperamento multorum ſucceſſione confirmato prodiens, per quam ad ingenua ſumus faciles, aptique alios ad ſimilia proclives procreare. Videantur, quæ dicta ſunt paulo ante.

(4) *Nobilitas fortunæ:* quæ eſt externa nobilitatis imago in bonis fortunæ refulgens : adeoque collocata, ut vulgo loquuntur, in manibus fortunæ : unde ſplendor externus in ædificiis & veſtibus pretioſis, in victu ſplendido, in famulitio numeroſo, &c.

§. 28. Ex hiſce *gradibus* quo plures in uno aliquo ſubjecto, aut familia concurrunt, eo inſignior evadit nobilitas. Si vero omnes concurrant quatuor gradus, exacta conſurgit nobilitas : quæ tamen valde rara eſt avis.

§. 29. Ab aliis diſtinguitur nobilitas *in naturalem* & *adventitiam :* & hæc in *theoreticam* & *practicam*. *Theoretica* æſtimatur ex vir-

ex virtute intellectuali, vel eruditione præclara bene collocata.

Practica est *moralis* vel *politica*. *Moralis* personæ & facti appellatur nobilitas, consistitque in gradu eminentiore virtutis moralis. *Politica* est *familiæ*, vel *officii*. *Familiæ* nobilitas consistit in singulari prosapiæ præstantia, pendetque partim à fortuna, seu splendore: Estque *nova* vel *vetus*: *illa* beneficio principis acquiritur per merita propria: *hæc* à majoribus virtute præcellentibus descendit. *Officii* nobilitas consistit in dignitate muneris præcellentis, quo cum laude quis fungitur.

Omnes hæ species quando concurrunt in uno subjecto, nobilitatem constituunt excellentissimam.

§. 30. Quæritur (7) *Quo ordine collocandi quatuor isti nobilitatis gradus, si ratio habeatur dignitatis?*

Resp. Circa controversiam primus debetur locus *nobilitati divinæ*: qua transcenditur humana conditio, & ad Dei sublimitatem elevatur mortalis natura. Ita sensit olim *Constantinus Magnus*, qui in *Chalcedonensi* concilio ultimus inter sacerdotes sedit: cumque criminationes eorum mutuæ literis comprehensæ ad ipsum deferrentur, legere recusavit & in ignem conjecit; *sacerdotes*, inquiens, *numina ad hominem regendum sunt constituta: quapropter judicium eorum intactum Deo conservandum. Fulgos.* & *Egnat.* lib. 1. cap. 1. Idem, lata lege, sanxisse dicitur, *plus honoris deberi homini in sacerdotali dignitate constituto, quam ullialii vel Domino vel Regi: in illis enim, qui Christi in terra vicem gererent, honorari Christum, non in illis, qui terræ imperarent. Marul.* lib. 3. cap. 5. Hac insignes nobilitate funguntur legatione Christi nomine, 2. Cor. 5. v. 20.

Hæc vero legatio cum omnium sit præstantissima, de nobilitatis prærogativa dubium esse nullum debet. Etsi infelicissimum hoc nostrum seculum etiam naturæ & fortunæ nobilitatem multis modis præferre & ad ima subsellia relegare divinam solet: quod gravissime olim gentiles legatos offendit, cum in Christiani Principis convivio in ultimum detrusos angulum Dei servos viderent: ut supra vidimus.

§. 31. Secundus locus *morali* debetur *nobilitati* cum qua politicam quoque conjungimus: quam omnibus temporibus magnifecerunt sapientes, & *animi nobilitatem* appellarunt. Fundamentum ejus est virtus, quæ τελεώτατον est, res perfectissima, *Maxim. Tyr.* diss. 22. & *divinum quid. Non est major fructus*, inquit *Plutarch.* de sera Num. vind. *quem ex Deo possit capere homo, quam quod imitatione pulchrorum & bonorum, quæ divinæ naturæ insunt, virtute potitur.*

- - *Cui virtus animusq; in pectore præsens,*
Hic Deos æquat, illo tendit, originis suæ memor. Seneca ep. 92.

Tertius locus tribuitur *nobilitati naturæ*, quatenus à genitoribus suis trahit virtutum semina & singularem quandam propensionem ad honestatem, idque continuata plurium successione. Inferior hic gradus *morali nobilitate:* quia virtutibus excellere & fulgere præstantius est, quam habere tantum in se virtutum semina aut igniculos educatione & assuetudine demum eliciendos.

§. 33. Ultimus locus assignatur *nobilitati fortunæ*: quæ sola nobilitatis nomine & axiomate digna non videtur. Sunt enim fortunæ bona pessimo cuique communia. *Τοῖς πονηροτάτοις*, inquit Plutarchus, *μέτεστι πλούτου.* Eandem in sententiam *Solonis* versiculos laudat *Plutarch.* in parall.

Πολλοὶ γὰρ πλουτεῦσι κακοὶ, ἀγαθοὶ δὲ πένονται,
Ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοῖς οὐ διαμειψόμεθα.
Τῆς ἀρετῆς τὸν πλοῦτον, ἐπεὶ τὸ μὲν ἔμπεδόν ἐστι.
Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Observanda & illa *Platonis*, lib. 8. de republ.

Qui effusius ad cumulandas pecunias delabuntur, quanto pretiosiores affirmant illas, tanto virtutem æstimant viliorem. Annon ita virtus à divitiis discrepat, quasi utraque in lance stateræ sint posita, semperque in contrariam partem declinent? Quando igitur in civitate divitiæ ac divites honorantur, virtus probique viri despiciuntur.

§. 34. Quæritur (8) *Quibus fundamentis nitatur hæreditaria nobilitas, & quæ causa ejus sint?*

Resp. *Hæreditariam nobilitatem* in specie eam appellamus, quæ à majoribus in posteros descendit; ita ut hæreditario jure sibi eam vendicent, dicanturque & habeantur nobiles filii vel nepotes ideo, quia ex nobilibus nati sunt parentibus & avis, &c.

Hujus nobilitatis *causa principalis* est Princeps, qui nobilem esse jubet eum, qui virtute sua dignitatem hanc est meritus, eademque dignitate filios, filias & posteros ornat: qui in specie appellari modo nobiles solent, & vulgo censentur tanto nobiliores, quanto longius distant à prima sua origine nobili: quanto plures numerare avos, proavos, abavos, atavos, &c. possunt. Nobilitatem hanc in imperio *Romano* solus confert *Imperator*: etsi singulari privilegio & *Archiduces Austriæ*, non quidem in toto Imperio, sed in suo Archiducatu, creare nobiles, Barones & Comites possunt: vide inter alios *Benedict. Carpzo.* Comment. in Leg. Germ. cap. 3. sect. 13. n. 47. 48. 49.

§. 35. *Me-*

§. 35. *Meritoria* & *impulsiva* hujus nobilitatis causa est virtus primæ originis, seu stirpis, à qua nobilitas cœpit. Non enim nobilitat Princeps stirpem, nisi dignam, (de *jure* loquimur) digna autem non est nisi per virtutem, cujus præmium est nobilitas.

§. 36. *Instrumentalis* ratione posterorum, est generatio ex stirpe nobili, vel ejus filiis aut posteris: per generationem enim propagatur hæc nobilitas.

§. 37. *Finis* est compensatio virtutis, non tantum in *subjecto* ejus proprio, sed & in posteris: Qui quasi partes suorum patrum, avorum, proavorum, &c. censentur. *Hæc debemus virtutibus*, exclamat *Seneca*, lib. 4. de Benef. cap. 30. *ut non præsentes solum illas, sed etiam ablatas conspectu colamus. Quomodo illi iidem egerunt, ut non in unam ætatem prodessent, sed beneficia sua etiam post ipsos relinquerent Ita & nos non una ætate grati simus. Hic magnos viros genuit, dignus est beneficiis: qualiscunque est, dignos dedit. Hic egregiis majoribus ortus est: qualiscunque est, sub umbra suorum lateat*, ut loca sordida repercussu solis *illustrantur, ita inertes majorum suorum luce resplendeant.*

Est & hic *finis* hujus nobilitatis, ut majorum virtutem nobilitatis præmium in memoriam posteris revocet & ad eadem studia ipsos inflammet. Hinc *Boëthius*, lib. 3. prof. 6. *Si quod est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur; ne à majorum virtute degenerent.* Pertinet huc præceptum *Basilii* Imperat ad Leon. Fili. *In mente semper habeto parentis tui mores, & ad eorum exemplum vitam tuam studiose componito. Ad rationem vitæ exemplis erudimur*, inquit *Plinius*, l. 8. ep. 18. *Diutius durant exempla, quam mores*, inquit Tacitus, l. 4. hist. *Author est bonorum sequentium, qui relinquit exemplum.* Sym. lib. 9. ep. 75.

Interim negari non potest, nobilium familiarum dedecora esse, qui à majoribus suis nihil nisi nomen habent, & nobiles tantum jactant avos, insignia vel prædia, ipsi interim in omnia effusi vitia, pecudibus quam hominibus similiores: quorum fœcundam messem nostra protrudunt tempora, quæ tamen nec superioribus seculis rara fuit. Unde iniquioribus censuris à Philosophis jam olim vexata *nobilitas hæreditaria*, quæ non nisi antiquis fulcitur nominibus & fumosis imaginibus, expers virtutis propriæ.

- - Quis generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere & præclaro nomine tantum
Insignis?

Juvenalis, Satyr. 8. & ibid.

Tota licet veteres exornent undique cera
Atria, Nobilitas sola est atque unica virtus.

Hominis nobilitas est, inquit Basilius Imperator, *ut animum habeat omni genere virtutum exornatum*. Iniquum igitur priscæ nobilitatis homines nullis virtutibus nobiles præferri novis nobilibus propria virtute fulgentibus & ob eam nobilitatis. Unde cum generis ignobilitas à *Sallustio* exprobraretur *Ciceroni*, *Satius* est, inquit Cicero, *meis gestis florere, quam majorum opinione uti: & ita vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initium & virtutis exemplum.*

Parum illustris est, inquit Plutarchus, *qui præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis: pulcherrimum autem nobilitatis genus, quam sibi quisque propriis virtutibus conciliat.*

§. 39. Quæritur (9) *An Principes quoq; sint nobiles?*

Resp. Si nobiles intelligantur, quos ita vulgo appellamus, qui ab *Imperatore* sunt nobilitati vel ex nobilibus hujusmodi geniti, palam est Principes non esse nobiles: quia Principalis dignitas longe sublimior est nobilitate. Si vero cum Philosophis loquamur & sentiamus, alii recte appellabuntur nobiles, alii non nobiles: quod manifestum, si nobilitatis gradus quatuor consideremus, nempe *nobilitatem divinam, moralem: naturæ & fortunæ*, vid. præcedentia. Nullam harum omnes sibi vendicare Principes possunt: neque ullam harum simpliciter excludit principalis dignitas.

§. 40. Nobiles sunt Principes nonnulli (*Principum* nomine etiam Imperatores & Reges intelligimus) *virtute divina*: quales *David*, *Salomo*, *Hiskias*, *Constantinus Magnus*, *Theodosius Major*, *Carolus Magnus*, *&c.* & superiorum quoque nostrorumque temporum Principes nonnulli. Contra vero multos hanc sibi nobilitatem vendicare non posse, historiæ testantur & res ipsa.

§. 41. Nobiles sunt multi *virtute morali*: quos tamen multos non nobilitari, extra controversiam est. Jam enim olim non nemo de bonorum Principum conquestus est paucitate tanta, ut omnes uni annulo inscribi posse dixerit.

§. 42. Nobiles quoque plerique sunt *nobilitate naturæ*, qui nempe Principes numerant avos, proavosque plurimos. Interim & naturæ generisque nobilitatem defuisse multis legimus: Exempla sunt, *Amasis*, Ægyptiorum Rex, obscuro natus loco: qui ex aureo vase, quod ad turpes usus Ægyptiis servierat, Jovis simulacrum confici & in eminentissimo urbis loco collocari jussit. Hoc cum religiose coleretur, ex vase conflatum dixit *Amasis*, quod olim *Ægyptiorum* vomitus & urinas excepisset. Idem sibi ajebat

jebat contigisse, qui olim plebejus fuisset, jam Rex esset. *Gyges* ex pastore Rex factus; *Artaxerxes* humili apud Persas loco natus; *Arsaces* Parthorum Rex, ignobilis olim latro. *Perdiccas* Macedoniæ Rex ex pastore.

Agathocles, Syracusanorum tyrrannus, ex patre figulo.

Aberthomius Sydoniæ Rex, Alexandri M. hortulanus.

Eumenes, inter *Alexand. M.* successores, aurigæ filius.

Seleucus, & ipse inter *Alexand. M.* successores, satelles *Alex.*

Herodes, Judææ Rex, æditui filius. *Tarquinius Priscus* Romanorum Rex, mercatoris filius: *Augustus Cæsar*; nepos argentarii. *Ælius Pertinax*, Imperator Rom. mercatoris filius. L. *Sept. Severus*, Imperat. Rom. ex obscura & ignobili familia: *Probus* Imperator, patre natus agresti & hortorum studioso. *Aurelianus* Imperator, humili loco natus. *Diocletianus* Imperator, ignobilis libertini filius. *Maximinus* Imperator, opilio à pueritia. *Galerius Maximianus* Imperator; pastor & agricolæ filius. *Philippus Arabs* Imperator, latronis filius. *Valentinianus* Imp. opificis filius. *Mauritius* Cappadox, Imperat. Notarius. *Justinus* Imperat. Thrax armentarius. *Basilius* Imperat. olim venale mancipium. *Pipinus* Imperator, Eremita. *Lamusius*, Rex Longobardorum è vili & publ. natus scorto cum sex fratribus eodem partu editis. *Othom.* primus Turcar. Imperat. agrariis ortus parentibus. *Willegisus* primus Vangionum Archiep. Elector, plaustrarii filius: unde rotam acceperunt insignia Archiepiscop. Moguntinensium.

§. 43. Denique nobiles sunt *nobilitate fortunæ*: quia divites plerique sunt: etsi nec pauperes desinunt esse Principes: nec natalium, nec virtutum splendorem extinguit paupertas. *Turpis paupertas est*, inquit *Plutarch.* in *Catone M.* *non quidem sua sponte, sed ubi socordiæ, intemperantiæ luxus incuriæ est indicium. At in viro temperante, industrio, justo, forti, rempub. gerente omnibus consociata virtutibus*, μεγαλοψυχίας ἐστὶ καὶ μεγαλοφροσύνης σημεῖον, h. e. *animi est insigne magni & excelsi.*

§. 44 Quæritur (10) *Utrum ad vitam recte instituendam plus conferat nobilitas, an congrua educatio?*

Resp. Nobilitas hoc loco intelligitur εὐφυΐα, seu naturæ quædam bonitas & propensio ad honestatem, quæ ex vere nobilibus parentibus in sobolem descendere creditur, & cum semine atque sanguine traduci.

Nos plus *educationi rectæ, quam nobilitati*, hac in parte tribuendum arbitramur: etiamsi utrique suam tribuimus laudem. Ratio est. Quia defectum nobilitatis supplet institutio & educatio: defectum educationis non supplet nobilitas. Unde per educationem

 accuratam

accuratam videmus immutari naturas etiam ignobiles & pravas: Contra vero naturas nobiles, per educationis defectum, ita perverti & corrumpi, ut aliis evadant deteriores, quibus naturæ quadam prærogativa erant præstantiores: quod *Plato* monuit,& *Aristoteles* confirmavit in 1. de Republ. vide *Piccol.* Grad. 8 c. 19. observanda sunt *Platonis* verba, lib. 6. de Republ. *Estne consentaneum, naturam optimam, si diverso alimento nutriatur deteriorem evadere, quam ignavam? Est utiq; : Hac igitur ratione dicimus Adimante, animos præstantissimo ingenio præditos, si male fuerint educati, pessimos fieri. An putas infanda scelera & extremã nequitiam ex ignavo potius ingenio, quã generoso, educatione corrupto, procedere; imbecillam vero naturam in gentium vel bonorũ vel malorum quandoque causam fore? Non certe, &c.*

Ægypti Rex, pater *Sesostris*, eo die, quo natus ipsi filius *Sesostris* erat, omnes eodem die natos ex universa Ægypto, sine delectu nobilitatis & εὐφυΐας, congregavit, nutrices & curatores ab omnibus adjunxit, eandemque omnibus educationis & disciplinæ formam præscripsit. Credidit enim una familiarissime educatos in amicos benevolentissimos & commilitiones optimos evasuros. Cuncta igitur affatim iis subministravit,& assiduis laborum tirociniis pueros exercuit: neque cibum capere ulli permisit prius, quam 180. stadia percurrisset. Factum hinc,ut virilem ingressi ætatem optimis innutriti studiis omnes athletico corporis robore valerent, animisque ad parendum & imperandum, fortiterque quidvis agendum idonei essent. *Diodorus Sicul.* lib. 1. hist.

Socrates matre obstetrice & patre marmorario natus, indolis non bonæ, ut ipse ingenue fassus est, solius educationis, institutionis & assuefactionis bono, nobilissimus evasit, sapientia & morum integritate, suo seculo, nulli secundus. Unde suo exemplo cives ad educationis curam gravissime adhortatus est. Idem *Lycurgus* civibus severe inculcavit, adductis in medium catulis duobus, quorum unum è domesticis & ignavis, alterum è venaticis canibus sustulerat: illumque ad cursum & venationum, hunc ad quietem & voracitatem assuefecerat: unde educationis commendandæ & prędicandæ occasionem sumpsit.

§. 46. *Piccolomineo* aliud videtur, Grad. 8. cap. 21. *ubi educationis quidem majorem & proximiorem agnoscit necessitatem: Attamen nobilitatis vim priorem, potiorem & eminentiorem. Quia educatio,seu congrua assuefactio, proportione videtur respondere cultui; nobilitas vero semini.*

Resp. Proportio non est plane justa. Et cultui & semini respondet educatio atque institutio: Nobilitas quod tribuit semen remotius & imper-

& imperfectius est, & comparandum potius dispositioni pro recipiendo semine atque cultu; quæ si maxime peculiaris à natura non sit: tamen per educationem & institutionem conciliari potest, ut constat exemplis, quæ paulo ante laudavimus. Mens hominis, secundum *Aristotelem*, est à prima sua origine instar tabulæ rasæ, in qua scriptum nihil, scribi tamen per institutionem possunt omnia: ex intellectu tandem in voluntatem transeunt.

§. 47. Excipitur: *Naturam expellas furca, tamen usque recurrit.*

Resp. Non est adeo universale hoc axioma. Multa naturæ vitia hoc est, ad quæ proclivis est natura, præsertim quo ad mores, per institutionem expelli videmus & penitus profligari: sic & indoles non malas, si desit educatio, facile corrumpi & tanto fieri deteriores ex *Platone* & *Aristotele* supra docuimus: quorum sententiam ipse *Piccolomineus* probat. Grad. 8. cap. 19.

§. 48. Quæritur (11) *cur nobiles accurratiore educatione indigeant?*

Resp. Quæstio eadem movetur de educatione Principum: sunt autem causæ tres potissimum:

(1) Quia sunt surculi nobiles & generosi, iique fœcundi, de quibus uberrimos & præstantissimos fructus speramus & expectamus. Atqui plantas fœcundas & generosas diligentius excolere solemus, quam vulgares & steriles.

(2) Quia potiores sunt Reipublicæ & patriæ partes, cujus aliquando rectores & gubernatores sunt futuri: quam etiam in spem educantur, ut tandem exemplo & imperio subditos feliciter & laudabiliter regant: quod absque recta educatione fieri neutiquā potest: quæ nisi virtutes teneris ipsorum animis implantet, ut imperio facili & æquo regere subditos norint; exemplo tamen plus nocent, quam imperio prosunt. *Dii vos*, inquit ad filios *Cyrus*, *caligine quadam non tegunt: sed actiones vestras semper in omnium mortalium luce versari necesse est: quæ si puræ secretæque ab injustitia apparuerint, potentes vos inter homines universos reddent.* Xenophon.

Facere recte inquit *Vellej. Paterul.* lib. 2. *cives suos Princeps optimos faciendo docet: cumque sit imperio maximus, exemplo major est.*

Vita Principis, ait *Plinius* in Panegy. *censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo.*

(3) Quia nobiles & generosæ naturæ, quo magis ingenio pollent, eo deteriores evadunt, ut ex *Platone* & *Aristotele* supra ostendi-

ostendimus, ut ex Angelis per apostasiam facti sunt Diaboli, tenebrarum Principes & inimici humani generis, ita generosi animi male educati & ad vitia assuefacti pestes fiunt Reipubl. hostesque libertatis & honestatis.

§.49. Quæritur (12) *An ratione antiquitatis aliqua nobilitati prærogativa competat?*

Resp. *Negativa* videtur favere ratio. Quod commune est nobilibus cum ignobilibus, per id nulla competit prærogativa nobilibus. Atqui antiquitas communis est nobilibus cum ignobilibus. Ergo per antiquitatem competit prærogativa nobilibus vel nobilitati.

Propositio extra controversiam est: Quia prærogativa est quiddam singulare, per quod alter alteri præfertur merito. Atqui quod commune est omnibus, id nulli singulare & proprium est: neque singulare cuiquam competit jure, nisi propter singulare.

Assumptio patet: Si mundus est æternus, omnes in eodem æternitatis cursu æque locati sumus. Si habuit principium, omnes ex unius primi hominis & parentis semine ortum ducimus. Et hæc est ratio cur Philosophis olim contempta fuerit nobilitas vulgaris; quod viderent sola eam niti antiquitate & avorum proavorumque numero, nulla virtutis meritorumque propriorum habita ratione. Qui & nostris temporibus familiaris est error.

§. 50. Hinc fumosis avorum proavorumque imaginibus multos ita videmus insolescere, ut, qui numero sunt inferiores, insolenter contemnant, quamvis avitæ virtutis in se nihil habeant, & rara quoque ejus in parentibus exstiterint vestigia. A Patre nobili ad abavum nobilem qui non ascendit, itemque à matre nobili ad Abaviam nobilem, ad equestres ludos vulgo admitti non debere creditur: Idque ex Constitutione *Henrici I. Aucupis*, Imperatoris 87. qui Primus nationi *Germanicæ* nobili *Magdeburgi* ludum *Torneamentorum* aperuit, certisque legibus firmavit, Anno 930.

Hosce qui numerat satores vere nobilis habetur, &, qui ad equestria admittatur exercitia, dignissimus, etiamsi alias fœdum est vitiorum mancipium. Quamvis admitti *Henricus* noluerit Christianæ religionis hostes, virginum & viduarum violatores, perjuros, proditores, homicidas, sacrilegos, latrones, piratas, prædones, sicarios, adulteros, authores novorum vectigalium & gravaminum, adulteros, fœneratores, mercatores, læsæ Majestatis reos. De hujusmodi nobilibus disserentem vide *Drexelium*, in Phaët. orb. cap. 44.

Interim ob antiquitatem prærogativam quoque aliquam nobilibus familiis nonnullis competere, simpliciter negari non debet:

debet: quando & prudentes inde materiam laudis sumunt: quod absque ratione facere non præsumuntur.

§. 51. Distinguenda igitur antiquitas; alia est *generationis tantum*, & ex solo annorum æstimatur numero, citra respectum virtutis & meritorum in familia per avos proavosque continuatorum: alia *nobilitatis est virtute meritisque insignibus nixa*, & per avos proavosque ad seros nepotes continuatæ. *Illa* nullam nobilitati prærogativam conciliat, quia omnibus est communis: etsi avos proavosque suos nominare omnes non possunt.

Nemo enim natus sine patre, sine avo, sine proavo, &c. Communis omnium parens est Adam: qui si adhuc superesset, uxorem è fœminis nullam posset ducere: quia omnes ejus filiæ essent.

§. 52. Scire expetis quoto cognationis gradu, qui hodie vivimus, sive Reges, sive Principes, sive Comites, sive Barones, sive Nobiles, sive cives, sive rustici, *Adamo*, primo humani generis satori nobilissimo, omnibus Regibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, civibus & rusticis excellentiori conjuncti simus?

Admodum probabilibus conjecturis affirmat *Johannes Jacobus Hermannus*, Theolog. in centuria illustrium quæst. Decad. 1. q. 10. non ultra gradus centum viginti quatuor ab *Adamo* nos distare. Ecce vero avorum, proavorum, abavorum, atavorum, tritavorum, &c. numero omnes sumus pares. Ad virtutem si provoces, quis affirmare ausit in suis 124 gradibus ab *Adamo* ad hęc usque tempora plura exstitisse omnigenæ virtutis specimina, quam in gradibus hujus vel illius rustici? Unica hodie habetur, *memoriæ* & *notitiæ* ratio: Ignobiles, quos sic vulgus appellat, destituit *Imperatorum & Regum favor majorumque memoria:* Non recens creati sunt nobiles, neque suos, quos tamen habuerunt, avos proavosque numerare & nominare possunt. Interim hęc, nempe antiquitas nobilitatis notæ, virtute meritisque insignibus nixæ & ad seros nepotes continuatę, pręrogativam magnam conciliat.

Quamvis præ his minime contemnendi, etiam qui primi nobilitatis suæ sunt autores: quia virtutis & meritorum propriorum heic inprimis habenda ratio. Ita cultissimi olim *Romani*, ita barbari hodie *Turcæ* judicant.

§. 53. De Romanis *Vellejus Paterculus*, lib. 2. sub finem, hęc habet. *Neque novus hic mos Senatus populique Romani est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. Nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, ab hinc annos*
CCC. T.

CCC. T. Coruncanum, hominem novum, cum omnibus honoribus, tum pontificatu etiam maximo ad principale extulere fastigium & equestri loco natum Sp. Carvilium, & mox M. Catonem, novum etiam, Tusculo, urbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in consulatus, censuras & triumphos provexere: & qui C. Marium, ignotæ originis, usque ad sextum consulatum, sine dubitatione, Romani nominis habuere Principem, & qui M. Fulvio (Tullio legit Lipsius) tantum tribuere, ut pene, assentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret: quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret. Profecto hoc senserunt: In cujuscunque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum.

§. 54. De *Turcis* ita *Busbequius* epist. 1. *Erat ejus* (Imperatoris Turcici) *aula per quam frequens: aderant magnis muneribus præpositi multi: aderant prætoriani equites Sphai, Garipigij, Ulufagi, Gianizarorum magnus numerus. Sed nullus in tanto conventu nobilis, nisi ex suis virtutibus & fortibus factis: natalibus nemo à reliquis distinguitur: honos cuique pro muneris & officij, quod administrat, ratione defertur. Nullum ibidem loco certamen: muneris genus, quo fungitur, suum cuique locum assignat. Munera vero & officia princeps ipse distribuit; in quo non divitias, non famam nobilitatis pendit, non gratiam cujusquam aut multitudinis judicium moratur, sed merita considerat, atque indolem intuetur, ex sua virtute unus quisque ornatur. Ita muneribus, qui sunt ad ea idonei, præficiuntur: suos ibi quisque natales, suam fortunam, quam fingat pro arbitrio, in manu habet. Qui rerum primas à Principe tenent, fere sunt pastorum aut bubulcorum filij, de quo, tantum abest, ut eos pudeat, etiam inter se glorientur, eoque plus sibi tribuunt, quo minus majoribus aut natalium fortunæ debent. Neque enim aut nasci, aut propagari, traducive virtutem putant, sed partim à Deo dari, partim bona disciplina multoque labore & studio comparari. Utque paternam artem nullam, non Musicam, non Arithmeticam, non Geometriam, sic nec virtutem ad filium vel heredem transire, nec animam ex semine paterno suscitari, ut filium patris nasci similem necesse sit, sed cælitus in corpus infundi credunt. Sic ea in gente dignitates, honores, magistratus, virtutum & meritorum præmia sunt. Improbitas, ignavia, inertia, nullo honore pensantur, jacent contemnunturque. Ergo illi rebus gestis florent, dominantur, imperij fines quotidie proferunt. Apud nos alius vivitur moribus: virtuti nihil*

nihil est relictum loci, omnia natalibus deferuntur, opinione natalium omnes honoris aditus occupantur. Attamen in hodierna militia plerunque dignitates, secundum merita, non natales, distribui, & conferri etiamnum videmus. Ex mechanicis creati Duces, Nobiles, Barones, Comites, &c. quanta μεταμορφώσεις! Nemini igitur ad honores intercludere aditum debet natalium obscuritas.

§. 55. Quæritur (13) *Cur nobilitati potius, quam ignobilitati, antiquitas tribuatur?*

Resp. Multas ob causas, inter quas præcipuæ sunt.

(1) Quia nobilitas cum virtute conjuncta esse præsumitur. Atqui virtus est antiquissima: Unde per eam antiquitas nobilitati potius, quam ignobilitati, tribuenda.

(2) Quia nobilitatis avitæ memoria propter virtutem diu conservatur in posteris: contra memoria ignobilitatis propter vitium & obscuritatem cito aboletur.

(3) Quia familiæ nobiles vitam virtutis viventes rectius dicuntur vivere & antiquitate frui, quam ignobiles & obscuræ, vitiis inquinatæ, quibus vita in mortem vivam commutatur. Quod enim de illiteratis *Seneca* ait; *vita hominis sine literis mors est, & vivi hominis sepultura*: Id de ignobilibus vitiosis recte dixeris: *vita hominis sine virtute mors est, & vivi hominis sepultura.*

(4) Quia nobilium virorum origo ad Deos olim est relata: qui antiquissimi cum sint, & cognationis necessitudine nobilibus juncti, antiquitatis jure nobiles cum iis frui merito censentur.

(5) Quia nobiles familiæ ad certum aliquod & unum caput virtute meritisque insigne referuntur, & ab eo antiquitatem suam ordiuntur: Hujusmodi capita cum in familiis ignobilibus & obscuris non sint, ex iis deduci antiquitas non potest.

§. 56. Quæritur (14) *Utrum nobilitas hæreditaria sit potius à patre, quam à matre.*

Resp. Hæreditaria nobilitas est *externa* vel *interna*. *Externa* consistit in respectu externo, qui filiis vel posteris obvenit à parentibus, vel majoribus, nobilitatem virtute meritoque, per Principis autoritatem, consecutis: Unde, nullo propriæ virtutis meritorumque habito respectu nobiles appellantur, gaudentque externis nobilium privilegiis per Principem concessis.

Hanc nobilitatem à patre potius, quam à matre, leges & consuetudo esse volunt: Unde à Patre sumitur familiæ nomen, & propter patres potius, quam matres, appellantur nobiles filii. Et vulgo in plerisq; locis pro nobilibus habentur, qui patre nobili, & matre ignobili sunt nati Contra vero pro ignobilibus, qui matre nobili, & patre ignobili sunt orti. In-

Interna nobilitas consistit in indole nobili & generosa à parentibus in sobolem propagata, qua ad parentum virtutes propendent liberi, & per educationem atque institutionem similes parentibus redduntur facilius. De hac integra adhuc manet quæstio.

§. 57. *Piccolomineus* simpliciter *affirmativam* amplectitur, Grad. 8. cap. 20.

Rationem reddit: *Quia pater sua genitura, tanquam instrumento, prolem format: Fœmina vero pro materia tantum præbet sanguinem. Cum igitur patris genitura congregat, alterat, terminat & format, dominaturque materiæ, sibi similem & generosam constituit prolem, congruens tribuendo temperamentum: dum vero ei non dominatur, sed ob materiæ adversam conditionem vincitur, sequitur quasi monstrum primo non optatum, degeneratio quædam: Prima vero degenerationum est, dum non valens marem formare fœminam format: Itaque mater per pugnantem & adversam materiã causa & occasio fit degenerationis.*

§. 59. Hæc *Piccolominei* ratio partim *falsa*, partim absurda & *monstrosa* est. *Falsum* est, ad generationem sobolis à matre tantum conferri sanguinem & non nisi passivam materiam: Habet & fæmina suum semen, quamvis sine masculo non sit prolificum, uti nec masculinum sine fæminino: *Falsum* est à natura semper intendi generationem masculi. Est enim natura ministra Dei, quæ in generatione sobolis à Deo dirigitur, adeoque non tantum masculum, sed & fœmellam intendit, ad quam non minus à Deo dirigitur quam ad masculum; veluti ab initio in creatione non minus fœminam, quam virum intendit. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium. Absurdum* est & *monstrosum* fœminam appellare *ἁμάρθημα* naturæ, seu *monstrum*: quod peperit absurdum illud dogma, de fœmina præter & contra naturæ intentionem procreata. Assequitur natura finem suum, dum id exsequitur ordinarie, ad quod, tanquam instrumentum, à Deo est ordinata & ordinarie adhibetur. Atqui à Deo ordinata est, & ordinarie adhibetur ad conservationem ordinis in creatione & per creationem instituti. Est autem ille humani generis propagatio, per continuatam non tantum masculorum, sed & fœmellarum generationem: quo spectat benedictio: *crescite & multiplicamini.* Itaque *Piccolomineo* heic non adstipulamur, & quamvis sæpe internam nobilitatem à patre potius, quam à matre esse non inficiemur: tamen interdum, & forsan etiam non raro, à matre potius, quam à patre esse affirmamus: idque ob evidentem rationem.

Quam

Quandoque à patre generosa indoles nulla est, in matre autem est, & agnoscitur: quod extra controversiam est,& plurimis comprobatum exemplis, quæ fere quotidiana sunt. Soboles ex patre ignobili(loquimur de interna ignobilitate,quæ in multis consistit cum externa nobilitate)& matre nobili genita & corpore & indole haud raro similior est matri,quam patri,quod & ipsum experientia comprobat. Respondeat igitur *Piccolomineus*,an hæc sobolis nobilitas sit à patre potius, quam à matre: vel à matre potius, quam à patre? *Prius* ab omni alienum est ratione: quod enim non habet pater, id conferre filio non potest. *Posterius* igitur eligendum. Quidni enim à matre potius, quam à patre esse dicas, per quod matri similior est filius, quam patri? Qua vero id contingat ratione, jam non inquirimus. Unum hoc addimus, si filium patri similem facit genitura patris, quidni matri quoque similem faciet genitura matris? Quod contra matris genituram nonnulli excipiunt, frivolum est, & à Philosophis atque Medicis jam dudum explosum.

§. 60. Quæritur (15) *An paupertas obscuret nobilitatis decus?*

Resp. *Aristoteles*, lib. 4. Polit. *primum* dignitatis & nobilitatis ordinem collocat in opibus; *secundum* in claris natalibus, *tertium* in virtute. Ubi ordinem prorsus videtur invertere. Quis enim virtutem & claros natales opibus non anteponat, quæ pessimo & obscurissimo cuique terræ filio sæpe obtingunt: Interim opes adorat vulgus: & ille apud *Euripidem* laudat ἐυγένειαν ἐν χρήμασι. Sic & *Solon* cives *Athenienses* ex opibus & fortunis ad honores & imperia selegit: quam in sententiam plures adducit *Bodinus*, lib. 3. de Republ. cap. 8. qui nobilitatem à divitiis ingenerari, & decus nobilitatis à paupertate obliterari & aboleri putant, quæ iniquissima vulgi est opinio obsequentes rationes.

(1) Quia nobilitas proprie & principaliter sic dicta judicio recte sentientium non fertur propter divitias, sed propter virtutem & præclara merita: non debet igitur aboleri vel obscurari per paupertatem.

Antecedens patet: quia, propter divitias, ignominiosissimum carnificem & impium parricidam nemo sanæ mentis nobilem judicaverit,vel honesto viro pauperi prætulerit. Unde *Bartolus* scribit in. d. l. 1. col. 3. de dig. C. *Nobilitatem nec ab opibus dari, nec ab inopia adimi.*

(2) Quia ab omni alienum ratione est, virtutis aboleri vel obscurari præmium atque decus per id, quod per se turpe non est, & sine opprobrio est. Atqui paupertas per se turpis non est. Πενία οὐκ ἔστι ἔγκλημα, inquit *Philostratus* ep. 44. *Finge*, inquit

Cccc Apulejus

Apulejus in Apolog. *me ideo pauperem, quia mihi fortuna divitias invidit, easque, ut ferme evenit, aut tutor, aut inimicus eripuit, aut pater non dedit. Hoccene homini opprobrari pauperiem, quod nulli ex animalibus vitio datur: Non aquilæ, non tauro, non leoni, &c.* In *viro temperante*, inquit *Plutarch.* In Caton. M. *industrio, justo, forti, rempublicam gerenti paupertas omnibus consociata virtutibus animi est insigne magni & excelsi.* Ad summa hodie videmus eniti plures pauperes, quam divites.

(3) Quia honestas nihil habet cum fortuna commune, nec veræ virtutis ac nobilitatis possessio vel furtis eripi, vel incendio absumi, vel aquarum voragine absorberi, aut vi ulla perire potest: quibus omnibus eripi divitiæ possunt.

(4) Quia nobilissimi Græcorum, & Romanorum olim æquissimo animo paupertatem tulerunt, & cum potuissent eam divitiis permutare, tamen noluerunt: neque apud *Romanos* & *Græcos* propter paupertatem in minori fuerunt pretio.

§. 61. Exempla nobis historiæ insignia suppeditant.

Epaminondas Thebanus, tot victoriis clarissimus imperator divitiarum abstinentissimus unica veste contentus fuit: quam si vetustate attritam resarciri necesse esset, domi clausum se tenuit qui tamen *Thebanis* non minus fuit charus & magnus. *Plutarch.* in Epamin.

Lysandri Lacedæmonij, qui *Spartanorum* duxit exercitum, & *Athenensem* rempublicam Lacedæmoniis parere coëgit, domestica paupertas post mortem ejus demum est cognita: ob quam cum filias ejus generi, qui amplam sibi à socero dotem promiserant, repudiassent, à *Spartanis* graviter multati sunt, quod memoriam contemnerent defuncti soceri pauperis, quem opinione sua divitem nuper vivum coluissent. *Sabellicus.* lib. 2. Enn. 4. Similes generos etiam hodie reperias.

Aristides Athenensis dixit: posse se honestius veriusque de sua gloriari inopia, quam de immensis suis opibus *Calliam*, Atheniensium ditissimum: eo quod complures essent, qui fortunas suas in usus turpes collocarent, paucissimi vero, qui generose paupertatem ferrent: quæ tamen nulli, nisi invitis esset indecora. Mortuus proprio sumptu funerari non potuit: Filiæ ex publico ærario sunt dotatæ. *Sabellicus* & *Plutarch.*

Phocion paupertate, tanquam virtute gloriabatur, quamvis toties *Athenensium* Dux fuisset, Regumque usus amicitia consenuisset. *Plutc. ib.* Obtulerat ei aliquando *Philippus, Macedoniæ Rex*, ingentem pecuniarum cumulum: quem accipere recusabat Hortantibus vero oratoribus, ut, si carere pecuniis posset, filu-

tan-

tamen eas acciperet, quibus in tanta paupertate paternam dignitatem tueri difficile futurum esset: Respondit: *Si mihi fiant similes liberi, hic idem agellus, qui me ad hanc dignitatem evexit, illos educabit. Sin dissimiles: nolo ipsorum luxuriam opibus alere.* Hinc inter *Græciæ* Sophistas quæsitum: *Majorne Philippus esset, an Phocion, qui Philippi aurum contempsisset?*

C. Fabricius, civis Romanus nobilissimus, paupertatis exemplum & norma, oblatas à *Samnitibus* divitias neglexit. Unde filiæ ejus, ex nimia paupertate, de publico sunt dotatæ. Hunc cum *Pyrrhus*, *Epirotarum* Rex, nec auro, nec pollicitationibus expugnare potuisset, secum esse voluit, & proximum à Rege Principatum obtinere. *Plin.*

L. Quintio Cincinnato quatuor tantum aranti jugera, non tantum dignitas patris familiæ constitit, sed etiam dictatura delata est. *Valer.* lib. 4. cap. 4.

Cn. Scipio, post res in Hispania præclarissime gestas, in summa decessit paupertate: cujus filiæ ob paupertatem ex publico sunt dotatæ. *Front.* Lib. 4. cap. 3.

Nobilissima fuit familia *Ælia*, & tamen eodem tempore XVI. *Ælios* una habuit domuncula. Unus in agro *Veiente* fundus erat, qui pauciores desiderabat cultores, quam habebat Dominos.

L. Paulus Æmilius, civitatis Princeps, qui bis consul fuerat, & bis triumphaverat, adeo decessit inops, ut, nisi fundus, quem unum reliquerat, væniisset, non invenisset uxor ejus, unde dotem accipere potuisset: Laudat *Valer. Max.* illustres *Romanorum* familias: quod in iis unusquisque rem patriæ, non suam, augere properaverit, pauperesque in divite, quam divites in paupere imperio versari maluerint: Addit, *huic tam præclaro proposito illam esse mercedem redditam, quod nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecunia licuerit, & illustrium virorum inopiæ subventum publicè fuerit.* Interim longe aliter sentiunt plerique seculi nostri milites, & quidem non tam gregarii, quam qui hisce imperant. Omnes ii pecuniæ corradendæ, & pauperibus extorquendæ occasiones avidissimè captant.

§. 62. Quæritur (6) *Utrum familiis illustriorem præbeant nobilitatem literæ, an arma?*

Resp. *Piccolomineus*, Grad. 8. cap. 22. ait: nec arma, nec literas nobilitatem parere: eo quod nobilitas sit virtus generis per naturam & ortum nobis competens, non per actiones & merita virtutum: quibus tantum patefieri & illustrari nobilitatem affirmat. Ita igitur quæstionem informandam judicat: *Utrum nobilitatem magis patefaciat & illustriorem reddat?*

§. 63. Nos *Piccolomineo* heic non assentimur. Etiamsi enim negari non potest, nobilitatem quandoque pro nobili indole à parentibus derivata accipi, quæ generis appellari virtus solet: tamen & hoc negari non debet, acquiri quoque nobilitatem à non nobilibus, sive per divitias, sive per morales virtutes, aut etiam disciplinas contemplativas, quæ natura homini non insunt, sed vel ab extraordinaria sunt infusione, vel ab ordinaria educatione, institutione, actione: unde distinctio nobilitatis in *divinam* & *moralem* nobilitatem distinguit à nobilitate *naturæ*: quam solam hoc loco videtur agnoscere: Sed minus recte, & contra receptissimam sententiam atque praxin. Confert Princeps nobilitatem propter merita, non collatam tantum patefacit; etsi causam nobilitatis meritoriam in se habet, qui nobilitatur: ob quam tamen, nisi Principis accedente gratia, jura nobilitatis in specie sic dictæ vendicare sibi non potest. Unde nobilitatem falso sibi arrogans non tantum falsi, sed & læsæ majestatis crimine tenetur: quod è Dd. probantem vide *Carpzovium*, de l. Reg. Germ. cap. 3. sect. 13. §. 48.

§. 64. Jam igitur ad quæstionem nos convertimus, & pro literis contra arma stamus: idque ob sequentes rationes.

(1) Quia literæ & doctrina humanæ naturæ magis congruunt, quam arma: moresque magis componunt, & animum tranquillant, quam arma.

(2) Quia literæ & doctrina imperant armis, iisque modum præscribunt.

(3) Quia arma plerunque conjuncta sunt cum injustitia, si non causæ (quam sæpe justam esse non diffitemur) saltem modi, quo in fervore belli plurima geruntur. Unde *Maximus Tyrius*, disser. 14. bellum appellat διδάσκαλον ἀδικίας, h. e. *magistrum injustitiæ*. Et apud *Euripidem Hecuba*. In bello κακὸς ὁ μὴ τὶ δρῶν κακόν, h. e. *malus est, qui non facit malum*. Et Lucanus, Lib. 1.

Imminet armorum rabies, ferrique potestas
Confundit jus omne manu, scelerisque nefandi
Nomen erit virtus.

Pertinet huc tritum illud: *Inter arma silent leges*: cujus veritatem hactenus *Germania* nostra vicennali hoc bello experta est.

(4) Quia erudita prudentia & consilio pleraque confici possunt sine sanguine & cædibus, quæ armis difficulter conficiuntur, non sine multo sanguine & cædibus. Imo plura quoque & majora, quam armis. Hinc *Pyrrhus* profitebatur, plures urbes per *Cyneam* oratione, quam armis à se, subactas esse. *Plut.* in Pyrrho.

(5) Quia nobilitas animi potius, quam corporis est bonum

num: Atqui literæ animum magis excolunt, quam arma.

(6) Quia plerunque diuturnior est literarum, quam armorum usus. Strenuos suos cultores *Mars* cito perimit, & plerosque in medio fortium factorum cursu intercipit, adeoque consummatam nobilitatem invidet. Literæ vero ad extremam senectutem cultorum suorum multos deducunt, & rerum præclare gerendarum opportunitates monstrant plurimas.

(7) Quia Deus, omnis nobilitatis fons, divinæ humanæque sapientiæ actiones gratiores habet, quam fortitudinis bellicæ: pacisque studia bellicis turbis præfert: uti etiam ad veniam pronior est, quam ad vindictam. Memorabilis est ratio & causa, cur Deus Salomone potius, quam à Davide, templum sibi ædificari voluerit, 1. Chr. 28. v. 3. *Deus dixit mihi: non es ædificaturus domum nomini meo, quia vir bellus occupatus es, & sanguinem fundis.* & v. 6. *Salomon filius tuus ipse ædificaturus est domum meam & atria mea. Georgius Fronsbergius*, qui cum duce *Borbonio* & Comite *Nicolao à Salm*, Regem Galliæ *Franciscum* ad *Papian* vicit, sæpe conqueri solitus est: *quod plus in aula possit novitas literata, quam nobilitas antiqua.*

§. 65. Quæritur (17) *Quænam Reipubl. forma nobilitati fovendæ & amplificandæ sit accommodatissima.*

Resp. *Aristocratica*. In qua minus obnoxia est nobilitas invidiæ & odio, quam in *Monarchia* & *Democratia*. Siquidem in *Aristocratia* præmium virtuti propositum est amplissimum, ad quod cuivis, sine invidia & odio, patet aditus. Unde nuspiam major esse solet nobilium copia, quam in *Aristocratia*, quia nuspiam major emergendi est occasio, quam in *Aristocratia*. In *Monarchia* magis premi solet nobilitas: quo enim altius per virtutem assurgit, eo magis suspecta esse incipit, & tandem odium incurrit. In *Democratia* contemnitur, in qua vulgi sordes à nobilitate non discernuntur, & pari habentur loco *Tros Tyriusque*.

Accedit, quod nobilitas libertate maxime gaudeat.

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur

Nobile & servile ingenium. Atqui major nuspiam libertas obtingit ingenio nobili, quam in *Aristocratia*. In *Monarchia* libertas nobilium suspecta est: In *Democratia* itidem suspecta est: quia in utraque mutationem status videtur moliri & ad Reipublicæ gubernacula adspirare.

§. 66. Quæritur (18) *An laus sit appetenda?*

R. Hactenus de nobilitate quæstiones præcipuæ. Ad hanc quoq; materiam pertinet laus vera & a viris laude dignis profecta. Hanc modice appeti posse & debere sapientes judicant. Rationes sunt.

 (1) Quia

(1) Quia vere laudari à laudatis & laude dignis bonum est: Atqui bonum est appetibile, & quo magis est bonum, eo magis appetitum excitat.

(2) Quia est ad majora incitamentum: unde acerrimum monendi stimulum *Plinius* appellat, lib. 5. ep. 17.

(3) Quia est præmium virtuti debitum: unde *Cicero* pro Archia: *Nulla virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ.* Idem lib. 2. de orat. ait: *laudem uni virtuti deberi.*

§. 67. Objicit contra laudis appetitum *Jacobus Bononiensis* in Boëth.

(1) *Laus est in arbitrio profanæ multitudinis. Ergo non est appetenda.* Ratio conseq. *Quia, ex Senecæ præscripto, vitanda sunt, quæ vulgo placent.*

Resp. Antecedens non est universale. Non appetenda laus profanæ multitudinis, sed virorum laude dignorum. *Nam si esse cura nobis solet, ut facies nostra ab optimo quoque artifice exprimatur: nonne debemus optare, ut operibus nostris similis tui scriptor prædicatorque contingat?* Plin. lib. 7. ep. 33. & Symmach. lib. 1. ep. 3. *laudari à laudato viro rara est merces.* Interim nec populi laus plane contemnenda:

- - *An erit, qui velle recuset*
Os populi meruisse?

Exclamat *Persius.* Non enim omnis & semper insanit populus.

§. 68. (2) *Laudem à populo profectam plerumque comitatur invidia. Unde Tacitus in Agric. vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantia recti & invidia: Ergo non est appetenda.*

Resp. Negatur *consequentia.* Sic enim nec felicitas esset appetenda: quia nemo felix ab invidia tutus est. Hinc *Seneca* in consol. ad Polyb. cap. 21. *raro ulli homini contigit, ut felicitas ejus effugeret invidiam.* Apud *Stobæum Epicharmus* inquit: *Proculdubio nullus est hominum, cui nemo invideat, nisi fortè omnium miserrimus. Cui aut invidia speranda, aut plane desperandum.*

§. 69. (3) *Laus & gloria sunt res fallaces & inanes: Ergo non sunt appetendæ*: Antecedens probatur ex illo *Euripidis*, in *Andromache*: *ô gloria! nihil aliud es, quam aurium inflatio magna.* Et illo *Platonis* in Lyside, *plerunque cum laudari & extolli sentiunt, fastu & insolentia tumescunt.*

Resp. *Antecedens* simpliciter & universaliter verum non est: Laus vera non fallit, neque omnis evanescit, neque omnes inflat, sed imprudentes & supra modum ejus cupidos.

Ipsa

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.
Dulce tamen venit ad manes, cum gloria vitæ
Durat apud Superos, nec edunt oblivia laudem.

Silius Italicus, lib. 13.

Ex historia hæc eveniunt, ut viri fortes, qui fatum suum impleverunt, gloriam immortalem adipiscantur & à posteris laudentur. Donys. Halycarn. lib. 1.

§. 70. Quæritur (19) *Cur laus propria sordeat?*

Resp. Laus dicta nonnullis videtur a Græco λαὸς, populus: eo quod populi sit, aut esse debeat, vox de virtute bene meriti: unde per ipsum laudis etymum laus propria repudiatur. *Græcis* laus ἔπαινος dicitur. Propriam vero laudem proprie iidem non ἔπαινον appellant, sed περιαυτολογίαν: qualis illa *Achillis* apud *Homerum*: *Nonne vides, quam pulcher ego sim & magnus!* Nunquam non improbata sapientibus περιαυτολογία: Hinc sapientissimus *Salomon*: *Laudet te os extranei, non autem os tuum: alieni, non autem labia tua.* Natum inde proverbium, *Laus propria sordet:* & præceptum *Catonis*:

Nec te laudaris, nec te culpaveris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Ut exosam reddat περιαυτολογίαν *Plutarchus*, comparat eam homini propria viscera præ fame devoranti, & loco pestilenti: *ut, qui vehementi laborant fame, nec est, quod edatur, suis ipsorum artubus vesci coguntur: ita quidam, præ fame gloriæ, seipsos non possunt non laudare, si desit à quo laudentur.* Item: *Quemadmodum jubemur, aut omnino cavere locum pestilentem, aut, si in eo sis, circumspecte agere: Sic aut omnino vitandum, ne laudes te ipsum, aut id caute & circumspecte agendum.* Sic *Cicero* lib. 1. off. *Deforme etiam est de ipso prædicare falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.*

§. 71. Ut ἥδιστον ἄκουσμα ἔπαινος, secundum *Xenophontem* sic οὐδὲν οὕτως ἄκουσμα φορτικὸν, ὡς ὁ καθ' ἑαυτοῦ ἔπαινος. Rationes reddit *Plutarchus*.

(1) Quia *impudentes* eos arbitramur, qui seipsos laudant: decebat enim eos pudor, etiamsi ab aliis laudarentur.

(2) Quia *injustos:* Sibi sumentes scilicet, quod tribui ab aliis debuit,

(3) Quia aut silentes videbimur moleste ferre & invidere, aut, hoc dum vitamus, cogemur præter animi nostri sententiam ipsi quoque ad laudandum conferre, & seipsos testimonium dicendo in faciem laudare: hoc est, rem in nos recipere, quæ magis illiberali adulationi, quam honoris exhibitioni convenit.

Bella es, novimus, & puella, verum est,
Et dives, quis enim potest negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec dives, neque bella, nec puella es.

Martialis, lib. 1. Epigr.

§. 72. Cur autem propria laus sordescat, ratio est, quia nemo idoneus de se ipso testis est. Hinc ipse Christus, Johan. 5. v. 31. *Si ego testor de me ipso, testimonium meum non est idoneum:* & Impp. *Valent. Grat.* & Valenti. cod. de Fest. l. 10. *omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt.*

§. 73. Arguit quoque propria laus *imbecillitatem judicii*: unde stulti dicuntur, qui seipsos laudant.

§. 74. Potest tamen absque reprehensione se ipsum aliquis laudare, si calumniæ aut accusationis depellendæ gratia hoc faciat, idque cum deprecatione invidiæ, jactantiæ, &c. unde trita illa formula, *quod citra invidiam exaudiri velim, quod sine jactantia dictum velim.* Videatur *Plutarchi* libellus de ratione qua quis seipsum citra invidiam laudare possit. Breviter observentur modi, quos *Plutarchus* recenset.

(1) Si calumniæ aut accusationis depellendæ gratia id facias.

(2) Si in aliquam incideris calamitatem: ubi non ambitioni indulgere, sed adversus opprimentem fortunam emergere, & animi magnitudine te erigere velle videberis.

(3) Si ingratis exprobranda sint beneficia.

(4) Si recte facta tua culpentur.

(5) Si ejus, quod vitio tibi datur, contrarium turpe & odiosum esse ostenderis.

(6) Si de te dictis auditorum admisceas laudes.

(7) Si, quæ communia tibi sunt cum aliis, honesta studia, actiones, mores in aliis tempestive laudaveris, & sic auditores tibi conciliaveris & in te converteris.

(8) Si res tuas præclare gestas fortunæ vel Deo acceptas tuleris.

(9) Si laudem ab alio in te profectam transferas, & alio potius nomine te laudari, si dignus videaris, jubeas, ut, si quis te laudaverit à doctrina, divitiis, potentia, &c. jubeas laudare potius, si bonus, si innocens, si patriæ utilis videaris.

(10) Si laudibus tuis etiam defectus aliquos & errata leviora admisceas, veluti umbram splendori.

(11) Si excitandi studii æmulationisque virtutum gratia ad auditores de te verba feceris.

(12) Si reprimendus, humiliandus & cicurandus sit homo aliquis insolens & ferox.

(13) Si timidus & attonitus sit animandus.

§. 75. Quæritur (20) *Qui & quomodo sint laudandi?*

Resp. Non sunt laudandi nisi laude digni, quod de rebus quoque intelligendum: Laudantur enim personæ & res.

Ratio est evidens; quia laudatio indignorum est vituperatio dignorum, & confusio malorum cum bonis, virtutum cum vitiis. Est enim laus virtutis præconium & præmium: unde vitium non potest laudari, quin pro virtute habeatur, limitesque virtutum & vitiorum confundantur. Hinc pia *Platonis* in *Minoë* sententia. *Deus nimium indignatur, quoties quispiam illius similem improbat, aut probat dissimilem.* Injuriam igitur bonis faciunt, qui laudant malos, & in virtutem iniqui sunt, qui æqui in vitia sunt: adeoque nec eorum nobis probatur institutum, qui quasi per lusum & ingenii causa laudant sive personas, sive res laude indignas. Veluti Helenam adulteram laudavit *Isocrates*. Phalarim, *Andreas Arnaudus*; Neronem, *Cardanus*. Ebrietatem, *Christophorus Hegendorphinus*, *Gerardus Bucoldianus*, *Robertus Turnerus*. Injustitiam, *Thrasymachus* apud *Platonem*, *Carneades*, apud *Lactantium*. *Christophorus Neander*. Parasiticam, *Lucianus*. Barbariem, *Iohannes Picus Mirandulanus*. Stultitiam, *Erasmus*. Mendacium, *Iohannes Passeratius* & *Elias Major*. Invidiam, *Dornavius*. Febrim quartanam, *Favorinus*. Podagram, *Bilibaldus Birckheymerus*, *Jacobus Pontanus*, *Cardanus*, *Johannes Cornarius* & alii. Qui omnes magnorum ingeniorum sive lusus, sive abusus, videantur in *Casparis Dornavii Amphitheatro sapientiæ Socraticæ, tom.* 2.

§. 76. Laudandi vero, qui laude digni.

(1) *Absentes, non præsentes, & in faciem.* Quia rem ipsam laudari intelligimus, si absentibus potius fiat, quam præsentibus nobis. *Plutarch.* de amic. & adulat. discern. In os laudare adulatoris potius, quam sinceri laudatoris est. Unde *Terentianus* ille: *Ah vereor coram in os te laudare amplius.*

(2) *Sincere* & *ingenue:* sine fuco & adulatione, sine invidia: Contra, quam ii, qui in aliis nihil laudant, nisi quod se imitari posse sperant.

(3) *Non frigide:* Quia frigida laus est quędam vituperationis species: Et *alios qui maligne laudant, suas esurire & sitire laudes videntur.* vide *Gell.* lib. 19. cap. 3.

(4) *Parce*, non nimium: Hinc *Seneca, lauda parce: vitupera parcius: Similiter enim reprehensibilis nimia laudatio, & immoderata vituperatio: illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est.* λίαν αἰνεῖσθαι βάρος: *nimis laudari grave est.* Eurip.

III.

Adverſatur bonæ famæ mala fama, ſeu infamia & detractio.

Ἔκθεσις.

Infamia mortis ſpecies fœda profanæ,
Horrenda necat non ſemel, ac pullulat ultro;
Creſcenſque ſui fænoris exigit tributum.

Inquit *Scaliger.* lib. 3. Epidorp.

Infamia malum intolerabile eſt iis, inquit Sophocles, *qui ſe bonos prognatos eſſe ſciunt.* Et *plus pœnæ in ea dicimus, quam in morte.* *Quintilianus.* lib. 6. cap. 2. Unde *Plato* in Menexeno: *Cum nobis liceret turpiter vivere, honeſte emori maluimus, quam vos cæteroſque poſteros infamiæ cuidam ſubjicere, ac parentibus noſtris majoribuſque dedecori eſſe.* ἡγέμενοι τῷ τοὺς αὐτοῦ αἰσχύνοντι ἀβίωτον εἶναι, καὶ τῷ τοιούτῳ οὔτέ τινα ἀνθρώπων οὔτε θεῶν φίλον εἶναι, οὔτ᾽ ἐπὶ γῆς, οὔτ᾽ ὑπὸ γῆς τελευτήσαντι.

§. 2. Quamvis neminem innocentem ſuorum infamia infamari affirmet *Plutarch.* περὶ εὐθυμίας: *Agidi* uxor adultera non obſtitit, quo minus Græcorum clariſſimus fieret & maximus. Neque *Stilponem* prohibuit ἱλαρώτατα ζῆν ἀκόλαστος οὖσα ἡ θυγάτηρ. Unde *Metrocli* id exprobranti: *Meumne*, inquit, *hoc eſt peccatum, an filiæ?* Dicente *Metrocle, filiæ peccatum eſt, tuum infortunium. Quid ais?* reſpondit: *Nonne peccata etiam ſunt lapſus? omnino*, ajebat *Metrocles: Quid, inquit? Nonne lapſus ſunt earum rerum lapſus, quibus aſſequendis excidimus?* Aſſenſit. *Nonne vero*, inquit, *iſtæ à rebus appetitis aberrationes eorum ſunt infortunia, qui eas non aſſequuntur*, ita placido & Philoſophico ſermone oſtendit, vanum latratum eſſe *Cynicam* calumniam.

§. 3. Detractio definitur à Thoma, 2. q. 73. art. 1. *Denigratio alienæ famæ per verba occulta:* Duobus enim modis lædi fama poteſt, *aperte* & *in os*, per contumeliam: & *occulte* per detractionem, quæ abſentem ferit. Unde *Antonius Magnus* interrogatus, *quid ſit detractio?* reſpondit: *Eſt omnis ſermo malus, quem non audet quis præſente eo proferre, de quo loquitur*; ingens orbis malum, nunquam ſatis vel accuſandum, vel deplorandum.

Varii ſunt fontes hujus mali, nempe vel *ſuperbia*: quando ſuam obtrectator oſtentat ſcientiam: vel *levitas animi & adulatio*;

tio; dum quis narrando talia placere aliis studet: vel *invidia*: dum aliena lucra reputat sua damna, & felicibus aliorum ægrescit successibus: vel *simultas* & *alienatio*: dum animum vindictæ cupidum satiare obtrectator desiderat: vel *longa maledicendi consuetudo*: qua etiam nõ cogitantibus nociturum elabitur telum: cujusmodi *Canis Rhetoricus* fuit *Zoilus*: Ælian. l. 11. var. hist. c. 10.

§. 4. Octo potissimum modis alicui detrahi observant docti.

(1) Quando orationis adhibetur falsitas & falsum dicitur, vel veris falsa miscentur.

(2) Cum latens tectumque peccatum è latebris in lucem profertur: qua ratione non quidem de veritate, sed de fama aliquid decerpitur: nulla urgente necessitate.

(3) Cum crimen sive verum, sive falsum exaggeratur: quod, cum alterius narrantur vitia, sæpissime fit.

(4) Cùm narratur quid minime malum, sed velut intentione factũ non bona, vel per hypocrisin, vel per spem privati cõmodi, &c.

(5) Cum qui detrahit, nihil quidem affirmat, sed hoc vel illud spargi tantum ait: vel dubie rem profert: fortasse talis, aut talis est, non alienum hoc est ab ejus moribus: ita solet, &c.

(6) Quando in dubium vocatur, quod in laudem alterius ab alio dicitur: vel contradictio sequiore frontis, oculorum, oris aut capitis nutu gestuque significatu.

(7) Quando interrogatus de alterius probitate morumque integritate malevole silet.

(8) Cum quis ob admissas noxas coram aliis jure reprehenditur: ille vero se reum negat & pernegat, & sic in reprehensorem mendacii infamiam derivat.

Ut detractores facilius fidem impetrent, artibus sæpe utuntur, & hypocrisews larvam induunt. Præmittunt alta suspiria, vultum ad mœstitiam componunt, supercilia demittunt, condolentium affectus simulant & invitos se turpitudinem propalare mentiuntur. Vide *Bernhardum*, serm. 24. in cantic.

Quantorum malorum mater sit detractio, docentem vide *Drexelium* in *orbis Phaëthonte*, cap. 16.

§. 5. Turpitudinem hujus vitii obtrectatorum arguunt nomina. Appellantur enim *canes*, *Erici marini*, *scarabæi*, *hirudines*, *Porci*, *Leones*, *Hyenæ*, *Serpentes*, *Adulatores monetæ*. Rationes vide lib. alleg. cap. 17.

Quam graviter peccent, qui detractoribus aures præbent, idem prolixe docet, cap. 18. ubi triplex documentum auditoribus dat. 1. *Seipsos inspicere & secum habitare*. 2. *Sermonem male captum alio derivare*. 3. *Subducere se tamen nexu fabulis*.

CAPUT

CAPUT VI.

De

VITÆ SUFFICIENTIA.

THESIS I.

Fuit bona Fama: *Sequitur vitæ sufficientia, quæ est rerum, cum ad vitam, tum ad civilem conversationem necessariarum possessio.*

Ἔκθεσις.

§. 1. STUDIUM *sufficientiæ vitæ* nobis commendant rationes & exempla: Rationes sunt.

(1) Quia non parva ægritudo est paupertas, quam non aliter atque gravem ac difficilem morbum liberis tradere formidamus, *Plutarch.*

(2) Quia conducit vitæ sufficientia ad salutem corporis & congruentem habitum personæ hominis: teste *Augustino.*

§. 2. Intelligitur autem *vitæ sufficientia*, non nimia bonorum fortunæ copia, sed ea possessio, quæ intra mediocritatem se continet: idque magnorum virorum judicio.

Augur pauperiem deprecatur & divitias: pasci autem se petit stato victu, ne aut satiatus evadat ingratus, aut egestate nimia pressus furetur. *Plato* mediam possessionem bonorum optimam ait. *Aristoteles* tantas convenire opes judicat, quantæ nec possidenti insidias parent, nec rerum necessariarum inopiam; *divitiis*, hoc est, magnæ copiæ bonorum fortunæ, *vitæ sufficientiam* omnes præferunt sapientes, ob frequentissimum & periculosissimum divitiarum abusum. Ne millesimus quidem inter homines est, qui divitiis recte uti sciat, aut velit. Unde *Seneca* exclamat Epist. 110. *turpe est beatam vitam in auro & argento reponere.* Similia in veterum Philosophorum scriptis occurrunt plurima. Gravissima est illa Christi sententia: Matth. 19. v. 23. 24. *Amen, dico vobis: difficile dives introibit in regnum cœlorum. Rursum vero dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei introire.* Ad eos, qui egestatem metuunt, vide dissertationem *Epicteti* apud *Arrian.* lib. 3. cap. 26.

Ad

§. 3. Ad *Sufficientiam vitæ* parandam tria sunt media necessaria.

(1) Precatio ardens.

(2) Labor assiduus.

(3) Parsimonia.

Principales & *minus principales*, *externas* & *internas* Beatitatis *partes* elegantibus versiculis complectitur *Martialis*, lib. 10. car. 47.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta:
Non ingratus ager, focus perennis:
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,
Vires ingenuæ, salubre corpus,
Prudens simplicitas, pares amici,
Nox non ebria, soluta curis:
Non tristis thorus, attamen pudicus:
Somnus qui faciat breves tenebras:
Quod vis esse velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Apud *Gellium* vide disputationem inter *Stoicum* & *Peripateticum* de beatitate & ejus partibus, lib 18. cap. 1.

§. 4. Quæritur (1) *In quibus rebus divitiæ consistant?*

Resp. Dives *Grammaticis* dicitur, quasi divus: quod à Deo obveniant divitiæ,& quasi Deus sit dives, qui nulla re egeat: distinguuntur *divitiæ* à *sufficientia vitæ*.Illæ excessum, hæc mediocritatem notat: *paupertas* defectum. Quamvis à sapientibus dives dicatur, cui eorum, quæ necessaria sunt, *nihil deest*. Plerunque tamen divites ii appellantur, quibus plus suppetit, quam necesse est. Olim apud *Romanos* certus divitiarum modus erat constitutus. *Divitiæ habitæ dena millia æris*, inquit *Plinius* lib. 4. cap. 45. Censoria lege nobilissimo cuique senatori libras 10. argenti in supellectile habere nefas erat: in quo summa illa deprehendebatur, is è senatorum albo eradebatur: *Seneca* de vit. beat. cap. 21. Et *Cæsar* edixit, ne quis vel in argento vel in auro possideret plus pecuniæ, quam L X. sestertia: de quibus consulendus *Budæus*. Tandem vero intra modum se continere auri fames desiit.

Distinguunt nonnulli *divitias* ab *opibus*: illæ dicuntur esse ad necessarium usum: hæ ad magnificentiam: quod tamen discrimen vulgo non adeo attenditur. Olim maximam partem divitiæ consistebant in agris & pecoribus. Unde *pecunia* postmodum nomen accepit: quæ stricta significatione non nisi nummos

signatos

signatos notat: lata, quicquid in terra homines possident, & quorum sunt Domini: qualia, *servus*, *vas*, *ager*, *arbor*, *pecus*, *nummi*. Unde Synonyma sunt, *divitiæ* & *pecuniæ*: quarum partes *Aristoteles* recenset, lib. 1. Rhetor. cap. 5. *nummos*, *agros*, *prædia*, *suppellectilem*, *animalia bruta*, *mancipia*, quæ usibus necessariis & magnificentiæ inserviunt: Aristoteli πλοῦτος definitur πλῆθος ὀργάνων οἰκονομικῶν καὶ πολιτικῶν: *multitudo instrumentorum œconomicorum & politicorum*, vel, *rei familiaris & publicæ*.

§. 5. Negat *Aristoteles*, lib. 1. Polit. divitias in nummis consistere. *Rationem* reddit: quia divitiæ veræ sunt natura, non lege & instituto: Atqui nummi non natura, sed lege & instituto sunt: qui utentium arbitrio mutantur: Quanti enim homines nummum valere volunt, tanti valet: qui, si vellent, abrogari plane posset, & inutilis reddi. Sed divitias veras tantum natura non lege esse, hodie nemo facile dederit *Aristoteli*, cui, ut ante vidimus, divitiæ sunt organa œconomica & politica, adeoque non minus nummi, quam pecudes, &c. Interim admittimus distinctionem divitiarum in *naturales* & *artificiales*: illæ sunt pecudes, agri, &c. hæ, nummi.

§. 6. Quæritur (2) *An divitiæ sunt bonæ?*

Resp. Ansam quæstioni præbent varia de divitiis judicia hominum: quorum alii eas laudant, alii vituperant, alii per se nec laudandas, nec vituperandas, sed ex usu vel ab usu æstimandas; judicant.

Qui laudant, sequentibus utuntur argumentis.

(1) Quia omnia divitiis parent: quæ *Aristophanis* est sententia: ἅπαντα τῷ πλουτεῖν γάρ ἐσθ' ὑπήκοα. Unde *Petronius* in Satyra.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura:
Fortunamq; suo temperet arbitrio:
Uxorem ducat Danaen, ipsumq; licebit
Acrisium jubeat credere, quod Danaën.
Carmina componat, declamet, concrepet omnes,
Et peragat causas, sitq; Catone prior.
Juris-Consultus. PARET NON PARET habeto:
Atq; esto quicquid Servius & Labeo:
Multa loquor: quidvis nummis præsentibus optat.
Et veniet: Clausum possidet arca Jovem.

(2) Quia omnia iis patent. Unde *Philippus* ajebat: *omnia castella expugnari posse, in qua modo asellus onustus auro posset ascendere. Cicero* ad Attic. lib. 1. Epist. 11.

Et Ho-

Et *Horatius* lib. 3. carm. od. 16.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo, &c.

(3) Quia omnia ex parant. Hinc apud *Stobæum Menandria*: *Epicharmus quidem dicit Deos esse ventos, solem, terram, aquam, ignem, stellas: Ego autem utiles esse Deos arbitror argentum nostrum & aurum. Nam illos, si collocaveris in domum, pete quicquid voles, assequeris omnia: Agrum, domos, servos, argentea pocula, amicos, judices, testes: Largire solum: Sic enim vel ipsos Deos habebis ministros.*

- - Has qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiensq; etiam & Rex,
Et quicquid volet. *Horat.* lib. Sat. 3.

Conciliant nobilitatem. *Euripides* apud Stobæum serm. 89. *Ingens vis est divitiarum, quas qui nactus est, nobilis statim evadit.* Et ibidem; *Da operam opibus: Nam illa nobilitatem donant, & nuptias primarias conciliant.*

Honorem: Hinc *Bion* apud Stobæum: *ut vilia marsupia, etsi nullius sunt pretii, tanti tamen æstimantur, quantum in se numismatis habent: Ita divites etiam homines, vani & nihili, bonorum, quæ possident, æstimatione ac pretio fruuntur.* Et *Larentia* meretrix magno *Romæ* affecta est honore, quod opum suarum hæredem populum *Romanum* nuncupasset. *Plut.* in quæst. Rom.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores:
Inde gravis judex, inde severus eques.

Ovid. lib. 3. de Amor. Eleg. 7.

Dignitatem: *Senatorium ad gradum census ascendere facit: census Romanum equitem è plebe discernit: census in castris ordinem promovet: censu in foro judex legitur.* *Senec.*

Opinionem sapientiæ: *Omnes enim, qui Musicam amant, & qui sine hoc studio degunt, pro pecuniis laborant. qui autem plurimum habuerit, sapientissimus judicatur.* *Euripides* apud Stobæum.

Fidem: *Quantum quisque sua numorum possidet arca,*
Tantum habet & fidei.

Amicitias: τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους. Sophocles: *Opes hominibus amicos conciliant.* Et Theog.

Εἰ μὲν γὰρ πλουτεῖς, πολλοὶ φίλοι: ἢν δὲ πένηαι
παῦροι: quod ab *Ovidio* sic redditum.

Si fueris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Vide

Vide Proverb. 14. v. 20. & 19. v. 4.

Solamina: Hinc *Socrates* apud *Platonem: Divitibus multa solatia esse dicunt.*

Ita à gentilibus laudari & commendari solent divitiæ.

Ab iisdem quoque non minus vituperantur. Hinc *Maximus Tyrius*, dissert. 30. *Opes petis: Noli Deos obtundere: nihil boni petis.* Et *Lycurgus*, apud *Spartiatas*, liberos homines vetuit quicquam attingere, quod circa rem pecuniariam versaretur. *Xenophon.* de Republ. Laced: Non igitur esse in bonis & appetendis divitias probant.

(1) Quia non præstant sufficientiam: quod probantem vide *Boëth.* lib. 3. prof. 3. & 9. Unde etiam nunquam satiant: siquidem *crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

(2) Quia sunt fluxæ & instabiles: Unde dicuntur *durare in diem*, apud *Euripid. ventosæ & fallaces*, apud *Suidam*: *figuli opes*, apud eundem: *alatæ & avibus celeriores*, apud Lucian. *leves, lubricæ, fugaces*, apud eundem: *caducæ, fragiles & puerilibus consentaneæ crepundiis*: Valer. lib. 4. cap. 9.

Hinc omnes tergo sequitur *egestas, fames, mendicitas.* Seneca de tranquill, cap. 10.

(3) Quia maximum post se mœrorem relinquunt: *Neminem enim eorum, qui aliquid amiserint, videas præ dolore posse dormire.* Xenophon in Cyropæd.

(4) Quia plerunque per injustitiam ac violentiam acquiruntur. Atqui *bonum ex malo non fit, fiunt autem ex avaritia divitiæ; ex sacrilegio & furto pecunia nascitur.* Seneca epist. 87. & de vitæ beat. cap. 24. *divitias nego bonum esse: Nam si essent, bonos facerent: nunc quoniam, quod apud malos deprehenditur, bonum dici non potest, hoc illis nomen nego.*

(5) Quia etiam pessimi quique ditescunt. *Plutarch.* de educat. lib. cap. 4. quod à *Theognide* quoque inculcatur. v. 49. & *Euripide*, apud Athen. lib. 4. cap. 25. Quo in genere sunt *fures, meretrices, lenones*: vide *Senec.* epist. 87. & de provid. cap. 5.

(6) Quia eruditioni obstant, & contemptui eam exponunt, Senec. epist. 17. *multis ad philosophandum obstitere divitiæ*: & Euripid. *Divitiæ in peritiam timiditati conjunctam habent*: & *Menander* apud Stob. serm. 90.

Πλοῦτος ἀλόγιστος προσλαβὼν ἐξουσίαν,
Καὶ τοὺς φρονεῖν δοκοῦντας ἀνοήτους ποιεῖ.
Ubi stultæ divitiæ potestatem nactæ sunt,
Illos etiam, qui sapere videntur, stolidos reddunt.

(7) Quia

(7) Quia ſunt malorum irritamenta : *Senec.* epiſt. 87.

(8) Quia à virtute abſtrahunt. Unde *Diogenes* apud Stob. ſerm. 92. *Neque in civitate, neque in domo opulenta habitandi locus eſt virtuti.* Et *Plato* lib. 5. de LL. *Divites valde ſimulque probos eſſe, impoſſibile eſt.* Et *Seneca* ex veteri *Poeta*, epiſt. 115. *Sine me vocari peſſimum, ut dives vocer.* Inprimis autem *temperantiam* fugant, *Plato* lib. 8. de Republ. *fortitudinem* expectorant; *Silius* apud *Tacitum*, lib. 11. Annal. cap. 18. *Humilitatem* & *modeſtiam* pellunt. Ariſtot, lib. 2. Moral. Mag.

(9) Quia vitia plurima acceſſunt: *Libidines*, Stob. ſerm. 90. *Luxuriam*, Sueton. lib. 6. cap. 30. *Ariſtot.* lib. 2. Rhetor. cap. 16. *Pigritiam*, Arnob. lib. 4. Contra Gent. *Superbiam*, Terent. in Hecyr. A. 3. Sc. 5. *Jactantiam*, Stob. ſerm. 91. *Ferociam*, Heſiod. lib. 1. oper. *Perfidiam*, Polyb. lib. 2. cap. 7. *contemptum inferiorum* & *contumeliam*. Stob. ſerm. 83. Ariſt. l. 2. Rhet. cap. 16.

§. 9. Tandem pro *indifferentibus* habentur ab aliis. Hinc *Max. Tyrius* diſſert. 24. *Neutrum eſſe dicas nec bonum, nec malum, ſed inter utrumque medio in loco cum indifferentibus ponas.* Et Cenſorinus de die Nat. cap. 1. *ſapientum diſciplina formatus ſatis liquido comperiſti, hujuſmodi divitiarum munera ſita in lubrico, bona malave per ſe non eſſe, ſed τῶν μέσων, bonorum malorumque medico cenſeri.*

Ratio eſt, quia non magis proſunt, quam nocent. *Laërt.* lib. 7. Proſunt, ſi recte acquirantur. *Lycurgus* apud Stob. ſerm. 92. *Senec.* de beat. vit. cap. 23. & virtuti non præponantur, ſed ejus ſint pediſſequæ. *Cicero* lib. 4. ad Herenn. cap. 14. Utuntur igitur probi iis ad honeſtas actiones. *Socrat.* apud Stob. ſerm. 92. unde appellantur *incentiva virtutum. Ambroſ.* in Lucam, cap. 26. ſunt & earum *inſtrumenta. Eurip.* apud *Plutarch.* de audiendi Poët. Pulchri ſunt verſiculi *Callimach.* hymn. 1. in Jovem.

– – δίδου δ᾽ ἀρετήν τ᾽ ἄφενός τε,
οὔτ᾽ ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος ἐπίσταται ἄνδρας ἀέξειν.
οὔτ᾽ ἀρετὴ ἀφένοιο· δίδου δ᾽ ἀρετήν τε καὶ ὄλβον.
– – *Virtus conjuncta auro virtutibus aurum;*
Quod voluere valent, quod valuere volunt.

Eruditioni quoque ſerviunt : unde πλοῦτος ἐφόδιον παιδείας appellatur apud *Suidam : viaticum eruditionis.*

Obſunt eædem: Si male acquirantur : *Etenim male parta, male dilabuntur*; Cicero Philip. 2. vel, ut *Plautus* idem loquitur in Pænul. *Male partum, male diſperit.* Si in homines incidant improbos, quibus quaſi *enſis* in manu ſunt. *Demoſt. adv. Mi-*

diam, & iniquitatis instrumenta vitiorumque incentiva summa.

Ὁ πλοῦτος ἄνευ ἀρετᾶς οὐκ ἀσινὴς πάροικος.

Divitiæ absque virtute non innoxiæ sunt hospitæ.

§. 10. Quid igitur tandem statuendum? sententiam nostram quatuor *assertionibus* exprimimus.

(1) *Divitiæ per se & in se sunt bonæ, non quidem moraliter, sed naturaliter.*

Divitias intelligimus consistentes in numis, in agris, in pecudibus & similibus, quæ in hominum conveniunt commercia.

Ratio assertionis est: quia sunt dona Dei: Atqui omne Dei donum per se bonum est: videantur loca: Proverb. 10. v. 22. & 22. v. 2. Eccl. 5. v. 19. 1. Sam. 2. v. 7. 1. Chron. 29. v. 11. 16. Psal. 112. v. 3. Majoris momenti una hæc est ratio, quam omnes aliæ, quæ ab initio quæstionis hujus sunt productæ: quæ pleræque sunt *inconsequentes*. Non enim per se, sed per accidens, omnia illa divitias consequuntur, ex pravo hominum judicio.

Neque evertunt *assertionem* hanc argumenta pro divitiarum vituperio allata: quia non per se, sed per accidens divitiis tribuuntur, vel potius earum abusui.

§. 11. (2) *Divitiæ ad hominem relatæ dicuntur bonæ vel malæ, ratione usus boni, vel abusus mali moralis.*

Pertinent huc quæ pro sententia *tertia* sunt allata: de hac bonitate & malitia accipienda sunt argumenta, quæ pro sententia *prima* & *secunda*, tanquam extremis, sunt allata. Rebus enim per se & natura sua bonis bene & male uti posse homines palam est: quod de divitiis evidentissimum ex allatis documentis & exemplis, ut igitur per *usum rectum* sanctificantur divitiæ, sic per *abusum* profanantur, fiuntque pro hominis arbitrio, virtutum & vitiorum instrumenta.

Discant, inquit Ambrosius, *non in facultatibus crimen hærere, sed in his qui uti nesciunt facultatibus. Nam divitiæ ut impedimenta improbis, ita sunt adjumenta virtutis.* Pulchra est *Bernhardi* sententia, serm. 4. *Aurum & argentum & cætera hujusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala: usus tamen horum bonus, abusio mala, solicitudo pejor, quæstus turpior.*

§. 12. (3) *Etsi divitiæ per se & natura sua sunt bonæ, & ad præclaros quoque adhiberi usus possunt, & à nonnullis solent, tamen non sunt præferendæ sufficientiæ vitæ in specie sic dictæ, nec præ illa expetendæ:*

Rationes sunt.

1. Quia divitiæ non sunt tam necessariæ, quam sufficientia vitæ: di-

tæ: divitiis enim carere possemus commode, sufficientia vitæ non item. Hæc quantum satis est, præstat: illæ plus quam satis. *Non est cujusquam vita ex iis, quæ ipsi suppetunt, in eo sita, ut redundes.* Luc. 12. v. 15.

2. Quia sufficientia vitæ non est tam periculosa, quam divitiæ. Unde *Agur*, Proverb. 30. v. 8. divitias & paupertatem deprecatur, propter pericula cum iis conjuncta, & sufficientiam vitæ petit. Ingens periculum, quod à divitiis imminet, *Christus* indigitat, Matt. 19. v. 23. *Amen dico vobis, dives difficile introibit in regnum cœlorum: rursum dico vobis, facilius est camelū per foramen acus transire, quam divitem in regnum Dei introire.* Plerisque hominibus divitiæ vitiorum potius, quam virtutum sunt instrumenta: ut ante vidimus. Unde communis sapientum vox: de iis parandis non esse laborandum. Pericula, quæ secum trahit studium parandi divitias, recenset Apostolus, 1. Tim. 6. v. 9.

3. Quia sufficientia magis cum animi tranquillitate est conjuncta, quam divitiæ. Siquidem comitem illa virtutem habet, hæ plerunque omnis generis vitia, quæ in divitum stabulantur animis. Tranquillus animus sorte sua contentus gaudet & nihil sibi deesse judicat. Divitem nunquam satiant divitiæ. Unde perpetuis angitur curis de iis sive retinendis, sive augendis. Hinc *Chremylus* ad *Plutum* apud *Aristoph.* in Pluto.

Neque quenquam hominem tui cepit unquam satietas,
Nam aliarum rerum satietas omnium, &c.
Tui autem tædio nemo unquam affectus est.

Et *Seneca*. epist. 119. *Neminem pecunia divitem fecit: imo contra nulli non majorem sui cupiditatem incussit. Quæris, quæ sit hujus rei causa? Plus incipit habere posse, qui plus habet.* Et *Plutarchus*, περὶ φιλοπλουτίας. *Quo alio malo divitiæ liberent, si ne cupiditatem quidem divitiarum tollunt.*

4. Quia divitiæ ullam præstant sufficientiam. Hoc probantem vide *Boëthium*. lib. 3. prof. 3. & 9.

5. Quia divitiæ neminem faciunt vel arguunt felicem: quod sufficientia seu αὐτάρκεια facit.

Ditescunt pessimi quique fures, prædones, meretrices, avari, lenones, &c. Hinc *Plato* epist. 8. *Locupletes beatos appellare, sermo amens est & infelix, mulieribusque conveniens: atque eos, qui id credunt, tales efficiens.* Et Plutarch. de cupidit. divit. *Non est venalis argento vacuitas doloris, magnanimitas, constantia, confidentia: vita tota ex sese apta est.* Vide *Plutarchum* περὶ φιλοπλουτίας. Hactenus tertia assertio.

§. 13. (4.) *Divitiæ sine magna animi solicitudine ex benedictione divina*

divina, affluentes non sunt repudiandæ, sed grato animo accipiendæ, conservandæ, & in usus honestos conferendæ.

Ratio est: quia Dei sunt dona: quæ non nisi ab ingratis repudiantur: possuntque in honorem Dei & commodum proximi impendi: qui usus divitiarum est sanctissimus. Hinc Seneca de vita beat. cap. 23. *Sicut sapiens nullum denarium intra limen suum admittet male intrantem: ita & magnas opes, munus fortunæ fructumque virtutis, non repudiabit & excludet.* Item *Habebit Philosophus opes, sed nulli detractas, nec alieno sanguine cruentas, sine cujusquam injuria partas, sine sordidis quæstibus, quarum tam honestus sit exitus, quam introitus: quibus nemo ingemiscat, nisi malignus.*

De recto divitiarum usu præcipientem vide *Apostolum* 1. Timoth. 6. v. *an in divitiis summum consistat bonum, ne quærendum quidem arbitramur.* Vide clariss. Hornejum Eth. lib. 1. cap. 5.

§. 14. Quæritur (3) *Cur hominum in divitiis comparandis cupiditas plerumque sit inexplebilis?*

Resp. Rem ita se habere extra controversiam est. Vide præcedentis quæst. assert. 3. rat. 3. quibus suffragium addit *Aristoteles*, lib. 1. Polit. cap. 6.

Rationes sunt.

(1) Quia divitiæ sunt vitæ subsidia, & propter eam expetuntur: ut igitur vitæ cupiditas est interminata, sic & divitiarum, quibus vita conservari & commode produci posse creditur.

(2) Quia voluptatum instrumenta sunt divitiæ: ut igitur interminatæ sunt voluptates & sine modo ac fine soleut expeti: sic & divitiæ, sine quibus quasi mortuæ creduntur voluptates.

(3) Quia multi finem divitiarum ipsas habent divitias: quibus *crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Veluti, *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*

(4) Quia admodum sunt fluxæ & instabiles. Unde tanto quæruntur avidius, quanto elabi possunt facilius: ut semper supersit, unde suppleri & reparari jactura possit.

(5) Quia plus incipit habere posse, qui plus habet: Hanc *Seneca* causam ait esse, cur nulli non majorem sui cupiditatem incutiant divitiæ, epist. 119. ubi cupiditatem hanc appellat *occupatam paupertatem.*

§. 15. Objicitur in contrarium:

Non videtur interminata & infinita esse cupiditas pecuniæ. Ratio est: *Quia propositio debet esse inter potentiam & objectum potentiæ: Atqui nec potentia, quæ appetuntur pecuniæ, est infinita &*

nita & interminata, neque ipsa pecunia: unde non videntur posse infinite expeti divitiæ.

Resp. Respondet *Casus*, in homine esse partem unam divinam, nempe animam rationalem, cujus potentiæ habeantur infinitæ: eo quod humana mens nullis septis, nullis cancellis claudatur. Hæc tamen infinitas non est essentiæ, sed durationis finem nunquam habituræ: quo sensu infinita posset dici cupiditas pecuniæ, si mens in statu hoc corpori unita maneret semper. Hoc vero cum non contingat, simpliciter infinita cupiditas pecuniæ dici non potest: uti nec actu infinitæ sunt divitiæ. Dicitur tamen infinita cupiditas hoc sensu, quod avarus, nisi mentem ipsi Deus mutet, dum spirat, esurire & sitire pecuniam non desinat. Neque pecunia alio sensu infinita dicitur, quam numerus: non quod actu infinitus detur, aut dari possit: sed quod augeri in infinitum possit accessione unitatum. Veluti & pecunia pecuniæ accessione: Dives enim avarus nunquam satis, nunquam omnia habet.

Quæritur (4) *In quo rectus divitiarum usus consistat?*

§. 16. Resp. Verum rectumque divitiarum usum ostendit *liberalitas*, cujus objectum sunt divitiæ. Ut igitur inter duo extrema, *prodigalitatem* & *avaritiam*, seu sordes, media est liberalitas: ita usum divitiarum ab utroque extremo ad medium reducit recta ratio: ne vel prodige effundantur, vel sordide retineantur, sed liberaliter impendantur.

Si quis emat Cytharas, emptas comportet in unum,
Nec studio cytharæ nec Musæ deditus ulli,
Si scalpra & formas non sutor: nautica vela
Aversus mercaturis: delirus & amens
Undique dicatur merito. Quid discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?

Elegans est Isocratis sententia: Ἀγάπα τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν μὴ τὴν ὑπερβάλλουσαν κτῆσιν, ἀλλὰ τὴν μετρίαν ἀπόλαυσιν: hoc est, *Ama bonorum non ingentem cumulum, sed moderatum fructum.*

In prodigum exstat *Socratis*, vel, ut alii volunt *Democriti* apophthegma. *Male pereas, qui gratias, virgines, ut scorta prostituisti.* Monstrosæ prodigalitatis exempla execrabilia sunt in Romanis imperatoribus *Nerone, Caligula, Vitellio.* Vide lib. 1. cap. 35.

§. 17. Quæritur (5) *An sufficientia vitæ sit pars felicitatis moralis & Politicæ?*

Resp Vitæ sufficientiam intelligimus, quam *Aristoteles* appellat αὐτάρκειαν & definit affluentiam & sufficientem copiam omnium eorum

um eorum bonorum, quæ ad vitam commode degendam sunt necessaria. Unde inter summi boni affectiones quoque hanc refert, quod sit αὐταρκὴς. Quam igitur ille summi boni affectionem, nos partem nominamus, adeoque affirmativam quæstionis amplectimur. Rationes sunt.

(1) Qui civiliter & perfecte felicem nemo dixerit, qui eum fame, siti & nuditate conflictari necesse habeat, & per ignominiosam paupertatem obire limina aliorum cogatur, & pane vesci emendicato: qui adversus externas cœli injurias se nequeat defendere, &c. Itaque vere paradoxum & absurdum est illud *Stoicorum* dogma: *virum bonum & sapientem sibi per omnia sufficere: nihil ipsi deesse, etiam cum omnia desunt, nullis quasi molestiis, nullis permoveri calamitatibus, in ipsis tormentis non minus esse beatum quam &c.*

(2) Quia extreme pauperes omnibus fere sunt contemptui. Unde illud *Lucani* ad Pisonem:

Illi casta licet mens & sine crimine constet
Vita, tamen probitas cum paupertate jacebit.

Nec non illud *Nasonis*, 1. Fastor.

- - pauper ubique jacet.

(Hoc hemistichio Angliæ Regina, *Elisabetha*, olim est usa ad *Paulum Melissum*, P. C. quem ad alloquium admiserat peregrini miserata sortem. Cui ex tempore *Poëta* respondit:

In thalamis, Regina, tuis hac nocte cubassem,
Si foret hoc verum: Pauper ubique jacet.

Quod ridibunda excepit & splendido instructum viatico elementissime Poëtam dimisit.)

Imo vel Jupiter in terris si pauper esset, contumeliam pateretur. Pallad. in Epigram.

(3) Quia vitæ sufficientia instrumentum est virtutis in externis ejus actionibus, sine quibus felicitas moralis & politica non potest esse perfecta: Videantur *Aristotelis* testimonia, lib. 1. Eth. cap. 8. & 5. cap. 5. & 1. Pol. cap. 5.

§. 18. Objicitur:

(1) *Summi boni partes sunt bona per se: atqui sufficientia vitæ per se bona non est: Ergo pars summi boni non est.* Assumptio prob. *Quia fortunæ munera ex usu recte tantum æstimantur bona, uti & mala ex usu non recto, seu abusu.*

Resp. *Assumptio* negatur: Est enim sufficientia donum Dei: quod in se consideratum semper est bonum: vide quæst. 2. *Probatio* est inconsequens. Quæ enim per se naturaliter bona sunt, eorum malus esse usus, vel abusus, potest, unde per accidens evadunt mala absque interno vitio.

§. 19. (2)

§. 19. (2) *Summi boni partes non sunt communes probis cum improbis. Atqui sufficientia vitæ communis est probis cum improbis.* Ergo

Resp. *Propositio non* conceditur, nisi de summi boni partibus principalibus.

§. 20. (3) *Si ad felicitatem necessaria esset sufficientia vitæ, sequeretur pauperem, cui desunt necessaria vitæ subsidia, non posse felicem esse: Atqui falsum consequens: Ergo & antecedens.* Assumptio prob. *Quia paupertas piorum laus est:* Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 160. *Justa amantes matrem accepere paupertatem,* Theogn. *Bonæ mentis soror est paupertas:* Petron. Arb. in Satyr.

Resp. Si in *connexo* per felicem intelligatur perfecte felix, *Assumptionem* negamus. *Probatio* inconsequens est: Non enim omnes pii, justi & boni perfecte felices sunt. Bonorum naturæ & fortunæ necessitatem ad felicitatem absolvendam, etsi negare videri volunt *Stoici*, tamen non obscure quandoque indigitant, aliter se sentire & in vocabulis tantum ludere *Seneca* teste. *Chrysippus ajebat sapientem quidem nulla re egere, sed tamen multis illi rebus opus esse.* Ita Zeno dixit, *divitias, pulchritudinem, valetudinem non quidem bonas res esse, sed commodas tamen, hisque contrarias non malas, sed incommodas;* Teste *Cicerone.* Ecce vero argutas λεπτολογίας, *non indigere, sed opus habere: Non esse bonum sed commodum.*

§. 21. Quæritur (6) *An divitiæ beato sint necessariæ?*

Resp. *Divitiæ* hoc loco excessus sunt sufficientiæ vitæ: quas beato necessarias esse non arbitramur. Quæ autem vulgo adferri solent pro asserenda necessitate divitiarum, ad felicitatem argumenta, non tam divitiarum, quam sufficientiæ, adstruunt necessitatem. Vide *Jacob. Mart.* disp. de summo bono. 9. *t*. 1. q. 4. Interim, si obvenerint beato, neutiquam sunt repudiandæ vel negligendæ, sed ad præclaras actiones, tanquam instrumenta, adhibendæ: unde *Socrates* apud Stobæ. serm. 92. *Divitias veluti amicum liberalem ac promptum ad honestas actiones assumere oportet.* Et *Plutarchi* ex *Euripide* præceptum. *Divitias virtutis instrumenta facite.* Quo pertinet & illud *Porcij Latronis* apud *Senecam*, lib. 2. controv. 1. *Nulla materia in rebus humanis virtutes clarius ostendit censu.*

Quæritur (7) *Cur fortuna dicatur adversa virtuti?*

Resp. Rationes adferri possunt sequentes.

(1) Quia viri probi & sapientes maximi faciunt animi bona, & non adeo sectantur fortunæ bona: Unde contubernalem plerique habent paupertatem & sic adversam fortunam.

(2) Quia fortunæ bona effœminare solent homines & in voluptates demergere, indeque à virtutis studio avocare.

(3) Quia improbi per fas & nefas fortunæ munera accumulant; quod probi non faciunt; & hinc novercam eam habere creduntur.

(4) Quia probi & sapientes divitiis potius liberaliter distribuendis & in usus honestos promendis, quam acquirendis & asservandis dant operam: Contra vero improbi per avaritiam iisdem cumulandis & recondendis.

(5) Quia constans est virtus, fortunæ autem bona, & in iis divitiæ potissimum fluxa & inconstantia sunt.

(6) Quia in plerisque aulis, ubi dominatur fortuna, virtutis & sapientiæ non adeo magna habetur ratio. Facti rationem reddit *Piccolomineus*, Grad. 8. cap. 53.

§. 23. Quæritur (8) *Cur solus homo dicatur dives & pauper?* Resp. Tres reddi possunt rationes:

(1) *Propter usum.* Sunt enim divitiæ in usu positæ: Atqui usus divitiarum soli competit homini: Siquidem pendet ex ratione & proæresi, quæ solius sunt hominis.

(2) *Propter multiplicem indigentiam & appetitionem:* Solus homo plurimis habet opus, qui nudus & omnium egenus in lucem prodit, plurima novit, ex plurimis voluptatem capit: cum omnia alia animalia paucis egeant, & per naturam instruantur cum tegumentis, tum armis, paucissima noverint, è paucissimis voluptatem percipiant. Unde defectum supplere per divitias & rerum copiam homines student: quam bruta non desiderant. De naturali hominis nuditate & indigentia, qua infra brutorum deprimi sortem nonnullis videtur, graviter *Plinius* queritur, lib. 7. in procem. *Principium*, inquit, *jure tribuetur homini, cujus causa videtur cuncta alia genuisse natura, magno & sæva mercede, contra tanta sua munera, ut non sit satis æstimare parens melior homini, an tristior noverca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum alienis velat opibus: cæteris varia tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, plumam, pennas, squamas, vellera. Truncos etiam arboresque cortice, interdum gemino, à frigoribus & calore tutata est. Hominem tantum nudum, & in nudo humo natali die abjicit ad vagitus statim, &c.* Interim adversus nuditatem & indigentiam hanc aliis præsidiis natura hominem instruxit; quibus omnes alios defectus supplere tandem facile potest: vide *Andream Laurentium* Antom. l. 1. c. 3. Post animam rationalem fere Princeps est hominis pars *Manus*, qua solum natura instruxit hominem, quæ instar omnium instrumen-

instrumentorum est, quibus natura munivit & armavit bruta. Hoc etiam instrumentum est, quo maximæ parantur divitiæ & multiplici occurritur indigentiæ.

(3) Propter summum bonum, cujus solius est capax homo, qui hisce virtutum solus utitur instrumentis.

§. 24. Quæritur (9) *Uter sit infelicior, dives improbus, an pauper improbus?*

Resp. Vulgus quidem divites improbos judicat feliciores; quam pauperes improbos; adeoque infeliciorem improbum pauperem, quam divitem. Aliter vero sapientes sentiunt: quibus infelicior est dives improbus, quam pauper improbus, & evidens est ratio: Quia infelicitas vel in improba consistit actione, vel ex ea, tanquam fonte, promanat. Ubi igitur actiones improbæ sunt plures & deteriores; ibi majorem quoque infelicitatem esse, consequensest. Atqui à divite improbo actiones improbæ sunt plures & deteriores. Ergo,

Assumptio probatur. Quia plurimarum & pessimarum actionum instrumenta sunt divitiæ: quibus destituti pauperes à multis abstrahuntur flagitiis, quæ divitiarum requirunt opem. Unde *Critias* apud *Platonem: Homo injustus & cupidus si dives sit, & argentum possit impendere, facile peccat: Sin dives non sit, nec habeat, unde impendat, haud ita facile potest, quæ cupit perficere, ideoque minus peccat* De Legato *Syracusanum* apud *Platonem. Erasistatus: Siculorum omnium & Italorum tanto nequissimus videtur esse & est, quanto est & ditissimus.* Apud eundem improbitas conjuncta cum divitiis appellatur *injustitia armata*, quæ ut gladius in manu furentis, non potest non obesse: Et in *Philebo*, ignorantia potentum robustorumque hominum hostilis & deterrima dicitur, impotentum vero levia adferre detrimenta, *ὑπὸ χρημάτων αὔξεται κακία*, inquit *Favorinus* apud Stob. serm. 92.

§. 25. Quæritur (10) *Quinam divitiarum nomine olim maxime celebres fuerint & etiamnum sint?*

Resp. Celebres in historiis sunt divitiæ hominum privatorum, Rerumpublicarum & Regum.

M. Crassus olim negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legiones tueri posset. Opes ejus universas scribunt fuisse quinque Millionum: *Dio* lib. 40. *Plinius* N. H. lib. 33. cap. 10. *Olympiodorus* tradit multas *Romæ* familias è bonis annos accepisse reditus 40. auri centenarios, præter frumentum, vinum & hujus generis alia, quæ si vendita fuissent, tertiam auri partem æquare potuissent. *Photius* in Biblioth. *Symmachus*, mediocri censu ora-

tor, filio Symmacho præturam gerente, 20. centenarios impendit. *Maximus*, ex opulentioribus unus, in Filii præturam 40. centenarios insumpsit. *C. Cæcilius Claudius Isidorus*, quamvis multa bello civili perdidisset, tamen testamento suo dixit, se relinquere servos 4115.juga boum 3600.& reliqui pecoris 257000. in numerato pondo 600000. vel. 1500000. coronat.

Calliæ Hipponici & *Callicratis* divitiæ in proverbium abierunt. *Apicius* cum 1500000. aureeorum ingluvie inexplebili absumpsisset, & adhuc 250000. vitam eleganti victu potuisset producere, veluti in ultima victurus inopia veneno vitam finiit. *Seneca*, ad *Helviam*.

Phryne scortum nobile, prædives, pollicita est se *Thebana* mœnia ab *Alexandro* eversa suo sumptu substructuram esse, modo adscribi paterentur cives: *Alexander evertit quidem, sed restituit Phryne*.

Seneca Philosophus, *Neronis* præceptor, ter millies sestertium acquisivisse dicitur, quæ æstimatione *Budæi* conficiunt aureorum 7500000. milliones auri septem cum dimid. Quam liberale hoc est Præceptoris stipendium! nisi ultima discipuli ingratitudo tandem ei gratiam detraxisset per execrabile parricidium! Miratur divitias hasce *Drexelius* Jesuita: sed magis miratur possessorem, opum vi majore dignum: qui divitias & quidem tantas in sinu positas & circumfusas sibi potuit non adorare, potuit ridere, contemnere; & non cum nummis suis, sed cum libellis & secum ipse assidue locutus est.

Acusilaus Atheniensis Romæ ex Rhetoricæ professione ditatus, Atheniensibus moriens reliquit centum millia drachmarum ex usuris annuis: Drachmæ *si Atticæ* essent, conficerent 1000. Coronat: Ecce quæso quam lucrosæ olim fuerint professiones, etiam eæ, quæ subselliorum sunt inferiorum! *Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones*.

De nostrorum temporum infelicitate & sterilitate gravissimus Poëta quæritur:

Sunt mulæ Musæ: nostraq; fama fames.

Plerique bonarum artium Magistri, inquit in Ethicis *Heiderus*, pag. 271. *sunt similes Epaminondæ, qui si vestem unicam sartori reficiendam, aut eluendam fulloni mitteret, domi se continere nudus in quodam angulo cogebatur: Ælian*. l.5.var.hist. è seculi nostri probris hoc unum est. *Lentulus Augur*, qui ad *Augustum* laborantem sub nobilitatis onere paupertatem attulerat, magnum divitiarum exemplum à *Seneca* producitur: Siquidem quater millies sestertium vidit suum, hoc est, secundum *Budæi* æstimationem,

nem, 10000000. Coronat. Summam hanc vix decem primorum *Galliæ* patrimonia æquarent, si *Budæo* credimus, lib. de Asse.

Æsopus Tragœdus, post cœnas luxu stupendo memorabiles tantum hæredi filio reliquit, ut non mediocris pretii magaritas convivis sorbendas apposuerit: patrimonium fuisse scribitur 500000 aureor.

Curio Tribunus plebis alieni æris sexcenties sestertium hoc est, 150000. aureorum habuit, tanti tamen & pluris Cæsar, adhuc civis Romanus, nondum dictator, cum in Gallia res gereret, conciones ejus ad populum licitatus est & redemit. Quis credat in tanto haberi posse pretio conciones! Hodie certe tam preciosos emptores non invenirent vel *divinæ orationes*: nedum alii doctorum virorum labores: quos etsi laudant hodie divitum nonnulli, tamen algere patiuntur, etiam ii, quibus consecrari solent.

Pallas, homo libertinus, quod ad curiam referendum censuisset de fœminis quæ se servis concubitu miscuissent, decreto *Romani* senatus centies & quinquagies sestertium accepit, hoc est, 375000. coronat.

Ciceroni, qui à *Romanis* existimatus est tenuis, superficies ædium, senatus consulto, non minoris 50000. aureorum æstimata est: villaticum ædificium pluris, quam 12000. è minutiis hisce æstimari majora possunt.

Tarius Ruffus infima natalium humilitate consulatum militari industria meritus 2500000. coronat. *Augusti* liberalitate accepta agris coëmendis exhausit.

Pythius Bithynus platanum auream *Dario* Regi donavit, Xerxisque copias, 788000. hominum excepit epulo, stipendium quinque mensium frumentumque pollicitus, si è quinque liberis senectuti suę in delectu unus saltem concederetur *Plin*. lib. 33. cap. 10. verba ipsius apud *Herodotum* ad Xerxen sunt. *Cum ad mare Græciæ descendere te audivissem, statim opum mearum rationem inire aggressus sum. Jam tum enim in animum induxeram pecuniam tibi dono dare in bellum id gerendum. Subducta igitur ratione, argenti quidem talenta duo millia; auri vero myriadas quadringentas staterum Daricorum, septem millibus minus habere me comperi: quæ tibi dono dare statui. Mihi autem victus ex mancipiis & agricultura suppetet.* Quantæ, Deum immortalem, unius hominis, & quidem privati, divitiæ! *Argenti talenta* 2000. faciunt, thal. circiter 1200000. Quadringentæ myriades staterum Danicorum faciunt 40000000. coronat. *Athenæus* scribit lib. 6. quosdam *Romanorum* ad decem aut viginti millia ser-

lia servorum habuisse, non ut quæstum ex iis facerent, sed ut asseclas, aut subsequas eos modo haberent.

Valerianus in villa privata 500. servos habuit, 2000. vaccarum, 1000. equas, 10000. ovium, 15000. caprarum.

Gordianus adhuc privatus, Ædilitatis suæ tempore, duodecim populo *Romano* munera, id est, per singulos menses singula de suo exhibuit: gladiatorum nonnunquam 500. paria exhibuit, nonnunquam minus 150. Feras Lybicas una die 100. exhibuit, ursos una die 1000. & pluria alia animalia, quæ omnia populo rapienda concessit. In omnibus civitatibus *Campaniæ*, *Hetruriæ*, *Umbriæ*, *Flaminiæ*, *Piceni* de proprio per quatriduum ludos Scenicos & Juvenalia edidit.

Lauta quoque *Romani* professoribus stipendia annua constituerunt. Latinis Græcisque Rhetoribus *Vespasianus* annua constituit centena, hoc est, *Philippicos* 2050. Medicis 12050. *Eumenio* Rhetori, sub *Diocletiano* & *Maximiano* 15000. Satis de privatis: In quanto, Deum immortalem, pretio tum fuerunt literæ! Quam viles modo!

Calvisius Sabinus anagnostas habuit plures, quos singulos, si Senecæ credimus, emit 2500. Philippæis.

Daphnis Grammaticus à M. Scauro emptus 7517. *Philippæis*: teste Plinio lib. 7. c. 39. vide *Lipsium* de magnitudine Romana lib. 1. c. 4. Quid contemptibilius modo Grammaticis?

§. 26. Rerumpublicarum & civitatum maximæ quoque celebrantur divitiæ.

Apud *Lacedæmonios* tanta fuit auri & argenti copia, quantam ne universa quidem reliqua Græcia possedit, teste *Platone*, in *Alcibiade*. *Syracusanorum* divitiæ in proverbium abierunt. Unde etiam ditissimi ne decimam quidem *Syracusanarum opum* partem assequi posse olim dicebantur.

Sabæorum maximas divitias prædicat *Diodor. Sicul.* hist. lib. 3. *Carthaginensium* divitiæ maximæ fuerunt. E solis enim argenti fodinis *Romani*, cum Rempublicam subjugassent, quotannis perceperunt 912500. coronat. Non optimos tantum, sed & ditissimos magistratibus admovendos censebant *Carthaginenses*; quod arbitrarentur impossibile esse, eum, qui egestate premeretur, recte sincereque magistratum posse gerere, aut pacem optare. *Carthaginem* cum *Scipio* expugnasset, *Romam* inde in triumpho transtulit, *teste Plinio*, lib. 33. cap. 11. argenti pondo quater millies CCCCLXXM. quæ incredibilis est summa, si centum pondo *Romana* conficiant 1000. Coronat. ut *Budæo* placet. Reipublicæ *Romanæ*, ante mutatam Aristocratiam, divitiæ majores fuerunt,

runt, quam ut æstimari possint: Siquidem universi orbis spolia in unam urbem sunt comportata. Consulendus heic *Lipsius* de *Magnitudine Romana*, lib. 2. qui opes Reipublicæ persequitur. Vectigalia ex *Asia* sola confecerant 5. milliones. Post Pompeji triumphum, ex aliis provinciis, quas ipse quæsiuerat, collecti 8. milliones cum semisse. Decimę unius *Siciliæ* minimum millionem expleverunt: *Siciliæ* vera vix quadragesima erat pars *Romani* orbis. *Asiæ* imperavit *Sylla* quinque annorum vectigalia, sed statim danda 20000. talentum, hoc est 12. milliones. *Lipsius* existimat ex sola *Ægypta* ad *Romanos* quotannis rediisse tributum 10. aut 12. millionum; ex *Gallia* 10. millionum. Spolia è triumphis in ærarium illata persequitur *Lipsius* de Mag. Rom. lib. 2. cap. 8. in Thesauris *Regis Persei* devicti reperta 3600000. *Philippicorum*. *Pompejus* victo *Mithridate* & Oriente intulit centies vicies centena millia *Philipp*. *Sylla* auri pondo 15000. argenti 150000. *C. Cæsar* in quatuor triumphis 39. milliones. Taceo *aurum coronarium*, de quo Lipf. l. 2. c. 9. Immensam quoque vim absumpsit *frumentatio*: de qua idem, cap. 10. *Ludi*, cap. 11. *dona Principum*, cap. 12. 13. 14.

§. 27. *Julius Cæsar*, instante civili motu, cum in Gallia esset, L. *Paulum* consulem designatum, ne contra se staret, flexit 1500. talent. hoc est, 900000. *Philippicorum*: & pluribus *Curionem*, ut pro se staret. Idem una vice legionibus, præter stipendium, donavit 15. milliones, & egenæ plebeculæ 3. milliones & 20000.

Augustus ante Imperium, Legionibus, binis vicibus, distribuit millionem Philippicorum: in primo consulatu 6. milliones. In Philippensi prælio, ubi de Principatu & libertate actum, cum Antonio 150. milliones. Ejusdem alias donationes ex antiquo lapide eruit *Lipsius*, quarum una fecit 6. millionum; alia 2. millionum, nec pauciorum plures aliæ. Omnibus, qui pila cum ipso luserunt teste Macrobio, 2500. *Phippicos* dari jussit. Cum *Græculus* carmen ipsi obtulisset & contemni id ab *Augusto* & sine dono se dimitti vidisset, manu in pauperem bulgam demissa aliquot inde denarios productos *Augusto* obtulit dixitque. *Si plus haberem, Cæsar, plus darem*: exemploque ostendit, quid ab *Augusto* exspectaverit, & quid *Augustus* debuerit. Quo libero atutoq, facto delectatus *Augustus* statim sestertia centena, h. e. 2500. Philppicos dari ei jussit.

Tiberius in thesauris reliquit vicesies septies sestert. hoc. 66. milliones & 50000. Philippicorum: quæ *Caligula*, non toto vertente anno absumpsit. In sola alea perdidit decies centena millia aureorum. *Zonaras*.

Claudius singulis militibus in imperii auspiciis promisit quina millia

millia drachmarum, hoc eſt, 500. Philippæos; quam donationem *Lipſius* putat omnes alias ſuperaſſe.

Nero, qui non alium divitiarum fructum putabat, quam profuſionem, prætoriano militi 500000. *Philippicorum* numerari juſſit. Idem in *Theridatem*, cum novem menſes continuos *Romæ* & in finibus *Romanis* ſubſtitiſſet, ſingulis diebus 20000. *Philippicorum* erogavit, totis illis novem menſibus. 5. milliones & 400000. Abeunti in viaticum dedit 5. milliones. In univerſum donationibus effudiſſe à *Tacito* dicitur 55. milliones.

Nymphidius, Galbæ nomine, urbanis & externis militibus, ſi *Galbæ* ſe adjungerent, promiſit 40. milliones.

Severus populo egeno & militibus prætorianis donavit 5. milliones. Aliorum Imperatorum *Romanorum* immenſus luxus immenſas abſumpſit opes.

Vitellii apparatus ſinguli non minus 400000. aureorum conſtiterunt: Cui in cœna à fratre data dicuntur 2000. lectiſſimorum piſcium, 7000. avium, teſte *Suetonio*: Ingentis pretii patinam condidit. cui faciendæ fornax in campis fuit ædificata, in qua appoſuit Scarorum jecinora, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas Phœnicopterum, Murænarum à Carpathia usfretoque Hiſpaniæ petitarum lactes.

Baſilius Imperator, qui vixit ſub annum Chriſti 800. in theſauris reliquit 200000. talentum, hoc eſt, 1200. milliones.

De immenſis *Perſarum* divitiis conſule *Budæum* de Aſſe, lib. 4. Herodotus annuos reditus præfecturarum ab Helleſponto ad Indiam uſque docet fuiſſe talentorum. 14560. hoc eſt, 8736000. aureorum: Pars hæc tantum fuit redituum. Olim ad verticem regii cubilis ſuperne cœnaculum erat cum quinque lectis, in quo auri talenta 5000. hoc eſt, milliones 74. ſemper aſſervabantur, quod *cervical regium* appellabatur. Ad cubilis pedes alterum erat cœnaculum cum tribus lectis, in quo tria millia talentorum, hoc eſt 44. milliones reponebantur: quod *ſubſellium ſcabellumque Regis* nuncupabatur, teſte *Athenæo* lib. 12. *Cyrus*, devicta Aſia, retulit ducatorum milliones 594.

Sardanapali palatium gazis pleniſſimum eſt combuſtum. *Budæi* calculo, præter veſtes & purpuram cum Rege arſerunt centies centena millia auri talenta: hoc eſt, Hungaricorum aureorum 70000000000. ſeptingenties millies centies centena millia. En ducatorum milliones 70000! Quis non obſtupeſcat! Vide *Drexel.* Gymn. patient. part. 1. cap. 2.

De ſpoliis *Alexandri Magni*, quæ in *Perſia* collegit & cum militibus, tum amicis diſtribuit, conſulantur hiſtorici. Ex ſolis *Suſianis* the-

nis thesauris rapuit 50000. talent. hoc est, 30000000. aureorum seu 30. milliones: præda ab *Alexandro* reportata, victo *Dario*, dicitur fuisse 157000. talentorum, hoc est 89. millionum insuperque 650568. ducatorum. Scribit *Athenæus*. lib. 12. *Alexandrum* pro 220000. militibus & equitibus habuisse arma argentea & frænos aureos. Missæ eidem à gentium legatis coronæ aureæ, æstimatione decem millium talentorum auri, quæ 148. milliones & 5000. millica conficiunt *Pineda*. Cum *Alexandrum* olim convivio amici exciperent, bellaria, quæ apponebantur, omnia erant inaurata: quibus qui frui cupiebant, aurum detrahere & famulis abjicere solebant.

§. 28. Ad nostra jam transeamus tempora, ex quibus unum tantum & alterum specimen depromemus. Consuli enim hac de re poterit *Boterus* in Politia regia, & *Justus Reifenberg*. in notis ad eam.

In ærarium Imperatoris *Turcici* quotannis 12. milliones auri dicuntur inferri: ab aliis 20. milliones numerantur.

In *Gallico Regno* ajunt nonnullli annuos reditus ordinis politici conficere 13. milliones: ordinis Ecclesiastici plures.

Regis *Chynæ* reditus annui dicuntur accedere ad 120. milliones aureorum.

Immensam auri vim *India* Occidentalis fundit, quam à multis jam annis *Hispania* hausit. *Attabalipa*, *Cuscaniorum* novi orbis Rex novissimus, *Caroli* V. armis subactus & captus, ut libertati restitueretur, promisit Carolo intra 70. dies 70. milliones aureorum Carolinorum. Tulerat idem *Carolus* V. legem Indis non admodum gravem, aut certe non intolerabilem: quam ut abrogaret, ipsi obtulerunt 21. milliones auri: quod facile crediderit, qui milliones propemodum innumerabiles ex *Indis* hactenus in *Hispaniam* transvectos non ignoraverit, & auream hanc messem etiamnum singulis meti annis noverit: etsi messores interdum, qui sementem non fecerunt, sese offerunt, qui ante annos non ita multos 30. milliones, uno mense intercepisse dicuntur.

Existimat *Budæus*, lib. 5. de Ass. nostrorum temporum divitias exiguas esse, si cum antiqua comparentur opulentia; cui assentitur *Pineda*, lib. 4. de rebus *Salom.* cap. 19. & huc trahit statuam *Danielis* repræsentatam cap. 2. v. 32. cujus caput fuit aureum, pectus & brachia argentea, venter & fœmora ænea: tibiæ ferreæ. Hoc ut maxime dari possit de vitiis privatorum & multorum etiam Procerum, (unus enim *Seneca* Philosophus in bonis habuit 7500000. aureorum. Lentulus Augur 10000000.) de Regibus tamen nonnullis non sine causa dubites. Immensi sunt

Regis

Regis *Chinæ* reditus: quod non adeo mirabitur, qui regnum id esse noverit spatiosissimum paulo minus *Europa*, hostibus inaccessum, fertilissimum, populosissimum, metallorum ditissimum, insuperque subditos laboriosissimos.

Hispaniæ Regum divitiæ an opulentiæ *Romanæ* priscæ cedant, tu, quæso, Lector, cogita, si vera sunt, quæ de auro in *Belgicum bellum* à *Philippo* Rege ab anno 69. usque ad 99. per annos 33. profuso narrant historici, & ex iis *Sibrandus Lubbertus* de Ecclesia lib. 6. cap. 9. ubi hæc ejus in extremo libro sunt verba. *Narrant Philippum triginta tribus annis, hoc est, ab anno 66. ad ann. 99. in bellum Belgicum quinquies mille & quingentos nonaginta quatuor milliones ducatorum (5594) expendisse.* Si ducatum duobus æstimemus thaleris, thalerorum habebimus milliones 11188. quibus totum obrui Belgium posset. Quam robustum esse credas Belgii stomachum, qui tantum auri & argenti potuit concoquere! Quantum vero ab anno 99. ad hunc usque 1642. putemus per annos 43. concoxisse! tantundem dubio procul? En milliones ducatorum 11188.

Quantum etiam infelix nostra Germania calamitosissimo hoc vicennali bello, quo lachrymis & humano sanguine est inundata!

§. 29. Fuerunt & Regis *Davidis* olim divitiæ maximæ. Ait enim 1. Chron. 22. v. 17. se in afflictione sua parasse se ad domum Jehovæ auri talenta centies mille; argenti decies centies mille talenta, hoc est, secundum calculum *Drexelii Iesuitæ*, de cœlo, lib. 2. cap. 11. bis mille octingentos duodecim milliones *Hispanicorum* ducatorum, insuperque octies mille, trecentos septuaginta quinque ducatos. Ecce thalerorum milliones 5624. & 16750 thal. Interim *Davide* longe fuit opulentior *Salomo*: cui promissæ & præstitæ à Deo divitiæ majores, quam ulli ante, vel post ipsum, Regi contigerunt, 2. Chron. cap. 1. v. 12. quarum æstimari magnitudo poterit ex ingentibus divitiis, quarum ex historiis specimina dedimus: quibus plura addit *Pineda* loco supra allegato.

Scribit *Josephus* Antiq. lib. 7. cap. 12. Tantas hæredi *Salomoni* à *Davide* relictas esse divitias, quantæ à nullo alio Rege vel *Hebræorum* vel aliarum gentilium. Indicium promit magnum ex solis iis divitiis, quas in defuncti *Davidis* monumentum intulit *Salomo*. Siquidem, post annos 1300. *Hyrcanus* Pontifex oppugnatus ab *Antiocho*, *Demetrii* filio, solutionem obsidionis & exercitus abductionem redemit 3000. talent. hoc est, secundum calculum *Pinedæ*, 44. millionibus & quingentis quinquaginta millibus scutorum *Hispanicorum*, ex una tantum cella

Davidici

Davidici monumenti prodactis: quorum partem *Antiocho* numeravit. Deinde, post multos annos elapsos, *Herodes* Rex, alia ejusdem monumenti aperta cella, magnam quoque pecuniæ vim sustulit. Interim neuter horum ad loculos pervenit, qui Regis cineres continebant. *Repone*, inquit Pineda, *in hac cella alterum tantum: nam quo interior eo sane minime pauperior, imo ditior, videtur fuisse: fere colliges summam mille millionum.* Loculi vero, ut scribit *Petrus Comestor*, in 1. Regem 3. *fuerunt octo: Interiores vero si proportione creverunt, uti moris erat, quantam pecuniarum vim paterno monumento filius Salomo nulli futuram usui conclusit! Quantam vero suis reservasse usibus credideris! cum hisce conjunge partas à Salomone divitias, paternis longe majores. Siquidem divitiarum fontes longe uberiores habuit Salomo, quam David*: vide *Pined. lib.* 4. *cap* 19.

§. 30. Quæritur (11) *An Paupertas directe expetita & quæsita quam voluntariam appellant, quæ nulla cogente necessitate, vel singulari vocatione accersitur, sit insania damnanda?*

Resp. Affirmatur ob sequentes rationes.

(1) Quia hujusmodi pauper sibi suisque non prospicit ex ordine naturæ Deo approbato: Atqui infideli deterior est & fidem abnegavit, qui suis & maxime domesticis non providet, 1. Timoth. 5. vers. 8.

(2) Quia eligit & quærit malum pœnæ quo melior non redditur. Hinc *Isodorus Pelusiota* paupertatem appellat θηρίον ἀτίθασσον καὶ δυσνουθέτητον, h. e. *bestiam truculentam, admonitionis impatientem.*

(3) Quia variis seipsum tentationibus temere exponit. *ô quantum cogit egestas!* exclamat *Martialis.* Et *Orestes* apud Soph. in Elect. *Habet vitium paupertas: docet enim virum ob egestatē mala.*

(4) Quia inhabilem se reddit ad officia multa, quæ proximo debentur & præstari per paupertatem non possunt: pauper proximi sublevare paupertatem non potest, &c.

(5) Quia Deum tentat, qui data sibi sustentationis media abjicit, & à Deo sustentationem exspectat.

(6) Quia quod à Deo quotidie petit, nempe panem quotidianum, stulte rejicit.

(7. Quia sine necessitate gravat eos, à quibus accipit, & pauperes alios fraudat, quibus Eleemosynas intercipit.

Hujusmodi insania est quorundam *Monachorum*, qui, abjectis suis patrimoniis, ex eo tantum vivunt, quod mendicando diebus singulis acquirunt. τὸ πένεσθαι, οὐχ ὁμολογεῖν τινι αἰσχρὸν, ἀλλὰ μὴ διαφεύγειν ἔργῳ αἴσχιον, inquit *Pericles* apud *Thucydidem.*

§. 31. Objicitur.

(1) *Divitiæ sunt admodum periculosæ & aditum ad æternam felicitatem plurimis præcludunt : Ergo paupertas est expetenda & omnibus modis accersenda. Antecedens patet* ex Matth. 19. v. 23. 24.

Resp. Ad *Antecedens*: divitiæ per se non sunt periculosę, sed earum abusus, qui familiaris esse hominibus solet. Interim sunt etiam, qui bene iis utuntur, & ad felicitatem sibi viam sternunt. Magnis suis divitiis ne gentiles quidem omnes abusi sunt. Insigne heic est exemplum *Senecæ*, de quo præced. quæst.

2. *Consequentia* negatur : quia inter divitias & paupertatem datur medium, *vitæ sufficientia*.

§. 32. (2) *Paupertas piorum laus est : Isidor. Pelus.* lib. 1. ep. 166. *Bonæ mentis soror est :* Petron. in Satyr. *Proborum contubernalis est* : *Ergo directe expetenda & accersenda est.*

Resp. Paupertas hoc loco nobis mendicitas est, qua quis omnibus vitæ subsidiis destituitur : de quo *antecedens* loqui negamus. Consistit quoque paupertas cum necessariis vitæ subsidiis, omnem tamen abundantiam excludentibus.

§. 33. (3) *Philosophi veteres nonnulli omnes suas abjecerunt facultates & voluntariam sibi paupertatem accersiverunt, ut tanto liberius philosopharentur : quales Anaxagoras, Democritus, Diogenes Cynicus, Demonax : qui nullum unquam sibi viaticum præparavit, sed cum esuriret, proximam domum, quam apertam videbat, ingrediebatur, & victum ibi quærebat : Ergo nemini debet vitio verti voluntaria & ultro accersita paupertas.*

Resp. Negatur *consequentia :* Quia exempla illa non adeo laudata nobis videntur. Et divites philosophari libere possunt, exemplo *Aristotelis* & *Senecæ*.

§. 34. (4) *Religiosi olim viri in solitudines concesserunt, & in summa vixerunt paupertate, ut constat exemplo Iohannis Baptistæ, Antonii Ægyptii, Hilarionis & aliorum : Ergo probrosa non est ultro accersita paupertas & summa egestas.*

Resp. Negatur *consequentia*, nisi consequenti addatur limitatio, nempe paupertatis ultro accersitæ causa, *vocatio singularis*, aut alia *urgens necessitas*, quæ in *Iohanne Baptista* fuit & forte etiam in pluribus aliis.

§. 35. (5) *Christus divitem jussit vendere, quæ habuit, & dare pauperibus* Matth. 19. v. 21. *Ergo voluntaria paupertas, &c.*

Resp. Negatur *consequentia*, si paupertas in consequente intelligatur, quam supra definivimus. Paupertatem de qua Matth. 19. præcepit Christus & suasit singularis vocatio divina : quam mendicantes *Monachi* non possunt prætendere.

§. 39. Quæ-

§. 36. Quæritur (12) *An vere sint pauperes plerique Monachi Pontificii, qui voce & habitu paupertatem profitentur?*

Resp. Negatur. Rationes sunt.

(1) Quia conventus plerorumque sunt divites. Partes igitur eorum singulæ non possunt vere dici pauperes: nisi dicas, totum corpus posse album esse, cujus partes singulæ sunt nigræ.

(2) Quia haberi pro pauperibus non possunt Principis aut prædivitis hominis hæredes, quamvis hæreditatem indivisam possideant, & nihil ejus alienare aut vendere cuiquam liceat.

(3) Quia vere pauperes dici non possunt seculares homines, qui divitias suas uni conferunt procuratori, ea lege, ut necessaria singulis ministret, & nihil deesse cuiquam patiatur.

(4) Quia unusquisque Monachus jus habet congruam suam portionem petendi, &, si negetur, de injuria conquerendi, actionemque contra conventum, coram judice competente, persequendi.

(5) Quia multi ingrediuntur monasteria & cucullos induunt, ut paupertatem fugiant, & habeant, unde in otio commode possint vivere.

(6) Quia multi monasteria ingrediuntur, ut ad dignitates ecclesiasticas magnasque parandas divitias sibi viam sternant.

§. 37. Paupertas ut sine urgente causa non accersenda, non simulanda, ita, si sine culpa obveniat, in aliis non contemnenda, in nobis autem magno animo ferenda. *οὐ τὸ πένεσθαι ἐπονείδιστον, ἀλλὰ τὸ μὴ φέρειν εὐγενῶς τὴν πενίαν. Isidor. Pelus.* lib. 3. epist. 101. *Non est probrosum paupertate laborare, sed animo forti non ferre.* Jehovæ, qui depauperat & ditat, deprimit & extollit, laus & honos in secula, AMEN.

INDEX
CAPITUM ET QUÆSTIONUM CONTROVERSARUM, LIBRI PRIMI.

De VITA RECTA.

Caput

30. Quod-

9. Si

29. An

5. Quibus

Caput

2. An

De Avaritia. Quæstiones.

Cap. XXVI. *De Amicitia Sociali.* Quæstiones. 555

14. An

De injustitia & injuria. Quæstiones.

Cap. XXX. *De Inimicitia.* Quæſtiones.

6. An

Cap. XXXV. Appendix I.

De Virtutibus Intellectualibus in genere. Quæstiones.

De Distinctione Virtutum Intellectualium.

De

De habitu Intelligentiæ. Quæstiones.

De Scientia. Quæstiones.

De Opinione. Quæstiones.

De Sapientia. Quæstiones.

De Habitibus practicis in genere. Quæstiones.

De Arte. Quæstiones.

De Prudentia. Quæstiones.

De Amore. Quæstiones.

De Odio. Quæstiones.

De Lætitia. Quæstiones.

8. Cur

3. An

4. An

Cap. VI. *De Vitæ Sufficientia.* Quæstiones.

FINIS.